ACCADEMIA DI MEDICINA ★
DI TORINO

THEATRI
PRAXEOS
MEDICÆ

PARS POSTERIOR.

THEATRI PRAXEOS MEDICÆ
PARS POSTERIOR.

Icterus flavus.

ICTERVS ALBVS, vid. *Febris alba.*

ICTERVS FLAVVS, AVRIGO, MORBVS REGIVS, VIVERRA, *Suffuſio Bilis*, eſt naturalis, vividi, ac floridi coloris Cutis per totum corpus in flavum aut croceum mutatio, cum laſſitudine membrorum aliisque ſymptomatibus.

Pars affecta.

Accidens hinc *Cutim* per totum corpus, imò fortè & internarum partium integumenta affligens. *Icterus* vocatur à Muſtelâ ſylveſtri, oculos flavos habente, quæ græcè Ἴκτις, latinè *Viverra*, germanicè *Iltis* dicitur, *Aurigo* etiam nuncupatur à flavo auri colore; & *Morbus Regius*, quod in Aulis Regum ac Principum frequens exiſtat.

Cauſæ.

Cauſa proxima eſt Maſſæ ſanguineæ nutritius ſuccus maximè turbatus, atque exaltatis diſſolutiſque particulis oleoſo-reſinoſis ſive bilioſis inquinatus, & ad poros cutaneos ſenſim depoſitus; ita quidem ut ſimul ipſa Pinguedo flaveſcente ejuſmodi ſucco tingatur. Inquinatū proin talem ſuccum reddit totius Maſſæ humoralis turbatio, citra febrilem ſæpius efferveſcentiam contingens, tanta, ut ſi è Venâ ſectâ ſanguinem educas, quandoque ne guttulam quidem unicam rubicundi floridique cruoris deprehendas, quod nos aliquoties non ſine ſtupore vidimus, dum ſanguinem, per venæſectionem curioſitatis gratiâ emiſſum, flavæ Jumentorum Vrinæ ſimilem obſervavimus. Imò in Fœminâ quadam ſummè ictericâ conſpeximus Sanguinem & Vrinam, quàm craſſam emiſit, ſibi invicem ſimillima fuiſſe, poſt quindecim verò dies, quibus Icterus integrè propemodum diſcuſſus fuit, ſanguinem denuo ad aliquot uncias extractum maximè rubicundum ac floridum extitiſſe. Turbidam Maſſam ſanguineam reddunt *antecedentes* cauſæ plures; & quidem nunc Hepatis atque Pororum bilariorum obſtructio, à craſ-

craſſioribus illis particulis, quæ per glandulas Hepatis ſecerni deberent, ſed ob viſciditatem minimè poſſunt, proveniens. Ad talium autem particularum viſciditatem confert ſalium acidorum vel auſterorum, plus minus ſolutorum collectio in Latice ſanguinis, quemadmodum illa è primis viis cum Chylo minùs probè digeſto, multumque oleoſo, ſive reſolutis particulis pinguibus ac ſulphureis referto accedunt. Inter cauſas *procatarcticas* referimus Fructus horæos frequenter & immodicè comeſtos, piſces ſalitos, cum butyro, aliiſve rebus pinguibus ſæpiùs devoratos: Iram vehementiorem ac frequentiorem, inprimis poſt paſtum, terrorem ſubitaneum; Febres intermittentes, Menſium ſuppreſſionem, Viperarum aut aliorum animalium rabidorum morſus, Scorbutum, aliaque particularum maſſæ humoralis craſin ac ſitum præternaturaliter invertentia atque turbantia.

Diagnoſis. Quoad *Diagnóſin*, ſigna Icteri præſentis per ſe ex intuitu Ægrorum patent; etenim album oculi, totius corporis expanſio cutanea, interdum & ungues digitorum croceo colore tinguntur. Vrina plerumque turbida, craſſa, & croceo ſaturato, vel obſcurè flavo colore tincta ſimul comparet, hocque ipſo colore immerſum linteum vel papyrum inficit. Aliquando Vrina ex viridi ferè nigricat, ſicque Vrinæ Jumentorum non multum abſimilis eſt. Vrinæ ſedimentum plerunque copioſum eſt, & croceo-rubicundum. Totius corporis membrorum adeſt laſſitudo, major in Adultis, quàm Pueris hoc Morbo affectis. In principio Mali, dum erumpere nititur, ſæpè acerbus & gravativus dolor regionem Hepatis ſ. Hypochondria occupat, indicio obſtructorum ductuum cholidochorum. Inſimul non raro anguſtiæ & anxietates Præcordiorum cum aliquâ reſpirandi difficultate Homines affligunt. Dein propter ſanguinis circulum, ac ſuccum pancreaticum nimis craſſum, tenacem facileque ſtagnantem, dolor ille Hypochondriorum gravativus non parum augetur, ac ad lumbos quoque extenditur. Si Icterus ad ſummum pervenit, tunc ſalivam nonnihil aliàs ſpiſſam amarore ſimul, aliove ingrato ſapore inficit. Alvus ſubinde fluida ſatis, ad inſtar Diarrhoeæ pituitoſæ, aliquando magis obſtructa, aut albicantibus excrementis propter defectum Bilis fluens. Febris non ſemper, ſed ſolùm interdum Ictero jungitur, eaque lenta magis, quàm acuta: imò ſæpè Febri ſive intermittenti tertianæ, ſive continuæ, Icterus ſuccedit, criſeos ad inſtar. Si ſanguinem è ſectâ venâ paululum extrahas, vix aliquid in eo rubicundi cruoris, ſed multum potius ſeri craſſi, urinam ipſam repræſentantis, deprehendes.

Prognoſis diverſimodè inſtituenda eſt, pro cauſarum nunc magis nunc minùs difficilium varietate. Icterus *criticus* Febri decreſcenti ſuperveniens plerunque bonus; ſi autem Febris non penitus ceſſet, ſed lentè Hominem tenere atque exercere pergat, Prognoſis.

tunc

tunc Hecticam facilè, ac Hydropem poſt ſe trahit. In Pueris hic Morbus minùs periculoſus, quin duarum vel trium ſeptimanarum ſpacio leviculis diſpellitur remediis convenientibus. In Adultis ſi Icterus eſt ſymptomaticus ab irâ vehementi, frequentique oriundus, tunc ſæpè diuturnus evadit, ac duriùs obſtructo Hepate in nigrum Icterum, Hecticamque immedicabilem degenerat. Facilior autem curatu eſt, quando ejus cauſa in primis tantùm viis latitat, modò vitium non fuerit ab aſſumto quodam Veneno inductum.

Curatio. In *Curatione* id agendum, ut turbida admodum & in ſuâ craſi maximè inverſa ſanguinis maſſa ad priſtinum ſtatum redigatur, depreſſis, atque diſpulſis particulis oleoſo-reſinoſis; ſimul deſtructo acido-auſtero, ejuſmodi dyſcraſiam excitante; reſeratiſque ductuum cholidochorum obſtructionibus, id quod in Adultis quidem efficere poſſunt, abſente Febre, *Vina medicata*, quemadmodum talia ſcitè componuntur ex *Radicibus Gramin. Curcum. Gentianæ, Chelidon. maj. Ariſtoloch. Vincetox. Lapath. acut. Corticib. Cappar. Aurantior. Tamaric. Herbis Chamædr. Capill.* ♀. *Chelidon. major. Naſturt. Cochlear. Trifolii fibrin. Marrub. alb. Card. bened. Abſynth. Centaur. min. Artemiſ. Sabin. Florib. Calendul. Geniſt. Seminib. Aquileg. Dauc. Naſturt. Napi, Rhabarb. elect. Agar. trochiſc. Radic. Hellebor. nigr. Cinamom. acut. Cortic. Winteran. Mac. Cubeb. Croc. Crem.* ♀*ri Salib. Polychreſt. Abſynth. Limatur. Chalyb.* v. g.

℞. *Radic. Gentian. major.*
Chelid. major.
Curcum.
Bryon. ana. ʒiij.
Cortic. Cappar.
Aurant. ana. ʒij.
Herb. Hepat. nob.
Agrimon. ana. Mj.
Card. bened.
Summit. Cent. min.
Abſynth.
Flor. Calend. ana. Mß.
Bacc. Juniper.
Semin. Fœnic. Naſturt. Nap. ana. ʒij.
Croc. orient. ver. ℈ij.
Rhab. elect.
Agar. trochiſc. ana. ℥ß.
Rad. Helleb. nigr. ʒij.
⊖*is Juniper. vel Vitrioli.* ♂*t.*
Cortic. Winter. ana. ʒj.
Inciſ. contuſ. & in nodulo ligatis affunde Vini albi veter. ℔iiiß.
Aqu. fontan. vel
Gramin. ℔iß,
Stent per primam noctem in Cineribus calidis, poſtea quotidie mane cyathus ℥iiij. *plus minus exhauriatur.*

Vel ℞. *Radic. Ariſtol. rot. ver.*
Rhapontic.
Taraxac. ana. ℥ß.
Herb. recent. Naſturt. aquat. vel Trifol. fibrin. vel Piperitid.
Summit. Marrub alb. ana. Mj.
Flor. Geniſt. Mß.
Semin. Milii Solis.
Aquileg. ana. ʒiij.
Cinnam. elect. Mac.
Cardamom. vel Cubebar. ana. ʒj

 Rhab.

Rhab. elect. ʒvj.
Radic. Hermodactyl. ʒiij.
⊖*is Tamar.* ʒj.
Inciſis, contuſ. atque in nodulo ligatis affunde & uſurpa, ut ſuperius dictum.

Vel ℞. *Conſerv. Violar. purp.* ʒj.
Radic. Jalapp. ℈j.
Mercur. dulc. opt. ℈ß.
Scammon. 🜍*rat. gr* ij. *vel* iij.
M. f. cum Sacchari q. s. Bolus, mane unâ doſi deglutiendus cum regimine Diætæ.

Vel ℞. *Syrup. Roſ. ſol. compoſ. aut de Cichor. cum Rhab.* ℥ij.
Confect. Hamech. aut Elect. è Succo Roſ. ʒiß.
Aqu. Chelidon. major. ℥iß.
M. f. Potio d. ad Vitrum pro Doſi matut.

Vel ℞. *Syrup. de Spinâ cervin. flor. Acac.*
Aqu. Naſturt. aqu. ana. ℥j. ʒij.
M. f. Potio d. ad Vitrum pro doſi.

Vel ℞. *Panac. ſolut. alcalin.* ʒvj.
Pulveris. dentur in 6. part. æqu. diviſ. ad ch. Hinc m. ac. veſp. aſſumatur Doſis cum Juſculo, vel Emulſione Amygd. dulc. tenuiori.

Vel *Pilulæ ex Maſſ. Pil. hydrop. Bont.* aut *Pilul. Aloëphangin. cum Reſin. Jalapp. Extr. Croc.* & *Merc. dulc. præſcrib.*

Purgato ſemel vel aliquoties corpore *aperientia* ſunt in uſum vocanda, quemadmodum ſpecificè in hoc Affectu commendantur *Juſcula Herbis naſturcinis*, ut & *Agrimon. Anſerin. Urtic. Chelidoniâ majore* alterata, & quotidie m. ac v. per aliquot hebdomadas hauſta, vel *Potu* ſimili *Aquarum* ex iisdem *Herbis*, inprimis autem *Chelidonio*, ceu ſummè Specifico, *deſtillatarum*; hâc enim ratione intra 14. dies Æger ſæpiſſimè reſtituitur. *Elixir propr. Clauder.* vel *ſine acido, cum Eſſent. Abſynth. Artemiſ. Trifolii fibrin. Zedoar. Spirit. Cochlear. Tinct.* ♂*t. aperit.* ♁*nii, Sal volatil. oleoſ.* & ſimilibus m. ac veſp. ad gutt. 30. cum *Aquâ chelidon. maj.* fructuoſè dantur. Si Æger poſſit ferre *Lac*, tunc quotidie mane cyathus calidè præbeatur *ſaccharatus*, cum ʒj. *Saponis veneti*, in eodem diſſolutâ, continuando hoc per decem vel 12. dies.

Sunt qui magis ſicca ferunt remedia, quibus proin ordinabis *Extracta Radic. Curcum. Chelidon. Rhabarb. Herb. Centaur. min. Fumar. Chelidon. major. Abſynth.* &c. *Diaph.* ♂*ial. Raſuram Ebor. Fœcul. Aron. Bryon. Cinam. Zingiber. Semina Naſturtii, Paludapii, Ocul.* ♋. *Milleped. ppt. Tartar.* 🜖*lat.* &c. *Stercus anſerinum* ad ʒij. in ℥iij. *Vini albi infuſ.* & quandoque bihorio ante paſtum ſumptum pro ſpecifico habetur. Ita *Stercus anſerin.* vel *Gallin. ſiccum* ſexies vel pluries ad ʒß. in pulvere datur. Si Febris adſit, à *purgantibus* abſtinendum, & ſola *clyſmata*, cum hactenus dictis aperientibus in uſum vocanda ſunt. *Emeticum* tamen in caſu neceſſitatis etiam heic in principio cum ſucceſſu exhibueris. Sunt qui cum fructu quoque *Trochiſcos de Myrrhâ* cum *Diaphor.* ♂*tial. Radice Aronis* & *Saccharo* in pulverem redactos ſæpiùs capiunt. Pulverem *Lactis Lunæ* quidam

in

in ſecretis habent, ſumtum ſæpiùs ad ℈j. cum *Aquâ Chelidoniæ* poſt evacu atum leniter corpus. Pro ſpecifico quidam ſequentem habent Julepum:

℞. *Aqu. Verben. Chamomill.*
Chelidon. major.
Naſturt. aquat.
Syrup. de Marrub. alb. ana. ℥vj.

Miſce ad Vitrum & mane ac veſperi per plures dies propina.

Vel ℞. *Cortic. median. recent. trunci ac radic. Sambuc. q. v.*

Concide & contunde probè cum tantillo Vini albi veteris, exprime dein ſuccum, ejuſque duo vel tria cochlearia cum hauſtu Vini calentis bibantur, & horâ pòſt juſculum capiatur.

Vel ℞. *Radic. Cichor.*
Gramin. ana. ℥ß.
Herb. Agrimon. Mij.
Artemiſ.
Fragar.
Marrub. alb.
Paſſular. minor. ana. Mj.
Baccar. Juniper. ℥ß.

Inciſ. & contuſ. coque in
Aqu. fontan. Mij.
Vini alb. ret. Mß.

De Colaturâ bis vel ter quotidie unciæ quatuor hauriantur.

Vel ℞. *Radic. Chelidon. major.*
Taraxac. ana. ℥ß.
Herbar. Agrimon.
Card. bened.
Fragar. ana. Mj.
Piloſell.
Summit. Centaur. minor.
Marrub. alb. ana. Mß
Fol. Sen. opt. mund. ℥vj.
Baccar. Laur. ʒij.
Croc. optim. ʒj.
Cinam. optim. ʒß.
⊖*is Cent. min.* ℈ij.

Inciſis, contuſ. atque in nodulo ligatis affunde
Vini albi veter. ℔iiij.
Aqu. Chelidon. major. ℔j.

Stent in loco tepido per 12. *horas, poſtea mane ac veſperi paulo ante paſtum unciæ duæ bibantur.*

Vel ℞. *Baccar Juniper.*
Laur.
Semin. Aquileg.
Naſturt. hortenſ.
Radic. Chelid. maj.
Rubiæ. ana. ℥ß.
Cortic. median. Pomi ſylveſt. ℥vj.
Herbar. Fragar.
Chamædr. ana. Mß.

Inciſ. & contuſa coque in vaſe probè clauſo in Vini albi veteris ℔iiiiß, *& Aqu. Fumar.* ℔ij. *per horam dimidiam, aut diutius*, atque *de Colaturâ poſtmodum mane, veſperi & noctu uncias quatuor plus minus, tepidè ſi poſſit Æger, bibat.*

Vel ℞. *Roob Sambuc.* ℥iß. *vel* ℥ij.
Lumbric. terreſtr. ppt. ʒij.
Syrup. de Card. bened. ℥ß.

Miſc. detur ad Ollam. Mane ac veſperi Caſtaneæ magnitudo capiatur.

Vel ℞. *Extract. Aquileg. Abſynth.*
Chelidon. maj. ana. ʒj.
Croci ℈j.
Diaphor. ♂*ial.*
Lactis Lun.
Cinnab. ♃*n. opt. ana.* ℈ij.
Eſſent. Croc. q. ſ.

M. f.

M. f. Pilulæ granorum duorum pondere, conſperſæ Pulvere Liquirit. d. ad Scat. Doſis 10. 12. vel 15. mane ac veſp. cum Aqu. Fragariæ.

Si Icterus ſuperveniat Febri continuæ aut intermittenti, tum in uſu diaphoreticorum eſt pergendum, eaque cum Aquâ Chelidoniæ majoris ſemper exhibenda.

Ictui autem vel morſui Animalis rabidi accedens Icterus curatur intus quidem per remedia blandè volatilia alexiteria ſedulò exhibita, aliave ſub Titulo de *Canis rabidi morſu* expoſita; extus verò per ſcarificationes, cum cucurbitulis applicatas, *Balſama & Emplaſtra* abſorbentia, & attrahentia.

Pueri hoc Malo affecti *Trochiſcis* primùm *Hermeticis*, vel *Scammonio 🜍rato*, cum *Mercurio dulci ſexies ſublimato* purgandi ſunt. Vel *Infuſum Rhabarb. & Fol. Senn. in Aqu. Chelidoniæ majoris* præbeatur. Poſtea vel ʒß. *Saponis Veneti in Lacte bubulo ſaccharato diſſoluti*, quotidie ad aliquod hebdomadas propinetur; vel potus *Aquæ Chelidoniæ* m. ac v. ad ℥iij. concedatur tamdiu, donec Icterus diſpareat. Vel *Tragema* præſcribatur ex *Specieb. dianth. Imperator. Aromat. roſat.* cum *Raſur. Ebor. Radic. Aron. Ocul. ♋. ppt. Diaph. ♂ial.* vel *♃ vial. Sale Abſ.* vel *Polychreſt.* & *Saccharo. Syrupus* quoque *ſceletyrbicus* ex *antiſcorbuticis* paratus, non eſt contemnendus.

Extus in omnibus conducere creduntur *Chelidoniæ* aut *Verbenæ*, *Marubii*, *Naſturtii recentium* applicatio ad plantas Pedum; vel *Piſcis Tincæ*, aut *Mellis comm.* cum *Croco pulveriſat. Lacte Lunæ*, admotio ad Vmbilicum.

Ruſtici ſubinde Vrinam Ægrotantis Veſicâ bubulâ aut ſuillâ exceptam in fumo Camini ſuſpendunt, donec ſiccata ſit. In fine Morbi ad reliquias diſcutiendas ſudoriferis utendum.

ICTERVS ſ. ARQVATVS NIGER, eſt Cutis totius corporis coloris vividi mutatio primùm in pallidum, dein in liventem atque ſubnigrum, cum laſſitudine, triſtitiâ, appetitu imminuto, atque macie quadam incipiente. *Icterus niger.*

Veteres nunc Lienem, nunc Hepar, nunc utrumque ſimul viſcus pro Parte affectâ adgnoverunt; ſed re penitiùs conſideratâ, non niſi cutaneum Corporis involucrum pro affecto loco primario habere poſſumus, & ſi quid labis in interioribus erit Viſceribus, illud cauſa potiùs erit iſtius Morbi dicenda. *Pars affecta.*

Et reverâ, cum uſus Lienis nondum adeo perſpectus eſt, fortè illius Glandularum obſtructio, non ſecus atque infarctus Renum ſuccenturiatorum, in culpa eſſe poteſt, ut hinc vel regurgitantes in ſanguinem, vel in eo copioſè remanentes particulæ ſeroſo-ſalinæ & acidiuſculæ fixæ occaſionem præbeant proximæ hujus Icteri cauſæ, quæ alia nulla eſſe poteſt, quàm turbidioris ſeroſi ſanguinis ad omnes totius cutis tubulos effuſio, ſimulque talium molecularum pituitoſo-lividarum appoſitio. Vt *Cauſæ.*

proin

proin non multum inter ſe differre videantur *niger* atque *flavus Icterus*; præprimis ſi ſimul dicamus etiam Hepatis obſtructionem, & hinc bilioſarum acidarum particularum in circulante maſſâ remanſionem atque coacervationem non levem eſſe cauſam poſſe Arquati nigri. Antecedenter autem contribuunt huc omnia, quæ tartareo-pituitoſas, ac ſalino acidas viſcidas particulas corpori, ejuſque ſanguini immittere valent. Vel etiam Liquor ſtomachi per frequentem iram atque triſtitiam magis fixus, auſteruſque redditus, è Cibis minùs probè digeſtis chylum acido-fixum elicere, ac ad ſanguineam maſſam tranſmittere poteſt; idque tanto magis contingere arbitrandum venit, quando ſimul pancreaticus ſuccus præternaturali quadam aciditate præditus, chylo tali unâ cum bile, quam porraceam reddit, perfunditur, bonaque ſui portione cum eodem ſucco ad ſanguinem tendit.

Diagnoſis. Cognoſces quidem hoc Malum facilè è colore cutis obſcurè primùm pallido, hinc etiam ſenſim liveſcente aut ſubnigricante: ſed inſimul quoque laſſum evadit corpus, torpidi fiunt ſenſus, mens triſtis ac tædioſa; alvi atque veſicæ excrementa quandoque non multum à naturali ſtatu abludunt; Vrina tamen utplurimum juſto plus ſaturata, & obſcurè flavo, nigricanteve colore tincta diu admodum emittitur; craſſior etiam eſt juſto, & quandoque clara licet obſcurè perſpicua manet, atque ex eâ ſedimentum croceo-nigricans præcipitatur. Nunquam, cùm clara eſt, nubeculam ſuſpenſam ceu coctionis ſignum præbet. Præterea de ventris Torminibus ſæpè conqueruntur ejusmodi Icterici, ac borborygmos rugituſve perſentiunt. Cumque ventriculi digeſtio minùs commodè procedat, chyluſque formetur ad nutriendum corpus parum aptus, hinc ſimul macies corporis incipit, pergitque, ni remedia intervenientia adjumentum ac levamen afferant. Febris tandem quoque ſed lentiſſima jungitur.

Prognoſis. Diuturnum plerunque malum eſt, præprimis ſi ſcorbutico-hypochondriaca Intemperies adfuerit. Curatur citiùs faciliuſque, ubi radices nondum firmas egit, Ægerque aliàs vegetus ac junior nullis vexetur animi gravioribus curis atque ærumnis; ſi tandem laudabilem victum domeſticus rerum ſtatus concedit. Secus verò malum, quod inſenſibiliter radicatum eſt, inextirpabile ferè cenſendum, prætertim cùm obſervatum ſit, illud non ita difficulter in Atrophiam, Hecticam, Hydropem, Scirrhumque Glandularum Abdominis tranſire.

Curatio. Icterus hic eandem medendi methodum admittit cum Ictero flavo; *aperitiva* inprimis *martialia*, ut & *antiſcorbutica* quacunque formâ magnopere proſunt: modò Animus aliquandiu perfectæ cuidam tranquillitati tradatur. Prodeſt quoque ſeqq. *Elixirium* quotidie bis ad ℥j. vel ℥ij. aſſumtum:

℞. *Aloës ſuccotrin.*
Myrrh. elect. ana ℥ß.
Cinam. acut.
Cortic. Vinteran. ana ʒij.
Croc. oriental.
Mac. ana ʒj.
Rhabarb. elect. ℥j.
Radic. Curcum.
Ariſtoloch. rotund.
Semin. Fœnicul. ana ʒij.
Inciſ. & contuſis affunde
Spirit. Vin. rectiſic. ℥xx.
Cochlear. ℥vj.

Stent in vitro probè clauſo per aliquot dies in digeſtione; poſtea filtratus Liquor ſervetur ad uſum. Speciebus reſiduis iterum media pars illorum ſpirituum affundi poterit, eodem modo digeri, ac priori Tincturæ admiſceri.

Externè toti Abdomini applicari cum fructu ſolet *Cataplaſma ex Herbis recentibus Verbenæ, Trifolii fibrini, Chelidoniæ major. Ulmariæ, Pimpinellæ, Marrub. alb. Anſerin. Aneth.* &c. cum *Farinâ Fabarum* & *Albumin. Ovorum*; ſingulis diebus novum faciendo. Tandem ſudorifera reliquias Morbi tollent.

JECORIS INFLAMMATIO, *vide Hepatitis.*

Jecoris obſtructio. **JECORIS OBSTRUCTIO**, Affectio eſt ſ. Morbus meatuum & canaliculorum Hepatis, qui cùm vel *Inflammationem*, vel *Scirrhum*, vel *Icterum* producit, ſub horum quoque Affectuum tractatione, ſuprà de Hepatis morbis explicatur.

JECORIS SCIRRHUS, *vide Hepatis Scirrhus.*

IGNIS SYLVESTRIS, *vide Phlyctænæ.*

ILEUS, ILIACA PASSIO vel **AFFECTIO, ILIACUS MORBUS, CHORDAPSUS, MISERERE MEI**, *Volvulus* vel *Convolvulus Inteſtinorum*, eſt Inteſtinorum, ac Ilei præprimis aut Cœci motus periſtalticus inverſus, cum dolore nonnunquam intenſiſſimo, alvi conſtipatione pertinaciſſimâ, vomitu frequenti, nauſeâ perpetuâ, & excrementorum quoque, ſi quæ adfuerint in Inteſtinis, per ſuperiora rejectione conjunctus. *Iliaca paſſio.*

Afficiuntur heic omnia fermè Inteſtina, in primis autem *Ileon* & *Colon*, cum *Cœco*, in quibus propter varios gyros, anfractus ac cellulas, frequentior mali cauſa coacervari ſolet. Quanquam affectiones reliquorum Inteſtinorum canalem anguſtantes, vel obſtruentes huic etiam morbo anſam præbere poſſint. *Pars affecta.*

In *cauſis* Ilei reddendis hòc prænotandum venit, quod quicquid in Ventriculo Vomitum, inque Duodeno Choleram, illud in reliquis Inteſtinis Iliacum affectum producere valeat. Sicut ergo conſtrictio fibrarum muſculoſarum Ventriculi Vomitûs; criſpatio fibrarum motricium Duodeni Choleræ; ita conſtrictio fibrarum nervoſarum in Inteſtinis reliquis *proxima* exiſtit *cauſa* Ilei, quando ſcilicet hæc ipſa conſtrictio motum periſtalticum invertit, ob quem contenta Inteſtinorum non amplius verſus inferiora, ſed ſuperiora verſus ad Ventriculum retro truduntur. Cauſæ *Causa.*

An-

antecedentes ſunt v.g.1. *Humores acres*, auſteri, tenaces ac viſcidi, ex Arteriis, vel etiam ex Hepate, Pancreateque in canalem Inteſtinorum depoſiti, ubi ſuâ acrimoniâ & auſteritate, ab Irâ immoderatâ, Terrore panico ac inopinato, Cibisve inconvenientibus auctâ, Fibras Inteſtinorum ſpaſmodicè lancinant, eorum motum naturalem majori inductâ contractione prorſus invertunt; ac inſimul Colicam convulſivam cum intenſis doloribus producunt. Acrium verò & auſterorum ejuſmodi humorum proventus maximus in ſcorbuticâ, aliquando tamen etiam in aliâ Maſſæ humoralis dyſcraſiâ & intemperie exiſtit. 2. *Inflammatio*, *Abſceſſus*, *Exulceratio*, & *Gangræna*, à quibus Inteſtinalium fibrarum convulſio facilè oritur. 3. *Hernia inguinalis* vel *umbilicalis*, Inteſtina incarcerata tenens, quæ vel à flatibus nimium diſtenta, vel à frigore extremorum præternaturaliter conſtricta, difficilem humoribus aut fœcibus tranſitum concedunt. 4. *Flatus*, *Fœces* & *Excrementorū ſcybala indurata*, cellulam unam alteramve Coli tenaciter infarcientia & obſtruentia, quippe ob duritiem nimis reſiſtentem ſurſum deorſumve moveri impotentia. 5. *Colica convulſiva* ſive *bilioſa*. 6. *Lumbricorum* fibras inteſtinales lancinantium copia. 7. *Inteſtinorum ſubintratio*, ſive deſcenſus ſ. inſinuatio unius Inteſtini in portionem vicinam alterius ſibi continui; quemadmodum olim in exenteratione Canis obſervavimus portionem Inteſtini Ilei ultimam ſpithamæ propemodū longitudine in Inteſtinum ſubintrâſſe rectum. 8. *Res* quædam *inſolitæ* canalem Inteſtinorum occupantes; veluti Moneta per incuriam deglutita in filiâ Baſilienſi transverſim Ilei cavitatem occludens cauſa extitit Ilei lethalis. Cauſæ *procatarcticæ* ſunt Aër nimis frigidus, corporis immerſio in Aquam gelidam, unde Colica ſpaſmodica, aut Volvulus Inteſtinorum in Hernia facilè excitantur: Cibi nimis viſcidi, auſteri, craſſi: Potus auſterus aciduſve nimius: Ira immodica & frequens, Terror ſubitaneus ingens, &c.

Quoad *Diagnoſin*, præſentiam iliacæ Paſſionis indicant Dolor intenſus loci Inteſtinorum affecti, cum ſenſu alicujus conſtrictionis, etiam quando manus admovetur; Inteſtinorum inflatio, vel aliquando nimia conſtrictio, etiam cum ipſius Abdominis contractione, Alvi obſtructio contumax, ita ut quandoque ſimul Ani ſphincter maximè conſtringatur, & difficulter ſpecillum admittat; Nauſea perpetua; Vomitus frequentes, quibus rejicitur ferè ſtatim, quicquid modò aſſumptum eſt; Vigiliæ continuæ; Anxietates & Inquietudines enormes, quandoque non ſine reſpirandi labore; Convulſiones ſimul interdum ſupervenientes. Si verò excrementa ac fœces per vomitum rejiciuntur, ſignum eſt vel Coli, vel recti Inteſtini affecti: ubi autem circa Vmbilicum, & in iliacâ Regione dolores excruciant, ſicque chyloſa materia rejicitur; tunc Inteſtina tenuia affecta ſignificantur. Denique *Diagnoſis.*

ſi in latere dextro prope Renem, ubi Inteſtinum jacet cœcum dolor magis fixus exiſtit, Inteſtinum cœcum pati judicabitur. Porrò ſimul Febris aliqua huic Morbo jungitur, eaque intenſa valdè, ſi ab Inflammatione Inteſtinorum provenerit. Quando autem Enterocele heic in culpa eſt, ex relatione Ægri, & inſpectione loci affecti deprehendi poteſt.

Prognoſis In *Prognoſi* Affectus hic periculoſiſſimus eſt dicendus, niſi enim intra decem dies alvus ſolvatur, Ægri plerunque moriuntur. Si ab Herniâ proveniat, tunc Tumor ſcroti, in quod Inteſtina ſunt delapſa, ſæpè inflammatur; imò, niſi hæc Inflammatio, conciliato libero canalis meatu ac tranſitu, brevi diſcutiatur, vel ipſa Inteſtina quoque intra Abdomen redeant, Gangræna Sphaceluſque lethalis ſuccedunt. Aliquando tamen Inflammatio in Abſceſſum abit ac mutatur, qui non ſolùm exteriora integumenta cutanea, ſed & Tunicas Inteſtinorum invadit, eas putrefacit ac rumpit, ita ut deinceps aperto Abſceſſu, ipſoque Inteſtini loco affecto, ſimul excrementa alvina profluant. Iſtud autem foramen Inteſtini perforati vel manet prorſus incurabile, vel ita ſolùm conſolidatur, ut foramen, cui cannula immittitur argentea, per totam vitam permaneat: Si à fœcum duritie productum ſit malum, feliciùs eſt curabile, non ſecus atque cum Colicæ ſpaſmodicæ ſuccedit. Quæ verò Iliaca paſſio à Gangrænâ, Coalituque Inteſtinorum, nec non ab Herniâ immedicabili & grandiori ortum duxerit, ea non niſi propinquâ morte terminatur. Singultus, Convulſiones, Deliria, Sudores frigidi, Virium collapſus, Fœtor cadaveroſus ab Ægro exhalans, plerumque ſunt ſigna mortis imminentis. Si à Coalitu Inteſtinorum, vel Herniâ provenerit indolente, neque interea alvus citò lubrica reddi poſſit, tunc paulatinâ macie Homo conſumitur atque ad mortem tendit.

Quòd attinet *Curationem*, in Iliacâ Paſſione ab *induratis fœcibus* oriundâ, poſt injectum unum alterumve *Clyſma emolliens* aut inflatum Tabaci Fumum ſequentẽ *Potionem* exhibeto. Curatio.

℞. *Terebinth. vitell. Ovor. ſolut.*
Elect. Hier. picr. Galen. ana ℥ß.
Syrup. Roſ. ſol. ſimpl. ℥j.
⊖*is polychreſt.* ʒj.
Aqu. Meliſſ. vel Chamomill. q. ſ.
M. f. Potio d. ad Cyathum pro doſi.

Vel *Infuſum fol. Senn.* cum *Rhabarb.* doſi largâ aliquoties propinare poſſumus. Et ſi hæc nihil proficiant *hauſtum* ſequentem dabis,

℞. *Mercurii vivi opt. purgat.* ℔ß.
Aqu. Cinam. bugloſſ. ʒiij.
Syrup. Violar. ℥j.
M. ad Vitr. pro doſi.

Sed antequam hoc extremum remedium in uſum vocetur, priùs adhuc ventri imponendum eſt *Cataplaſ. emolliens & carmin.* ex *Herbis* talibus cum *Lacte* & *Aquâ Hordei* coctis: vel Æger *Balneo* immittendus ex *Aquâ dulci*, cui Herbæ *emollientes* ac *detergentes* incoctæ fuerunt. Vel *Stercus vaccinum calidum*, aut *Unguentum de Hy-*

oſcyamo, *Oleo epomphalino* exaltatum inungatur. Acida omnia fugienda. Cibi, ſi admittat Æger, laxantes & humectantes ſunt concedendi.

In *ſubintratione Inteſtinorum*, cujus diagnoſtica ſigna obſcura admodum habentur, *Glans plumbea* torno recenter elaborata, vel è *Regulo ♁nii* confecta magnitudine Nuciſtæ deglutienda calidè præbeatur, *Mercurio vivo* nonnihil oblita. Imò plures talium *globulorum ♁niatorum*, vel ex *Regulo ♁nii ♃viali* confectorum deglutiri poſſunt ſuperhauſtâ tamen ſequenti *Potione*.

℞. *Hippenteror. num.* iv.
Aquæ fl. Acac. ℥iij.
Stent per horam infuſa, poſtmodum Colaturæ expreſſæ adde
Syrupi violar. purpur. ʒvj.
Aqu. Roſ. ℥ß.
Cinam. ʒij.
M. ad Vitrum pro doſi.

Externè locus affectus inungatur tali *Unguento*

℞. *Unguent. de Hyoſc.* ℥ij.
♁n. diaph. ʒij.
Ol. Nuciſt. expr.
Sapon. rectific. ana ʒj.
Miſce.

Si *Glandes plumbeæ* non penetrent, *Mercurii vivi hauſtus*, ut ſuprà, audacter, ſed nonnihil calidè propinabitur. De ſeqq. etiam Linctu ſæpiùs cochleare ſumatur plenum:

℞. *Mann. Calabrin.*
Ol. Amygd. dulc. rec. expreſſ.
Syrup. Papav. errat. ana ℥ij.
Spermat. Cet. recent. ℥ß.
Diaph. ♃vial. ʒij.
Confect. Alk. compl. ʒj.
⊖is volat. Viperar.
Cinnab. nativ. opt. ana ʒß.
M. diligenter ad Ollam.

Clyſmata ſubinde reiteranda, ac interdum intercalandæ quatuor vel quinque *Pilulæ diaphoretico-catharticæ*, vel ex *Mercurio Corallat. Helmont.* Mane ac v. quoque ℈j. vel ʒß. de *Pulvere* quodam *antiſpaſmodico* detur in vehiculo conveniente.

Ileus à *Bubonocele*, vel *Enterocele* intus deſiderat præter *Infuſum fol. Sen.* cum *Rhabarb. Pulveres carminat.* cum *Nitr. Extus Fomenta diſcutientia*, ſimiliaque *Clyſmata* in uſum trahenda veniunt. *Faſciculus cannabinorum filorum*, *Strangen Garn*, *Lixivio* incoctus & poſt expreſſionem calidè applicatus, ſubinde ad miraculum juvat. Si inflammetur nihilominus pars, ac in Apoſtema tranſeat, primùm *Spiritus vini camphoratus* cum *Rore minerali* reliquis diſcutientibus ſive *Fomentis*, ſive *Cataplaſmatibus* admiſcendus eſt. Niſi verò etiam ſic Abſceſſum præcavere poſſimus, ſuppurantia applicabimus, ac deinceps Abſceſſum & Vlcus, niſi mortuus interea fuerit Æger, conſuetâ methodo tractandum ſuſcipiemus. *Internè* tandem non obliviſcemur *Cardiaco-diaphoretica* in uſum trahere.

Ab *Inflammatione Inteſtinorum ſine Herniâ* productus Ileus, velut maligna Febris curabitur; licèt cum Ægri morte plerunque terminetur; non ſecus ac à *Coalitu Inteſtinorum* proveniens.

Imaginatio perverſa, Delirium.

IMAGINATIO PERVERSA, PHANTASIA LÆSA, DELIRIUM, eſt ſymptoma ſenſus communis, atque Phantaſiæ depravatæ, quo quidē hi ſenſus objecta externa longè aliter repræſentant, & animæ rationali dijudicanda offerunt, quàm quidem naturaliter fieri ſolet Et hinc eſt, quòd Ratiocinatio per conſequens ſimul pervertatur, ac Homo res aliter quàm in ſtatu naturali concipiat, abſurdas utplurimum ideas de illis formet; imò ſimul eum ad ineptos ſermones, incomtos mores, & ſtultas, vel ſæpè inſolentes actiones ſtimulet. Aliquando etiam ſub Deliriis hiſce nunc Triſtitiæ, nunc Iræ magis indulgent Homines, nunc etiam panico Terrori obnoxii exiſtunt. Sicut autem ejusmodi Delirium comes eſſe ſolet variorum Affectuum, ab ἀταξίᾳ ſpirituum animalium, vel eorundem dyſcraſia & motu perturbato oriundorum, quemadmodum ſunt *malignæ Febres*, *Hypochondriaca Paſſio*, *Phrenitis* &c. ita quoque alios adhuc ſuâ virtute morbos poſt ſe trahere valet, præprimis humorum circulantium labem, ac digeſtionis Ventriculi turbationem, morborum ſatis feracem. Quod verò Imaginatio ipſa fortior, licèt non admodum perverſa Fœtum in Prægnante multum afficere poſſit, in vulgus jam notum eſt.

Itaque ſymptoma hoc per ſe nullam requirit curationem, ſed cùm accedat aliis Morbis, in iiſdem curationis methodum nonnihil ſæpè mutat, quemadmodum id ſuo ubivis loco indigitatur.

Impetigo ſ. Lichen.

IMPETIGO, ſ. LICHEN eſt extremæ cutis in hâc illâve parte aſperitas præternaturalis, ex pluribus minutis tuberculis, nonnihil rubicundis, ſiccis, ac conglomeratis minus puſtuloſis compoſita, cum pruritu nunc majore, nunc minore Hominem excrucians. Afficitur autem heic ſolùm aliqua Cutis portio v. g. in Pedibus, Brachiis, aut aliis etiam membris, nullo excepto.

Pars affecta.

Cauſa.

Cauſa proxima eſt ſerum ſalſo-viſcidum & fixum, quod in pluribus glandulis ſubcutaneis ſibi invicem in parte aliquâ vicinis ſubſiſtit, colligitur, & coagulatum Tubercula efficit, ob ſal acre mordicans pruritum valdè moleſtum, imò etiam ſæpè ardentem excitantia. Quòd autem in hâc magis, quàm in aliâ parte corporis tale ſerum ſtagnet, in culpâ eſſe poteſt vel aër, vel aliud corpus frigidum auſterumque, aut alio etiam modo in illam partem incidens, tubuloſque conſtringens, ita ut Lymphæ circulatio, & exhalatio impediantur: quin & non rarò vel ſola partis frictio durior occaſionem tali ſtagnationi præbere poteſt, dum ſpiritus animales à frictione irritati copioſius affluunt, & tubulos cutis ſecretorios ſpaſmodicè criſpant vel adſtringunt. *Antecedens* autem cauſa eſt ſerum ſalſum in ſanguineâ maſſâ nimiopere congregatum, & quidem vel propter victum crebrum valdè ſalſum, vel propter tranſpirationem frequenter impeditam, vel propter Morbos prægreſſos, in quibus Homo multum ſudavit; quoniam fieri vix poteſt, ut ſudor è cute

Cute omnis per frictionem probè abſtergatur; quin plerunque à circumfluentis aëris tantillo frigore pori cutanei conſtringuntur, ſicque ſeri ſalſi portiunculas retinere coguntur; quæ dein ſtagnantes ſuam ſalinam acrimoniam exercere, ſimulque Tubercula hinc inde impetiginoſa producere valent.

Diagnoſis. Quòd *Diagnoſin* concernit non afficitur Cutis in toto corpore, ſed aliqua ſolùm ejus pars in hoc illòve membro. Conſpiciuntur Tubercula minuta non puſtuloſa, ab invicem ſejuncta, ſed vicina tamen, pro ſitu glandularum cutanearum; hinc & rubicunda, pruriente dolore Hominem valdè moleſtantia, interdum ſerpentia, id eſt, vicinas paulatim alias Glandulas invadentia; unde *Serpiginis* nomine Affectus tum venire ſolet. Quandoq; hoc Malum ſparſim hæc illave membra inſtar latarum macularum occupat, ac Homo interea utcunque ſanus exiſtit.

Prognoſis Si *Prognoſin* ſpectes, non magnoperè ex hoc Affectu ſibi metuunt Homines; ſi tamen incurii negligant, tum facilè tandem in Scabiem degenerare fœdam poteſt; aut etiam, ubi dyſcraſia humorum & Cacochymia magna adeſt, in Elephantiaſin Arabum, quæ ſquamoſæ aut furfuraceæ Scabiei ſpecies audit, mutari valet.

Curatio. In *Curatione* ergo univerſalia remedia ſunt præmittenda, nimirum *Purgans* aliquod cum *Mercurio dulci*, bis vel ter pro Mali magnitudine repetendum. Dein ea præſcribenda *antiſcorbutica* & *abſorbentia*, quæ vel per diureſin, vel per diaphoreſin, humoralem maſſam à ſero tali acri liberare apta ſunt, eâ ratione, quâ quidem aliâs in Scabie fieri ſolet. Quorum vaſa ſanguifera turgidiora ſunt, iis *Venam* quoque *ſecare*, aut ſaltem Cucurbitulas cum ſcarificatione applicare licet. Inter *topica* prodeſt applicatio *Emplaſtri diapalmæ*, vel *Norimbergenſis*, vel *Emplaſtr. de Lapid. calamin.* aut *de Ceruſſ.* cum *Mercurio dulci*. Sequens etiam linimentum egregiè diſcutit:

℞. *Unguent. pomat.* ℥ij.
Ol. 🜿ri per deliq.
Mercur. dulc. ana ʒij.
Olei Ceræ vel Sapon. rectif. ℥j.

M. f. Linimentum bis interdiu inungendum.

Alii *Saponem Venetum Spiritui Vini rectificato* permiſcent, donec fiat inſtar *Lactis*, quo lintea humectantur, & frequenter tepidè applicantur; *Aquam Calcis vivæ* non incongruè admiſcueris. Alii *Mercurium corroſivum ſublimatum* tantillâ quantitate in *Aquâ Solani* diſſolvunt, hinc de ſolutione hâc aliquid *Aquæ Calcis vivæ* affundunt, donec hæc maximè flava reddatur, lintea tandem huic liquori immerſa applicant. Interdum quoque *Lixivium fortius Aceto Sambuci* ſubactum, donec lacteſcat, in uſum ſimilem cum fructu vocant m. ac v. Omnia enim *lixivialia* acidum in glandulis ſtagnans invertunt atque præcipitant, uſque adeo ut eadem quoque in Eryſipelate aliiſque Tumoribus inflammatoriis maxime proficua exiſtant.

No-

Notandum verò, Impetiginem ſæpè eſſe quandam excretionem criticam, adeoque non ſtatim ſemper curari debere, ſiquidem accidat, ut eadem multoties totos vel integros artus occupet cum ſanitatis Ægri emolumento inſigni, præprimis apud Senes, quibus non ſecus atque bibulis hoc malum eſt ſatis familiare. Vbi autem in Artus excrementitia ſanguinis materia copioſè ſubſedit, tunc melius ac tutius applicabuntur *diaphoretica externa*, quorum in numero præſtans admodum eſt ſequens *Lac aureum*;

℞. *Lixiv. ſarmentor. Vit. acerr.* Miß
Aceti fortiſſim. Mß.
Lithargyrii Argent.
♁*nii crudi*
Lapid. calamin. ppt. ana ʒvj.
Alumin. rup. ℥j.

Singula in pulverem redacta liquoribus commiſceantur, ſtentque per dimidiam aut integram horam vaſe cooperto in leni digeſtione, poſtea decantato liquori calenti lintea immergas, iiſque Artus ſæpè involvas.

Ruſtici *Corticem medianum Sambuci* recenter contuſum magno cum ſucceſſu applicant. *Diæta* eadem eſt quæ in Scabie; inprimis cavendum à ſalitis nimium, acidis, atque fumo induratis, & aliis concoctu difficilibus.

IMPOTENTIA VIRILIS, vide *Sterilitas virilis.*

INCONTINENTIA ALVI, vide *Ani incontinentia.*

INCONTINENTIA VRINÆ, vide *Urinæ incontinentia.*

INAPPETENTIA, vide *Anorexia.*

INCVBVS, vide *Ephialtes.*

INFANTVM ALVVS SVPPRESSA, vide *Alvi Suppreſſio.*

Infantum febres.

INFANTVM FEBRES, vide *Febres.* Vbi tamen notandum, quod fractæ remediorum doſes apud Infantes ſint ordinandæ, habitâ maximè ætatis & tenellarum virium ratione. Dein cùm omnes ejuſmodi Febres à pituitâ valdè tenaci & ſalino-fixâ plerunque originem trahant, remediis ſemper permiſceantur, quæ blandam in ſe volatilitatem obtinent.

Infantum recens natorum Diæta.

INFANTVM recens natorum REGIMEN hæc deſiderat, ut Obſtetrix confeſtim ea agat, quæcunque non ſolùm ad vitam Tenellor. conſervandam vel ſuſcitandam faciunt, ſed etiam varias ab illis ægritudines avertere poſſunt. Primum autem officium Obſtetricis eſt, ut, quamprimum Infans in lucem prodiit, Vmbilicum longitudine digiti filo ſericeo probè liget, & hinc cis ligaturam abſcindat, ita ut vel nihil vel parum ſanguinis ex umbilicalibus vaſis profluat; nonnulli tamen Medici videntes Infantem ſatis benè habere, ſolutâ denuò ligaturâ, ſanguinis parum adhuc effluere permittunt, credentes, Tenellum hinc ſuo tempore paucis admodum Variolis laboraturum eſſe. Hoc verò notandum, antequam ligatura immittitur Vmbilico, ſanguinem non verſus Abdomen Infantis eſſe premendum, ſed retro ab Abdomine verſus ſecundinam

Primum Obſtetricis officium. Umbilici reſectio.

dinam trudendum. Reſciſſi & aliquoties intorti Vmbilici extremitati *linteolum* applicatur multiplicatum, imbutum priùs *Melle roſaceo* cum *Pulvere Nuc. moſchat. Sacchari*, atque tantillo *Eſſentiæ* vel etiam *Pulveris Myrrhæ*. Poſtmodum Infans ſtatim *Balneo* immittatur ex *Aquâ communi* parato, cui *Lac*, vel etiam *Vinum* non nihil permiſtum ſit; in quo *Balneo*, *non nimis fervente*, ſordes omnes probè abluuntur, iis deterſis confeſtim Infans linteis calefactis involvitur, artubuſque probè extenſis tenetur.

Frenuli ſublingualis ſolutio.

Hinc *Frenulum* ſub *Linguâ*, ſi nimis ſtrictum fuerit, ab Obſtetrice digitis tantillum rumpatur, vel forcipe diſcindatur, quo ſic Lingua liberiore motu gaudere, & ſimul extra labia ac os protrudi poſſit, neque inpoſterum articulato ſermoni addiſcendo impedimento ſit. Dein cretaceum excrementum, oris integumentis internis adhærens *linteolo ad bacillum alligato*, ac mixturâ *Olei Amygdal. dulc. Mell. roſac.* & *Sacchar.* imbuto defricetur, atque extergatur.

Meconii expulſio.

Ad meconium verò, in Inteſtinis per tempus manſionis in Utero coacervatum, expellendum, ſicque Infantem à futurâ Epilepſiâ atque Colicâ ſpaſmodicâ præſervandum, (qualia plura ſymptomata magis minuſque funeſta à meconio ex parte retento, & acido corroſivo reddito facilè ſuſcitari ſolent) remediis convenientibus utendum eſt; quem in finem ruſticæ quidem ac deterioris conditionis Puerperæ non niſi *Butyrum recens* vel ſolum, vel *Melli* permixtum Infantibus ſuis lambendum tradunt, ac ſimul mammas ſtatim ſugendas offerunt. Et certè hâc methodo ſuos feliciter admodum purgant Infantes, eò quòd ſeroſum illud primum Lac Mammarum, cujus portionem ſubinde emulgeri curant, ut facilius aliud ſubſequatur, per unum vel alterum diem detergente bonâ virtute præditum eſſe, non ſine ratione credatur. Sed hoc ipſo tempore Puerperæ qualeſcunque per aliquot dies non niſi optimis Juſculis carneis, avenaceis, ac hordeaceis nutriri debent. Delicatiores autem mulierculæ, quarum humoralis maſſa acris eſt, ut ſuos recens natos tanto feliciùs à futuris Convulſionibus præſervent, *Oleum Amygd. dulc.* cum *Mell. roſ. Succo Semperviv. maj. recent. expreſſ. Syrup. Roſ. ſol: ſimpl. Syrup. de Pæon.* cum *Raſur. Ebor. Corall. ppt.* ac *Cinnab. nativ.* vel ♁ *n.* frequenter lambenda tradunt per aliquot dies, uſque dum meconium omne expurgatum credatur. Vſitatiſſimum quoque eſt *Eclegma* ex *Syrup. de Mann. laxativ.* cum *Oleo Amygd. dulc. rec. expreſſ.* Aliis ſolum placet hoc *Oleum Amygd. dulc.* cum *Syrup. Violar. purp.* & *Sacchar o.*

Inter hæc tamen ipſum *Lac maternum* credimus propinari ſtatim poſſe, utut ſeroſum adhuc, modò Puerpera coeterà fuerit ſanæ conſtitutionis. Quum autem hæc ægrotans aut cacochymica ſit, tum præſtat Infantem Nutrici ſaniori lactandum præbere; quæ Nutrix temperie humorum laudabili gaudere, atque Lac dulce admodum, minùs ſalſum vel

acre, bonæque conſiſtentiæ habere debet. Perperam igitur illi agunt, qui Ubera materna non niſi poſt Lochiorum ceſſantem fluxum ſugenda offerunt; quoniam hoc tempore facilè papillæ mammarum à catellis interea emulctæ exulcerari poſſunt. Pulmenta primis diebus tribus vel quatuor nulla Infantibus dabuntur, inprimis ſi jam Uberibus maternis applicentur. Imò ſi Mater benè habeat, multum dulceque Lac obtineat, per plures menſes Infans ſine Pulmentis ſolo Lacte materno nutriri poteſt. Quòd ſi tamen *Pulmentum* exhibere velis vel cogaris, tum illud paretur & coquatur ex *farinâ puriſſimâ, nitidiſſimâ*, quæ in peculiari loco ab acceſſu vermium muſcarumque probè fuerit munita, non craſſum nimis, aut viſcidum, ſed cremori Ptiſanæ tenuiori ſimile, æquale; & quidem cum *Lacte vaccino* optimæ notæ, ſubinde & cum *Lacte caprillo* ſemel per diem in Infantibus ſegnioris alvi. Sunt qui *Panem albiſſimum minimè ſalitum* ſiccant ac torrent, atque hinc in Pulverem contuſum loco *Farinæ* uſurpant ad Pulmenta, ſicque nutrimentum melius ſuis Tenellis conciliare ſtudent, eò quòd ejuſmodi *Panis* ceu fermentatus jam, ulteriore multâ digeſtione in ventriculis Infantum opus non habeat, nec ita facilè in paſtam acidam commutetur, quemadmodum Pulmenta farinacea id ſæpè experiuntur, non ſine ſymptomatum variorum ſucceſſu.

Balneorum uſus

Præterea Infans adhuc ſingulis ſeptimanis in Balneo ſemel vel bis lavetur, vel aliter ſaltem à reſtitantibus adhuc ſordibus cutaneis mundetur, ac poſtea mundus conſervetur. Si Vrina acris Intertriginem atque excoriationem femorum efficiat, *butyro* inungantur partes, vel *Pulvis Tutiæ, Lapidis calaminaris, farina Ligni putridi*, &c. inſpergatur, ubi pars inprimis rubicunda fuerit, ac inflammari incipiat. Intus ad hæc avertenda, aliave mala præcavenda cum Pulmentis præbeatur *Pulvis Marchionis* ſimplex, aut cum *Coralliis ppt.* vel *Oculi ♋. ppt. ♁n. diaph. opt. Raſur. Ebor. Unicorn. marin. ppt. Radic. Pœon. Irid. florent.* &c. cum *Sacch.* exhibeantur. *Decoctum* etiam *Hordei* cum *Radic. Liquirit. Aquâ Portulacæ* permiſtum nonnihil potandum offeratur. Vel ubi Infans fervido ſanguine præditus deprehendatur, Mater lactans, Vini potu per aliquot dies intermiſſo, *decoctum* bibat ex *Radice Graminis, Acetoſ. Cichorii, Endiv.* &c. *Herb. Agrimoniæ, Scabioſ. Anſerin.* Imò quotidie ſemel vel bis hauſtum bonum *Aqu. Cichor. Endiv. Portulacæ, Lactucæ*, &c. cum *Syrupo Violarum, Papav. rhead. de Nymph.* vel *Capill. ♀ris* capiatur.

Luminis externi moderatio.

Dein Lumen intenſum circa Infantem recens natum non ſit, nec candela ardens ei propiùs diuque admoveatur, ne viſus ipſius offenſam patiatur. Decumbat per menſem in dorſo, poſtea in latere, lumen rectè oculis ſit oppoſitum, nec illos indirectè incurrat; quare cunarum latera velo cingenda. Cunæ penſiles meliores. Somno plus indulgeant, quàm vigi-

Vigiliis, quem in finem interdum *Theriacam Andromachi* vel *Mithridat. Dam.* magnitudine piſi: vel guttas 10. pluresve de *Syrupo anodyno* præbere poſſumus, quibus ſimul remediis Tormina convulſiva præcavemus. Quotidie molliter fricandum corpus Tenellorum. Poſt menſes quinque vel ſex manus & brachia faſciis liberari poſſunt. Nunquam uni mammæ tantùm aſſueſcat, niſi id neceſſitas poſtulet, quia ſic Infantes ſimul adſueſcunt unâ tantùm manu uti. Nec permittatur, ut Tenelli res propiùs adſpiciant, ne evadant ſtrabones, oculosque intorqueant. Si alvi fuerint ſegnioris, quandoque *Clyſmatibus emollientibus*, aut *Suppoſitoriis* ex *Butyro*, vel *Sevo*, cum tantillo *Croci*, *Mannæ* vel *Pulvere Aniſi* ſollicitanda illa erit. *Pulmentis* etiam *Butyrum* eapropter immittitur; vel *Manna* in illis diſſolvitur; aut aliquid de *Syrupo Roſ. ſol. ſ.* quandoque exhibetur: imò cum *Lacte caprillo* etiam Pulmenta fiunt. Solida ante dentitionem non ingerenda; cùm autem dentes erumpunt, eadem ſenſim præbenda, ſed ea tamen nec acida, nec ſalita nimis, aut dyſpepta multum, ne Infantes ſcabioſi maturè evadant. Non citò nimis cogantur ire pedibus. Curriculo includantur, ut ambulare diſcant: circulo caput cingendum, dum ſoli ambulare incipiunt. Antequam dentium numerum completum ferè habeant Tenelli, non ablactandi. Commodiùs verò ablactantur creſcente quàm decreſcente Lunâ, Vere vel Autumno, ſerenâ tempeſtate.

Infantũ tormina. INFANTVM TORMINA ſunt dolores plerunque Inteſtinorum, ſæpè etiam Meſenterii plexus nervoſos per intervalla torquentes, & ad ejulationem, vigiliasque ſtimulantes.

Cauſa. *Oriuntur* hæc crebrò quidem à flatibus, quibus imminuta Ventriculi digeſtio, ciborumque flatulentorum exhibitio, aut horum à Matre lactante comeſtio, anſam haud difficilem præbent. Imò ſi lactans Mater vel Nutrix manus pedeſve multum refrigeret, per Lac quoque ab Infante ſuctum acidumque in ventriculo Tenellorum redditum, Torminibus inteſtinalibus occaſio ſubminiſtratur. Quandoque ab acido acri, ac viſcido alio humore Inteſtinorum nerveas fibrillas rodente Tormina Ventris gravia excitantur, in illis ſaltem Tenellis qui ad Iram, ad quam naturaliter proclives ſunt, graviter ſtimulantur. Quando igitur Mater lactans *Iræ* immodicæ indulget, aut panico quodam *Terrore* ex improviſo commota fuit; aut *Cibos* comedit ſalitos nimium, fumo induratos, acidos, dyſpeptos, flatulentos, fructus horæos; ſi *Vinum* quoque vel *Cereviſiam* non benè defœcatam aceſcentemve vel auſteram bibit; tum acidum in Tenellorum viis primis coacervari haud difficulter poteſt. In Ablactatis torminum cauſa ſunt vel lumbrici mordentes & lancinantes, vel acidum rodens à malâ victûs ratione oriundum.

Diagnoſis. *Dignoſcuntur* ejuſmodi *Tormina*, ſi inquieti ſint Infantes, ſi pedibus calcitrent, ſi à porrectione Uberum ma-

maternorum plorare haud deſinant, ſi itidem in mediâ lactatione ſubitò iterum ejulare incipiant. Quandoque Abdomen illorum inflatur. Alvi excrementa liquida interdum ſunt, ſpumoſa, volatilia viridescentia, acidum odorem ſpirantia; interdum craſſa, viſcida, acria, globoſa.

Prognoſis. Quòd *Prognoſin* ſpectat, non contemnendus venit hic Affectus, quoniam ſæpè in Colicam convulſivam, atque Epilepſiam mutatur, eamque lethalem valdè, ſi nervos diaphragmaticos, aut pneumonicos ſimul prehendat, ſæpiuſque recurrat.

Curatio. Quamobrem Cura ſtatim diligens adhibenda, ut cauſa illa nervos vellicans è medio tollatur, & vel abſorbeatur, vel per alvum aut diaphoreſin eliminetur. Proſunt in hunc finem *Clyſmata emollientia*, & *carminativa* ex *Decocto Chamomillæ, Anethi, Malv. Melilot. Meliſs. Solan. Semin. Dauc. Aniſ. Fœnic. Carv. Aneth. Bacc. Juniper.* addendo *Oleum Scorpion. Rutæ, Chamomill. Verbaſc. Melilot. hortenſ.* cum tantillo *Mellis*. Sed decoctio fieri debet vel in *Aquâ fontan.* vel in *Urinâ Pueri*, vel in *Lacte decocto Aniſi* ac *Liquirit.* diluto. Abdomen Infantum inungi poteſt *Oleis Chamomill. Melilot. hort. Menth. Verbaſc. Abſynt. Scorpion. Matthiol. Semin. Hyoſcyam.* vel *Papav. alb. expr. Aneth. Rutæ, Aniſ. Fœnic. Carvi, Cumini, Angelic. Majoran. Lavendul. Thym. deſtillatis.* Imò Vmbilico applicari cum fructu ſimul ſolent aliquot grana *Zibethi* cum *Theriac. Andromach.* vel *Mithridatio Damocrat.* Dein quoque *Sacculus ſiccus* & interpaſſatus ex *Baccis Juniper. Laur. Seminib. Aniſi, Cumini, Dauci, Fœniculi, Anethi, Avenæ, Floribus Chamomill. Herbis Meliſs. Pulegii, Origani, Menth. Ocymi, Matricariæ* aut ſimilibus invicem inciſis, contuſis & mixtis fieri, atque calidè toti Infantum abdomini admoveri debet. Intus poſt aliquale leniens ex *Rhabarbar. Mannâ, Melle roſaceo*, vel *Syrup. Roſ. ſol. ſ.* aut *Florum Perſicor.* convenit exhibere ſæpiùs unum, duo, tria plurave pro ætatis ratione grana *Theriacæ Andromachi* cum *Syrup. Capill.* ♀ *r.* vel *Papaveris rhead.* Aut ſequens *Mixtura* egregiè juvat.

℞. *Aqu. Fumar.*
Borrag.
Meliſs. ana ℥j.
Syrup. Capill. ♀ *r.*
Pœon. ana ʒiiß.
anod. ʒj. ad ʒij.
♁ *n. diaph.*
Unicorn. mar. ppt.
Ocul. ♋. *ppt.* ana ℈j.
Cinnab. nat. opt. ℈ß.
Miſc. detur ad Vitrum, ac ſubindè cochleare plenum exhibeatur.

Vel ℞. *Aqu. fl. Til.* ℥iß.
omn.
Scab. ana ʒvj.
Syrup. Papav. rh. ℥ß.
Theriac. cœleſt. gr. ij.
Diaph. ♃ *vial.*
Ungul. Alc. ppt. ana ℈j.
Elæoſacch. Aniſ. ℈iiij.
M. d. ad Vitrum exhibeaturque cochleatim.

Quando autem hâc ratione à Torminibus liber fuerit Infans, tum ad

eo-

eorundem præſervationem prædictæ *Mixturæ* cochleare plenum non tam frequenter, ſed mane tantùm ac veſperi exhibeatur. In Pulmentis verò detur *Pulvis Marchionis* cum *Semine Aniſi pulveriſ. Coralliis rubr. ppt. Unicorn. mar ppt. ♁ n. diaph. Cinnab. ♁ n. opt.* & *Saccharo. Diæta* tandem optima, & Nutrienti adhuc vel Lactanti Matri atque Infantibus ipſis præſcribenda.

INFANTUM LUMBRICI, vid. *Lumbrici.*

INFANTUM DENTITIO DIFFICILIS, vide *Dentitio.*

INFANTUM DRACUNCULI ſive COMEDONES, vide *Dracunculi.*

Inflammatio. INFLAMMATIO ſive PHLEGMONE, eſt Tumor partis alicujus mollis cum ardore, ac rubore, oriundus à Lymphâ atque Sanguine ſpiſſo acri ſive in Tubulis adhuc ſtagnante, ſive etiam extravaſato.

Pars affecta. Afficiuntur ergo heic non ſolùm partes externæ, ſed & intrinſecæ, eæque membranaceæ, ac tubuloſæ, in quibus ſimul dolor ardens contingere ſolet. Unde *Inflammatio* pro diverſitate partium affectarum differentia nomina ſortitur, & nunc *Phrenitis*, ſi in cerebri membranis exiſtit, nunc *Pleuritis* vel *Peripneumonia*, ſi in Pulmone aut Pleura; nunc *Hepatitis*, ſi in Jecore; nunc *Nephritis*, ſi in Renibus contigit, appellari conſuevit.

Cauſa proxima *Cauſas* quod attinet, *proximam* quidem credimus eſſe partim Lympham, partim Sanguinem ipſum in mediis vel extremis hinc inde tubulis ſtagnantem, aut etiam è ruptis quocunque modo vaſculis extravaſatum. *Antecedens* verò cauſa eſt aliqualis Maſſæ ſanguineæ Cacochymia viſcoſo-acris, conſiſtens in particulis excrementitiis crudis viſcoſo-acribus in ſanguine congeſtis, quæ cum eodem per Circulationis legem ad varia ſecretionum loca propelluntur, atque ubi circa emunctoria hæc aut illa obhærent, minuſque decenter ſeparantur, tunc vel circa oſcula arteriarum, vel etiam in ipſis glandulis ſeſe ſiſtens talis ichor, acrimoniâ ſuâ ſalinâ partes nervoſas vellicat, arteriolas retrò ſitas varicoſas reddit, & ſic æſtum in ſanguine ſtagnante quoad motum inteſtinum aucto, nec non ruborem doloremque ſimul ardentem excitat. *Antecedentes.* Sique affluxus ejuſmodi ichoris, aut excrementitii humoris aliquandiu perſeveret, tandem calore cooperante, auctoque particularum elatere vaſcula rumpuntur, humores extravaſantur, ac hi, ſi quidem adhuc ſufficienter balſamici exiſtant, continuato illo motu inteſtino accito, paulatim in pus magis minuſve ſincerum excoquuntur, ſicque Bubones, & Apoſtemata varii generis producunt, de quibus ſuo loco.

Hinc diſtinctio *Inflammationis* in *exquiſitam* ſive *veram*, & *notham* ſ. *ſpuriam* emerſit: quarum *illa* à laudabili magis nec tantopere corrupto ſanguine ac lymphâ provenit: *hæc* verò natales ſuas debet ſanguini magis impuro & acri, unde Inflammationes potiùs *Eryſipelatodes*, *Oedematodes*

todes aut *Scirrhodes*, vel tandem quoque *puſtuloſas* efficit.

Procatarctica. Quoad *Cauſas procatarcticas*, ſæpè obſervavimus, vel ſolam aëris malignam craſin corpus Hominis ſubitò fortè lambentem, aut interdum frigore tantùm inſolito, atque improviſo tubulos partium harum illarumve criſpando, vel humoribus quoque craſſitiem inferendo talibus *Inflammationibus* inprimis *febrilibus* anſam dediſſe. Et quamvis exercitationes corporis modicæ ſanitati emolumentum inſigne afferant, attamen intempeſtivæ, unâ cum vehementioribus animi motibus, protractiſque vigiliis etiam humorum maſſam ad Inflammationes diſponere valent, majorem nimirum motum inteſtinum producendo, hincque circulatorium imminuendo; quoniam ſanguis in motu ſuo inteſtino auctus, adeoque æſtuans, non tam aptus eſt ad circuitus facilè præſtandos, quàm ſi eſt in ſuo æquabili & naturali motu. Dein etiam fruſtratæ excretiones v.g. Catameniorum, Hæmorrhoidum, alvi Fœcum, Vrinæ,&c. cum fuliginum cutanearum retropulſione huc quoque conferunt. Inſuper multifariam ab ictibus, vulneribus, contuſionibus, puncturis, morſibus animalium, combuſtionibus, luxatione, fracturâ, aliiſque rebus violenter in corpus incidentibus Inflammationes produci invulgus notum.

Diagnoſis. Signa pathognomica Inflammationis ſunt Dolor utplurimum pulſatorius, fixus, ac pungens, cum Ardore, ſive Æſtu, atque Rubore conjunctus. Dolor ille ſæpè etiam tenſivus, tumorque licèt mollis, renitens tamen exiſtit, ſine relictis digitorum prementium veſtigiis. Adeſt utplurimum ſimul Febris continua, eaque tanto major, vel gravior, quo Inflammatio fuerit grandior, aut in parte nobiliore. Inflammatio œdematodes omnia talia ſymptomata mitiora obtinet.

Prognoſis. *Prognoſis* diverſa formatur ratione varietatis morbi. Recens & levis Inflammatio, & ubi humores nondum ſunt extravaſati, certiorem atque etiam celeriorem curationem promittit. Vbi verò Inflammatio gravior eſt atque plures ſimul partes invaſit, imò nobiles quoque, tum periculum majus imminet, & quidem futuræ, ni præcaveamus, Gangrænæ atque ſiderationis, non niſi partis exciſione amplius curabilis, ſæpiùs verò prorſus lethalis. Vbi ſanguis eſt extravaſatus, facilè is morâ ſuâ corrumpitur, in pus convertitur, & Abſceſſum gignit, de quo vide ſuo loco.

Curatio. In *Curatione*, ſi ſanguis fuerit extravaſatus, nec longam adhuc moram expertus, tunc non ſecus atque in Inflammatione incipiente, in quâ nulla adhuc humorum effuſio facta fuit, diſcuſſio Tumoris eſt tentanda, circuituſque humorum priſtinus reſtituendus. Quod quidem fiet, ſi elotis per *Clyſma emolliens* ac *detergens* primis viis, *Venæſectionem* in brachio aut pede inſtituamus, emiſſâque quantitate ſanguinis, ejuſdem preſſuram nimiam ad Inflammatas partes immi-

imminuamus. Poſtea verò intus quidem *pulveres diaphoreticos*, ſimileſque *Mixturas* cochleatim ſumendas præſcribamus, eo planè modo, qui ſub Titulo de Febribus continuis indigitatus eſt. *Externè* autem ſæpiſſimè lintea tenuia ſequenti liquori calefacto immerſa parti inflammatæ imponantur.

℞. *Spirit. Vin. dephlegm.* ℥viij.
Roris mineral. ſ. Phlegmatis Vitrioli ſpirituoſi non acidi ℥j.
Camphor. ſpirit. Vin. ſolut. ʒij.
Croci pulveriſ. ʒß.
Miſc. detur ad Vitr.

Ita quoque ſolus *Spirit. Vini Camphoratus Hartmanni*, vel etiam *Spirit. Vini alcooliſatus*, cum *Eſſent. Croci, Camphorâ, Gummi Ammoniac.* & *Bol. armenat.* in uſum trahi poſſunt. Subinde multum juvat, faciliusque ferri poteſt ſeqq. *Cerotum* impoſitum.

℞. *Ceræ Virgin. raſ. recentis*, ℥j.
Ol. flor. Sambuc. ʒiij.
Roſar.
Lilior. alb. ana. ʒiiß.
Solvantur invicem, continuè agitando, donec ab igne remota refrigeſcant. Hinc tale linteis tenuibus inductum, applicetur, ſuperimpoſito adhuc papyro, haud bibulo.

Si videamus, nec talia Ægrum ferre poſſe, tum *Farinam ſecalinam probè ſiccatam* cum *Cretâ albâ*, *Bolo armenate*, atque *Camphorâ Spirit. Vini* ſolutâ in *pulverem* permiſcebimus, & cum fructu applicabimus.

Quando autem ex Tumore incrementum capeſſente, dolore, atque pulſatione partis ſenſim augeſcente colligimus, Inflammationem ád Abſceſſum tendere, tunc ſtatim ab uſu diſcutientium topicorum eſt deſiſtendum, & remedia in uſum trahenda, quæ maturare Abſceſſum, purisque generationem promovere poſſunt, quemadmodum id ſufficienter, in Curatione *Abſceſſûs* ſuo loco indigitatum eſt. A *Purgantibus* & *Repellentibus frigidis* in omni Inflammatione eſt abſtinendum.

INFLAMMATIO VVVLÆ ſ. GVRGVLIONIS. *Vid. Gargareonis Affectus.*

INFLAMMATIO PLEVRÆ. *Vid. Pleuritis.*

INFLAMMATIO PVLMONIS. *Vid. Peripneumonia.*

INFLAMMATIO FAVCIVM. *Vid. Angina.*

INFLAMMATIO HEPATIS. *Vid. Hepatitis.*

INFLAMMATIO RENVM. *Vid. Nephralgia. vel Nephritis.*

INFLAMMATIO MESENTERII ac INTESTINORVM eſt Tumor harum partium admodum dolens, ardens, atque rubens, oriundus inſtar omnium Inflammationum à ſtagnatione Sanguinis & Lymphæ in tubulis capillaribus. Affectus hic fortè non ita rarus eſt, ſed difficulter ac minùs perfectè dignoſcibilis, niſi ex fixo, ardente & pungitivo dolore circa Vmbilicum tormina acria mentiente, ex Febri itidem junctâ cum ſiti, appetitu proſtrato, & ſimilibus præſentiam talis Morbi conjicere velis. Interim certum hoc eſt, ſæpè Febri-

Inflammatio Meſenterii, Inteſtinorum.

Febribus malignis ejusmodi Inflammationem ſupervenire, & quidem interdum cum mortis ſequelâ.

Curatio. In *Curatione* autem à *Purgationibus reſinoſis*, non ſecus atque à *Clyſteribus acribus* cavebimus: ſed internè potiſſimum *diaphoretica alexipharmaca*, etiam *camphorata* ſicut in malignis Febribus præſcribemus: *narcoticis* parciùs intermixtis, vel prorſus omiſſis: *Externè* etiam Abdomini applicabimus *epithemata calida ſpirituoſa camphorata* atque *penetrantia*.

Itaque cùm certi ferè ſumus de præſentiâ ejusmodi Inflammationis, ſi alvus non reſponderit, *Clyſterem* non quidem *acrem*, ſed *emollientem* atque *detergentem* ordinare oportet, qualis v. gr. poteſt eſſe ſequens aut ſimilis:

℞. *Radic. Lil. alb.*
Malv.
Scorzoner.
Filic. ana. ℥iij.
Herb. 5. *emoll.*
Scabios.
Flor. Sambuc.
Calend. ana. Mj.
Semin. Lini ℥vj.
Fœnic. ℥iij.
Inciſ. & contuſ. coqu. in ſ. q. Aqu. fontan. Colaturæ ℔j. *adde*
Olei Roſar.
Violar.
Mell. mercurial. ana. ℥j.
Nitr. ♁*iat.* ℥j.
M. f. Clyſter. ſtatim injiciendus.

Poſt Clyſma *Venæſectio* in Brachio vel Pede inſtituatur, eaque ſi opus videbitur, reiteretur. Internè hinc dabuntur cum fructu ſeqq.

℞. *Aqu. Scabioſ. vel Succis.*
Fl. Samb. vel Card. bened.
Calendul. vel Ulmar. aa. ℥iß.
Roob. Sambuc. ℥j.
Syrup. de Nymph. ℥vj.
♁*n. diaph.*
C. C. phil. ppt. ana. ℥ß.
M. f. Potio duabus doſibus mane ac veſperi ſumenda, & pluries etiam ſi neceſſe erit, reiteranda.

Vel ℞. *Aqu. Plantag.*
Lactuc. ana. ℥iiß.
Syrup. Rub. id.
Rib. vel Acetoſell. aa. ℥ß.
Ebor. ppt.
Dent. apr. ppt.
Bezoard. min. ana. ℈j.
M. detur ad Vitr. hauriatur duabus doſibus, & repetatur pro lubitu cum expectatione ſudoris.

Vel ℞. *Conſerv. Fumar.* ℥j.
Roob. Sambuc. ℥ß.
Unicorn. mar. ppt.
Oß. de Cord. Cerv. ppt. aa. ℈ß.
Lapid. bezoard. orient. vel occid. v. gr. ij. *vel* iij.
M. f. cum Saccharo Bolus unâ vice ſumendus, & ſæpius repetendus.

Vel ℞. ♁*n. diaph.* ℥ß.
Spod. ex Ebor. ppt.
Cinnab. ♁*n. opt. ana.* ℈j.
Nitr. ppt. ℈ß.
Camphor. gr. viij.
Sacch. roſat. ℈j.
M. f. Pulv. ſubt. div. in 4. *part. æqu. ad chart. m. ac veſperi capiatur doſis cum hauſtu Aqu. Fumar. vel Scabios.* &c.

Vel

Vel ℞. *Corall. alb. ppt.*
Pulv. Pannon. rubr.
Bezoard. min. ana. ℨj.
M. f. Pulv. ſubt. div. in 6. *dos. æqu. ad ch. ſumantur ut ſupra.*

Vel *Pulvis bezoardicus Sennerti ad* ℈j. man. ac v. per plures dies cum *Infuſo folior. Theé, Agrimon. Scabioſ. Succiſ. Anſerin. Ulmar. Fumar. Sanicul.* & *Alchymill.* aut cum *Aquâ* harum *Plantarum deſtillatâ* aut cum earundem *Decocto* in Aquâ facto exhibeatur.

Pro *Epithemate* ſequens inſervire poteſt.

℞. *Decocti Herbar. Card. bened. Fumar. Scabioſ. Ulmar. Scord. Alliar. Beton.* &c. *in Vin. facti* ℔j.
Spirit. Anth.
Lil. convall.
Vin. Camphor. ana. ℥ij.
M. d. ad Vitr. Subinde aliquid de hâc Mixturâ calefiat, & Lintea ei immerſa expreſſaque calidè Abdominis Regioni, præcipuè circa Umbilicum, applicentur.

Vel ℞. *Spirit. Theriac. camphor.* ℥ß.
Roſar. ℥j.
Ceras. nigr. ℥iij.
Anhaltin. ℥ij.
M. d. ad Vitr. & uſurpetur ut ſupra.

Vel ℞. *Radic. Scorzoner.* ℥iß.
Angelic. ℥j.
Herb. Betonic. Miij.
Scord.
Abſynth.
Scabios.
Meliß.
Agrimon.
Salv.
Flor. Sambuc. ana. Mj. *vel* Miß.
Inciſa tenuiter inſuantur duobus ſacculis interpaſſatis, qui alternatim Vino calido immerſi, expreſſique Abdomini applicentur.

Prius ipſum Abdomen illiniri poteſt *oleo Chamomill. Verbaſc. Roſar. Violar. Lilior. alb.* aut ſimili.

INFLAMMATIO VENTRICVLI, PANCREATISVE, ſicuti eodem modo gignuntur, quo *Meſenterii Phlegmonem* produci diximus, ita eodem quoque modo per interna & externa curari atque profligari poteſt.

INFLAMMATIO MAMMARVM, *Vid. Mammarum affectus.*

INFLAMMATIO OCVLI, *Vid. Ophthalmia.*

INFLATIO VENTRICVLI & INTESTINORVM, eſt Tumor Abdominis tenſivus, plus minus dolens, à flatibus in Ventriculo, vel Inteſtinorum canali collectis, atque recluſis ortum ducens. *Inflatio Ventriculi & Inteſtinorum.*

Pars affecta in definitione eſt indigitata: ubi tamen notandum, quod Ventriculi inflatio dolorificam anxietatem poſt ſe trahens, *Cardialgiæ*, Inteſtinorum flatus autem lancinantes *Colicæ flatulentæ* nomine venire ſoleant; de quibus ſuo loco actum. *Pars affecta.*

Interim *Cauſa* Inflationis talium partium non eſt, niſi flatus aliquis copioſus ſive in Ventriculo, ſive in Inteſtinis collectus atque elaſticâ ſuâ vi admodum diſtendens. Flatui anſam præbet materia Chyli, minùs probè in Ventriculo elaborati, viſcida, craſſa, *Cauſa.*

multũ aëris compreſſi in ſe habens, ſed ab acido quodã acriq; fermenteſcente humore inciſa, atque ad aliqualem fermentationem deducta, ſub quâ particulæ aëreæ in libertatem majorem vindicatæ ſeſe expandunt, hacque ratione flatus progignunt, eosque non raro ſpumoſos, ſicubi viſciditas materiæ tantùm oleoſo-ſalina fuerit, atque ob ramoſitatem non ita ſtatim à ſe invicem divelli poſſit. Hinc eſt, quod Legumina, aliaque, quibus multum aëris ineſt compreſſi, largiter comeſta, inſignem Flatuum copiam exhibeant. Occaſionem proin huic incommodo præbent Stomachi debilitas, Liquoris gaſtrici penuria aut inertia, Cibi dyſpepti, fructus horæi copioſè comeſti; Triſtitia profunda, Vita ſedentaria, Paſſio hypochondriaca, Terrores ſubitanei, Flatus cum fœcibus retenti. Sed enim non hæc ſola eſt Inflationis illius ætiologia, quin ſæpè etiam nervoſæ fibræ membranarum Stomachi aut Inteſtinorum, ab acri quodam, corroſivoque humore acido criſpatæ occaſionem præbere poſſunt Spiritibus animalibus copioſè admodum influentibus, ſicque membranas illas, ac ſimul Ventriculum ipſum & Inteſtina extendentibus: hinc enim videmus in Convulſionibus non raro quoque Inteſtinorum canalem inflari atque valde ſæpius diſtendi.

Diagnoſis. Cognoſcitur Affectus hic ex tumore renitente regionis Ventriculi, ructibus atque flatibus erumpentibus; ſubinde Ventris rugitus, murmura Abdominis & Alvi conſtipationem excitantibus. Ex Ægri dein relatione patebit, num à Cibis flatulentis, fructibus horæis fermenteſcibilibus, triſtitiâ continuâ, terrore, fœcibus ac flatibus retentis ortum trahat. Familiaris eſt illis, quorum Liquor ſtomachicus eſt juſto acidior atque debilior, quique Hypochondriaci ſunt, ac cibis flatulentis delectantur. Hinc in reconvaleſcentibus, atque chronicis Morbis ructus flatusque ſunt familiares, propter menſtruum ſtomachi adhuc debile, minusque volatile ad perfectam aſſumtorum ſolutionem moliendam.

In *Prognoſi* dicendum, quòd Flatus primarum viarum in Convaleſcentibus diu durantes recidivam facilè minentur: vel etiam Cardialgiam graviorem, atque Tympanitem præſagire ac poſt ſe trahere poſſint, inprimis ſi major fuerit, vel ſæpiùs recurrat. Quæ enim levis eſt, parumque durans Inflatio, faciliùs diſcutitur atque etiam præcavetur. *Prognoſis*

In *Curatione* indicantur carminativa atque diſcutientia interna & externa in ipſâ Mali præſentiâ uſurpanda: abſente autem eodem primæ viæ probè ſunt ab acidis ac ſpaſmodicis cruditatibus mundandæ, ipſumque Stomachi menſtruum ſuæ priſtinæ integritati atque naturali craſi reſtituendum. Itaque *carminativa* uſurpabuntur tum in formâ *Clyſmatum* ſæpiùs injiciendorum ex *Decocto Radicum* atque *Herbarum incidentium & diſcutientium* cum *Elect. lenitiv. Melle rutaceo, Oleo Chamomill. Hyperic. Rutæ,* *Curatio.*

Aneth.

Aneth. Abſynth. & ſimil. paratorum. Abdomini inungetur ſeqq.

℞. *Unguent. Pomat.* ℥ß.
Ol. Nuciſtæ expr. ʒj.
deſt. Menth.
Abſynth.
Chamomill.
Carv. ana. gutt. xv.
Balſam. peruv. ℈iiij.

M. f. Linimentum ter quotidie inungendum ſimul etiam *ſacculus* ex *Baccis Lauri, Juniperi, Semin. Avenæ, Carvi, Cumini, Aniſ. Fœnicul. Herb. Menth. Puleg. Aneth. Matricar. Tanacet. Meliß. Ocymi* &c. imponi poteſt, calefactus. Sunt qui operculum lateritium probè calefactum ac linteo involutum Abdomini cum fructu ſæpè applicant. Intus primò ſtatim dare poſſemus repetitas doſes *Oleorum deſtillatorum Cumini, Fœniculi, Dauci, Aniſi, Cortic. Aurant. Angelic.* cum *Juſculo* doſi guttar. x. aſſumendorum. Proſunt & *Vinum Malvaticum, Hungaricum, Frontiniacum, Creticum*, &c. vel *Aqua deſtillat. Pulegii, Meliß. Menth. Matricar. Tanaceti, Chamomill. Cinamom.* &c. per cochlearia ſæpiùs hauſta. Si Ventriculus cruditatibus ſcateat, *vomitorium* præſcribendum venit. Ceſſante malo *Vinum medicatum* propinari poteſt, ex *Incidentibus, diſcutientibus*, & *purgantibus* ſeqq. modo concinnatum.

℞. *Radic. Angelic.*
Cal. aromat.
Cich. ana. ʒiiß.
Apii ʒij.
Cortic. Aurant. ʒiß.
Herb. Hyſſop.
Agrimon.
Meliß. ana. Mj.
Summit. Aneth.
Abſynth. ana. Mß.
Bacc. Laur. Juniper.
Semin. Fœnicul.
Aniſ. ana. ʒj.
Fol. Sen. opt. mund. ℥j.
Agar. trochiſc.
Rhab. elect. ana. ℥ß.
Cortic. Winteran.
⊖*is Rut. ana.* ʒj.

Inciſ. contuſ. & nodulo illigatis affunde Vini albi veteris ℔iv. *& Aqu. fontan.* ℔ij. *Stent. per noctem in loco tepido poſtea ſingulis horis matutinis cyathus* ℥v. *vel* ℥vj.. *exhauriatur.*

Hinc & poſt ſingulos paſtus aliquandiu vel *Infuſum fol. Theé*, vel *Decoctum gran toſtor. Coffeé*, vel aliquid de *ſpirituoſo Liquore*, v. gr. *Rore ſolis, Vino Cretico*, aut *Frontiniaco* &c. bibatur.

In *Diætâ* fugiantur omnia, quæ flatus exhibere poſſunt, *Vinum* bibatur minùs acidum, ſed ſatis bonum, tenue, album & penetrans. Vel *Cereviſia* probè defœcata, minimè acida, notæ optimæ, ſuperhauriendo ſemper *Liquorem* quendam ſupra dictum calidum frigidumve. Stomachi regio calida ſemper ſervetur, etiam ſi id fieri deberet *Emplaſtro ſtomachico* qualicunque, alutæ ſuper inducto; quale ſequens eſſe poteſt.

℞. *Radic. Calam. aromat.*
Imperator.
Caryophyllat. ana. ʒiß.
Herb. Hyſſop.
Puleg.

Semin. Dauc.
Anis.
Baccar. Juniper. ana. ℥j.
Cinamom. opt. ℥ij.
Macis.
Cubebar.
Cardamom. ana. ℈ij.
Maſtich.
Storac. calamit. ana. ℥ß.
Ceræ ac Terebinth. ana. q. ſ.

M. F. l. a. Emplaſtrum Stomachicum. Pedes tandem à frigore muniantur.

INGVINIS TVMOR eſt morbus auctæ magnitudinis in lateribus hypogaſtrii à variis cauſis contingens, & quidem ſi in *Glandulâ inguinali* reſideat, tum vel *inflammatorius* eſt, & ad *Bubones* pertinet, de quibus ſuo loco; vel *ſcirrhoſus* exiſtit, & ſub *Scirrho* in genere tractatur, vel *cancroſus*, qui ſub titulo *de Cancro* expenditur. Si verò Tumor ille eſt à relaxatione vel rupturâ Peritonæi, tum etiam ad Hernias pertinet, de quibus proprio loco actum eſt.

Inquietudo. INQVIETVDO, eſt ſymptoma motûs muſculorum depravati, in quo Homo tranquillus in lecto manere nequit, ſed continuè huc illucque ſua membra projicit, atque in uno diu loco ſubſiſtere neſcit; frequenter lectum, conclaviaque mutare geſtiens.

Cauſa. Plerunque illis jungitur Morbis, in quibus genus nervoſum, latexque ſpirituum animalium à ſalibus acido-acribus, continuè ferè irritatur, & in ſtatu irrequieto tenetur. Occaſionem hinc præbent ſanguinis æſtus plus minus febrilis, Odontalgia, aliique partium aliarum Dolores vehementes, Pruritus cutaneus; Scabies; ſegnities alvi, præcordiorum aut pectoris anxietas & anguſtia, Cardialgia, Febris ardens, aut continua maligna; Venena aſſumta; Crapula, Ira vehemens, Triſtitia protracta, & ſi quæ ſunt adhuc aliæ cauſæ procatarcticæ. Aliquando etiam cuidam Morbo inſigni non jungitur inquietudo, ſed per ſe à ſalibus acribus ſalſis vel acidis cum ſanguine jugiter circulantibus & fibrillas ubique nervoſas vellicantibus rodentibus atque criſpantibus oritur.

Prognoſis In *Prognoſi* hinc ſicubi per ſe orta fuerit Inquietudo, nihil in ſe portenti alit, ſed ubi Febri ardenti, malignæve ſupervenit, cum frigore extremorum continuo, tum præludium ferè mortis propinquæ eſſe ſolet, inprimis ſi extremæ ſimul partes frigidæ evadant glaciei inſtar, quemadmodum id in Dyſenteriâ malignâ frequenter obſervari ſolet.

Curatio Inquietudinis abſolvitur cauſæ nervoſas fibrillas irritantis emendatione aut profligatione. Si proin Morbus aliquis in culpâ fuerit, is è medio tolletur, & ſic Inquietudo ceſſabit ſponte. Si ſanguis æſtuans, acris, ſcabioſus pruritum cum inquietudine produxerit, corrigetur is ſtatim purgans exhibendo, illudque etiam aliquoties repetendo, v. gr.

℞. *Nucl. Amygd. dulc. rec. excort.* ʒiß.
Reſin. Jalapp. gr. viij.

Con-

Contuſis invicem probè affunde Aquæ
Fumar. Lactuc. ana. ℥vj.
Fiat. l. a. Emulſio, cui adde
Syrup. de Nymph. ℥ß.
Detur ad Vitr. ſumatur pro doſi.

Vel *Vinum medicatum purgans* ordinabitur, *Sanguinis* miſſio instituetur, *Cucurbitulæ* cum *Scarificatione* applicabuntur; ac deinceps ſudor aliquoties prolicietur *Aquis deſtillatis* v. gr. *Fumar. Lactuc. Endiv* &c. Noctu horâ ſomni *Julepus* quandoque propinabitur v. gr.

℞. *Aqu. Borrag. Lactuc.*
Plantag. ana. ℥ij.
Roob. Juniper. ℈ij.
Syrup. Capill. ♀ r.
Acetoſ. Citr. ana. ℥iij.
♁ *n. diaph.* ℈j.
M. d. ad Vitr. ſumatur tribus doſibus.

Vel ℞. *Aqu. Portulac.*
Cichor. ana. ℥j.
Syrup. Ætoſell.
Anodyn. ana. ℥ß.
Bezoard. min. ℈ß.
Cinnab. ♁ *n. opt. gr.* v.
M. detur ad Vitr. pro doſi.

Quæ in *Scabie* dein uſurpantur remedia, heic quoque conveniunt.

INTEMPERIES, *Vide Cacochymia.*

Intertrigo. INTERTRIGO, ſ. EXCORIATIO eſt Cuticulæ in Natibus, ſub Axillis atque Femore dilaceratio, orta vel ab humore acri corrodente, vel ab attritione per equitationem, aut diutinam æſtuante aëre obambulationem, ſub quâ caligarum panni teneram ſuâ qualicunque aſperitate atterere cutim ſimul poſſunt.

Affecta igitur *pars* eſt Cuticula Ani, Natium atque Femoris, cum fibrillis & tubulorum cutaneorum extremitatibus, unde ejuſmodi Excoriatio humida ſemper exiſtit, ichoremque perpetuò fundit, ſudoris inſtar è dilaceratis illis capillaribus tubulis exſtillantem. *Pars affecta.*

Cauſa proxima partim eſt attritio quocunque modo in definitione indigitato facta: partim humor aliquis acris, & corroſivus facilè extremas epidermidis cutiſque fibrillas membranaceas & tubuloſas exedens. Talis humor eſt vel Urina acris & æſtuans apud Infantes ſæpè partes humectans: vel Sudor admodum ſalſus & acris, ſimiliſve alius ichor à circulante maſſâ ad glandulas ſubcutaneas earundem partium jugiter delatus, qualis humor quoque excoriationem facilè procurat, ſpiculis ſuis fibrillas diſcindendo, atque hinc inde dividendo. Affectui proin huic obnoxii ſunt non tantùm Infantes aut Adulti, urinæ Incontinentiâ laborantes, jugiterque ſua femora permingentes, ſed & qui in pudendis partibus texturam admodum mollem, teneram, atque facilè ſudantem, imò ſudorem valdè ſalſum profundentem, nacti ſunt. Hi enim ſub exercitio obambulationis diuturnæ, aut equitatione, vel ſudore poſt crapulam facilè dictis in locis excoriantur. Idem contingit quoque Fœminis albo Fluore acri, vel Gonorrhœâ malignâ & Lue venereâ laborantibus, ubi ichor è puden- *Cauſa.*

pudendis effluens acris intertriginem non ſine dolore acerbo producere crebrò ſolet.

Diagnoſis & Prognoſis In *Diagnoſi* ac *Prognoſi* nihil heic notabile occurrit; cùm morbus & facilè cognoſci & promptè curari poſſit. Antequam tamen Cutis perfectè excoriata, ulceroſaque facta fuerit, rubére priùs ardereque pars ſolet.

Curatio. In *Curatione* hujus Morbi Peregrinantes haud melius inveniunt ſive præſervativum, ſive conſolidativum remedium, quàm *Sevum* quodcunque, inprimis *cervinum* m. ac v. diligenter inunctum. *Butyrum* alii ſubſtituunt, vel *Unguentum* quoque *Pomatum*; ſi *fortior* aut *gravior* fuerit, *ulceroſaque* admodum *Excoriatio*, *Unguentum de Ceruſſâ*, vel *Oleum Lil. alb. Roſar. Hyper. Violar. Gallii Lutei, Melilot. hortens.* & ſimil. cum *Tutiâ ppt. Lapid. Calamin. ppt.* ♁*n. diaph. Ceruß. Ocul.* ♋. *ppt.* &c. permiſceri atque inungi poteſt; addito ſemper *Sevo Cervino* aut *Axungiâ caprillâ Aqu. Plantag.* vel *Roſar.* priùs lotis. Proſunt & *Gumm. Tragacanth.* in *mucilaginem* cum *Aqu. Roſar.* ac *Plantag.* ſolutum, cum *Oleo Ovorum.* vel *Roſar.* Laudant quoque *ſuccum* vel *Herbam Argentinæ*, *Plantaginis*, *Althææ*, *Verbaſci*, *Gratiæ Dei*, *Fol. Quercûs* &c. Imò per æſtatem equitantes nullum certius præſervativum invenient, quàm ipſa hæc *Quercûs* vel *latifoliæ Plantaginis folia* caligis immiſſa, ut natibus atque femoribus applicata maneant.

Apud Ægros diu decumbentes ſi in dorſo malum contingit, *Axungia Cervina*, cum *Oleo Nucum* vel *Roſar. lil. alb.* & *Axungiâ Tinctorum* permiſta ac diligenter inuncta multum valet; addere licebit *Tutiam*, *Sacch.* ♄*ni*, ♁*n. diaph. Pellis* etiam canis dorſo ſubmittenda.

Apud Infantes nihil melius eſt, quàm *pulvis Ligni putridi*, *Lapid. Calaminar. Tutiæ ppt. Liquirit. Amyli*, *Radic. Althææ*, *Boli armenat. Ceruſſæ*, cum tantillo *Camphoræ* inſperſus. Si *Excoriatio* ſerpat, ac multum ichoris fundat, ad deterſionem atque conſolidationem prodeſt *Unguent. album Camphoratum* cum *Mercurio præcipitato albo* ſæpiùs inunctum. Vel *Emplaſtrum diapalma* imponi poteſt; aut *folia recentia Ariſtolochiæ rotundæ*, *Plantaginis*, *Quercûs*, *Gratiæ Dei*, nonnihil torrefacta applicentur. Internè verò *Julepus laxativus* ex *Syrupo Roſ. ſ. ſ.* cum *Aqu. Fumar. Lactuc.* & *Fragor.* propinetur: & poſt hunc *Julepus refrigerans* ex *Syrup. Papav. rhead. Violar. purpur.* cum *Aqu. Portulac. Cichorii*, vel *Decocto Hordei* & *Liquirit.* exhibeatur, addito ſimul *Pulvere Corall. rubr. ppt. Ocul.* ♋. *ppt. C. C. phil. ppt. Terræ ſigillat.*

Si verò *Excoriatio* nondùm facta eſt, ſi partes ſolùm rubent atque ardent, tum vel jugiter *Butyrum non ſalitum* inungere, vel *Farinam toſtam ſolam*, aut cum *Bolo Armenate* feliciter inſpergunt; ſimul internè *Julepos refrigerantes* exhibendo. Imò Mater lactans per aliquot dies in tali Infantum ſtatu melius à *Vini* uſu abſtinebit, ſubindeque *Hauſtum Aquæ Endiviæ*,

Frago-

Fragorum, *Cichorii. Portulac.* aut *Lactucæ* cum fructu hauriet.

INTESTINORVM COALITVS, vide *Iliaca Paſſio.*

INTESTINORVM INFLAMMATIO, vide *Inflammatio Ventriculi* & *Inteſtinorum.*

INTESTINORVM INFLATIO, vide *Inflatio Ventriculi*, &c. ac *Tympanites.*

INTESTINORVM PROLAPSVS, *ſive* PROCIDENTIA, vide *Hernia.*

Inteſtinorum Tormina INTESTINORVM TORMINA, ſunt Dolores Abdominis à læſione qualicunque Inteſtinorum oriundi. Dolores hi vel *naturales* ſunt, à naturalibus cauſis per ſe provenientes; vel ſunt *artificiales* à medicamentis aſſumtis, purgantibus videlicet, aut Venenis producti. *Naturales* illi dolores ſub nomine *Colicæ* communiter veniunt, de quâ ſuo jam loco actum eſt. *Artificiales* autem utplurimum retinent nomen *Torminum*, quanquam etiam *Colicæ* appellationem mererentur. Qui etiam Infantibus familiaris eſt Inteſtinorum *Dolor colicus*, plerunque *Torminum* nominum inſigniri ſolet. Quicquid ſit, facilè mali hujus origo, natura & eventus ex iis cognoſci poteſt, quæ ſub Titulo de *Colicâ* expoſuimus, adeoque & ſimili modo curari poterit. Hoc verò addendum, quòd Tormina ab aſſumto purgante excitata per ſe ceſſare ſoleant, operatione remedii finitâ, ubi tamen Abdomen calefieri linteis ſæpè debet. Quæ autem ab hauſto Veneno producuntur, iis medicamentis profligantur, quæ veneni ſpicula è primis commodè viis eluere, vel obtundere & abſorbere valent, prout videre licet ſub titulo de *Venenis.*

INTESTINORVM VVLNVS & VLCVS ſunt Morbi ſolutæ unitatis in Inteſtinis producti à cauſis vel externis, vel internis, eo modo quo Ventriculi Vulnera & Vlcera produci ſolent, quamobrem etiam ſimilem cum hiſce geneſin, diagnoſin, prognoſin & curam admittunt. Vide proin Titulum de *Ventriculi Morbis.* *Inteſtinorum Vulnera & Vlcera*

JONTHI, VARI, ſunt parvæ Puſtulæ vel Vlcuſcula ſparſim in Faciei cute Piſi utplurimum magnitudine effloreſcentia, ſubinde etiam majora, in principio rubicunda, prurituque plus minus ſenſibili moleſta; poſtea verò cùm ſuppurantur aut jam ſuppurata exiſtunt, alba, quæ ſi unguibus aperiuntur, purulentam cum ſanguineâ guttulâ ſaniem albam fundunt. Nonnullæ talium Puſtularum diſparent quoque, antequam ſuppurentur. Suppuratæ autem ſi diutius relinquantur, antequam aperiantur, tandem incraſſatum album pus, inſtar ſevi exhibent. *Jonthi, Vari.*

Cauſa. Puſtulæ hæ ſuam plerunque originem trahunt ab humore quodam ſalino acido, vel auſtero in porulis vel glandulis faciei cutaneis obhærente, ſtagnante, pruritum excitante, &, dum fortiter Cutis fricando comprimitur,

mitur, ſanguinis guttulam extravaſante, quæ dein tuberculum vel Puſtulam ejuſmodi rubentem efficit. Malum Juvenibus ſanguineo-ſalſo temperamento præditis familiare, quod uti magni non eſt momenti, & facilè cognoſcitur, ita plerunque negligitur in principio, ſed neglectum diu tandem in *Guttam roſaceam* mutari poteſt.

Curatio. Ad præveniendum hoc malum itaque ea conveniunt remedia, quæ cutim teneram reddere poroſque ejus valde patulos ſemper conſervare valent. Contribuit itaque huc apud nonnullos multum ipſius *Lactis virginalis* diligens uſus per aliquod tempus continuatus. Sed & *Piſcium fel* cum *Succo Agreſtæ*, *Melle* & *Sacchαro cand. alb.* miſtum & calidè applicatum Varos diſcutit. *Axungia Anſerum*, *Luporum*, *Leporum*, *Anatum*, *Cannum*, *Felium*, *Thymali piſcis* cum *ſucco Allii* vel *Ceparum* miſta & ſæpius calidè inuncta idem quoque præſtat. Maturati Vari aperiuntur, exprimuntur, & *Melle roſaceo* cum *Pulvere Myrrhæ*, *Rubricæ fabril.* vel *unguento albo de Ceruſſâ* ſanantur. *Gummi Galbanum* vel *ammoniacum* ſuper prunas ſolutum & immaturis varis impoſitum ſubinde diſcutit. Idem facere ſolet *Emplaſtrum de Mucilaginibus* vel *diachyli cum Gummis*, vel *diaſulph. Rul.* impoſitum, vel prius ſuppurantur inde & dein ſanantur. Ab uſu multo Vini, à nimiæ faciei ſudantis compreſſione dum abſtergitur ſudor, ab acidis auſteriſque cibis eſt abſtinendum.

Iſchuria. ISCHVRIA ſ. VRINÆ SVPPRESSIO, eſt Symptoma morboſum, quo affecti urinam neutiquam excernere poſſunt, ortum vel à Seri in Renibus ſecretione abolitâ, vel à Seri ſecreti per veſicam expulſione impeditâ.

Pars affecta. Subjectum itaque hujus Affectûs vel eſt veſicæ orificium aut Vrethra ipſa; quando veſica Vrinam à Renibus naturaliter tranſmiſſam recipit quidem, ac inde diſtenditur, ſed excernere tamen nequit, ob vitium aliquod Sphincteris vel ipſius Vrethræ. Vel ſunt Renes ipſi, dum nulla in illis ſecretio urinæ contingit. Hinc ergo duplicem Auctores Iſchuriam faciunt, *Notham* unam, quæ vitio Renum oritur; & *Veram* alteram à Veſicæ affectu morboſo contingentem

Cauſa. *Cauſa* hinc *proxima* Iſchuriæ duplex quoque eſt, nimirum vel Vrinæ in Renibus ſecretio abolita, vel ejuſdem excretio per veſicam impedita. Quoad *Cauſas antecedentes* Iſchuria Veſicæ vitio contingens, originem debet vel Grumis ſanguinis in Veſicâ contentis, oſtiumque claudentibus, vel Calculo uno pluribuſve, Sphincterem ſuâ aſperitate ad conſtrictionis ſpaſmodicæ arctæque ſtatum ſollicitantibus; vel acrimoniæ ipſius Vrinæ ſimilem effectum producenti; vel Inflammationi, Vlceri, aut etiam Coalitioni Sphincteris veſicæ aut Vrethræ, quale quid poſt calculos aſperos tranſeuntes, vel poſt Vlcera maligna & venerea contingere poteſt; vel Carunculæ ex Vlcere quodam propè

pe Sphincterem, aut alibi in canali Vrethræ excreſcenti & ductum infarcienti, quale quid iterum in venereâ Lue contingere ſolet: vel denique nimiæ expanſioni Veſicæ, quando Æger diutiùs Vrinam utcunque ad ſui excretionem ſtimulantem quacunque occaſione retinet, ita ut propter nimiam fundi Veſicæ extenſionem Sphincteris fibræ laxari ampliùs nequeant. *Notha* Iſchuria plerunque Renum Vitium, aut Humorum ad eos defluentium dyſcraſiam ſubſequens, pro *Cauſâ antecedente* agnoſcit Maſſæ ſanguineæ undecunque contractam viſciditatem atque ſpiſſitudinem, ab enormi quodam acido valdè coagulante oriundam, ob quam ſeroſo-urinoſæ particulæ amiſſâ ſuâ proportionatâ texturâ per glandularum renalium poros tranſire nequeunt. Hinc qui fortè *Aquam* ſic dictam *Polonicam*, aliumve liquorem acido-corroſivũ hauſerunt, *Iſchuriam* ſtatim incurrunt, vixque guttam Vrinæ ſecernunt uſque ad mortem. Aliquando tamen renales quoque Glandulæ harumque Canaliculi, vel ab Arenulis Calculiſve dilacerati, compreſſi, criſpati, inflammati aut etiam exulcerati; vel ſaltem à coagulo quodam viſcido tenacique obſtructi Vrinæ ſecretionem penitus abolent. Quòd ſi verò Calculus in uno ſolùm Rene exiſtens, valideque premens aut criſpans id effecerit, ſimul & in altero Rene, ſano licèt, ſecretio impeditur, idque propter nervos ſani Renis per conſenſum ſimul criſpatos, ac ſpaſmodicè contractos, unde nihil ſeri per poros glandularum tranſcolari poteſt. Quæcunque igitur in Diætâ vel acido auſterum efficere ſanguinem, vel coagulum calculoſum excitare & cumulare poſſunt, ea omnia ſimul Iſchuriæ anſam præbere ſolent.

Cognoſcitur quidem hoc Malum ex ipſius Ægri querelis, ſed ſciendum tamen ſimul, quibus ex cauſis illud producatur. Si veſicalis eſt Iſchuria atque Veſica laborat, tum adeſt conatus excernendi, tumorque in Regione pubis, ac dolor valdè tenſivus, acerbus; tumor quoque percipitur in ipſo Inteſtini recti tubo, quando digitus immittitur. Cùm autem interea Renes jugiter novum Vrinæ liquorem ſuppeditent, ſymptomata dicta valde augentur, perpetuæ vigiliæ adſunt, anxietates pectoris torquent, tremor crurum validus, creberque ſubſequuntur, tandemque niſi remedium afferatur, Convulſiones ſubſequuntur. Sub hiſce cruciatibus appetitus quidem in principio adhuc ſubſiſtit ſine ſiti, poſtmodum autem dejecto appetitu ſitis augetur, tantoque id magis, quia propter nimium Vrinæ proventum Ægri à potu copioſo ſibi temperare neceſſe habent. Si Affectus provenit à *Calculo Veſicæ*, tum ſigna illius præceſſerunt, & arenulæ ſæpiùs cum Dyſuriâ prodierunt. Si à *Callo* poſt Vlcus qualecunque enato, tunc Vlcus prius adfuit. Si à Carunculâ, ſimiliter Gonorrhœa, Lues venerea, Vlceraque maligna prægreſſa ſunt. Si â ſolâ *Urinæ retentione*, tum Æger ipſe interrogatus teſtari poterit. Si à *ſero mucilaginoſo-viſcido* admodum Diagnoſis.

modum *acerbo*, Sphincteris veſicæ fibras potenter ſtringente ortum traxerit, Dyſuria præcedens cum Vrinæ admodum craſſæ ac viſcidæ emiſſione indicabit. Hæc verò Symptomata omnia non obſervantur, ubi Malum à *Vitio Renum* fuerit productum: tum enim, ſi *Calculus* major minorve in culpâ fuerit, dolore lumborum plus minus gravante & lancinante, cum Nauſeâ, aliisque Nephralgiæ ſignis ſeſe prodet. Si à ſolo *coagulo viſcido craſſo*, tunc dolor aderit gravans in Lumbis, Æger primùm inquietus erit, ſed poſt aliquot dies ſomnolentus, ob ſeri retenti accumulationem evadet, atque vel ad Hydropem, ubi tantillum Vrinæ iterum ſecerni incipit, diſponetur; vel, ubi ne gutta quidem tranſcolabitur, intumefacto quamvis Abdomine, aliiſque membris, Apoplecticus tandem intra duas vel tres hebdomadas morietur. Si à *ſanguinis vitio* ortus ſit Affectus, tunc Diæta maximè auſteras particulas exhibens; acidus nimirum victus atque potus; hauſtus Venenorum acidorum, & ſimilia præceſſerunt.

Signa Iſchuriæ renalis.

Prognoſis.

Quoad *Prognoſin*, niſi Vrinæ ſecretio brevi reſtituatur, atque excretio ſimul promoveatur, tunc diu Æger ſupervivere nequit. Etenim Veſicæ expanſio per novæ ſemper urinæ affluxum continuatâ poſt ſextum ſeptimumve diem Convulſiones deleteriæ accedunt. In Iſchuriâ *nothâ* autem ſopores graves, ipſaque Apoplexia ſubſequuntur. Si verò contingat, ut Vrinæ iterum ſed parcius ſecernantur, Hydrops Aſcites iſque lethalis ſuperveniet, quoniam impoſſibile eſt, tubulos renales in hoc rerum ſtatu nimis dilaceratos, compreſſos, aut validiſſimè infarctos ſuæ integritati reſtitui.

Curatio Iſchuriæ veſicalis à grumis ſanguinis.

Quoad *Curationem* ad cauſas diligenter attendendum, ne curemus, quod curandum non eſt. Itaque ſi *Grumi ſanguinis* in Veſicæ orificio contenti in culpâ fuerint, tunc præſcribendum eſt *Decoctum nephrocatharticum Foreſti*, de quo ſingulis trihoriis hauſtus propinetur calidè. Sed & *Coloſtrum* ſequens *terebinthinatum* ſimul unâ doſi cum fructu dari poteſt Adulto:

℞. *Terebinth. opt. vitell. ovor. ſol.* ℥iij
Syrup. flor. Perſicor. ℥ß.
Aqu. Cherefolii
Cardui bened. ana q. ſ.
M. f. Potio d. ad Vitr.

Proſunt & *Oleum deſtill. Succin. Bacc. Junip. Balſam.* ♀*r. tereb. Spir. Cochlear. Juniper. Terebinth. Decoctum Gran. Coffée toſtor. Radic. Onon. Ulmar. Fœnic. Fol. Hed. terr. Virg. aur. Veron. Beton. Artemiſ. Pyrol. Sanic. cum Vino paratum*, & ter quotidie ad ℥iiij. hauſtum.

Externè Cataplaſma regioni Pubis calidè imponatur è *Baccis Juniperi, Herb. Petroſelin.* vel *Apii ſelin. Naſturtii* cum *Cepis* aut *Allii Radicib.* invicem contuſis atque *Vino rubro* incoctis paratum. Hoc verò nihil operante Catheter Veſicæ eſt cautè intrudendus, quo grumi Sanguinis in Collo ipſius hærentes retropellantur. Sanguinem autem in Veſicam defluentem

cohi-

cohibebis Remediis contra quasvis Hæmorrhagias uſitatis, Iſchuriâ tamen priùs ſublatâ. *Pulvis Cynosbatos Fungor.* ad ℥j. exhibitus aliquoties inter iſchæma renalia valdè laudatur, à nobis quoque in Renum Hæmorrhagiis apprimè commendatus.

à Calculò Veſicæ.

Quòd ſi verò Iſchuria à *Calculo* in Veſicæ collum impingente producta fuerit, nullo alio remedio Vrina provocari poterit, quàm vel Cathetere immiſſo, vel decubitu ſupino & pedibus extremis ad nates retractis, quâ ratione Calculus in Veſicæ fundum retrudetur, ac Vrinæ tranſitum concedet. Sed Calculus interea ſimul vel prodire naturâ debet, vel Lithotomiæ operatione extrahi, ſi quidem Æger mali levamen perſentire debeat.

à nimiâ diſtenſione veſicæ

Vbi Veſica à diuturniore retentione Vrinæ in Potatoribus nimium eſt diſtenta, & jam Colli Veſicæ, ſeſe laxare haud potentis, Inflammationem immedicabilem cum ſubſequentibus Convulſionibus lethalibus minetur, quâ ratione *Tychônem Brahe Aſtronomum* illum *Daniæ Celeberrimum* extinctum eſſe *Gaſſendus* in Vitâ ejus memoravit, tunc ſtatim Æger *Balneo Aquæ dulcis* immittatur, vel *Cataplaſma emolliens* ex *Parietariâ*, *Malvâ*, *Violariâ*, *Petroſelino*, *Baccis Juniperi*, *Radic. Cepar.* vel *Allii*, invicem contuſis & *Vino rubro* incoctis Pubis regioni calidè ſæpiùs applicatur. Quibus nil proficientibus, *Catheter Veſicæ* immittatur, & ſi hoc fieri nequeat, tum Veſica in Peritonæo venit pertundenda, ad modum in Lithotomiâ conſuetum. Vulnus tamen non ita magnum infligendo, & hinc illud ſolito more deligando. Sed operatio facienda, antequam collum Veſicæ inflammatum fuerit, quoniam hâc jam præſente fruſtranea illa foret, imò mortem acceleraret, aliàs vicinam, ſicque occaſionem præberet exiſtimationi Medici diminuendæ.

Curatio Iſchuriæ renalis à Calculis.

Si *Iſchuria renalis* originem debeat *Calculis* majoribus pelvim alterutrius Renis occupantibus & claudentibus, quemadmodum notabile hujus phænomeni exemplum invenies in *Bernh. Verzaſchæ Obſervationibus*, tunc Remedia Veſicæ applicanda nihili amplius valent; ſed in tali caſu poſt *Clyſmata emollientia* ac *detergentia*, largamque *Venæſectionem* præmiſſam, interna *blanda* conveniunt *diuretica Remedia*, *vias lubricantia*, *anodyna*, quemadmodum talia fuſius in *Calculo Renum* deſcripta & commendata invenies.

à Tumore Proſtatarum.

Si *Tumor glandularum proſtatarum* in culpâ fuerit *externè* prodeſt *Cataplaſma* ex *Rutâ*, *Solano*, *Perſicaria*, *Ariſtolochiâ rotundâ*, *Flor. Chamomill. Melilot. Bacc. Juniper. Sambuc. Alliis*, *Cæpis*, & ſimilibus invicem inciſis, contuſis ac *Vino rubro* incoctis, concinnatum, ac ſæpiùs calidè applicatum. *Internè* verò *Decoctum Radic. Filicis*, *Scrophular. Ariſtol. Virgæ aur. Ononid. Eryng. Carlin. Liquirit. Saxifrag.* cum *Herb. Agrimon. Beton. Semin. Aniſ. Fœnic. Dauc.* pro potu ordinario convenit, inſuperque *Pulveres diaphoretici* ex *Antimon. diaphor.*

 Uni-

Unicorn. marin. ppt. Lumbric. terreſtr. ppt. Cinnabar. nativ. opt. exhibeantur, doſi viginti pluriumve granorum mane ac veſperi exhibendorum. In *Stricturâ* Sphincteris Veſicæ *ſpaſmodicâ* eadem prorſus externa internaque remedia conducunt; ſed heic tamen ulterius adhuc ad præcavendos longè plures Mali paroxymos, ab acido-auſtero Sanguinis excremento ad Veſicam depoſito oriundos, præſcribendus eſt *Potus* vel *Acidularum* quarundam *mineralium*, vel *Thermarum* potulentarum, prout diverſa Ægrorum temperies poſtulabit, ad maſſæ ſanguineæ elutriationem & edulcorationem. Eundem in finem quoque diuturnus uſus *Decocti Radic. Filic. Graminis* & *Liquirit.* cum *Raſurâ Ligni Saſſafr.* in potu ordinario, item *Infuſi fol. Theé, Sanicul. Pyrol. Alchymill. Veronic. Matriſylv. Lich. petr. Naſturt. aquatic. Beton. Hed. terr.* cum *Radice Liquirit. Carlin.* convenit.

à frigore. Affectus ortus à *diuturnâ morâ in Aquâ gelidâ*, vel à *Coitu nimio*, *Balneis emollientibus* maximè curatur. Si verò *à lapſu ex alto in Os ſacrum* fuerit productus prodeſt *Fomentatio diſcutiens & anodyna*, Parti læſæ ſimul & Pubi jugiter applicata, *Venæſectione* tamen & *Clyſteribus* præmiſſis.

à lapſu ex alto.

Iſchuria veſicalis à ſtupore ſphincteris. Iſchuria veſicalis à *defectu ſenſationis Sphincteris* deſiderat *Clyſma emolliens* ac *diureticum ſtimulativum*; vel *blandum laxans*, poſtea autem *Fomentum* ex *Decocto nervinorum* in *Vino* factum, ac Pubi appoſitum. Intro intus quoque proſunt *Balſ.* ♀*ris terebinth. Ol. deſt. Succin.* ac *Bacc. Juniper. Terebinth. Millepedes* vel *Canthárides ppt. Lapides Meſpilorum ppt.* Tandem & exterius *Semicupia Aquæ tepidæ.*

Iſchuria ab ulcere renali. *Ulcera Renum*, ſi fuerint in culpâ, curabuntur eo modo, qui ſuo loco ſub Renum Morbis expoſitus eſt. Pariter & Inflammatio Sphincteris vel Proſtatarum interna externaque diſcutientia atque reſolventia poſtulat

à Veneno aſſumto. Quæ verò ab epoto *Veneno* oriunda eſt Iſchuria, ſtatim athleticis *Lactis dulcis vaccini* hauſtibus, vel *Oleo Lini, Amygd. dulc. rec expreſſ. Olivarum optimo* emendari poteſt; aut repentino potu *Lixivii* cujuſcunque vel *Aquæ muriaticæ*, vel *Salis polychreſti* ad *ſemunciam* cum *Lacte* aut *Aquâ fontanâ ſumpti.* Interea ſimul *Alexipharmaca* ſub Pulverum abſorbentium, vel *Mixturarum cardiacarum* formâ exhibebuntur; non omittendo *Camphorata*, *Cinnabarina*, *Theriacalia.*

à Salibus auſteris acidis. *Salia acido auſtera & pontica* ſi Malum excitaverint, tum internis *abſorbentibus*, *invertentibus*, atque *diluentibus Pulveribus* aut *Liquoribus* corrigenda; ubi proſunt ingentes quotidiani hauſtus *Aquarum mineral.* vel *Infuſi fol. Theé, Lamii purpur. Hed. terr. Veron. Onon. Virg. aur.* & *Decocti Radic. Alth. Ononid. Gramin. Fœnic. Leviſt. Liquirit. Filicis* ad malum præcavendum, vel etiam ſi obſtructio Renum adſit, curandum. Sed & *Corallia ppt. Oculi* ♋ *ppt. Unicornu foſſil.* ♁ *n. diaph. Bezoard. miner.* ♃ *viale* ac *lunare, Cinnab. nativ.* vel ♁ *n. Radix Symphyti* & *Althææ pulveriſ. Oleum deſtill. Terebinth. Bacc. Junip. Succin.*

cin. Coloſtrum terebinthinatum, &c. conducunt, v. gr.

℞. *Terebinth. vitell. Ov. ſolut.* ℥ß.
Syrup. de Alth. Fern.
Viol. purpur. ana ʒvj.
Aqu. Ononid. ℥iß.

M. f. Potio d. ad Vitrum pro Doſi matutinâ.

Vel ℞. *Panac. ſolut. alcalin.* ℥j.
divid in 6. partes æqu. ad ch.

Quotidie mane doſis capiatur cum tenui Amygdal. dulc. rec. excort. Emulſione.

Vel ℞. *Ocul.* ♋. *ppt.*
Corall. alb. ppt.
Cret. alb. Colon. ppt.
Radic. Liquir.
Cinnab. nat. opt.
Cryſtall. alb. ppt. ana ʒj.

M. f. Pulv. ſubt. div. in 12 *doſ. æqu ad ch. mane ac veſp. doſis capiatur cum Infuſ. fol. Thée* aut *Aquâ Plantag. Borrag.* &c.

Vel ℞. *Tinct.* ♁*n.*
Corallor. cum Nitr. par. ana. ʒiij.

M. d. ad Vitr. Doſis 25. *gutt. m. ac veſp. cum vehiculo ſuperiore.*

Vel ℞. *Radic. Gramin.*
Alth. ana ʒij.
Liquir.
Filic ana ʒj.
Raſur. Lign. Saſſafr. ʒij.
Semin. Aniſ. aut Fœnic. ʒj.
Paſſular minor ℥ß.

Inciſ. & contuſ. coque in Aquæ fontan. ℔ 10. *per quadrantem horæ, colatura bibatur pro potu ordinario.*

Vel ℞. *Raſur. Lign. Saſſafr.* ʒij.
Radic. Filic.
Radic. Gramin. ana ʒj.

Inciſ. coque in Aquæ fontan. ℔ vij. *per quadrantem horæ, vel quouſq; Ovum ad duritiem coqui ſolet. Colatura dein ordinariè bibatur.*

Vel ℞. *Herb. rec. Naſturt. aquat.*
Beccabung. ana Mj.
Cortic. Citr. recent. ʒij.
Cinam. opt.
Semin. Fœnic. ana ʒj.

Inciſis & contuſis affunde
Aquæ fontan. fervent. ℔ vj.

Stent donec Aqua refrixerit, quæ dein colata aut filtrata ordinariè bibatur.

Externè ad Veſicam demulcendam prodeſt *fomentatio* ex *Radic. cepar. Allii, Zedoar. Bacc. Juniper. Laur. Herb. Filipendul. Alth. Malv. Parietar. Apii, Cherefol. Semin. Aniſ. Fœnic. Dauc.* in *Vino* coctis, & ſæpè applicatis. *Pediluvia* frequentia quoque conveniunt, nec non *Oleum Scorpionum*, Lumbis, Pubi ac Perinæo diligenter inunctum, cui addi poteſt *Unguentum Alth. Oleum laurinum, Tereb Succin. Roſar.* Denique ſequens externum ſæpè ad miraculum juvit: *Rapam unam vel alteram benè lotam coque in Aquâ & Vino rubro, donec ita mollis ſit, ut in pultem abeat, quam linteo craſſius ſuperinductam calidè ſemel atque iterum Hypogaſtrio ſ. regioni Pubis atque Perinæo applica*, & ſic brevi Vrina ſolvetur, copioſeque excerni poterit.

LABIA LEPORINA ſunt Morbus conformationis, quo Labium plerunque ſuperius, raro inferius ab ipsâ nativitate finditur, ac in duas *Labia leporina.*

 partes

partes velut diſciſſum comparet, idque vel cum, vel ſine ipſius ſimul Maxillæ diviſione. *Leporina* autem vocantur à ſimilitudine, quam cum Labiis Leporum habent. Hinc non opus eſt multis ſignis ad hunc Affectum indigitandum, ejuſque partem læſam monſtrandam.

Cauſa. Quoad *Cauſam* verò *efficientem* hujus deformitatis, veriſimile eſt, illam non niſi à Spiritibus animalibus in diducendis ſufficienter Labiorum muſculorum filamentis per aliquam Matris gravidæ fortem imaginationem impeditis provenire. Etenim extra controverſiam poſitum eſt, Imaginationi maternæ in fœtu defigurando maximas eſſe vires; cumque imaginativæ facultati huic, ceu actui voluntatis in corpore, ſoli Spiritus animales obediant, fit, ut iidem per terrorem fortè quendam, Matri ex improviſo obtingentem, ſpiritus illi à coepto opere in expandendis perfectè Labiis nonnihil retracti, hiatum iſtius partis relinquant; quippe ſucco nutritio, ſub ſtatu hoc ſpirituum minùs adcuratè omnia filamenta inflantium, ſufficienter penetrare inepto. Interdum etiam vehementior Spirituum talium influxus, valdè adhuc teneras fibrillas Labiorum diſrumpere valet, & cùm poſtea non ampliùs ſibi invicem adnaſcuntur, hiatum illum leporinum efficiunt.

Prognoſis. Quòd *Prognoſin* concernit, Labia leporina, ſi non ſimul juncta ſint diviſioni ac hiatui Maxillæ, periculoſum quidem malum non ſunt, ſed maximè tamen deforme, ac Infantes interea ſimul in ſugendo moleſtant, vel impediunt. Si dein labia maxillæ fuerint adnata, majori cum dolore atque difficultate curantur. Hiatus Maxillæ ſi comes eſt, paulatim, ob ſugendi, deglutiendique difficultatem, Infans miſellus contabeſcet & morietur.

Curatio. Nulla verò heic ſupereſt alia cura, quam quæ *Operatione chirurgicâ* perficitur; eâ autem primùm extremitates fiſſorum Labiorum forfice inciduntur acutiſſimo, hinc acubus per utrumque fiſſum Labium duabus vel tribus tranſmiſſis, illæ extremitates labiorum vulneratæ ad ſe invicem applicantur, filo in hanc rem circa acus ita deducto, ut dictæ extremitates ſibi invicem firmiter junctæ maneant. Tandem hoc facto *vulnerarium Balſamum* optimum applicabitur, atque ita commodiore quovis modo deligabitur. Acus dein ad nonum vel decimum uſque diem infixæ hærere debent, tumque videndum, an Labia ſibi adnata fuerint; quod ſi hoc, cautè explorando ne iterum dilacerentur, factum ſit, tunc Acus extrahantur, balſamus vulnerarius hactenus aliquoties de die applicatus iterum uſurpetur, atque tandem *Emplaſtrum* ſimul *tenaciſſimum* deſuper imponatur, ſicque commoda deligatio continuabitur, donec perfecta conſolidatio facta ſit. Operatio hæc peragitur in Infantibus jam ſemeſtribus ablactatis aut etiam adultioribus. Nutritio interea fiat, proutcunque poterit, citra Labii motum aut agitationem, quâ certè quicquid jam ad-

adglutinatum eſt, iterum ſepararetur, ac diſſiliret.

Labiorũ aſperitas

LABIORVM ASPERITAS ſ. ASPREDO, eſt Morbus ſuperficiei, quo pellicula Labiorum extima nimis criſpata atque ſiccata, aſpera redditur, & hinc ſquamatim velut à Labiis ſeparatur, decidit, aut deglubi atque detrahi poteſt.

Cauſa.

Malum eſt notiſſimum, peculiari diagnoſi haud indigens, ſed quoad ipſius *geneſin* notandum, quod ab aëre rigidis particulis multùm referto, ſi fortè Homo peregrinans eidem hyberno aut verno humido frigido tempore diutius ſeſe exponit, Epidermis illa Labiorum valdè criſpetur, hincque ſucco allabente nutritio privata ſenſim exiccetur ac exaſperetur. Sed pariter hoc in Febribus ſive Ephemeris ſive aliis contingit, quando nimirum ob ſalſo-acrem Lymphæ viſcoſitatem defectus humoris benigni & gelatinoſi in affectis partibus producitur. Imò in hoc ipſo caſu aliquando particulæ rigidiores & angulatæ ſalinæ quomodocunque ad Labia delatæ acceſſum balſamici humoris impediunt; & dum ſimul inteſtino rapidiore gaudent motu, Epidermidem, atque extremas etiam Cutis fibrillas quaſi uſtulant, tandemque ſi diutius perſeverent, dilacerent atque *Fiſſuras*, *Veſiculasq́*, producunt. Apud Scorbuticos etiam non rarò particulæ aſperæ ſalſæ in tubulis Labiorum extremis, propter angulos ſuos obhærent, ta emque Aſpredinem producunt, cum aliquali ſæpiùs calore præternaturali urente conjunctam. Et adeo talis Affectus Hominibus ſalſo-acri Cacochymiâ laborantibus familiaris evadit; non ſecus atque illis, qui acrem etiam ſed nondum ſcorbuticam Intemperiem ſanguinis obtinent; qui tandem bibuli ſunt, atque largiori potui Vini inhiant.

Curatio.

In *Curatione* Labiorum cutis mollienda, tubuli laxandi; ſicque ſuccus nutritius allabens non arcendus, ſed arceſſendus: quem in finem commendantur *Inunctiones* factæ cum iis omnibus, quibus aliàs Fiſſuræ Labiorum ipſæ curantur: quæ inter eminent *Oleum Ovorum*, *Roſar. Violar. Amygd. dulc. Nucum*, *Anagallidis*, *Sevum hircinum*, *urſinum*, *cervinum*, *caprillum*, *ſ. hœdinum*, *Axungia Caponis*, *Anſeris*, *Gallinar. Mucilag. Semin. Pſyll. Cydonior. Aquâ Malv. Roſar. Spermat. Ranar. Plantag. Succiſ. aut Brunell. Fol. Quercûs.* extracta, *Unguentum pomatum*; quibus additur *Spiritus Vin. camphorat.* in quo *Fol. Malv.* vel *Sambuc. flores* per horam unam macerati fuerint. *Butyrum recens inſulſum* cum *Cretâ*, *Bolo armenate*, *Camphorâ*. Internè, ſi malum à Diatheſi humorum malignâ acri oboriatur, noctu ſemper per integrum menſem horâ ſomni cyathus *Aquâ deſtill. Endiviæ*, *Cichorii*, *Beccabung. Numular. Anſerin* vel *Flor. Nymphææ* repletus ad æſtum humorum præternaturalem temperandum exhauriatur.

Labiorũ Fiſſuræ.

LABIORVM FISSVRÆ, ſeu SCISSVRÆ & VLCVSCVLA, ſunt

Conti-

continuitatis eorum ſolutio, à nimiâ ac diſrumpente tenſione fibrillarum contingens. Rumpuntur autem plerunque ſolùm Epidermis, atque extremi Cutis Labiorum tubuli, idque tum maximè, quando his partibus ſiccis exiſtentibus atque tenſis Homo fortè ridendo aut oſcitando Labia nimium diducit. Si ſiccæ magis ſunt hæ partes, tum ſimpliciter *Fiſſuræ* appellantur; ſi autem vel Veſiculæ ſint elevatæ, vel etiam ichor quidam ſalſus & acris effluat, tum *Labiorum Ulcuſcula* vel *Veſiculæ* nuncupari merentur.

Cauſæ. Oriuntur hęc incommoda utplurimum ab illis omnibus cauſis, à quibus Labiorum aſperitas excitatur. Inprimis autem rigidus aër teneras Labiorum fibrillas diu lambens atque fortiter criſpans venit accuſandus; isque tum maximè hoc Malum producit, quando ſimul ſalſę & acres humorum particulæ ad Labiorum tubulos fuerunt delatæ; à quibus hinc in ſuo motu retardatis, arroſio, atque diſciſſio fibrarum facilè producitur. In Febribus ephemeris, aliiſve Synochis longioribus, non rarò quaſi criticè tales acres humores ad Labia deponuntur, inibique ſtagnantes, collecti, & ſuorum angulorum acumine dilacerantes, partim *Veſiculas*, partim *Cruſtas* atque *Fiſſuras* excitant: & hinc eſt, quod apparentibus talibus ſignis plerunque Febris remittere obſervetur.

Curatio. *Curatio* abſolvitur illis, quæ tubulos Labiorum blandè emollire, ſaliumque ibi ſtagnantium acrimoniam obtundere, demulcere, tandem & Vlcuſcula conſolidare valent. Quem in finem *internè* quidem proſunt *diaphoretica* blanda, ſanguinis maſſam edulcorantia ex *Antimon. diaphoret. Ocul.* ♋. *ppt. Unicorn. marin. ppt. Terr. ſigillat. C. C. phil. calcinat.* &c. cum *Aquis deſtill. Endiv. Succiſ. Naſturt. Ulmar. Scabioſ. Plantagin. Roob. Sambuc. Juniper. Syrupis Rub. id. Ribium, Citri, de Alth. Fern. Flor. Nymph. Violar. Papav. rhead.* Per aliquot hebdomadas mane ac veſperi, ſex, octo, pluresve unciæ *Aquæ mineral.* v. gr. *Acidular. Thermar. Fabar.* vel *Aquæ deſtill. Succis Lactuc. Endiv. Portulac. Cichor. Scab. Agrimon.* cum *Roob Sambuci* hauriantur. Pro potu ordinario *Decoctum Paſſular. minor. Hordei, Radic. Gramin. Acetos. Filic. Lign. Saſſafr.* &c. concedetur.

Externè verò ſeqq. ordinare poteris:

℞. *Mucilag. Gum̃. Tragacanth. vel ſemin. Cydon. Aqu. Plantag. vel Millefol. factæ* ℥ß.
♁*nii diaphoret.* ʒß.
Mercur. præcipit. alb. ℈j.
Miſce & ſæpè inunge, ſed ne quid in Os labatur.

Vel ℞. *Unguenti pomat.* ℥vj.
Olei Ovorum.
Violar. ana ℥j.
Flor. 🜍*ris.*
Mercur. dulc. ana ʒß.
M. d. ad ollam.

Prodeſt & *Pinguedo è Cochlearibus ligneis in culinâ uſitatis exſtillans*, ſi aliquantillum igni admoveantur, & quaſi torreſiant.

Veſicu-

Veſiculæ & *Puſtulæ*, ſi adſint, aperiantur, hincque ſtatim ſeqq. inungatur crebrò:

℞. *Unguent. pomatum* ℥j.
Succi Semperviv. rec.
Ceruſſæ. ana ʒj.
Mercur. dulc. ℈ij.
M. d. ad Oll. Vel
℞. *Fol. recent. Semperviv.*
Heder. arboreæ.
Plantag.
Quercus. ana pj.
Inciſ. & contuſ. coque parum in Butyro recenti ac Adipe anſerin. vel Caponum; hinc Butyrum ſucco Herbarum imbutum trajiciatur per linteum, ejusque ad priſtinam conſiſtentiam congelati ℥iß.
adde Magiſt. ♄ *nii.*
Tutiæ ppt.
Pulver. radic. Conſolid. maj. vel Alth.
Mercur. præcipit. alb. ana ʒiß.
M. F. Unguentum d. ad Fictile.

Labiorũ Tumor. LABIORVM TVMOR eſt morbus auctæ magnitudinis, quo Labiorum alterutrum vel utrumque præternaturaliter extumeſcit, atque increſcit, cum vel ſine dolore, ab humorum ſtagnatione proveniens.

Cauſa. *Cauſa proxima* non eſt niſi humor viſcidus, plus minuſve acris, ſalſus in Labiorum tubulis ſtagnans, & coacervatus; idque vel humoris ipſius vitio, vel culpâ tubulorum, per quos transfluere debet. Vitio humorum contingit, & quidem circulantium, quando hi particulas craſſiores & magis angulatas obtinent, quàm ut tubulos penetrare queant. Si igitur humor ſimpliciter viſcidus, ſpiſſuſque fuerit, ſine acrimoniâ, pituitoſus item, tum *Tumorem* gignit *ſeroſum* vel *pituitoſum*, idque ſæpiùs intra paucas horas, in Febribus præcipuè ephemeris per criticam evacuationem; taliſque hinc *Tumor* citò exortus non ſolùm promtè cognoſci, ſed etiam facilè diſſipari poteſt. Hic tamen ipſe *Tumor* in ejuſmodi Ephemerâ non ſimpliciter *ſeroſus* manet ac indolens, ſed plerunque ſimul venulas capillares comprimendo, eundem quoque inflammatorium, propter ſtagnationem ſanguinis in talibus canaliculis quoque excitatam, reddit.

Si ſerum craſſum, viſcidumque paulatim unâ cum ſanguine ſtagnante in putrefactionem abit, tunc *Abſceſſum* maximè dolentem progignit, tandem in *Ulcus* abeuntem. Si illud quoque viſcidum ſerum ſenſim induratum fuerit, tunc *Scirrhum* indolentem Labii alterutrius producit. Quando autem interjectâ quadam temporis morâ illud idem induratum, corroſiva intra ſe ſalia concludit, fibrillas undiquaque dilacerantia & exedentia, tunc *Tumorem* inducit *cancroſum*, lividum, immaniter dolentem, primùm durum ac non ulceratum, tandem verò etiam in *Ulcus fœdum cancroſumq;* deſinentem.

Tumores hi ſcirrhoſi & cancroſi curatu difficiles exiſtunt, niſi cultro abſtuleris, quod fieri à perito Chirurgo facilè poteſt; cancer enim non totum unum Labium, ſed plerunque ſolùm ipſius aliquam portionem occupat. *Prognoſis*

Vitio Tubulorum evenit Tumor, quando illi vel à rigido aëre, vel ab aceto, aliove liquore auſtero, vel ab acribus internis humoribus conſtricti & nimium anguſtati fuerunt. Tandem etiam notabimus, Tumorem alterutrius, vel utriusque Labii nativum eſſe quibusdam Familiis; eumque à nutritio ſucco vel in ipsâ nativitate copioſius ſeminales Labiorum fibras irruente originem ducere; qualis Affectio hæreditaria curationem nullam admittit.

Curatio. In Tumore critico.

In *Curatione* pro diversâ conditione Tumoris eſt procedendum, quod ſi enim ille in Febri quadam ephemerâ ſubitò fuerit exortus, plus minus inflammatorius ac dolens, tum *interna diaphoretica* continuabuntur. *Externè* verò vel nihil uſurpabitur, vel ſolùm *Bolus Armenas*, aut *Terra ſigillata* cum ♁*n. diaphoretico* & *Camphorâ Spiritu Vini ſolutâ*, ac in *Unguenti* formam redacta applicabitur ſæpius, donec Tumor diſparuerit. Alii in ejusmodi Inflammatione nonniſi *Bolum Armenatem, Cretamq́ albam Camphoræ* permiſcent, & ſiccè applicant.

In Tumore ſeroſo.

Si *Tumor* extra *Febrim ſeroſus* tantùm fuerit, tunc ſimilibus externis remediis diſcuti poteſt: vel illis nihil operantibus, *ſolam Herbam recent. Chelidoniæ, Perſicariæ, Gratiæ Dei, Folia Bardanæ, Solani, Alliariæ, Verbenæ*, aut *Ariſtolochiæ* contuſa tepidè applica. Imò hæ ipſæ *Herbæ* contuſæ unâ cum *Foliis Sabinæ*, & *Butyro* tantillum incoctæ *Unguentum* reddunt quàm optimum ad hunc Tumorem diſcutiendum.

Intus exhibebis *Purgans* unum vel alterum ex *Extracto catholic. panchymagog. Croll.* & ſimilib.

℞. *Extr. cathol.* ℈j.
Reſin. Jalapp. gr. ij.
Merc. dulc. ℈ß.
Ol. ſtill. Succ. q. ſ.

M. f. Pilulæ num. 15. *dentur pro doſi mat.*

Vel ℞. *Maſſ. Pilul. hydr. Bont.*
Extract. panchym.
Cinnab. ♁ *n. corr. ana* ℈ß.
Reſin. Scamm. gr. iij.
Ol. ſtill. Roriſm. q. ſ.

M. f. Pilul. num. 13. *Inaur. d. pro doſi.*

Dein ſimul in pertinaciore Affectu *Eſſentiam* atque *Decoctum Lignorum* per aliquot dies uſurpabis.

Iisdem quoque remediis *Tumor pituitoſus* duriuſculus atque in Scirrhum abituriens diſcuti poteſt; vel talis, in quo humor lardum referens colligitur diſſipatur; modò diligenter ſemper applicata remed. tenebit Æger. Quanquam in hoc ipſo Tumore contumaciore opus quandoque ſit *cathæreticis* imponendis paulatim, hâcque ratione conſumendis, quemadmodum id in curatione *Pædarthrocaces* ſ. *Spinæ ventoſæ* docuimus.

Tumoris cancroſi.

Si *Tumor* fuerit *cancroſus*, ſive *exulceratus*, ſive *non exulceratus*, cura ea adhibenda, quæ ad Cancrum in genere commendata fuit; verùm heic ad exſtirpationem omnium optimè deſcenditur, ſi uſurpata prius *Cataplasmata* ex *Herbis recentibus* nullam

lam in hoc caſu medelam attulerint. Extirpatio fit reſciſſione Tuberculi, quo facto ferrum mox ardens adhibendum, vel radices Cancri *Lapide infernali* tangendæ: præferrem ego ſemper candens Ferrum. Hinc Vulnus ſolito more deligandum, atque ſimul intus in purificantium remediorum uſu continuandum; ubi frequens *Panacææ alcal. ſolut.* uſus haud ſpernendus eſt.

Veſicularum & Ulcuſculorum. *Veſiculæ* & *Ulcuſcula Labiorum non cancroſa* eluenda quotidie *Aquâ Calcis vivæ*, cum *Eſſentia Aloës, Myrrh.* &c. vel cum *ſolutione Aluminis in Aqu. Calcis*, hinc fila carpta vel ſiccè vel *Eſſentiæ Myrrhæ* intincta imponendo, & *Emplaſtro Opoteldoch* aut *Diapalm.* claudendo, usque ad conſolidationem.

Tumoris inflammatorio. Si Tumor *inflammatorius* exiſtat, in Abſceſſum degenerans, tunc ea imponenda, quæ Abſceſſum maturare, atque aperire poſſunt; inprimis autem heic conducit *Mel* cum *Succo Cepar. Farinâ* & *Croco pulveriſato* diligenter impoſitum, usque dum apertum fuerit, inque *Ulcus* mutatum *Apoſtema*, quod *Ulcus* dein conſueto more detergitur atq; conſolidatur, *internè* quidem purgando ipſum corpus *Panacææ ſolut. alcalinæ* pluribus doſibus, vel *Pilulis* ſupra ordinatis cum *Mercurio dulci*; dein blandos ſudores movendo exhibitis *diaphoreticis*, atque *Decocto Lignorum. Externè* verò præter ſuperius commendata adhuc conducunt *Emplaſtrum Saturnin.* cum *Croco Martis*, *Emplaſtrum diapompholyg. de Liquirit.* Ubi Labia à ſcorbuticis ſalibus cruſtoſa ſunt & ulceroſa reddita, inprimis *Unguentum album camphoratum* cum *Eſſent. Myrrh. Aloës*, *Aſæ fœtid. Perſicar. Helleb. nigr. Sanicul. Benzoin* convenit. *Oleum* item prodeſt *Ovor. Elix. Vit. amarum*, ♄ *n. diaphoretic. Ocul.* ♋ *ppt. Camphora, Cret. Tutia, Ceruſ.* &c.

LABIORUM CANCER, SCIRRHUS, INFLAMMATIO, ABSCESSUS ſ. APOSTEMA, ULCUS, VESICULÆ, CRUSTÆ. vid. *Labiorum Tumor.*

Labiorum Tremor. **LABIORUM TREMOR** eſt depravatus Labiorum motus, quo alterutrum vel utrumque Labium reciprocè ultro citroque vibratur atque tremet.

Diagnoſis. Affectus hic in Rigore febrili, nimioque frigore hyemis ſæpè accidit, idque ſimul cum Dentium aliquali ſtridore. Vel etiam in Irâ, Terroreque inſigni, aut Tremore, propter fibrarum nervoſarum oſcillatorium motum tremulum, ac ſpirituum animalium inordinatum quendam, atque vibrativum influxum, contingit. Ita quoque in Nauſeâ & vomendi conatu ſæpiùs Labium inferius, interdum cum ipſâ Maxillâ, tremere ſolet, quatenus id, quod Ventriculi nerveam tunicam ad vomendum irritat (v. g. Lumbrici, Cruditas nidoroſa, aliave auſtero-acris & nauſeabunda ſulphurea) ſimul quoque per conſenſum Labii muſculos quaſi convellit, iiſque tremulum motum conciliat.

Cauſa. Aliquando tamen etiam Spirituum animalium influxus inordinatus atque vibrativus contingit ab aliâ cauſâ internâ, nimirum ſpaſmodico & acri aliquo ſale, nerveas Labiorum muſculorum fibras lancinante; vel ita ſaltem leviter conſtringente, ut Spiritus dicti haud continuo, ſed interrupto nonnihil motu fibras motrices ingredi, atque pervadere poſſint; qualis tamen cauſa rarior eſt præcedentibus, atque vix niſi in Epilepticis contingit membrorum calcitrationibus. Ita olim Scaphuſii vidimus raro exemplo Puellam undecennem Epilepticam, cujus Epilepſia per incertas periodos occurrens, non niſi dextrum latus convellebat à capite ad calcem, ita quidem ut muſculi quoque dextri lateris Faciei ac Labiorum reciproco vibrationis motu continuè per ſemihoram leviter tremerent, omnibus interea ſiniſtri lateris muſculis quietis ſaniſque manentibus.

Curatio. In *Curatione* ad cauſam attendendum, quæ ſi frigus ſit externum, calore emendabitur blandè conciliato. Si à Nauſeâ, procurato vomitu ſanabitur. Si à Rigore febrili, curatâ Febri tolletur. Si denique à ſcorbuticis ſalibus auſteris ſpaſmodicis, aut etiam ab Epilepſiâ, tunc interna externaque amuleta, aliaque antiſpasmodica in uſum trahentur. Sicut videre poteris in *Convulſione* & *Epilepſiâ*. Denique ſi à Lumbricis Ventriculi ortum traxerit, anthelmintica in uſum trahentur, uti ſuo loco commendantur.

LABIORUM INVERSIO eſt Morbus conformationis, quo Labia ita retorquentur & invertuntur, ut pars eorũ interior extrorſum vergat, ac ſeſe conſpiciendam præbeat, idque cum vel ſine Tumore. *Labiorum inverſio.*

Cauſa. Etenim *cauſa proxima* quidem ſæpiſſimè eſt fibrarum cutanearum retractio, ab exiccatione vel protruſione contingens. Quô contribuit nunc tumor ſubſtantiæ Labiorum muſculoſæ, internam eorum faciem extravertens, atque ab humorum ſubſiſtentium, qualiumcunque, interdum corroſivorum & cancroſorum, ſtagnatione originem ducens: nunc in Epilepſiæ paroxysmis, Convulſionibusque violenta muſculorum contractio: nunc convulſio particularis muſculorum labiorum in Febribus acutis: nunc Paralyſis muſculorum in Labio inferiori.

Diagnoſis & Prognoſis. Affectus hic quanquam oculis pateat, non ſolet tamen æquè ſemper ſanabilis eſſe: quippe ſi Tumorem cancroſum pro causâ agnoſcit, curatu non adeo facilis, de quo vide *Labiorum Cancrum*. Si in Epilepticis paroxysmis eveniat, finito paroxysmo per ſe reſtituitur, adeoque peculiaria remedia haud deſiderat. Si in acutis compareat Febribus, lethale indicium præbet. Si malum evenerit à Paralyſi, conveniunt ea, quæ intus extusque contra Apoplexiam atque Paralyſin commendantur, inprimis autem Veſicatoria Nuchæ applicata, inunctiones Temporum, Maxillarum, atque Labiorum cum *Oleis cephalicis*, de quibus vide curationem *Apoplexiæ* vel *Paralyſis*. *Apo-*

phlegmatiſmi quoque & *Trochiſci ſublinguales* ſalivam probè elicientes ſimul commendabuntur.

Labiorum diſtorſio.

LABIORUM DISTORSIO, ſ. TORTURA, & SPASMUS CYNICUS, eſt Morb⁹ conformationis, in quo Labiorũ muſculi invito Homine ad ſua principia cũ dolore retrahuntur, ita ut continuè quaſi ridere videatur, Labiis nimirum Oreq; ridentium more diductis, aut ſpeciem ringentium Canum præbentibus. Hinc alio nomine quoque *Riſus Sardonicus* audit.

Laborant hoc modo ſæpius Infantes in cunis, vel Adulti quoque in Febribus malignis.

Cauſa.

Cauſa autem *proxima* non eſt, niſi particularis convulſio muſculorum Oris ac Labiorum; quæ inducitur à ſale quodam auſtero-acido fibras nervoſas dictorum muſculorum lancinante, & ita Spiritus animales ad copioſiorem influxum ſtimulante. Quale quid tum apud Infantes acido ſpasmodico primarum viarum turgentes; tum in Febribus malignis; tum & in Maniâ contingere poteſt. Adde his quoque Venenorum aſſumtionem, v. gr. *Cicutariæ*, *Hyoſcyami*, *Napelli* & ſimilium.

Diagnoſis.

Affectus talis haud difficulter à vero Riſu dignoſcitur, modò ſimul ad Oculos Hominis tum plerumque torvos attendatur, non ſecus atque ad alias circumſtantias, quibus alienatam Ægri mentem eſſe comperimus. Infantibus ad Epilepſiam proclivibus in ſomno ſæpiſſimè contingit, quantumvis inſomniis ipſorum heic ſæpè aliquid dandum ſit. Interea malum neutiquam contemnatur, quin indicium eſt vel Maniæ vel Convulſionum præſentium aut imminentium. Ubi Mania quidem non ſemper lethalis pronunciari debet, quomodo autem curanda ſit, ſuo exponitur loco. Si in aliis Morbis hoc accidens contingat, pejus jam ſignum eſſe ſolet atque periculi plenum.

Prognoſis

Curatio.

In *Curatione* attendendum ad Cauſam, quæ ſi Febris maligna, curabitur ſuo more. Si in Infantibus primæ viæ acido turgeant, curabitur, ſicut Epilepſia Infantum: ubi tamen *Infuſum Rhabarbarinum* cum *Syrupo è Succo Semperviv.* & *Pæoniæ* remedium eſt validum, ante reliquorum ſpasmodicorum uſum datum. Si à Venenis, vide Titulum de *Venenis*.

Labiorum Paralyſis.

LABIORUM PARALYSIS, eſt Oris ad alterutrum latus diſtorſio, à Muſculorum ejuſdem partis reſolutione oriunda.

Differentia.

Differt hinc à *Spaſmo cynico*, utpote in quo os ad utrumque latus ſpaſmodicè diducitur; cùm in *Paralyſi* non niſi ad latus dextrum vel ſiniſtrum diſtorqueri videatur. Aut ſi muſculi lateris utriuſque reſolvuntur, ac ſpirituum influxu privantur, ſimul plures alii nervi reſolventur, ac ita Hominem, impeditâ prorſus circulatione ſanguinis, è medio tollent.

Cauſa.

Cauſa Paralyſeos iſtius *proxima* eſt denegatus Spirituum animalium ad Muſculos alterutrius Faciei lateris influxus. Hocque contingit vel ab obſtructione Nervorum eô tendentium,

um, per viſcidam pituitam inductâ: vel ab eorundem Nervorum diſciſſione, dilaceratione, aut compreſſione per tumores factâ. Affectum etiam à nativitate aliquando Homini obtigiſſe vidimus; prout heic adhuc vivit aliquis Sutor Os vel ab ipſo ortu in ſiniſtrum latus diſtortum continuè & immedicabiliter circumferens. Apoplexia præcedens ſæpiſſimè hanc quoque Paralyſin poſt ſe relinquit: ubi fit, ut reſolutis v. g. in ſiniſtrâ parte nervis, Os verſus dextram partem ſanam diſtorqueatur, eo quòd muſculi iſtius lateris ſpiritibus adhuc irrigati, ſuo fungantur officio, ſicque contracti Os ad ſuum latus diducant, muſculis oppoſiti lateris, propter ſpirituum defectum, haud valentibus huic diſtorſioni reſiſtere. Interea fit ſimul, ut ſalivales Ductus lateris reſoluti non poſſint ſuam amplius ſalivam retinere, quin eandem continuè effluere ſinunt; unde propter perpetuam Salivæ quantitatem ſimul Lingua nimis flaccida & humida exiſtens Loquelam offendit. Malum itaque cognoſci facilius, quàm curari poteſt.

Curatio. Etenim in *Curatione* quæ Paralyſis à *Nervorum diſciſſione*, aut à nativitate inducta eſt, eam ſanare impoſſibile. Si verò ab *obſtructione* qualicunque eorundem provenerit, quemadmodum in leviori aut fortiori Apoplexiâ contingere ſolet, tum *univerſalia Purgantia* cum *Mercurio dulci* ſociata præſcribantur; dein *Venæſectio* adminiſtretur; *Cucurbitulæ cum Scarificatione*, Nuchæ & Dorſo applicentur, *Veſicatorium* retro Aurem partis affectæ imponatur, *errhina* & *apophlegmatizantia* fortiora in uſum vocentur, v. g.

℞. *Radic. Angelic.* ℨj.
Pyrethr.
Caryophyllor. arom. ana ℨß.
Maſtich. ſelect. ℈j.
Sacch. alb. ℥ij.
Mucilag. Gumm. Tragac. Aqu. Cinnam. fact. q. ſ.
Miſc. f. Trochiſci ſubinde lambendi, aut ſub Linguâ tenendi,
Vel ℞. *Sacch. alb.* ℨiij.
Nitri ppt. ℨj.
Ol. ſtillat. Caryoph. gutt. vj.
M. f. Pulv. ſubtil. d. ad ch. de quo ſubinde cuſpis cultri plenus Aquæ fontan. injiciatur, ac Os eo colluatur.

Si ſaliva nimis viſcida eſt, Oris cavitatem conſpurcet, ac loquelam offendat, tunc *Fumus* etiam *Tabaci* in uſum trahatur: vel *Gargariſma* ex *Decocto Flor. Liguſtr. Betonic. Malv. hortenſ. Fol. Leviſtic. Brunell. Salv. Meliſſ. Radic. Angel. Pyrethr. Imperator.* &c. in *Aquâ* facto, ac *Melle roſaceo* permixto Ori immittendum: præſertim ſi illud prius *Tincturâ Antiphthiſ.* vel *Lacc. florentin.* alteratum fuerit.

Errhinorum loco commendari poteſt *Liquor* ſequens:

℞. *Aqu. Majoran.* ℥iiſ.
Leviſtic.
Beton. ana ℥ß.
Spir. Anth. vel *Lil. Convall.* aut *Meliſſ.* ℨij.
⊖*lis* ⊕*li gr.* iij. *vel* iiij.
M. ad Vitr. De quo ſubinde naribus tepidiuſculè aliquid attrahatur.

Intus

Intus quàm diutiſſimè in uſum vocetur *Infuſum Fol. Theé*, *Beton. Meliſſ. Salv. Beccabung. Naſturt.* cum *Eſſent. Succin. Beton.* atque *Tinctur.* ♁*nii.* Vel *Decoctum Lignorum* cum tali *Eſſentiâ* mane ac veſperi aliquandiu bibatur. Extus verò *Oleis Succin. Spicæ*, *Lavendul. Juniperi Baccar.* &c. deſtillatis diu Vertex Capitis, Nucha & regio pone aures bis quotidie inungatur. Vel hæc ipſa loca toties *Spiritu Anth. Meliſſ. Ceraſ. nigr. Lil. convall. Lumbr. terr. Juniperi*, aut cephalico qualicunque compoſito calidè laventur.

Lactis muliebris vitia.

LAC MULIEBRE VITIOSUM eſt, quando illud vel in *quantitate* vel in *qualitate* peccat. In *Quantitate* eſt ejuſdem *Exceſſus* ac *Defectus*, de quibus poſtea. In *Qualitate* nunc eſt nimis *ſeroſum*, vel *aquoſum*, facileque diſſolubile: nunc nimis *craſſum*, *caſeoſum* ac *viſcidum*, promtè vel in ipſis Mammarum glandulis *coagulabile*, de quo vide *Lactis Thromboſin*: nunc eſt *acre*, *ſalſum*, facileque *aceſcens*, quæ ſingula Vitia Lactentibus valde nociva exiſtunt.

Diagnoſis.

Lac bonum ſanumque cognoſcimus 1. è *Colore* Lactis bubuli optimi, candidi admodum, minimè limpidi, aut cœrureſcentis æmulo. 2. Ex *ſapore* prorſus *ſaccharino*, qualem Lac bubulum non habet, ab omni ſalſedine atque acrimoniâ qualicunque remoto. 3. Ex *Odore* nullo, vel *lacteo* tantùm, minimè fœtente aut aceſcente. 4. Ex *Conſiſtentiâ* mediâ inter Aquam ac Syrupum; quæ particulas in conſpectu ſtatim aquoſas non monſtrat. 5. Ex *tardâ coagulatione* & *grumeſcentiâ*, quando nimirum non ita citò in ſuas partes reſolvitur. 6. Ex eo, cùm ungui ſuperinfuſum non dilabatur, ſed ſubſiſtat aliquantiſper: ſi enim citò dilabitur, aquoſius eſt ac ſeroſius; ſi difficulter dilabitur, nimis craſſum eſt. 7. Ex *Diætâ prægreſſâ* atque *conſtitutione* ſive *temperie* Matris aut Nutricis, à quâ Lac etiam bonum aliàs vitiari maximè poteſt.

Cauſa & Diagnoſis.

Etenim ſi ipſa Nutrix Cibis valdè delectetur ſalſis, acidis, aromaticis & acribus, tunc Lac quoque exin gignitur ad ſalſedinem & acrimoniam inclinans, & apud Infantes facilè *Achores*, *Favos*, atque *Scabiem* plus minus fœdam excitans. Vel *Lac* producitur facilè coagulabile, aceſcens, atque hinc Tormina, obſtructiones Glandularum meſaraicarum, Epilepſiam quoque, Tumores ſcrofuloſos, & ſimilia producens. Vel *Lac* gignitur acre & ſulphureum nimis, Febribus, Aphthis, ſimilibuſque *vitiis* excitandis perquam idoneum. Si Nutrix Iræ aut Triſtitiæ frequentius indulgeat, aut Terrore quoque ſubitaneo afficiatur, tunc *Lac* propter Spiritus alio modo determinatos ad aceſcentiam facilem inclinat, ac ita aptum evadit Convulſionibus, Incubo, Torminibus, Vigiliis, Pavoribus in ſomno, &c. ſuſcitandis. Si Cibis veſcatur immodicè, aut intempeſtivè, ſed iis bonis tamen, vel chylum viſcidum reddentibus; tunc *Lac* inde fit craſſum nimis, pingue, caſeoſum,

ſum, pituitoſum, adeoque Cachexiæ, Atrophiæ, Febribus quotidianis producendis maximè idoneum.

Progno-ſis. Quibus ita probè examinatis atque perpenſis non ita difficulter quiſcunque Medicus de futurâ Tenellorum incolumitate præſagire poterit; certiſſimum enim eſt, Infantes, ſi ſani in Mundum prodierint, ſanos etiam manſuros, modò Nutrix optimam vivendi rationem obſervaverit.

Curatio. Itaque in *Curatione* Lactis quomodocunque vitioſi non certius præſcribi poterit remedium, quàm ſtricta optimæ Diætæ obſervatio, quam quiſque ex quartâ Medicinæ Parte *Diæteticâ* facilè prœſcribere novit. Præterea tamen primas Nutricis vias blando *Lenitivo* eluere interdum convenit; ac inſimul neceſſitate urgente edulcorantes atque abſorbentes aliquot pulveres antiſpaſmodicos ex *Ungul. Alc. ppt. Ægagropil. ppt. Unicorn. marin. ppt. ♄n. diaph. Corall. rubr. ppt. C. C. phil. ppt. Margarit ppt. Matr. perl. ppt. Unicorn. foſſ. Lact. Lun. Raſur. Ebor. Cinnab. nativ.* vel *♄n.* &c. paratos exhibere licet. *Vinum* concedendum modicum, atque illud *bonum*, minimè *auſterum* aut *acidum*. Tandem *Infuſ. Folior. Beton. Salv. Veron. Sanicul. Alchymill. Polygal. Pyrol. Matriſylv. Flor. Conſol. regal. Anagallid.* & ſimil. quotidie per aliquot hebdomadas potum, *Lac* etiam optimum reddit.

Lactis defectus. LACTIS DEFECTVS eſt Symptoma excretionis illius humoris per mammas vel imminutæ vel prorſus abolitæ.

Cauſa. Contingit autem illud *vel* vitio ipſarum Glandularum mammariarum, quando nimirum hæ ab humore viſcido obſtructæ, vel etiam prorſus inflammatæ aut intumefactæ ſunt in unâ pluribusve partibus: *vel* Vitio ipſius chyloſi Succi, ſanguinisve evenit, dum ſæpe non eâ particularum balſamicarum configuratione & texturâ Sanguinis ſerum, chylusve gaudet, qualis quidem neceſſaria eſt, ad ſui transcolationem in Glandulis mammariis facilè ſubeundam: vel ſaltem paucæ particulæ eam texturam habent adeptam, ſub quâ per poros earundem Glandularum penetrare poſſint. Quamobrem ſi Chylus ad ſanguinem defertur valdè crudus, viſcidus, aut ſeroſus, in quo ſcilicet balſamicæ particulæ non probè ſunt digeſtæ, ſubactæ, vel ad debitam volatilitatem exaltatæ; tum illud non poterit tantum Lactis proventum exhibere. Si proin Cibi aſſumantur Potusve Chylum talem præbentes, ſi diuretica in uſum vocentur, etiam inter hæc Nutrix delectetur Cepis, Allio, Petroſelino aliiſque ſimilibus diureticis, tum quoque Lactis defectus exinde provenire notatur. Reperiuntur Fœminæ, quibus Mammæ à naturâ ita laxæ, vel obeſæ exiſtunt, ut hinc propter nativam tubulorum in glandulis anguſtiam multum Lactis ſegregare haud queant. Si in hoc illove latere Mammæ coagulatio Lactis, vel Tumor obtingit, tunc eadem Mamma

ma ſimiliter quantitatem lactis ſufficientem non profundet, quippe Tubulorum portione ſic obſtructâ.

Diagnoſis. In *Diagnoſi* & *Prognoſi* heic peculiare nil obſervandum venit. Dicunt tamen, ſubitam Lactis diſparitionem, quæ non rarò contingit à Terrore, Irâ, Triſtitiâ, vel cauſis etiam non patentibus, malum ſignum eſſe, & futuram proximè mortem *ipſius* Lactentis ſæpiùs præſagire ſolere.

Curatio. In *Curatione* autem Remedia *Lac augentia* ſunt in uſum vocanda; ubi ſtatim *Diæta* laudabilis quoad cibos eupeptos, potum bonum, animi tranquillitatem &c. eſt præſcribenda. *Internè* dein proſunt ea, quæ cruditatem ſucci chyloſi emendare, obſtructasque vias glandularum reſerare valent, quemadmodum id præſtant ſequentia:

℞. *Agaric. ſaxat. ſ. Lact. Lun.* ℥ij.
Ebor. ppt. ℈ij.
M.f. Pulv. ſ. div. in 5. part. æqu. ad ch. cum Juſculo hordeaceo man. ac veſp. ſumendas.

Vel ℞. *Cryſtall. alb. ppt.* ʒiiß.
C. C. philoſ. ppt. ℈iiß.
M. f. Pulv. ſubt. in 6. doſ. æqu. dividend. ad ch. Hæ verò doſes omnes ſimiliter cum *Decocto Heder. terreſt. Aniſi* & *Hordei*, vel cum *Lacte bubulo*, vel etiam cum *Juſculo avenaceo* exhiberi poſſunt.

Vel ℞. *Magiſt.* ♃ *n. diaph.* ʒiij.
Pulveriſ. divid. in 9. partes æqu. ad ch. ac ſingulis trihoriis vel quadrihoriis doſin exhibe.

Augent quoque Lac mirè *Surculi Hederæ terreſtris*, *Fœniculi*, *Aniſi*, *Anethi*, *Herbæ Polygalæ*, *Tragopogi*, & ſimilia, vel *Juſculis* incocta, vel *Potui ordinario Vini diluti* infuſa atque pota.

Proſunt ſimiliter *Radix*, *Folia*, & *Semen Fœnicul. Semen* it. *Aniſ. maſticat. Radices* porrò *recentes Scorzoner. Siſar. Petroſelin.* coctæ & comeſtæ. *Lumbr. terreſtr. ſucco Fœniculi macerati*, hinc combuſti, atque in pulverem redacti. *Pulvis Uberum Vaccæ*, *Succolata Indorum cum Lacte*, *Vitello Ovor.* & *Sacchar. facta*, *& pota. Radices flor. Solis* cum *Sale*, *Pipere* &c. coctæ, & comeſtæ &c. Commendant Mulierculæ multum *Olera humidiora*, velut ſunt *Atriplex*, *Beta*, *Lactuca*, *Portulaca*, *Tragopogon*, *Taraxacon*, &c. frequenter comedenda à Nutricibus. Hiſce addimus uſum *Hordei*, *Oryzæ*, *Lacticiniorum*, atque *Juſculorum conſumatorum ſ. gelatinoſorum*, item *avenaceorum* atque *hordeaceorum*. Externè, ſi Mammæ fuerint tumidæ, *Decoctum Anethi*, *Chamomill. Fœnicul. Cumini*, *Fol. Alth. Malv. Hed. terreſtris*, *Menthæ* &c. in *Aquâ* vel *Lacte* factum calidè ſæpiùs applicetur.

LACTIS REDUNDANTIA, eſt Symptoma excretionis auctæ, quando nimirum Lac velut cum impetu in magnâ quantitate per tubulos mammariarum glandularum transcolatur, Nutricemque vel Infantem quoque lactentem incommodat. Lactis redundantia.

Cauſa. *Cauſa proxima* eſt utplurimum lacteorum in Mammis pororum aliqualis laxitas, vel à nimiâ irruentis Lactis, abundanter jam in ſanguine exiſtentis, copiâ, vel ab aliquali ſpirituum

rituum animalium ad glandulas interceptione oriunda. Juvant heic quoque multum plethorica Nutricum conſtitutio, Animi tranquillitas continua, Vita delicioſa, Cibi eupepti benè copioſeque ingeſti, Potus moderatus Vini boni, albi; aliaque in Diætâ Lactis generationi minimè adverſantia.

Diagnoſis & Prognoſis. Affectus facilè cognoſcitur è querelis Nutricum; in primis verò illis, quæ jam ſuos ablactant Tenellos, tum enim Lactis redundantia inprimis ſolet eſſe moleſta, atque ſimul, ni præcaveamus, in coagulum abire, hinc Tumores, Inflammationes, & Abſceſſus Mammarum producere.

Curatio. Itaque in *Curatione* illis quidem Fœminis, quæ ſuos lactare incipiunt, perguntque Infantes, ſuademus, ut iis Ubera frequentius ſugenda offerant, atque nihil cibi vel pulmenti per aliquod tempus præbeant, quoniam hâc ratione ſat habent, quo nutriantur; neque Lactantes Matres de moleſtâ Lactis abundantiâ diu conquerentur. Si verò hæc methodus delicatulis moleſtior videbitur, tum illæ quidem in Cibo & Potu ſibi nonnihil derogabunt, donec moderatior Lactis quantitas præbebitur: vel Cibos comedent, tantum ſucci illius candidi haud præbentes, ac per Urinam nonnihil pellentes; quemadmodum ſunt *Carnes duriores, aſſatæ* magis quàm *elixæ*, *Panis minus probè fermentatus*, *Petroſelinum*, *Chereſolium*, *Apium ſelinum*, *Raphanus ruſticanus*. Sic *Folia viridia Nucum*, *Crocus*, *Salvia*, *Apium*, *Ruta*, *Chereſol. Petroſelin. Naſturtium*, & ſimilia minutim inciſa & contuſa, cum *Aceto*, vel *Oxycrato calido* concorporata, ac ter quotidie tepidè applicata minuunt Lac. Hiſce addimus *Motum* corporis nonnihil vehementiorem crebrum, *Venæſectionem*, *Cucurbitulas cum Scarificatione* applicandas dorſo; quæ ipſa ſimiliter omnia conducunt Fœminis, Infantes ablactantibus. Hiſce tamen ulterius conſulimus, ut ablactaturæ Lac ex utraque Mammâ exactè ſibi curent exugi, hinc verò ſtatim *Ceratum è Cerâ flavâ* cum *Oleo Myrthi*, atq; *Roſarum* parat. applicent, Mammasque ſtrictè admodum ligent, quò tubuli ipſarum arctiores redditi Lac nullum amplius in ſe recipiant. Interim per aliquot dies Feminæ tales jejunabunt atq; ſi ita nihilominus Lac tubulos ſubeat, diſcuti illud poterit, *Petroſelinum*, *Mentham*, *Meliſſam*, *Calaminthum*, *Apium*, *Urtic. Coriandr. Cicutam*, *Solanum*, *Naſturtium*, & ſimiles *recentes* alias *Herbas*, probè contuſas cum *Melle* permiſcendo, atque *Cataplaſmatis* formâ Mammis imponendo. Vel ſolum *Cataplaſma* è dictis *Herbis*, cum additâ *Rutâ*, *Perſicariâ*, *Dauco*, *Apio ſelino* &c. ſine *Melle*, calidiuſculè applicare licet. *Limaturâ Martis* vel *Aurichalci*, ſubtili linteo parum humefacto inſperſâ, & Mammis applicatâ, Lac ſtatim dependitur, ſicque θρομβωσις certò præcavetur. Obſtetrices ſimiliter *faſciculum Fili Cannabini* recentis, *ein Strangen Garn*, *Vino* incoquunt, & calidè Mammis admo-

admovent, probeque ſtringunt, ad Lac diſcutiendum.

Lactis coagulatio. LACTIS COAGVLATIO ſeu THROMBOSIS, eſt Lactis in Glandulis mammariis ſecreti cita in partes ſuas ſeparatio ſ. diſſolutio, cum caſeoſarum particularum coacervatione & ſtagnatione, Tumorem plurium, pauciorumve glandularum duriuſculum, plus minus dolentem producens.

Cauſa. *Cauſa proxima* eſt Lactis ad Glandulas mammarias devecti & jam ſecreti diſſolutio, quâ fit, ut ſeroſæ quidem, pluresque butyroſæ moleculæ tubulorum anguſtias evadant, caſeoſæ autem retro maneant, ſenſimque ab accedentibus novis particulis cumulatæ Tumorem efficiant, plus minus durum, majorem aut minorem, unum vel plures, prout majori, minorive quantitate fuerint coacervatæ, atque à ſeroſo-aquoſis magis minuſve liberatæ. *Antecedens* hinc *cauſa* eſt vitium plerumque ipſius Seri ſanguinei, juſto magis acidulum, unde aceſcentes ejuſmodi particulæ cum Lacte per glandulas filtratæ, diſſolutionem promtè inſtituunt, antequam ſæpè Lac ex omnibus canaliculis exſugatur. Serum ſanguinis acidius juſto & ad coagulationem aptius reddit *Diæta* minus laudabilis; eteenim 1. *Aër* frigidior ſubitò ad Mammas nudas admiſſus, & fibras earundem varias ſtringens, 2. *Cibi* acidi, ſaliti nimis, auſteri. 3. *Vinorum*, aut aliorum liquorum acidulorum ingurgitatio frequens & nimia. 4. *Manuum pedumq; immiſſio* in frigidam aquam. 5. *Terror* ſubitaneus, *Ira* atque *Mæſtitia*. Et 6. *Febres* ab iiſdem cauſis productæ ad Coagulationem Lactis contribuere valent.

Diagnoſis. Signa *Diagnoſtica* ſunt aliqualis defectus *Lactis*, Glandulæ Mammæ unius vel alterius hinc inde intumefactæ, & duriores redditæ, inæqualem Mammæ ſuperficiem reddentes, cum dolore utplurimum gravativo, atque pungitivo.

Prognoſis. Quoad *Prognoſin*, Affectus in principio quidem eſt levis; ſed tamen neglectus pro variâ conſtitutione temperamentorum nunc *Inflammationem* & *Abſceſſum*, ſi maſſa humoralis fuerit adhuc ſatis balſamica; nunc *Scirrhum* aut *Tumorem* quoque *cancroſum* producere valet, ſi eadem extiterit acida, auſtera, ſcorbutica, acris.

Curatio. In *Curatione* proin omni ſtatim niſu & operâ, coagulatum, caſeoſumque *Lac* eſt diſſolvendum, *remediis* acidû coagulans potenter deſtruentibus, tam internè exhibitis, quàm externè applicatis. In *Diætâ* hinc *Aër* omnis frigidus à Mammis procul eſt arcendus, neque etiam eædem frigido liquore aliave re frigidâ qualitercunque tangendæ, aut quando ſudore madent frigido linteo abſtergendæ: acidorum, crudorum, caſeoſorum, ſalitorum qualiumcunque uſus atque abuſus ſtudioſè cavendus; mœror, triſtitia, ira, terror, meditationes & curæ anxiæ admodum fugiendæ: à potu nimio acidorum aliorumque fermenteſcibilium liquorum

rum eſt abſtinendum. Dein & *Lac* è Mammâ potenter ſive ab Infante, ſive à Fœminâ aliâ eſt exugendum. Ac interea ſtatim intus, præter laudabiles cibos, potumque *decocti Agrimoniæ, Hederæ terreſtris, Raſ. C. C. Radic. Gramin.* &c. dare poteris *Mixturam liquidam* ex *Aquis, Volatilibus ſalibus*, atque *Pulveribus reſolventibus* concinnatam, ita ut ſimul febrilem Paroxyſmum arcere valeant: v. g.

℞. *Aqu. Scabioſ. vel Heder. terr.* ℥ij.
Card. bened.
Flor. til. ana ℥j.
Spirit. Theriac. ſimpl. ℥ß.
♁ *n. diaph.*
Raſur. Ebor. ppt. ana ʒß.
Sacch. cand. alb. ʒij.
M. d. ad Vitr. & ſumatur frequenter cochleatim. Vel
℞. *Aqu. Fumar. vel Succiſ.*
Scabioſ. vel Flor. Sambuc. ana ℥iß.
Cryſtall. alb. ppt.
C. C. philoſ. ppt.
Bezoard. mineral. ana ℈j.
Cinnab. nat. opt. ℈ß. *Sacch.* ʒij.
M. d. ad Vitr. & cochleatim exhibeatur.

Vel ℞. *Aqu. Carlin Card. mar.*
Cherefol. ana ℥iß.
Syrup. Papav. rhead. ℥j.
Spirit. Sal. arm. aniſ. vel fœnicul. ʒj.
Ocul. ♋. *ppt.*
♁ *n. diaph. ana* ℈ij.
Confect. Alk. inc. ʒß.
M. detur ad Vitr. per cochlearia ſumatur.

Pulvis ex ſemine Fœniculi, Dauci, Coriandr. Cumin. Apii, Naſturt. Urtic. Radic. Eryng. Sigill. Salomon. Ariſtoloch. rot. ver. Croc. Ocul. ♋. *ppt. Sale volat. C. C. vel Succin.* atque *Saccharo* &c. compoſitus, & quotidie aliquoties datus, multum quoque reſolvit.

Extus *Cataplaſma* ex *Herbis* vel *foliis recentib. Menth. Perſicar. Rut. Sabin. Ariſtoloch. Petroſelin. Origani, Ocymi, Matricar. Aneth. Leviſtic. Fœnicul. Naſturt. Abſynthii, Abrotoni, Pulegii, Meliſſ. Malv. Violariæ* &c. factum, & calidiuſculè appoſitum conducit. Vel eædem *Herbæ* contuſæ cum *Axungiâ anſerin.* ſimilique, aut etiam *Melle* permixtæ, & appoſitæ diſcutiunt, ſi nimirum cum *Butyro* aut *Melle* tantillum in ſartagine prius frigantur. Alii applicant *Ceratum* ſimplex è *Cerâ, Oleo Anethi,* atque *Lumbricorum* factum, diu illud in parte relinquendo. Poſſunt & Herbæ ſupradictæ *Vino* incoqui, linteaque decocto huic immerſa, atque expreſſa ſæpius calidè applicari. Vel ſume *Aquam Pulegii, Anethi, Chamomill. Menth. Origani* &c. adde *Spiritum Vini*, & *Spiritum Volat. C. C.* vel *Salis armoniac. urinoſ.* calefac, linteum immerge, & applica ſæpè. In majori duritie his nil proficientibus, applicant *Empl. de Spermat. Ceti, de Ranis Vig.* cum *Mercurio*, vel *Emplaſtr.* recens factum è *Gumm. Galban. Sagapen. Ammoniac. Opopanac. Bdell.* &c. cum *Cerâ, Spermat. Cet.* & *Camphorâ*, atque ita futuram forſan Inflamationẽ, Abſceſſumq; impediunt.

LACHRY-

LACHRYMALIS FISTVLA, vid. *Ægilops*.

LACHRYMATIO, vide *Epiphora*.

Lagophthalmia. **LAGOPHTHALMIA**, ſ. **OCVLVS LEPORINVS** eſt Palpebræ oculor. ſuperioris conformatio vitioſa, quâ illa retro nimis tracta Oculum ſemi-apertum etiam ſomni tempore relinquit. *Pars affecta.* Adeoque heic non inferior, ſed ſuperior tantùm Palpebra afficitur, atque ita retrahitur, ut paululum inverſa Oculum, quantumcunque claudatur, integrè obtegere nequeat.

Cauſæ. *Oritur* hoc malum vel ab ipsâ nativitate, malaque conformatione in Utero materno contractâ. Vel contingit ab Ulcere aut Vulnere malè curato; vel à pravâ etiam Puerorum conſuetudine, quâ ſæpius ſponte ſurſum reſpiciunt in cunis, palpebras invertunt, atque ita huic Affectioni petulanter aſſueſcunt. Nonnunquam acidum quoddam peregrinum, auſterumque ſal in membranas muſculoſas Palpebræ undecunque irruens, eaſdem ita adducit, adductaſque tenet, ut Palpebra hinc retracta, & velut inverſa præter Ægri voluntatem maneat: etiamſi enim hic Palpebram claudere niratur, minimè tamen hoc ob violentam illius retractionem poteſt. Quin ſæpè cutis tantùm Palpebræ ſive à ſpaſmodicâ fibrillarum vellicatione; ſive à cicatrice membranæ interioris poſt Vulnus aut Ulcus relictâ plus juſto adducitur.

Diagnoſis & Prognoſis. Quantum ad *Diagnoſin* & *Prognoſin* attinet, etiamſi deformitas hæc in conſpectum facilè prodeat, attamen rarò feliciter curari poteſt; ſi illud excipias malum, quod vel ab humoribus provenit auſteris, & ſpaſmodicè vellicantibus, vel à conſuetudine profectum eſt.

Curatio. Quæ itaque *Lagophthalmia* à malâ conformatione in Utero, vel à cicatrice quâdam originem trahit, ea *Curationem* omnem reſpuit. Si verò à malâ conſuetudine provenerit, tum continuè Infantibus aut Pueris linteum, vel quid aliud ſimile ita fronti circumvolvendum, ut per longum temporis ſpatium ſurſum reſpicere neutiquam amplius poſſint. Vel etiam tale linteum ita applicandum, ut ſimul Palpebras ſuperiores validè obtegat quoad dimidiam earum partem. Si ortum duxerit Affectus à ſalibus ſpaſmodicis & auſteris, tunc *internè* præbebuntur *antiſpaſmodica*, v. g. *Liqu. C. C. ſuccinatus*, *Tinct. Caſtor. cum Spirit. Salis armon. parat. Eſſent. Lignor. Pœon. Aquileg. Beton. Succin. Cinnabaris nativ.* vel ♁ *n. Ungul. Alc. ppt. Cran. human. ppt.* aliaque contra *Epilepſiam* atque *Convulſiones* ſuis locis commendata.

Externè eadem *ſpirituoſa Aquis Flor. Til. Calendul. Ulmar. Hierac. Fœnic. Chelidon. maj. Leviſtic. Portulac.* permiſta, additâ *Mucilagin. Semin. Pſyllii Aqu. Roſar. fact.* calidè cum linteis ſæpè applicanda ſunt. Quin *Linteum* vel *Goſſypium* ſolum calidiuſculè impoſitum Affectûs vehementiam mitigare vel tollere planè valet. *Laudantur*

dantur etiam *Balſama* quotidie inungenda ex *Axungiâ viperinâ*, *Unguento albo camphorat. Mucilagine Semin. Pſyll.* vel *Gumm. Tragac.cum Aqu.Ulmar. Hierac. Euphraſ. Fœnicul.fact. Oleo Acet. Succin. Rutæ*, *Roriſmarin. Anth. Meliſſ. Salviæ, Chamomill.* &c. Sed cavendo, ne quid ad ipſum Oculi bulbum decidat.

Laſſitudo corporis.

LASSITVDO eſt Symptoma actionum in omnibus corporis muſculis, voluntario motui deſtinatis iminuto, quarum quidem Homo citra manifeſtam cauſam ſeſe ita fatigatum perſentit, ut non niſi cum labore incedere, vel actiones laboreſque corporis præſtare valeat. Atque hæc *Spontanea.* Laſſitudo *ſpontanea* vocari ſolet, eo quòd ſponte obveniat citra labores aut exercitia corporis defatigantia; à quibus inducta *Laſſitudo non ſpontanea* nuncupatur.

Laſſitudo illa *ſpontanea*, etiam quietos aliâs Homines, moleſto quodam ſenſu, & velut doloris cujusdam, aut tenſionis partium motarum, excruciat ac torquet. Ac *Cauſa.* certè ejusmodi qualiscunque laſſitudo pro *cauſa proximâ* nihil agnoſcit aliud, quàm Spirituum animalium penuriam, aëriſque intra corporis fibras motrices, ac poros, vaſaque decurrentis inſufficientiam vel infirmitatem ad validè ſatis reſiſtendum ponderi, ac elaſticitati Atmoſphæræ, extus machinam corpoream prementis. Etenim in ſtatu naturali Virtus elaſtica aëris omnis intra corpus latitantis æquilibrare debet Aëri externo, ita quidem ut Homo ſub æquali utriusque Aëris in ſe invicem actione, preſſioneque, neutiquam Atmoſphæræ pondus atque Elaterem perſentiſcere valeat. Ex quo jam ſufficienter patere credimus, quod ea omnia, quæ Spiritus animales quomodocunque diſſipare, Aërisve interni quantitatem minuere, aut elaterem impedire valent, *Laſſitudinem* qualemcunque inducant. Et cùm tale quid non ſolùm in Febribus, ubi Humorum circulantium viſciditas Aëris interni elaſticitatem multum impedit, ſed & in pleriſque aliis Morbis internis contingat, *Laſſitudo* quoque comes eorundem ordinarius eſſe ſolet.

Laſſitudo hinc *ſpontanea* dividi *in ſpecies* varias conſuevit; eſt enim 1. *Differentiæ.* *Vlceroſa*, quæ in Cute universâ, muſculiſque ſubjectis punctionis cujuſdam, velut aciculis factæ, ſenſationem producit, inprimis ſi vel moveantur partes, vel eædem manuum digitis premantur aut tangantur validè. *Vlceroſa.* Oritur hæc à viſcido ſalſo-plus minus ſulphureo humore, capillaria vaſcula cum difficultate transeunte, atque in tranſitu dein ſpiculis ſuis pungente. 2. Eſt *Tenſiva* ſ. *Tenodes*, quæ *Tenſiva.* ſentitur circa articulos in ligamentis ac tendinibus, cum moleſtâ quadam expanſione; ac oritur plerunque à nimiâ ſanguinis abundantiâ in Venis & Arteriis. 3. Eſt *Phlegmonodes*, in *Phlegmonodes.* quâ præter fatigationis ſenſum, etiam levem quendam ardorem inquietantem in membris laſſis percipiunt, quemadmodum in Febribus evenit.

Pro-

Producitur verò non niſi ab æſtuante ſanguine per capillaria vaſa difficulter transeunte, ac inſimul in vicinis nervulis caloris præternaturalis ſenſum excitante. 4. Eſt *Contundens*, ὀστο-κόπος, profundius quaſi in Oſſibus percepta, quâ qui laborant, dicunt, ſibi membra velut per contuſionem rupta fractaque eſſe. Oritur hæc partim à Plethora, partim à ſanguinis viſciditate, craſſitie, & cacochymiâ, totam œconomiam Vaſorum pervadente, atque nervos undiquaque premente. 5. Tandem eſt *Hectica*, quæ non admodum laborioſa & moleſtiæ ſenſu prædita exiſtit, atque ſoli Spirituum animalium defectui, magis quàm humoribus moleſtè fatigantibus adſcribenda venit, hincque Senibus, Hecticis atque Emaciatis eſt familiaris.

'Οστοκόπος, ſ. contundens.

Prognoſis. Si *Prognoſin* examinas, Laſſitudo ſpontanea morbos prænunciat, juxta *Hippocratem in Aphoriſm.* ſcil. niſi præcaveamus. Laſſitudo maxima ſtatim in principio morborum inprimis febrilium affligens malignitatem atque periculum portendit.

Curatio. Quoad *Curationem*, Laſſitudo à *Plethorâ* proveniens tenſiva &c. *Venæſectione*, aut *Cucurbitulis cum Scarificatione* applicatis, nec non parciori Victu atque Jejunio curatur, hacque ipsâ ratione Morbi præcaventur.

Laſſitudo à *Cacochymiâ* ſeroſopituitosâ oborta *Vinum* requirit *medicatum purgans*, ex *aperientibus*, *blandè aromaticis* atque *Purgantibus* invicem mixtis, *Vinoq;* *Aquâ* diluto infuſis concinnatum, & quotidie mane potum, v. gr.

℞. *Radic. Calam. arom.*
Petaſit.
Meu ana ʒiij.
Herb. Meliſſ.
Veronic.
Beton.
Card. bened. ana Mj.
Flor. Calend. Geniſt. ana Mß.
Bacc. Laur.
Semin. Fœnic. ana ʒij.
Fol. Senn. opt. mund. ʒx. *vel* ℥iß.
Rhab. elect. ʒiiiß.
Agar. trochiſc. ʒiiß.
Spic. Indic. ʒiß.
Salis Cent. min. ʒj.

Inciſis, contuſis, ac in nodulo ligatis affunde
Vini albi veter. ℔iiiiß.
Aqu. Gramin. ℔iß.

Stent per noctem in loco tepido, poſtea quotidie mane unciæ quatuor plus minus hauriantur.

Vel loco Vini medicati etiam alia purgantia repetitis vicibus dari cum fructu egregio poſſunt, quemadmodum v. gr. ſequentia ſunt:

℞. *Pulveris laxativ. vegetabil.* ʒvj. *ad* ʒix.
Divid. in 9. doſ. æqu. ad ch. Quotidie mane, vel ſingulis alternis diebus mane doſis eſt ſumenda.

Vel ℞. *Panac. ſolut. alcalin. ſive Magneſiæ alb.* ℥iß.
Diagryd. gran. 12. 16. *ad* 24.
M. f. Pulv. ſubt. divid. in 12 *part. æqu. ad ch. Quotidie mane doſis capiatur cum tenui Emulſione Amygd. dulc. vel Infuſo fol. Theé.*

Vel

Vel ℞. *Maſſ. Pilul. marocoſt.* ʒj.
Emanuel. ʒß.
Reſin. Jalapp. ℈j.
Ol. ſtill. Roriſmar. gutt. 8. *plus minus.*
M. f. Pilulæ num. 100. *Conſperſ. Pulv. Cinamom. d. ad Scatul. Doſis quotidie ſeptem pluresve cum Infuſo fol. Thée.*

Vel ℞. *Diacyd. lucid.* ℥ß.
Aqu. Cinam. bugl. ʒj.
Gramin. vel
Fl Sambuc. q. ſ.
M. f. Potiuncula, d. ad Vitr. Sumatur pro doſi & repetatur ſingulis alternis diebus.

Vel ℞. *Syrup. de Cich. cum Rhab.* ℥iij.
Spin. cervin. ℥ij.
Aqu. Fœnic. ℥j.
Cinam. bugl. ʒß.
M. d. ad Vitr. Sumantur quotidie mane duo plurave cochlearia plena pro rei exigentiâ.

Hinc verò aut *Tinctura* ♁*n.* aut *Pulvis diaphoretico-diureticus* ex ♁*n. diaph. Ocul.* ♋. *C. C. phil. ppt. Seminib. Dauc. Napi*, *Naſturt. Fœnicul. Thlasp. Geniſt.* & *Radic. Aron. ppt.* compoſitus, aut *Infuſum Fol. Thée, Beton. Veron. Roriſmarin.* aut *Succolata Indorum* per aliquot dies pota proſunt; interea Victum tenuem uſurpando.

Laſſitudo ſpontanea ab *Humorum viſciditate* oriunda, poſt infuſum *Clysma emolliens* & *aperiens*, *Venæſectionem* quoque in tantillum Plethorico adminiſtratam, ſudorem unum alterumve eliciendum eſſe poſtulat, ad quem etiam in *Laconico* movendum *euporiſta ſudorifera* ex *Roob Sambuc. Juniper. Electuar. Diaſcord. Theriac. Androm. Mithridatio Damocrat. Elect. Orvietan.* &c. ♁*n. diaph. C. C. phil. ppt. Cum Aqu. ſtillatit. Cherefol. Flor. Sambuc. Scabioſ. Fumar. Card. bened. Scorzoner.* &c. in uſum vocari poſſunt.

Laſſitudines tandem in Morbis aliis perceptæ, ac ſignum præbentes imbecillitatis Virium, *analeptica* atque *cardiaca* indicant *Remedia*; idcirco *Juſcula conſumata Carnium*, & *Mixturæ cardiacæ* præſcribendæ veniunt: v. gr.

℞. *Aqu. Borrag. vel Ceraſ. nigr.*
Flor. Acac. vel Bugloſſ.
Roſar. vel Violar.
Meliſſ. ana ℥j.
Cinnamom. bugloſſ. ℥ß.
Syrup. Acetoſ. Citr. vel Rub. Id. ℥j.
Confect. Alkerm. ʒj.
Matr. perl. ppt. vel Marg. ppt.
Raſur. Ebor. ana ℈ij.
Elæoſacch. Citr. ʒiiß.
M. d. ad Vitr. Sumatur per Cochlearia.

LATERIS DOLOR PVNGITIVVS. Vid. *Pleuritis.*

LATERIS DOLOR RHEVMATICVS. Vid. *Dolor rheumaticus.*

LEPRA ARABVM. Vid. *Elephantiaſis Græcorum.*

LEPRA GRÆCORVM. Vid. *Elephantiaſis Arabum.*

Lentigo. LENTIGO, *Lenticula*, Græc. φακός, eſt Morbus cutaneus, quo Cutis Faciei, atque reliqui etiam corporis maculis ex fuſco flaveſcentibus, Lentis colorem, & magnitudinem referentibus ſine ullo dolore, tumore, vel aliâ quacunque moleſtiâ conſpurcatur. *Pars affecta.* Affectus utrique ſexui communis, ſed illis tamen plerunque familiaris, quibus rufi ſunt capilli; occupat verò Cutis tantùm extremam ſuperficiem Epidermide tectam, ipſamque ſimul cuticulam peregrino hocce colore inficit.

Diagnoſis. Facilè autem has Maculas à quibuſcunque aliis dignoſces; etenim magnitudine & colore Lentes referunt, majores tamen minoreſque evadunt, rotundæ ſunt, dolore & moleſtiâ carentes; utplurimum in facie, manibus, imò & in pectore brachiis atque cruribus effloreſcunt, reliquâ interim cute magnam partem candidiore exiſtente, quàm in aliis Hominibus, ſi Ruſticos excipias, quibus Cutis à perpetuis ſub Sole laboribus magis nigreſcit. Effloreſcunt ſine tumore, in nonnullis copioſæ, in aliis paucæ atque hinc inde diſperſæ. Partes verò, quæ Solis exponuntur radiis, faciliùs Lentigine infeſtantur. Hyberno tempore minùs ſnnt conſpicuæ maculæ, verno autem ſole denuò repullulant. Quibus polita Cutis, ac pili rufi, iiſdem plerunque ornantur.

Cauſæ. Obſcura videtur ratio productionis harum Macularum; quanquam enim certum ſit, nativam & Sanguinis, & Cutis diſpoſitionem certam ad illas excitandas requiri, dum v. g. inter plures Infantes ſub radiis ſolaribus frequenter circumcurrentes paucos videbis talibus Maculis defœdari, plures verò contrà denigrari: vix tamen determinare licet, in quonam præciſè illa peculiaris textura cutanea, ſingulariſque temperies ſanguinis conſiſtat. Si verò conjecturæ locus detur, veroſimile eſt, in Maſſâ humorali taliter affectorum Hominum plures reſidere particulas ſalino reſinoſas, quæ æſtivo tempore magis exagitatæ facilius ad extremos Cutis tubulos capillares deferuntur, atque inibi poſtea quoad craſſiores ſuas moleculas retinentur, à Solis calore exiccantur, inque ipſam Cuticulæ ſubſtantiam faceſſunt, tranſpirare ob craſſitiem neſciæ. Autumnali atque hyberno tempore tales particulæ propter externum Aëris calorem deficientem non ita ab aliarum particularum phlegmatico-ſalinarum conſortio liberantur & exiccantur, ſed miſcelam magis naturalem retinentes, Cuti colorem candidiorem conciliant. Solis verò calorem huc multum contribuere nemo facilè inficias ibit, qui vel leviter conſiderat, quomodo in Homine, ſub verno Sole nonnihil verſante, illiò Maculæ evidentiores redduntur. Cùm enim phlegmaticæ particulæ cum reſinoſis laxius cohærent, facilè ab extraneo calore aquoſæ & ſalino-volatiles evocantur, reliquis reſinoſo-craſſioribus ac terreſtrioribus retro manentibus, atque ita in ſubſtantiam Cuticulæ faceſſentibus, vel ſaltem per eandem

dem transparentibus, ſi ſubtus in filamentorum cutaneorum extremitate coagulatæ fuerint.

Progno-ſis. In *Prognoſi* tenendum, Maculas has propemodum indelebiles exiſtere; etenim naturale quid ſunt, à nativâ humorum temperie, atque certâ fibrarum Cutis diſpoſitione provenientes; jam expellas licèt naturam furcâ tamen usque recurret. Novimus interea, quibus eædem poſt quadrageſimum ætatis annum, ſponte mutatâ temperie, ſenſim per ſe diſparebant.

Curatio. In *Curatione* Infantes rufis donati capillis ſtudioſè ab uſu Aëris calidioris, ac nimis inſolati arcebuntur per totam Æſtatem, & ita præſervabuntur à fœdis hiſce Maculis. Vel ſi in aërem fervidum concedere debent, *Larvis* utantur *cereis*, à quibus ſaltem Facies munietur ab hoc Affectu; imò ſimiles quoque Chirotecæ manibus indutæ eundem effectum præſtabunt. Exercitia corporis validiora & ad ſudorem ſuſcitantia fugienda, quia ſudor à fervido aëre ſiccatus in corpore prædiſpoſito Maculas facilè, non ſecus atque in aliis nigredinem producit. In victûs ratione à craſſis, nimium ſalſis, acidis, ac fumo ſiccatis ſibi temperabit Lentiginoſus. Suo ordinario Potui immittat frequenter per æſtatem *Radic. Graminis, Filic. Vincetox. Virg. aur. Herb. Hepatic. nobil. Matriſylv. Bellid. min. Plantag. Pimpinell. Ulmar. Borragin. Agrimon.* Inter *Remedia pharmaceutica interna*, neſcio quid multum prodeſſe queat, niſi *Corallorum* vel ♁*nii Tinctura* cum *Aqu. Cichorii* & *Chelidonii majoris*, per plures hebdomadas aut menſes ſumta, aliquid præſtare valeat. Imò neque externa effectum crebrò laudatum habere obſervantur. Magis hinc palliativè per *Coſmetica* abſconduntur Lentigines, quàm curativè abiguntur. Quoniam tamen Virgines delicatiores ab hac deformitate liberari deſiderant, tentari quædam poterunt vel ſine corroſione, vel etiam cum corroſione maculatæ cutis Faciei. Sine corroſione ea notantur juvare, quæ coagulatos in Cute ſuccos reſolvere, diſſipareque, hinc verò etiam cutaneos adſtringere poros valent, ſicque impedire, quò minus nova ſuccorum ita coagulabilium materia denuò ſuccedere queat. Commendantur hinc *Ros mineralis* ſ. *Phlegma* 🜖*li*, *Spiritus Vini camphorat. Ol.* ♀*ri per deliq. Succi Pomor. Aurant. Citr. Limon.* item *Herbar. Acetoſ. Plantag. Betæ, Semperviv. Chelidon. Aquæ deſt. Nymph. Flor. Fabar. Lil. alb. Leucoji, Satyrion. Spermat. Ranar. Sigill. Salomon. Portulac. Card. bened. Vinum alb. Aquâ* ejusmodi dilutum, *Aqua itid.* è *Cochleis domiportis*, èque *Limacibus* &c. *deſtillat.* Quibus adde *Magiſter. Marcaſitæ, Mercurium ſublimatum dulcem, Sacch. Saturni, Camphor. Tincturam è Florib. Fabar. Lil. albor. Benzoin, Herb. Chelidon. Plantag. Trifol. fibrin. Roſis rubris, Cochleariâ, Beccabung.* &c. extractam. Ex quibus variæ formulæ pro illitu concinnari poſſunt. Sunt qui *Mercurium ſublimat. corroſ.* in ℈ij. vel ℈iij. *Aquæ Chelidon.*

Chelidon. ac *Roſar.* diſſolverunt, hacque ſolutione quotidie non ſine tutelâ Oculorum Maculas abluerunt. Alii pultem è *Semine Sinapi* cum *Aceto* contuſo adornant, atque *Ovorum album*en, *Sal armoniac.* vel *commune*, *Alumen ſciſſile*, *Phlegma* ☉*li*, *Camphoram*, *Mercur. dulcem* &c. permiſcent, & quotidie ſemel aut bis in hypocauſto calido illinunt, poſtque elapſas aliquot horas *Aquâ flor. Fabar.* aut *Sigill. Salomonis*, cum *Vino* permiſtâ iterum abluunt. *Antimonium* quoque *crudum* cum *Pomis Citri* conciſis & *Ovis apertis* in *Aquâ pluviali* probè coquunt, hâcque mixturâ ſæpius Lentigines eluunt. Aliis placet *Decoctum Mercurii vivi* in *Aquâ pluviatili* factum, ac deinceps *Aquæ Calcis vivæ* & *Phlegmati* ☉*li* permiſtum. Pro *cosmetico* ſequens valdè mihi probatum:

℞. *Unguent. roſat. vel pomat.* ℥j.
Mercur. præc. alb. ʒj.
Camphor. ℈j.
Magiſt. Marcaſ. ʒiß.
Ol. Amygd. dulc. rec. frigidè expr. ʒiß.

M. f. Unguentum, d. ad Ollam, pro inunctione quotidianâ, quam poſtea ſemper Vino & Aquâ ablues.

Sequens etiam *Emplaſtrum* ſuo non caret effectu laudabili:

℞. *Minii* ℥ß.
Fellis bubul. ſiccat. ʒij.
Radic. Sigill. Salom.
Aron.
Ireos flor.
Semin. Eruc. ana ʒj.
Mercur. præcip. alb. ʒij.
Axung. urſin. vel human.
Sapon. Venet. ana ℥ß.
Olei Roſar. vel Oliv. q. ſ.

Coque prius Oleum cum Minio, donec facta ſit hujus ſolutio, poſtmodum reliqua in ſubtilem pulverem redacta ſenſim admiſce, ac demum Camphoræ ʒj. *ſimul ſubige, donec Emplaſtri conſiſtentia emerſerit.*

Sequens *Decoctum* poteſt verno tempore ſingulis noctibus antequam cubitum itur, toti faciei calidè cum Linteis applicari:

℞. *Radic. Bryon. Cyclamin.*
Cucum. aſinin.
Aſphodeli ana ℥ß.
Herbar. Abſynth. Abroton.
Parietar.
Fol. Sabin. ana Mj.
Myrrh. elect.
Thuris maſc. ana ʒiß.
Borac. Venet. ʒj.

Inciſ. & contuſ. coqu. in ſ. q. Vini albi veter. In Colaturæ ℔iß. *diſſolve adhuc*

Succi rec. expr. Cochleariæ ℥ß.
Malor. Citr. ʒiij.
Chelid. min. ℥j.
Mell. roſac. ℥iß.
M. d. ad Vitr.

Vel loco decocti hujus Facies quotidie mane ac veſperi calidè lavari poteſt *Succo recenti Betulæ*, cui pro lubitu tantillum *Olei* ♀*ri per deliquium* miſceri poteſt.

Vel ℞. *Aqu. Sigill. Salom.*
fol. Piperitid.
Linariæ.
Leviſtic.
Fragor.

Aqu. deſt. Acet. Roris majal. aa. ℥ij.
Succi Limon.
Lapath. acut.
fol. Satyrion.
Alliariæ. ana ℥j.
Spirit. Vin. camph. ʒvj.
M. d. ad Vitr. & abluatur Facies ſæpius calidè.

Vel contunde *Radices Aronis*, atq; *Sigilli Salomonis* cum *Aqu. Sperm. Ranar.* & *Roſar.* in formam *Pultis*, quam dein Lentiginoſi Cuti inunge, & quotidie repete, ſic primò Cutis ſquamoſa & aſpera reddetur, poſtea autem nitida, glabra & lævis evadet.

Vel ℞. *Axung. Thymall. Piſc.* ℥j.
Olei ricinin.
Sinapin.
Amygd. amar. ana ʒij.
Camphor. ʒß.
M. d. ad Oll. Inungatur quotidie ſemel vel bis Facies, & abluatur dein Aqu. flor. Fabar. aliave cum Vino albo permixtâ.

Vel ℞. *Aceti Vini fortis* ℥iiij.
Lithargyr. ℥j.
Borac. Venet.
Myrrh. el.
Thuris maſc.
Cinam. opt. ana ʒj.
Inciſ. & contuſ. coque parum, hinc filtra per chartam emporeticam, & adde *Aqu. Fragor.* ℥iß.
Lil. alb.
Roſar. ana ℥j.
M. d. ad Vitr. & uſurpetur bis quotidie pro ablutione Faciei.

Verno appetente Sole *Emplaſtrum de Spermate Ranar.* ſingulis noctibus toti Faciei applicari poteſt.

LETHARGVS eſt continua & inexplebilis dormiendi neceſſitas cum Febri continuâ, rerum oblivione, ac Senſuum externorum hebetudine Hominem affligens, atque à ſeri viſcidi, vel etiam puris effuſione in hos illosve Cerebri anfractus, indeque compreſſis tubulis oriunda. *Lethargus.*

Pars affecta proin Cerebrum exiſtit cum ſuis anfractibus, in quos Glandulæ corticales penetrant. *Pars affecta.*

Cauſa proxima eſt maximè impeditus Spirituum animalium in Nervos influxus, à variis cauſis antecedentibus ortum trahens, videlicet vel à ſero viſcido per unum alterumve Vas lymphaticum ruptum effuſo, atque Glandulas admodum comprimente: vel à Pure è genito Abſceſſu effluente, ac ſimiliter baſin Cerebri premente: vel à Sanguine admodum diſſoluto, grumoſo, aut etiam valdè craſſo ac pituitoſo, ſpiritus animales in Glandulis cerebralibus minimè transmittente, aut ſaltem parciùs: vel denique à particulis auſtero-narcoticis, cum ſanguine ad Cerebri glandulas evectis, inibique poros ita ſtringentibus, ut particulæ ſpirituoſo-aereæ transcolari neutiquam vel parciſſimè poſſint. Solet autem hic Affectus plerunque Febrium & quidem malignarum, isque malè fidus eſſe comes. *Cauſa.*

Cognoſcitur Affectus hic ſoporoſus ex Febre præſente continuâ, ſopore gravi, à quo difficilius excitati Ægri ad interrogata, ob ſenſuum hebetudinem malè percepta & intellecta incongruè reſpondent, atque hinc *Diagnoſis.*

delirare

delirare dicuntur; ſed ſtatim in gravem relabuntur ſomnum, inque hoc ſæpè cum ſtertore reſpirant: Pulſus adeſt febrilis, nec adeo fortis; Senſus externi, internique torpent; Ægri externè laſſi ſunt; Urinas ſæpè & excrementa inſcii in lectum profluere permittunt; Urina Jumentorum inſtar excernitur.

Prognoſis. Si *Prognoſin* ſpectes, intra ſeptem dies plerunque moriuntur Ægri; hos verò ſi ſuperent, evadere ſani poſſunt, diſcuſſâ nimirum quaquaverſum materiâ morbificâ. Periculoſum inprimis, lethaleque Febrium malignarum ſymptoma exiſtit. Sudor frequens viſcidus, Tremor, Convulſio, Singultus ſi accedant, prodromi ſunt Mortis. Pulmoniâ, Paralyſi, Parotidibus Lethargo ſuccedentibus, ſi ſopor inde ceſſet, bonum, ſi non, propinquæ mortis eſt indicium. Hydropi Pectori, & Aſciti Lethargus ſuperveniens, intra triduum Ægros è medio tollere ſolet. Si Sanguiſuga fronti impoſita non hæreat, vel ſi pane & lardo frontem frices, quod dein Canis famelicus reſpuit, lethale quoque ſignum eſt.

Curatio. *Curatio* ad obſtructiones Cerebri qualeſcunque in hoc Affectu expediendas eſt dirigenda. Si Febris adſit maligna, eaque jam circa ſtatum & vigorem fuerit, neque *Venæſectio*, neque *Purgantia*, neque etiam *Clyſmata* tum proderunt *acria*. Sed ſola *Clyſmata emollientia* & *abſtergentia* ſemel aut bis infundi poſſunt. Hinc *Veſicatoria* Nuchæ & utrique Brachio applicentur. Capiti verò in Vertice raſo *Columba per medium ſecta*, & *calida* adhuc ad aliquot horas applicetur. Poſtmodum eidem Vertici frequenter imponere poſſumus *Lintea Spiritui Lumbr. terreſtr. Salis armoniac. urinoſ. C. C.* aut ſimili *Volatili* immerſa. *Eſſentia* quoque *Caſtorei* admiſceri poterit. Vel *Sacculos* ex *Herbis aromatic. cephalicis*, *naſturcinis*, *Sabinâ*, *Rutâ*, *Perſicariâ*, in *Vino* decoctos calidè imponere ſæpius licet. Admittimus autem *Venæſectionem* in *Fronte*, *Cucurbitulas cum ſcarificatione*, *Sanguiſugas*, &c. Nec non *Suppoſitoria* ano intrudenda. *Pili*, *Pennæ crematæ*, *Caſtoreum*, *Spiritus volatiles*, *Aſa fœtida* Naribus admovenda.

Internè reliquis medicamentis, ſi morbus alius adſuerit, miſceri, vel per ſe uſurpari debent *Tinctura* v. gr. *Caſtor. cum Spirit. Sal. armoniac. parat. Liquor. C. C. ſuccinatus*, *Spirit. Sal. arm. urinoſ. Spirit. Volatilis Viperar. C. C.* &c. *Salia* item *volatilia* earundem rerum, *Cinnabaris nativa*, *Bezoard. mineral.* cum *Aqu. Verben. Cochlear. Trifol. fibrin.* His adde omnia in Comate ſomnolento, & Caro commendata.

LEVCOMA. Vid. *Albugo.*

Lienis inflammatio. LIENIS INFLAMMATIO, SPLENITIS eſt Tumor Lienis cum dolore pungitivo, pulſativo & ardente conjunctus, atque à ſtagnatione ſanguinis craſſi, viſcidi, aut Lymphæ etiam acris ac tenacis in Glandulis tubuliſque capillaribus progenitus.

Diverſitas ab aliis. *Differt* ab *Hepatitide* ſ. Inflammatione Hepatis non niſi Parte affectâ. In modo autem generationis, Diagnoſi, Prognoſi & Curâ coincidunt, adeo ut, cùm hæc inde peti poſſint, nihil attineat eadem heic repetere.

Lienis Scirrhus. LIENIS SCIRRHVS eſt Tumor durus, ac indolens, vel parum duntaxat dolens, à Glandulis lienalibus obſtructis atque duriter intumefactis per ſtagnantem Lympham ſpiſſo-viſcidam oriundus.

Cauſæ. *Gignitur* autem, quandocunque Acidum quoddam auſterum in maſſâ ſanguineâ circumcurrens, ejus ſerum inviſcat, atque ad ſtagnationem facilem usque adeo proclive reddit, ut hinc in tubulis Glandularum atque Veſicularum ſplenicarum plusquam capillaribus obhæreſcat, ſicque paulatim novarum particularum acceſſione augmentum capiat, tandemque tumorem Lienis ſive per totum Viſcus æqualem, ſive inæqualem producat. *Cauſæ antecedentes* eædem ſunt cum illis in Scirrho recenſitis. Inprimis autem è procatarcticis huc contribuunt v. g. *Triſtitia*, *Melancholia*, uſus *Ciborum dyspeptorum*, *Animi* frequentes *curæ*, *anxiæ* ſollicitudines, *acida & auſtera*, nec non *ſalſa*, ſive in Cibis ſive in Potu crebrò aſſumpta, Vita ſedentaria, Somnus protractior. Febres quartanæ prægreſſæ, Temperies vel Cacochymia ſanguinis acidofixa, Alvi obſtructiones.

Diagnoſis. *Dignoſcitur* Affectus, ſi in ſiniſtro Hypochondrio infra coſtas nothas Abdominis, quod aliis locis minùs tumidum aut durum eſt, durities nonnihil oblonga valdeque dura percipitur, ita ut applicatâ manu lapidem ferè tangere videaris. Quo ipſo ſigno à Tumore Lienis ſimplici & molliori minusque ſcirrhoſo, vel etiam ab ejusdem, ſi modò quæ obſervata unquam fuit, Inflatione tendente, ac digitorum attactui cedente diſcerni facilè poteſt. Scirrhus verò in principio minor atque indolens ferè eſt; in progreſſu autem ſenſim major evadit, atque dolorem gravativum, moleſtum etiam hunc producere ſolet. Forſan & ſic in *Cancrum* degenerare poſſet, ſi obſtruens Lienis pituita, è Sanguinis intemperie corroſivâ acrimoniam exedentem, ſive particulas acutiſſimas pungentes atque ſcindentes adquiſiverit. Aliàs verò talis Scirrhus cum aliis vehementibus ſymptomatibus minùs conjunctus eſt, quin plerunque Æger ſimul appetere, digerere & egerere valet, Scirrhumque per plures admodum annos citra aliam noxam circumferre.

In *Prognoſi* dicendum venit, quòd rarum ſit, talem Scirrhum in Cancrum degenerare. Diuturnus verò eſt Morbus, atque ſi longius jam duraverit, inque lapideam duritiem converſus fuerit, prorſus immedicabilis exiſtit. Quin poſt brevius vel longius temporis intervallum, inviſcatâ nimis maſſâ humorali Febrem lentam, ſ. hecticam, Atrophiam, Cachexiam, atque Hydropem Aſcitem poſt ſe trahere poteſt. *Prognoſis*

In *Curatione* hujus Tumoris ea prorſus, *Curatio.*

prorſus, quæ in Scirrho in genere indicantur, facienda ſunt. Emolliendus nimirum tumor atque diſcutiendus per aperientia, volatiliſantia atque incidentia interna, externaque. *Internè* ante omnia *Purgans mercuriale* dabitur, vel *Vinum medicatum aperitivum*, v. g. in Adultis:

℞. *Extract. panchymag. Croll. vel*
Pilular. coch. ℥j.
Helleb. nigr. ʒß.
Reſin. Jalapp. ℈j.
Myrrh. elect. gr. xv.
Cinnab. nat. opt. ℈ij.
Ol. ſtillat. Garyoph. gutt. iij.
Rutæ q. ſ.

M. f. l. a. Pilulæ num. LXXXIV. Inaur. d' adſcatul. Sumantur ſingulis quatriduis, vel ſemel in ſeptimâ duodecim pro doſi, cum ℈j. *Cremoris Tartari.*

℞. *Radic. Apii, Scrophular.*
Vincetox.
Chelidon. major. ana ʒij.
Herb. Cuſcut.
Hepat. nobil.
Verben. ana Mj.
Summit. Abſynth. Mß.
Fol. Sabin. ℥ß.
Semin. Dauc.
Aquileg. ana ʒij.
Fol. Senn. mundat. ℥j.
Radic. Helleb. nigr.
Rhabarb. elect. ana ℥ß.
Salis Artemiſ.
Cortic. Winteran. ana ʒj.
Limat. Chalyb. in nodul. ligat. ℥ß.

Inciſ. & contuſ. inſuantur Nodulo ex Sindone rubr. cui affunde primò libras duas, Aquæ ferventis, &, poſtquam hæc refrixit, libras tres vel menſuram integram Vini albi veteris; ſtent per noctem in loco tepido, ſequenti mane in Cellam repone, & quotidie mane ℥iv. *exhauriendas Ægro propina.*

Dein intus *Tinctura Martis helleborata Wedelii*, vel *Tinctura Mart. aperitiva Zwelferi* commendatur, quotidie bis doſi 20. aut 30. *guttarum* cum *Aqu. Chelidoniæ maj.* capienda. Nobis placet ſequens maximè *Tinctura aperiens:*

℞. *Radic. Scrophular.*
Aſclepiad.
Sigill. Salomon.
Apii ſelin. rec. ana ʒiij.
Herb. Chelidon. maj.
Naſturt. aquatic.
Ariſtoloch. rotund. ver.
Verben. ana Mß.
Fol. Sabin. ℥ß.
Flor. Calendul.
Geniſt. ana Pij.
Semin. Fœnicul.
Dauc. ana ʒj.
Naſturt. ʒij.
Myrrh. elect. ℥ß.
Aloës ſuccotrin. ℥iß.

Inciſ. & contuſ. affund. Spirit. Vin. tartariſ. q. ſ. ad ſupereminent. 4. digitor. Stent per aliquot dies in digeſtione, poſtmodum colaturam cum aliquali expreſſione factam ad 40. guttas quotidie bis exhibe.

Conducunt quoque *Eſſentia Zedoar. Spirit. aperitivus Penoti, Tinctura* ♄*n. Spirit. Sal. armon. oleoſus* diu admodũ uſurpatus. Quanquã & *Pulveres* ſæpius maximopere aperiant, quales

in

in hoc caſu concinnari poſſunt è *Radice Sigilli Salomon.* ſola ad ʒj. quotidie bis cum *Juſculo* datâ. E *diaphoretico ♂ial. ♃vial. Specif. ſtomach. Poterii*, *Lumbr. terr. ppt. Croc. Mart. aperit.* ⊖*lo Mart. Magiſt.* ♁*n. diaphor. Radic. Scrophular. Chelidon. maj. Semin. Naſturt. Apii, Cochlear. Ocul.* ♋. *ppt. Sale volat.* C. C. vel *Viperar. Milleped. ppt. Ægagropil.* &c.

Externè præter *Oleum Capparum, Lacertarum, Scorpion. Matthiol. laurinum, Juniper. Laterum*, conveniunt *Cataplasmata* ex *Herb. recentibus Verbenæ*, *Ariſtoloch. Sabinæ*, *Rutæ*, *Perſicar.* &c. cum *Cepis*, *Alliis*, *Farinâ Fabar.* & *Albumine Ovorum* invicem contuſis facta, atque ſingulis noctibus ſemel impoſita. Alii laudant quoque *Emplaſtr. de Baccis Lauri*, item *Santalin.* de *Ranis Vigon.* cum *Mercur.*

Lienis Tumor.

LIENIS TVMOR eſt morbus auctæ magnitudinis, quo Lien præternaturaliter excreſcit in molem non admodum duram, ortus ab humoribus qualibuscunque ſtagnantibus, & coacervatis. Ad hunc Affectum Scirrhus incipiens, Cancer, Inflammatio, atque Inflatio referri poſſunt, ſed heic illas Tumoris ſplenici ſpecies intelligimus, quæ à Pituitoſo humore citra duritiem oriuntur.

Cauſa.

Atque illarum *Cauſam proximam* ſtatuimus Obſtructionem, quam parit ſerum craſſum, viſcidum, pituitoſum in glandulis atque tubulis ſplenicis ſubſiſtens, ſtagnans, paulatimque cumulatum. Defertur autem illud ex Maſſâ ſanguineâ, quæ tale ſerum viſcoſum, minusque acre paulatim ſive à morbis prægreſſis diuturnis, à quibus flos ſanguinis maximè depaſtus eſt, adquiſivit.

Diagnoſis.

Quoad *Diagnoſin* & *Prognoſin*, cognoſcitur hic Tumor è loco affecto, ſub coſtis nothis ſiniſtri lateris ſ. hypochondrii. Indolens, vel parum dolens eſt, nec exceſſivè durus ſicut in Scirrho, nec tenſus velut in Inflatione, nec pungitivo, & pulſante dolore moleſtus ſicut in Abſceſſu & Inflammatione. Præterea Morbus eſt non ita gravis aut periculoſus, ſi benè ac citò curationi ſubmittatur, bonaque ab Ægro diæta obſervetur. Si verò negligatur atque obſtructionibus tenacioribus tempus concedatur, tum verò in *Scirrhum* facilè degenerat.

Curatio.

In *Curatione* purgandum ante omnia ſicut in Scirrho, imò reliqua etiam in hoc ipſo Affectu laudata remedia heic longè facilius operantur.

Lienis obſtructio.

LIENIS OBSTRVCTIO eſt Canaliculorum ejusdem partis ſive ſanguineorum, ſive lymphaticorum, plerunque tamen vaſculorum capillarium, aut etiam Glandularum infarctus, ab humore acido, auſtero, pituitoſo-lento, vel ſanguineo productus. Hinc quoque pro cauſarum ſ. humorum obſtruentium diverſitate varia nomina ſortitur; *Inflammationem* enim nuncupant, ſi ſanguis ſtagnet craſſior in capillaribus tubulis: *Tumorem pituitoſum* vel *ſcirrhoſum* dicunt, quando ſerum ſ. pituita ſubſiſtit:

Cancro-

Cancroſum, ſi ichor corroſivus tubulos erodat atque dilaceret. Usque adeò ut diagnoſis, prognoſis, atque cura Obſtructionum ex iisdem Affectibus petenda ſit.

Lienis inflatio LIENIS INFLATIO, eſt moleſtia ſ. dolor nonnihil tenſivus in ſiniſtro Hypochondrio quandoq; cum Abdominis expanſione aliquali perceptus; atque à flatibus non in Liene ipſo, ſed in illâ potius Inteſtini Coli cellulâ, quæ Lieni eſt proxima, ac ligamenti ope eidem propè conjuncta exiſtit, collectis oriundus, ſæpius, ubi occluduntur flatus, ſpasmodicam ac flatulentam Colicam poſt ſe trahens. Usque adeo ut perperam Lieni adſcribatur talis Inflatio, ſed potius referenda ſit ad Inteſtinorum morbos, & *Flatus Abdominis*, de quibus ſuo jam actum eſt loco, niſi velimus dicere, flatum in Omenti duplicaturâ Lieni alligatâ colligi, talemque Inflationem ſplenicam mentiri poſſe, de quo tamen altum adhuc apud Practicos ſilentium eſt.

Lienis dolor. LIENIS DOLOR eſt triſtis membranarum ſenſibilium Affectio, oriunda à violentâ quadam Ventriculi atque Inteſtinorum concuſſione, per equitationem vel curſum nimium inprimis poſt paſtum excitatâ. Et hic certè eſt dolor, qui, cùm in ſiniſtro maximè Hypochondrio equitantibus obtingit, *Lienis* ipſius dolorem mentitur, imò à Plebe pro eodem habetur. Dolor verò, qui in ipſo *Liene* quandoque occurrit, non niſi Symptoma eſt alicujus in illo viſcere Morbi, neque peculiarem Curationem atque analyſin requirit, cùm non proveniat niſi à cauſæ morbificæ acrimoniâ diverſâ, fibras membranarum ſplenicarum ſenſibiles rodente atque vellicante.

Quod verò attinet communiter ſic à Plebe dictum Splenis Dolorem, eundem arbitramur unicè adſcribendum eſſe variis extenſionibus violentis membranarum, Inteſtinum Colon ad latera intus Viſceribus alligantium: etenim ſi quis benè paſtus eſt, tum Inteſtinorum ejus canalis partim à flatibus, partim à cibis fluidioribus diſtenditur; ſi dein vel motus corporis admodum vehemens; vel violenta magis aut durior equitatio ſuccedat, non poſſunt non Viſcera Abdominis valdè concuti, inque hac concuſſione membranas Inteſtinorum maximè tendere, lacerare, aut etiam contenta Inteſtinorum ad validam eorum expanſionem compellere. Cujus rei veritatem vel ipſa manifeſtat *Cauſa.*

Curatio, eaque facilis, ſi enim vel Abdomen fortiter comprimas, compreſſumque teneas, aut validâ admodum faſciâ ſtringas, ita ut à motu corporis Viſcera tantopere concuti nequeant, Dolor ille vel non accedit, vel ſtatim mitigatur & remittit. Quod idem accidit, ſi poſt paſtum à violento tali motu deſiſtit Homo, qui aliâs etiam non ſentiet dolorem, ſicubi ſua ante motum Inteſtina probè per Alvum exoneraverit, atque ita canalem Inteſtinorum minùs diſtentum habuerit. *Curatio.*

Lienteria. LIENTERIA eſt Morbus Ventriculi, quo Cibi crudi & indigeſti ad Inteſtina amandantur, atque per alvum rejiciuntur. Affectus Pueris voracibus magis quàm Adultis eſt familiaris, & reverâ pro *Parte affectâ* agnoſcit ipſius Ventriculi plexus fibroſos.

Cauſa. *Cauſa proxima* eſt fortis admodum & continua actio fibrarum Stomachi circularium, quâ aſſumti atque degluti ciborum boli minimè retinentur, ſed, antequam diſſolvi poſſint, per Pylorum aſſiduè laxum atque debilem ejiciuntur in Duodenum, continuatoque hinc motu periſtaltico jugiter ad Alvum protruduntur. *Antecedens* ergo cauſa eſt, quicquid fibras ſtomachi muſculoſas, ad ejusmodi excretivum motum irritare valet; quod quidem faciunt tum Cibi nimiâ quantitate ingeſti, tum acre aliquid blandum ſpasmodicū, quemadmodum tale poſt Dyſenteriam, in quâ abraſus eſt omnis ferè Stomachi ac Inteſtinorum mucus, vel poſt Affectum cœliacū ſæpè relinquitur. Adde his Ventriculi tunicas debiles, & *Liquorem* gaſtricum vel paucum admodum, vel inertem, quàm ut cibos aſſumtos diſſolvere queat. Hinc plerunque poſt eorum ingeſtionem gravitatis ſenſus in Ventriculo perſentitur, eousque durans, donec tonus ejusdem perfectè reſtitutus, menſtruumque ad priſtinum vigorem reductum fuerit.

Diagnoſis. Malum hoc facilè cognoſcitur ex inſpectione fœcum alvinarum, in quibus deprehendere licet inconcoctos vel indiſſolutos ciborum bolos, eâ figurâ formaque comparentes, quâ aſſumti fuerunt, adeoque haud difficulter cognoſcibiles. Sed inſimul ſemper gravitas Stomachi poſt paſtum ſentitur, rugitus in Inteſtinis percipiuntur, ac intra tres quatuorve horas ſæpius Cibi ingeſti per alvum redduntur. Appetitus utplurimum adeſt ſatis bonus; ſitis quandoque urget, non autem ſemper. Somnus inquietus, interdum Ægri aliquantillum ſimul febricitant.

Affectus ad Tabem deducit, ſi fibrarum ſtomachicarum tonus nimiopere eſt labefactatus, ita ut difficulter retineant, quicquid aſſumtum eſt. Dyſenteriæ autem vel Cœliacæ paſſioni ſuccedens ad decem ſæpius, pluresve dies durat. *Prognoſis.*

Quoad *Curationem*, ſi iners eſt menſtruum ſtomachicum propter ſaburram cruditatum, Ventriculi glandulas plicasque nimis obducentium, tunc *Purgans* præſcribi poteſt, vel per ſuperiora expellens, vel per inferiora educens; ubi, quæ è *Rhabarbari* ſubſtantiâ, vel ex *ejusdem* cum *Myrobolanis* infuſo parantur, non ſunt contemnenda, quibus tamen præparantia è *Cremore* 🜿*ri*, *Tartaro vitriolato*, *Sale Abſynth. Card. bened.* ſunt præmittenda. Vel ſi malint Ægri liquorem, ordinari poterit *Tinctura* ♁*nii*, vel *Mart. aperitiv.* cum *Eſſentiâ Zedoar. Abſynth. Card. bened.* & *Aqu. Cinamom.* cum *Vino* paratâ: *Curatio.*

℞. *Arcan. dupl.* ℈j.
Crem. 🜿*ri.*
🜿*ri* ⊖*lat*, *ana* ℈ß.
M. f. Pulv.

M. f. Pulv. ſubt. div. in 2. part. æqu. ad ch. mane & veſp. capiendas.

Vel ℞. *Elix. propr. Claud.* ʒiß.
Tinct. ♁ *n.* ℈ij.

M. d. ad Vitr. Hinc mane ac veſperi gutt. 25. capiantur.

℞. *Rhab. elect.* ℈iiß.
Scamm. 🜍*rat. gr.* iij.
Crem. 🜿*ri gr.* vj.
Ol. ſtill. Mac. gutt. ij.

M. f. Pulv. ſubt. d. ad ch. ſumatur unâ vice cum regimine diætæ.

Poſt præparans atque purgans ea conveniunt, quæ extus & intus fibras Stomachi roborare, priſtinoque ſuo tono reſtituere valent; qualia ſunt ex *Cinamom. Nuc. moſch. Radic. Zedoar. Specif. ſtomach. Poter. Pulver. ſtomach. Birckm. Radic. Aron. Ireos florent. Calam. aromatic. Zingibere cocto, Diaph.* ♂*ial.* & ſimilibus parata, *Saccharoq;* pro lubitu edulcorata; quæ ſub formâ *Pulverum* maximè poſſunt exhiberi, mane ac veſperi.

℞. *Spec. arom. roſ.*
Radic. Biſtort. ana ʒj.
Nuc. moſch. ʒß.
Pulv. ſtom. Birckm. ʒij.
Specif. ſtom. Pot. ʒiß.
Naſturt.
Semin. Aniſ. ana ʒj.
Sacch. alb. ℥iß.

M. f. Pulv. ſubt. d. ad ſcat. Doſis m. ac veſp. ʒj. *ad* ʒiß.

Vel *Elixir* quoddam *ſtomachicum* ex ſimilibus *Vegetabilibus aromaticis* cum *Spiritu Vini* paratum & guttatim exhibitum valet.

℞. *Elix. propr. ſ. acid.*
Eſſent. Abſynth. ana ʒiß.
Zedoar. ʒj.

M. d. ad Vitr. Doſis man. & veſp. gutt. 25. cum Aqu. Fœnic. vel aliâ.

Imò *Ros Solis*, ſimilesque *Liquores aromatici* ſpirituoſi, cochleatim poſt paſtum ſumti, magni heic uſus eſſe poſſunt in Adultis: apud Infantes autem guttatim tantùm ſimiles proſunt Liquores. *Externè* Stomachi regio inungenda eſt *Balſamo* quodam è *Nucis moſchatæ Oleo expreſſ. Balſamo Peruviano, Oleis ſtillatitiis Carvi, Cumini, Rutæ, Aniſi, Macis, Piperis, Fœniculi.*

℞. *Balſam. Indic.* ʒij.
Spir. Ceraſ. nigr. vel Anth. q. ſ.

Diſſolve invicem & Stomacho ſæpius inunge.

Vel ℞. *Unguent. Pomat.* ʒij.
Ol. Nuciſt. expr. ʒiß.
deſtill. Mac.
Fœnic.
Carv. ana ℈ß.
Balſ. Peruv. ℈ij.

M. d. ad Oll. pro inungendo ſtomacho.

Vel obtegi poteſt *Emplaſtro Norimbergenſi*, quod prius illiniri poteſt aliquo talium Oleorum aromaticorum.

Lienteria poſt Dyſenteriam vel Cœliacum fluxum omnia reſpuit *Purgantia*, ſed è contrario hactenus laudata roborantia maximè requirit.

LINGUÆ ARIDITAS vel SICCITAS eſt Morbus ſuperficiei, quo Lingua, naturaliter humida, mollis, lubricaque exiſtens, ſicca, arida imò & ſcabra aſperaque redditur. Hinc *Aſperitas* & Scabrities ipſi Sicci- *Linguæ ſiccitas.*

tati plerunque conjungitur, ſaltem in continuis & ardentibas Febribus.

Cauſa. *Gignitur* hæc Siccitas ſimul & Aſperitudo à Lymphæ ſalivalis defectu, quem Seri ſanguinei præternaturalis craſſities atque viſciditas producit, oriunda à crudo chylo paulatim in Sanguinis maſſâ cumulato, qui Chylus acido auſtero ſale ab erroribus Diætæ ſuppeditato multum pollet. Hinc in Febribus ardentibus aliisve ſymptoma eſt non infrequens, in quibus nempe propter dictam ſeri viſciditatem, vel auſteram acrimoniam, Glandulæ oris ac Faucium penè omnes vel obſtruuntur, vel aliter etiam viſcidas ſeri particulas transcolare nequeunt.

Diagnoſis. Ex viſu hic Affectus cognoſcitur, ac certè in Febricitantibus inſpici Lingua debet ſtudioſè, quo ex Salivæ majore minoreve defectu Medicus adcuratè ſtatum ſanguinis viſcidiorem aut tenuiorem dignoſcere valeat. Dum autem ſicca eſt valdè Lingua, etiam inſtar fruſti lignei nonnihil dura evadit, aſpera quoque ac ſæpè ſcabra fiſſaque: ſed inſimul in hoc ſtatu primùm quidem albâ, dein verò ſenſim nigreſcente pelle pituitoſâ obducitur, ipſamque non parum loquelam offendit.

Prognoſis. In *Prognoſi* diſtinguenda venit Linguæ *ariditas*, alia enim *lenis* eſt, eaque in mitioribus Febribus contingens tanti non eſt momenti, quia facilè reſtitutâ Salivæ fluidioris ſecretione tollitur. Alia *gravior*, cum ipſius Linguæ duritie, ſcabritie & nigritie; quæ certè in malignis obſervata Febribus Anginam poſt ſe trahere ſolet, Fauciumque Inflammationem periculoſam; & ſic inter ſigna deleteria numerari debet.

Curatio. Quoad *Curationem*, Lymphæ ſanguineæ fluiditas eſt reſtituenda, atque Lingua ſimul ab aridâ, ſi quæ adeſt, pelliculâ liberanda, hinc verò remediis topicis emollienda, atque lubricanda, quibus ipſismet remediis ſimul Glandulæ ſalivales irritantur, ad lympham denuò exſpuendam. Priori indicationi ſatisfaciunt in Febribus ardentibus omnia *alexipharmaca* ac *diaphoretica* potentia, ſuo jam loco deſcripta: in aliis autem Febribus continuis lentis vel benignioribus potus frequentes *Liquorum calidorum* v. g. ex *Infuſo folior. Thée, Veronic. Naſturt. aquatic. Scabioſ. Succiſ. Hepat. nobil.* &c. paratorum conveniunt, quibus adde *Aquas deſtillatas Card. bened. Cherefol. Naſturt. Beccabung. Cochlear. Apii ſelin. Scabioſ. Fumar. Flor. Sambuc. Scorzoner.* & alia quoque *antifebrilia* ſub formâ *Pulverum*. Sæpè cruditates bilioſæ ſtomachum adhuc replent, ſuisque exhalationibus acribus, præter inductam aliâs ſeri ſanguinei tenacitatem, adhuc Linguæ ſuperficiem dolorificè laceſſunt, non ſine nauſeâ ac vomendi conatu, orisque amaritudine. Iſtas cruditates ſive in Febribus ſive extra illas, exhibito quodam *vomitorio* per ſuperiora evacuabis; ſed poſtea ſtatim *Elixiri ſtomachico amaro* tonum Ventriculi cum ipſo ſimul appetitu reſtituere non intermittes.

Externè proſunt elotiones oris cum

cum *Aquâ* & *Aceto*, cui pro lubitu *Malvam*, *Althæam*, *Flores Liguſtri*, *Fumariam*, *Scabioſam*, *Naſturtium*, *Salviam* &c. prius incoques. *Mucilago ſeminis Cydonior. Pſyll.* aut *Gummi Tragac. Aqu.Roſar.* vel *Plantag.* extracta, hinc *Syrup. Violar. Capillor.* ♀ *r. Nymph. Granat. acidor. Citri* &c. ſociata frequenter lambatur. *Folia Sempervivi majoris* epidermide liberata, nec non *Cochleariæ*, *Naſturtii* ſæpius maſticentur; ſunt qui etiam *Maſtichis grana* vel *Cinamomi*, *Xyloaloës*, imò & *Nicotianæ fruſtilla* maſticant ſucceſſu non contemnendo. Si pelliculâ obductam videas Linguam *Aceto* & *Aquâ* invicem calefactis priùs emollies, ac demum raſorio auferes inſtrumento. In hunc finem alii pro emollitione atque deterſione utuntur *Butyro recenti*, cui multum *Nitri præparati* permiſcuerunt: quin ipſum hoc ceu *Sal prunellæ Aquâ ſolutum* ſub calidâ Oris elotione pelliculam incidit, facilè hinc abſtergendam. *Rapæ recentes* maſticatæ ſæpius egregiè ſiccitatem corrigunt. Abſterſa Lingua promtè ſanatur *Mucilagine Semin. Cydonior.* cum *Melle roſaceo* permiſtâ, ſi interdum lambatur; atque hæc ſingula remedia ipſas quoque *Linguæ Fiſſuras*, non niſi à maximâ ſiccitate oriundas, curare & perſanare conſueverunt.

Linguæ tumor.

LINGVÆ TVMOR eſt Linguæ magnitudo præternaturaliter aucta, Loquelam, & alias Linguæ functiones offendens.

Differentia & Cauſa.

Pro cauſarum varietate duplex hic Tumor exiſtit, unus *ſeroſus*, alter verò *ſanguineus* ac *inflammatorius*; quorum ille à Sero pituitoſo, viſcido, in variis tubulis Linguæ coacervato atque coagulato, oboritur, illiusque partis inæqualem ſæpè magnitudinem producit, quemadmodum hujus rei exemplum notabile Ann. 1696. in Ditione Baſilienſi vidimus, in quâ Civis quidam Lucisvallenſis Oppidi ſuam mihi monſtravit Linguam, præternaturaliter, tamen non per omnia æqualiter tumentem, verùm hinc inde eminentias, quatuor vel quinque duras, ſcirrhoſas ferè, cuti reliquæ ipſius Linguæ concolores, neq; dolentes, ſed Loquelam aliquantum, plus verò Maſticationis opus moleſtantes, habentẽ; quarũ aliquæ Juglandis Nucis molem excedebant. Affectus uti tardius apud Hominem gignebatur, ita lentè quoque, ſed feliciter tandem diſcutiebatur remediis infra deſcribendis. Ex eodem verò didicimus, glanduloſos fuiſſe illos Tumores, qui partim anteriorem, partim laterales Linguæ partes occupârunt, partim in ejuſdem medio ſeſe conſpiciendos præbuerunt. Aliâs Hydrargyroſis, eſus quoque Fungorum venenatorum tales etiam Tumores gignit.

Inflammatorius Tumor à Sanguine in vaſculis pluribus capillaribus obſtructis cumulato provenit, eandemque ſic geneſin ſortitur cum Angina; ſed dolorem ardentem atque pulſatorium comitem habet, non ſecus ac Febrim, Anorexiam, Sitim, maſticandi, deglutiendique difficultatem, ſi ſci-

ſi ſcilicet Inflammatio grandior fuerit; Levis enim illa particulam ſolùm Linguæ occupans tanti momenti non eſt, ac plerunque ſine remediorum uſu diſcutitur à Naturâ.

Curatio. Quoad *Curationem*, in Tumore ſeroſo ab Hydrargyroſi orto Mercurii dulcis uſus vitandus. *Infuſum* autem *purgans* è *Foliis Senæ* ac *Rhabarbari* eſt propinandum, illudque etiam, ni fortius purgaverit, aliquoties alternis diebus repetendum. Interea ſequenti *Gargariſmate* os ſæpius eluendum:

℞. *Radic. Pentaphyll.*
Alth. ana ℥ij.
Pyrethr. ℥j.
Fol. Salviæ.
Rubi ſylveſtr.
Flor. Malv. arb.
Liguſtr. ana Mß.
Semin. Fœnicul.
Agaric. alb. ana ℥j.
Inciſ. & contuſ. coque in
Aqu. fontan. ℔ij. *ad tert. part. conſ.*
Colaturæ add. Roob Dianuc.
Mellis roſac. ana ℥j.
Nitri purific. ℥j.
M. d. ad Vitr.

Tumorũ glanduloſorum. In Tumoribus glandulosis præter *Hydrargyroſin* dabis *Pilulas purgantes* bis vel ter cum *Mercurio dulci*. Interea ſequenti *decocto* ſupra dictum Ægrum frequentiſſimè ſuum Os colluere juſſi, imò illud aliquandiu in ore teneri ab ipſo volui:

℞. *Radic. Ireos florentin.*
Aron.
Sigill. Salomon.
Cepar. ana ℥ß.
Fol. Sabin. ℥iij.
Ariſtoloch. rotund.
Rutæ.
Perſicar.
Malv.
Portulac.
Calaminth. ana Mß.
Flor. Sal. arm. ℥j.
Semin. Naſturt.
Aquileg. ana ℥iß.
Inciſ. & contuſ. coque in Aquæ fontan. ℔iiij. *ad quartæ partis conſ. Colaturæ adde*
Mell. roſac. ℥ij.
Elix. propr. ſ. acid. ℥ij.
M. d. ad Vitr.

Sed inſimul *Trochiſcos ſublinguales* ad ſalivam copioſius eliciendam uſurpavit ſequentes:

℞. *Radic. Pyrethr.* ℥ij.
Semin. Eruc.
Caryophyll. arom. ana ℥j.
Cardamom.
Maſtich. elect.
Succi Catechu. ana ℈ij.
Nitr. ppt. ℥iß.
Sacch. alb. ℥iiß.
Mucilag. gumm. Trag. Aqu. Cinam. fact. q. ſ.
M. f. Trochiſci ſub Linguâ ſæpius tenendi.

Inflammatorius autem *Tumor* periculi ſæpè plenus, quippe ad Gangrænam & Sphacelum inclinans, requirit ſtatim *Venæſectionem in raninis* ſ. *ſublingualibus Venis* inſtituendam, poſt quam *Apophlegmatiſmi* ad evitandam Hæmorrhagiam intermittantur aliquandiu. *Cucurbitulæ* autem *Tumoris inflammatorii.*

cum

cum *Scarificatione* non ſine fructu ſimul ſcapulis applicantur. *Gargariſmata* tandem *repellentia* vel *diſcutientia*, potius *refrigerantia*, in principio ſtatim in uſum vocentur; v. g.

℞. *Radic. Caryophyllat.* ʒij.
Herb. Sanicul. Agrimon.
Scabioſ.
Scord.
Semperviv. maj.
Brunell.
Plantag. aquat. ana Mß.
Flor. Malv. hortenſ.
Liguſtr. ana Pij.
Inciſ. & contuſ. coque in ſ. q. Aqu. fontan. In Colatur. ℥viij. *diſſolve*
Roob dianuc. ℥iß.
Eſſent. Croc. ʒj.
Spir. Vin. camph. ʒij.
⊖*tri puri* ʒj.
M. d. ad Vitr. Ac ſæpè os inde calidiuſculè colluatur.

Intus ſubinde *diaphoretica* exhibeantur, ſicut in Febribus; à *Purgantibus* verò abſtinendum.

Quod ſi Tumor ad ſuppurationem tendat, *Gargariſma emolliens* eſt ordinandum: v. g.

℞. *Herb. Malv.*
Violar.
Alth. ana Mj.
Flor. Chamomill. Mß.
Croc. opt. ʒß.
Ficuum recent. par. iv.
Inciſ. coqu. in Lact. vel Aqu. fontan. ſ. q. In Colaturæ ℥viij. *diſſolv.*
Mellis violar.
mercurial. ana ℥j.
M. d. ad Vitr.

Maturus verò Abſceſſus ſi vel artis ope vel ſponte ruptus ſit, tum Ulcus *Melle roſaceo* extergendum, & *vulnerario* demum *Balſamo* ad conſolidationem promovendum.

Fit aliquando, ut *Tubercula cancroſa* in Linguâ exoriantur, quæ nihil ſunt aliud, quàm glandulæ ſero acri viſcido - & corroſivo turgidæ (Germani appellant *die Finnen*) Affectus Porcis, aliiſque Brutis, quàm Homini familiarior. Quandoque tamen *Leproſis* ac *Lue* venereâ laborantibus contingit. Interdum majores *Linguæ* portiones tumentes *Cancri* naturam induerunt, quale malum non niſi ſcalpello eradicatur, uti fuſius ſub Titulo de *Cancro* videre licet.

LINGVÆ RANVLA eſt Tuberculum ſub *Linguâ* enatum, à collectione vel ſanguinis vel lymphæ extravaſatæ, & ſtagnantis, vel aliûs materiæ productum, & plerunque cum dolore, ac loquelæ moleſtiâ affligens. *Ranula* vocatur, quia ſubinde colorem Ranarum æmulatur. *Lingua Ranula.*

Locus affectus non ipſa propriè eſt Lingua, ſed ſunt potius Glandulæ ſub *Linguâ* exiſtentes conglomeratæ, quæ alias ſalivam intra ſe generatam per tubulos peculiares in oris cavitatem eructant. *Pars affecta.*

Cauſa proxima eſt partim ſanguinis in affectâ parte circulatio impedita, unde Tumor inflammatorius producitur, partim ſalivæ viſcidioris, quæ ſalivales tubulos transgredi haud poteſt, coacervatio, unde Tumor ma- *Cauſa.*

gis

gis ſeroſus ac pituitoſus evadit. In utroq; dolor propter membranularum nervearum expanſionem nimiam adeſt; ſimul & *Loquelæ* aliqualis impeditio, ob Linguæ motum depravatum. Vidimus etiam anno 1684. in Senatore quodam Baſilienſi, Tuberculum ſub Linguâ ſenſim enatum, quod ſuâ duritie citra alium notabiliorem dolorem Virum moleſtabat, è quo Tuberculo tandem velut ex cyſti quadam oblongus lapillus ferè craſſitiem minimi digiti Puerorum exæquans exprimebatur.

Diagnoſis. Quoad *Diagnoſin*, Tumor oculis conſpici poteſt, & quidem magnitudine nunc Caſtaneæ, nunc Fabæ, nunc Ovi columbini minoris: laxus plerunque minusque durus, ſæpè ſpeciem mollioris Oedematis referens, materiam albumini ovorum perſimilem, rarius lapideam in ſeſe continens; & talis Tumor colore cineritio magis, vel pallidè rubicundo comparet, atque pituitoſus audit. Aliquando autem Tuberculum magis eſt durum, rubens, vel liveſcens, prorſus inflammatorium, ac in Abſceſſum transiens. In omni verò Ranulâ dolor adeſt, non ſine quadam Loquelæ offenſione.

Prognoſis Quod ſpectat *Prognoſin*, Affectus hic nullum per ſe habet periculum; ſed malè tamen curatus facilè in Scirrhum ſubindè cancroſum mutari, aut per incuriam Medentis vel Ægri ipſius Gangrænam & Sphacelum poſt ſe trahere poteſt.

Curatio. In *Curatione* ſi humor eſt pituitoſus, *purgans* ante omnia eſt præſcribendum, idque cum *Mercurio dulci* ſociatum: poſtea ſequens *Gargariſma*, vel Oris collutio inſtituenda:

℞. *Radic. Alth.* ℥ij.
Angelic. Caryoph. ana ℥j.
Herbar. Beton. Salv.
Folior. Myrt. vel Quercûs.
Plantag.
Flor. Liguſtr. ana Mß.
Semin. Aniſ. ℥j. *Eruc.*
Naſturt. ana ʒß.
Inciſ. & contuſ. coque in Aqu. fontan. Mß. *ad tert. partis conſ. In Colatur. ſolv.* *Mell. roſac.*
Roob dianuc. ana ℥vj.
Lapid. prunell. ℈ij.
M. ad Vitr. Ac inde ſæpius Os calidè eluatur. Poteſt & pro lubitu huic *Gargariſmati Sal volatile oleoſum* qualecunque permiſceri. Poſt quamlibet autem collutionem ſequens *Eclegma* in uſum trahatur:

℞. *Mell. roſac.*
Roob dianuc. ana ℥j.
Pulv. ſemin. Eruc.
Naſturt. ana ʒj.
Caryophyll. arom. ℈j.
Mithridat. Damocr. ℈iiß.
Miſc. d. ad Fictile, ac de eo ſubinde Æger fabæ magnitudinem ſub Linguâ teneat.

Quod ſi hâc ratione Tumor ſufficienter eſt emollitus, & lympha tamen nondum benè profluat, tum incidendus eſt cautè, & ita ſerum ſtatim omne excernetur: aſt tunc *Eclegma* ſuperius, abſque *Seminibus* tamen, adhuc ſemel parandum, & usque ad Ulceris conſolidationem uſurpandum,

dum admixtâ, ſi placet, *Aquâ Plantaginis* vel *Agrimoniæ*.

Quando autem Tumor exiſtit inflammatorius, isque in *Abſceſſum* transire conatur, tunc elotis per *Clysma* primis viis *Venæſectio* in brachio inſtitui poteſt, & hinc *Lac tepidum*, in quo *Malva*, *Althæa*, *Scordium*, *Crocus*, *Chamomilla*, *Fumaria*, atque *Ficus* decocta ſunt, pro *Oris collutione* calidâ uſurpari. Hâc ratione vel Tumor diſcutietur, vel idem in maturum, cum dolorum mitigatione, Abſceſſû abibit, qui dein vel ſponte rumpetur, vel lanceolâ aperiri, ac poſtea *Melle roſaceo* extergeri atque conſolidari poterit. *Internè* danda ſunt aliqua diaphoretica, quemadmodum in *Febri ephemerâ* deſcripta habentur.

Lingua Paralyſis

LINGVÆ PARALYSIS eſt Muſculorum Linguæ reſolutio, à Spirituum influentium defectu oriunda, ob quam motus Linguæ voluntarius vel impeditur, vel planè aboletur, ſicque ſimul Vocis articulatio tollitur.

Cauſa.

Cauſa proxima eſt nervorum ad Linguæ muſculos diſſeminatorum præternaturalis laxitas, ob ſpirituum, qui influere deberent, defectum exorta. Deficiunt autem ſpiritus, quando vel viſcidæ quædam particulæ originem illorum nervorum obſtruxerunt, vel in medio eorundem, à vicinis partibus fortè tumentibus compreſſio quædam facta eſt, ſpiritibus liberum ac ſufficientem transfluxum occludens. Plerunque hæc Paralyſis Apoplexiam ſubſequitur mitem, argumento, tum originem nervi ad Linguam tendentis eſſe obſtructam. Sed & non raro frequens Ebrietas, aut etiam Remedia ſtupefacientia Linguæ nervos reſolvere, ac ita Balbutiem, vel majorem adhuc Loquelæ difficultatem excitare valent.

Diagnoſis & Prognoſis.

Quod *Diagnoſin* & *Prognoſin* concernit, ex loquelæ difficultate, ac impotentiâ Linguam benè movendi, Paralyſis iſta peculiaris non malè dignoſcitur. Si Apoplexiam nonnihil fortem ſecuta fuerit, modò curabilis, modò immedicabilis evadit. Balbuties Ebriorum finitâ crapulâ ceſſat, ſed illa tamen ſignum eſt nervorum ſatis laxorum, adeoque præſagire ſolet apoplecticos Inſultus, in Hominibus præſertim quotidianæ crapulæ deditis.

Curatio.

In *Curatione*, quia Paralyſis hæc plerunque ſuccedit Apoplexiæ, ante omnia *Purgans* aliquod cum *Cinnabari* aut *Mercurio dulci* exhibendum, ſæpiusque repetendum venit; v. gr.

℞. *Maſſ. Pilul. è Succ. Crat.*
marocoſt. ana ʒß.
Cinnab. ♁*n. corr.* ℈j.
Diagryd. gr. vj. *vel* viij.
Ol. ſtillat. Rorismar. q. ſ.
M. f. Pilulæ numer. 45. *Inaurat. d. ad Scatul. Doſis eſt* 15. *alternis diebus.*

Vel ℞. *Radic. Jalapp.* ℈j.
Scamm. 🜍*rat. gr.* iij.
Cremor. 🜿*ri* ℈ß.
Ol. ſtill. Rorismar. gutt. ij.
M. f. Pulv. ſubt. d. ad Scatul. pro doſi matut.

Poſtmodum Nuchæ ac Vertici ſequens *Oleum* frequentiſſimè inungatur.

℞. *Ol. è Florib. Slotan.* ℥j.
deſtill. Rut.
Succin. alb.
Roriſmarin.
Lavendul.
Spic. ana ʒß.
M. det. ad Vitrum.

Priùs tamen in Nuchâ *Veſicatorium* applicetur, atque in Brachio alterutro *Fonticulus* inſtituatur. Si Æger *Setaceum* haud formidet, poterit illud loco reliquorum excitari. Interea *Caryophyllos aromaticos*, *fruſtula Cinamomi*, *Caſſiæ ligneæ veræ*, *Radic. Calam. aromat. Angelic. Imperator.* ſæpius maſticare debet Æger, aut etiam de ſequenti *Mixturâ* ſubinde Fabæ magnitudinem ſub linguâ tenere:

℞. *Mell. roſac.* ℥j.
Mithridat. Damocrat.
Confect. Hamech.
Anacardin.
Sem. Erucæ vel Naſturt. aa. ℈ij.
Pulver. Caryophyll. aromat.
Caſtor. ana ℈j.
Spirit. Ceraſ. nigr. q. ſ.
M. f. Electuar. d. ad Ollul.

Egregiè, ſi quid aliud, motum Linguæ reſtituit Faucium ſive Palati inunctio cum *Oleo deſtillato Lavendul. Roriſmarin. Majoran. Meliſſ. Succin.* &c. quotidie ſemel aut bis facta.

Sunt qui *Folia Tabaci Spiritui Ceraſor. nigr.* immerſa Linguæ affricant. Alii *Spiritum Vini*, vel *Lil. convall.* cum admixtâ portione *Theriacæ Andromach.* huic negotio adhibent.

Intus exhibeatur interea *Eſſent. Beton. Succin. Ambr. gryſ. Trifol. fibr. Meliſſ. Caryophyll. aromat. Tinctura Caſtor. cum Spir. Salis armon. parat.* ♁*n.* vel *Corallor. Pulvis* quoque ex *Raſ. Ebor. Cinnab.* ♁*n.* vel *nativ. Milleped. ppt. Radic. Aron. Diaph.* ♃*ial. Ægagropilis ppt. Sale volat. Viperar. C. C. Succin.* &c. compoſitus, & frequenter uſurpatus prodeſt. Quibus adde ſimul uſum *Salis* cujusdam *volatilis oleoſi*, inprimis *Spiritus* noſtri *hermaphroditici ad guttas* xij. pro doſi exhibendi.

LINGVÆ APHONIA, ſ. MUTITAS, eſt Affectus muſculorum Linguæ & Laryngis, quo illi vel reſoluti, vel alio modo læſi munere ſuo in Voce qualicunque formandâ impediuntur, atque ſic Homo loqui nequit. Equidem Morbus hic ita definitus ſub ſe comprehendit non ſolùm Vocis ſonoræ amiſſionem, quæ ad Raucedinem magis pertinet, ſed & integram obmuteſcentiam, quâ Homines articulatam Loquelam enuntiare, quantumcunque velint, neſciunt. *Vocem* ſi ſpectemus, non eſt illa quid aliud, quàm ſonus articulatus; *Sonus* autem eſt aër in multas minutias diffractus, atque celeri admodum eoque tremulo motu agitatus, quem tremorem percipere manifeſtè poſſumus, ſicubi digitos pulſatæ v. gr. campanæ applicamus. Sonus inſtar Luminis quoque reflecti ſolet, atque diverſitatem adipiſcitur reſpectu tum multitudinis, tum celeritatis motûs particularum aërearum. *Linguæ aphonia, mutitas.*

Aphonia hæc ſ. *Mutitas* ſæpius eſt *nativa*, caditque in Surdos à nativitate, qui tamen plerunque organa Vocis *Differentia.*

Vocis naturaliter conſtructa habent, ut ſæpiùs per artificium quoddam non tantùm voces altas emittere, ſed articulatas quoque formare diſcant, quemadmodum curioſam hujus rei methodum in Angliâ quidem *Perſpicaciſſimus* Wallisius invenit, in Belgio autem feliciſſimo cum ſucceſſu ampliavit, inque actum deduxit *Experientiſſ.* & *Clariſſ. Dn.* Joh. Conradus Ammannus, *Medicus Scaphuſ.* & hodie *Practicus Amſtelodamenſis Celeberr.* in variis à nativitate ſurdis, quos loqui commodè fecit. Quandoque eſt *adventitia*, à variis cauſis producta.

Cauſa. *Cauſa* Aphoniæ ſeu Mutitatis itaque eſt 1. nativa Surditas, quâ Infantes nihil audientes formandæ & articulandæ voci aſſueſcere minimè poſſunt. 2. Paralyſis muſculorum Linguæ & Laryngis, ob quam aër in inſpirando & exſpirando determinatas vibrationes & reflexiones ad hæc illave latera adipiſci nequit, quæ tamen alliſiones aëris ad Vocis & Loquelæ formationem ſunt maximè neceſſariæ. Quemadmodum enim in muſico Inſtrumento aëris diverſiſſima in tubos vibratio, multiplexque reflexionis in iisdem modificatio, Sonorum diverſitatem producit, ita etiam aër è Pulmonibus in exſpirationis negotio ope muſculorum Thoracis cum niſu quodam expulſus, in ſummitate aſperæ Arteriæ è ſpatio ampliore per anguſtam Laryngis rimulam, Glottidis nomine venientem, transmiſſus, non modò velocius movetur, ac diverſimodè in Palato vibratur, ſed inſuper in multas perexiguas moleculas diffractus tremere, ipſiusque Glottidis latera ad ſimilem tremorem concitare, ac ita *Sonum* producere ſolet, utut ſimplicem tantùm & nondum articulatum. Articulatio enim demum fit, dum is formatus ulterius in Fauces, ac deinceps in Os, imò in cavitatem Narium ad Labia Denteſque aſcendit, ſubque variis hinc inde factis vibrationibus inciſionibus, reflexionibus certas modificationes adquirit, ſicque *Vocem articulatam*, Literas labiales, gutturaleſq; exhibet. *Acuta* hinc Vox evadit, quando rimula Laryngis anguſta eſt, atque Epiglottis concitatius movetur, & ita minor quantitas aëris efflatur: *gravis* è contrario Vox redditur, ſi rimula amplior, majorque aëris copia ſimul efflatur. Trementem verò eſſe motum in partibus Vocem formantibus, quando loquimur, quilibet in ſeſe deprehendere haud difficulter poteſt, ſi modò digitum extus Laryngi inter loquendum admovere voluerit. 3. Contingit, ut à caſu ab alto, nec non à doloribus cerebri, cordis, ſtomachi vel uteri, à crapulâ item, vaporibus Hydrargyri, nimio frigore, ad linguam, fauces &c. tendentes nervi præternaturaliter concutiantur, criſpentur, aut aliter ſpirituum placido influxu priventur, ita ut aëris modulationem contractione muſculorum naturali producere nequeant, ſicque Vocem intermitti articulatam neceſſe ſit. 4. Linguæ durities, ariditas, nimia laxitas, Abſceſſus, Ulcus; imò ejusdem diviſio vel amputatio Loquelam vel integrè

vel ex parte auferre poteſt. Interdum etiam aër è Pulmonum veſiculis exploſus non diffringitur in Laryngis rimulâ, quemadmodum id ſæpè contingit in eâ Raucedinis ſpecie, in quâ aër non ſatis fortiter, ſed ita tantùm, quomodo in reſpiratione ordinariâ ubi Vox nulla fit, expiratur. Aliquando porrò rimula *Laryngis* vitio laborat, propter quod debitè vel ampliari vel anguſtari nequit. In Spasmo quoque, Apoplexia, Syncope, Anginâ, atque Tonſillarum tumore, vel auctâ Columellæ magnitudine ſimiliter Loquela maximoperè offenditur.

Diagnoſis & Prognoſis Quoad *Diagnoſin* & *Prognoſin*, Affectus hic cognoſcitur facilè, ſed curatur ægrè. Mutitas nativa ſurditatis comes, niſi organa vocis ſint malè conformata, emendari adhuc poteſt. Sed ubi vel ab ortu vel poſt Apoplexiam, Epilepſiam, aut frequentes Convulſiones muſculi Laryngis ac Linguæ Paralyſin contumaciſſimam ſunt paſſi, nullus curationi locus ſupereſt. Si verò Paralyſis mitior fuerit, nec ita pertinacem obſtructionem pro causâ habet, Loquela vel ex toto vel ex parte reſtitui poteſt. Qui per lapſum ex alto ob Cranium nimis concuſſum muti fiunt, vel Apoplectici moriuntur, vel tandem lentè per efficacium remediorum uſum ad valetudinem redeunt. Si Ebrius quis repente obmutuerit, voxque poſt ſolutam crapulam non redierit, convulſus morietur, niſi Febre corripiatur, cauſam morbificam diſſolvente. *Hippocr. Sect.* 5. *Aphor.* 8. Quicunque iterum ſani aliâs, Dolore capitis ſubito excruciantur, hincque ſtatim muti fiunt, ac ſtertunt, ſeptem dierum ſpatio, niſi Febris intervenerit, moriuntur. *Hippocr. Sect.* 6. *Aph.* 51.

Curatio. Quod *Curationem* attinet, quæ Mutitas ſ. Aphonia ex Paralyſi, alioque Affectu Linguæ eſt oborta, horum Morborum inſtitutâ perfectâ curatione tollitur. Pro ſpecifico tamen habetur *Sanguis Turturis recens*, cum *Aquâ deſtill. Lavendul.* vel *Lilior. convall.* permiſtus, quo Os frequenter colluitur. Ante ſexennium & ſi quid excurrit, Scriniarii noſtratis, *Stupani*, filium ſeptennem, ex Febri malignâ aphonum prorſus, mutumque æſtivo tempore redditum, aliis nihil juvantibus, tandem poſt plurium ſeptimanarum effluxum, ſolo *Succo foliorum Vitis recenter expreſſo* ad ℥ij. quotidie bis cum *Saccharo* propinato, intra quinque vel ſex dies ita reſtituimus, ut Loquelam articulatam perfectè rurſus impetraret. Contingit quoque ante decem pluresve annos, ut *Ruſticus* quidam *Thunæ Bernenſium* æſtivo tempore per totum corpus ſub laboribus diurnis æſtuans, veſperi ſitim extincturus è vicino *Arolæ* fluvio aquas gelidas affatim ingurgitaret, & hinc confeſtim mutus redderetur, procul dubio ob nervos muſculorum Laryngis admodum calentes, per ſubitaneum hauſtæ aquæ frigus inopinatò perculſos, hincque ita obſtructos, ut ſpiritus dein animales ſufficientes, pro eorundem muſculorum motu, ad formandam

dam Vocem neceſſario, admittere amplius haud potuerint, neque poſtea, in uſum licèt vocatis quibusdam remediis, admiſerint. Elapſo autem abhinc unius anni ſpatio, cùm jam diu miſer Ruſticus de recuperandâ voce & loquelâ deſperâſſet, dum fortè fiſſa Ligna in Noſodochio alium in locum aſportare laboraret, fato ſic volente, unum ejusmodi Lignorum, ex incuriâ è manibus lapſum, pedem illius fortiter concutit, prorſusque frangit, quo perculſus infelici atque dolorifico caſu, cùm vociferare ex terrore conaretur, Vocem en Loquelamque ſuam in momento integram recuperavit, ſpiritibus nimirum à ſubitaneo hoc malo cum impetu ad muſculos ruentibus, & nervorum obſtructos hactenus tubulos forti admodum impulſu ſubitò reſerantibus. Si verò ulcus, ſi tumor ac durities in culpâ fuerint, tum iſta omnia è medio tollenda, quò ſic per ſe Loquela redire queat. Qui à nativitate ob ſurditatem muti exiſtunt, niſi habeant ſimul Vocis organa malè conformata, Loquelam adipiſci poſſunt artificio à prælaudato *Clariſſ.* Ammanno in *Tract. de Surdo Loquente* monſtrato, ubi certè incredibilem laborem inſumere debet is, qui docere conatur, quomodo in pronunciatione uniuscujusque Vocalis, dein Syllabarum & Vocum Os formandum ſit.

Lingua Balbuties & Blaſitas. LINGVÆ BALBVTIES & BLÆSITAS ſunt Vitia Linguæ, ſive Loquelæ, quibus laborantes vel unam alteramve Literam Alphabethi diſtinctè pronunciare nequeunt, vel ſæpiùs in principio ſermonis aut vocum pronunciandarum hærent, aut etiam tremulâ voce hæc illave vocabula eloquuntur. Syllabas nimirum haud properè connectendo, ſed vel in principio, vel in medio reiterando, ut v. gr. pro Jacobo *Jajacobo*, vel *Jajajacobo*, pro Davide *Dadavide*, vel *Davivide* pronuncient. Iſtiusmodi Hæſitantes olim à Latinis *Bambaliones* vocabantur, deinceps verò *Balbi* vel *Balbutientes* dicti; Germani appellant *die Stamler*, quemadmodum *Blæſos* vocant *die Liſpeler*, qui ſcil. Literam S. diſtinctè non proferunt; & *Traulos*, qui Literam R vel L articulatè pronunciare neſciunt, quo vitio inſignis ille *Botanicus noſtras* Caſparus Bauhinus laboravit.

Cauſa. *Cauſa* horum vitiorum non eſt niſi læſa quodammodo conformatio muſculorum Linguæ, vel etiam Laryngis. Et certè Balbutiem hisce potiùs, quàm Linguæ muſculis, Blæſitatem verò magis Linguæ muſculis præternaturaliter conſtitutis adſcribimus. Quando nimirum in hisce partibus nimia eſt mollities, laxitas atque humiditas; vel quando Lingua nimis brevis eſt, ut non ſatis premere poſſit anteriores dentes, aut nimis tumida & craſſa, adeoque gravis & ferè inflexilis: vel quando frenulo ſuo nimis ſtrictè alligata hæret, ita ut commodo motu ad omnes literas pronunciandas flecti nequeat; Lingua enim ea demum ad formandas Voces apta exiſtit, quæ lata, tenuis, mollis & in omnes partes flexilis eſt.

Damus tamen etiam multum conſuetudini pravæ, vel à Juventute acquiſitæ, minusque à Parentibus correctæ. Huc porrò contribuere credimus ſpiritus irrequietos & nimium agiles, qui faciunt ſæpè, ut Lingua præcurrat mentem. Imò inter cauſas horum vitiorum Loquelæ ulterius numeramus Vulnera Linguæ informi cicatrice obducta: nec non vagas atque ſuperfluas Mentis cogitationes, ad plures ideas uno quaſi inſtanti directas, quo fit, ut Homines ſuas ſingulas cogitationes ſimul & unâ vice efferre ac enunciare ſatagant; hincque ideas iſtas omnes minus benè diſcernentes, ſæpiùs impingant, & ob præcipitantiam nimiam in primis ſtatim ſyllabis obhæreant.

Curatio. *Curatio* horum Affectuum in Adultis etiam non adeo difficilis eſt, niſi præternaturalis partium læſarum conſtitutio eximia, prorſusque incurabilis fuerit. Solet enim aliquoties hactenus laudatus *Ammannus* Balbos, Blæſos, Traulosque intra paucas ſæpè horas, monſtratâ aliâ Linguam movendi conſuetudine, perfectè ac ferè ad miraculum curare, ſi modò Homines Balbi, Blæſique per tantillum diei ſpatium haud fuerint ſyllabatim ac tardè enunciandarum Vocum impatientes. Muſculi enim Linguæ ſunt totidem inſtrumenta, quibus ſi benè uti adſueſcas, effectum quoque hinc ſolitum aptumque videbis. Quamobrem in Pueris atque Infantibus neutiquam tolerandum, ut minus articulatè & incommodè verba pronnncient, vel orando, loquendoque aliâs nimis feſtinent. Quod ſi Linguæ frenulum nimis fuerit ſtrictum, cautâ inciſione nonnihil dividatur. Superflua autem Linguæ humiditas in Infantibus cum ætate corrigitur, in Adultis verò potu ordinario *Vini rubri* cum *decocto Lignorum*, vel *ſuctione* crebrâ *fumi Tabaci*, nec non Cibis magis ſolidis quâm humidis emendatur. Quibus adde frequentes *Sudores*, atque *Purgantia* non rarò ſumenda. Denique Balbuties à Linguæ brevitate aut nimiâ craſſitie ortum trahens inemendabilis eſt.

LINGVÆ FISSVRÆ, vid. *Linguæ Ariditas.*

LINGVÆ VINCVLVM vel FRENVLVM, vid. *Infantum Regimen vitæ.*

LIPOTHYMIA, ANIMI DELIQVIVM vel DEFECTIO, λειποθυμία, compoſitâ è λείπω, *linquo*, & θυμὸς, *animus*, voce, eſt inopinatus utplurimum atque præceps virium totius corporis lapſus, cum ſenſûs & motûs ablatione, pulſu vix ſenſibili, pallore, & frigido ſudore conjunctus, originem ab impeditâ per tempus ſanguinis circulatione ferè ducens. *Lipothymia.*

Admittit hic Affectus ſuos gradus, quorum *primus* & leviſſimus *Eclyſis* vocatur, *enervatio*, *virium ſolutio*, in quâ nimirum Homines ita debiles redduntur, ut movere quidem membra, aperire oculos, loquiq; neſciant, *Differentia.* *Eclyſis.*

neſciant, palleant etiam ac frigeant, ſed ubi tamen audiunt adhuc & ſenſu atque arteriarum pulſu ſatis perceptibili gaudent: vernaculâ noſtrâ appellare ſolem⁹ *ein empfindliche Ohnmacht.*

Leipothymia. *Secundus* grad⁹ *Leipothymiæ*, *Leipopſychiæ*, ſ. *Animi deliquii* nomine venit, in quo ſenſûs adhuc rationiſque compotes ſunt Ægri, licèt animi ſenſa neque nutu, neque ſermone aliove modo exprimere valeant: ubi adeſt ſimul pallor & frigus totius corporis, pulſus debilis & perceptibilis, reſpiratio ſubmiſſa; attamen haud difficulter ad priſtinas vires revocantur.

Syncope. *Tertius* gradus Συγκοπή, *Syncope* appellatur, præceps virium lapſus, in quo Homines inſtar mortuorum ſubitò concidunt toti pallidi, frigido ſudore madentes, ſine ſenſu & motu, cum pulſu & reſpiratione adeo minutis, ut vix percipi poſſint; ſicque Ægri non niſi magnâ cum difficultate ad ſeſe redeant; excrementa quoque alvi & veſicæ ſæpius invitis exeant.

Aſphyxia. His addunt quidam adhuc *quartum* gradum, Ἀσφυξίαν dictum, in quo Æger cum reliquis ſymptomatibus neque pulſum neque reſpirationem amplius perceptibilem habet, adeoque morti proximus exiſtit; ac certè nihil aliud eſt, quàm ſumma virium ſolutio, mortiſque inſtantis ac certò ſecuturæ prodromus.

Pars affecta. *Patitur* heic *principaliter* aut primariò *Cor* cum *Arteriis*, quoniam hæ partes ſuo officio non ſatisfacientes, ſymptomatibus reliquis anſam præbent: *ſecundario* autem *Cerebrum*, *Ventriculus*, *Uterus*, in quibus ſubinde origo & cauſa mali latet: imò ſingulæ corporis partes affliguntur.

Diagnoſis. Deficit autem ſubinde animus derepente, Ægrique ex improviſo concidunt mortuorum inſtar: aliquando verò ſigna quædam *imminentis* Deliquii præcedunt, in illis præcipuè, qui Lipothymiæ exiſtunt obnoxii, v. gr. capitis gravitas, ſcotomia, diverſorum colorum, rubicundi, viridis, flavi, nigrive occurſus ante oculos, *es wird ihnen gantz dunckel oder ſchwartz vor den Augen*, improviſa quædam pectoris anxietas, & animi perturbatio, cum virium inſolitâ imbecillitate, pulſûs debilitate, Loquelæ impotentiâ vel difficultate, faciei colore vivido pereunte, vel ſæpius mutato, & frigore extremorum. *Præſentis* autem Deliquii indicia ſunt ſenſus motuſque ablatio, pallor & frigus totius corporis, quandoque cum ſudore frigido, palpebrarum delapſus, membrorum flacciditas, pulſus admodum parvus, debilis, rarus, obſcurus, formicans, interdum nullus, reſpiratio vix perceptibilis. Si quid Ori immittas, ſubinde deglutiunt leniter, interdum verò ex ore profluere ſinunt Ægri. Durat quandoque diu Lipothymia, ita ut pro mortuis habeantur & ad futuram ſepulturam Homines ſeponantur: ſic accidit in noſtrâ Familiâ ut parturiens quædam tempore Peſtis ex difficultate Partûs in Syncopen delaberetur, cumq; exinde per aliquod tempus revocari non poſſet, pro mortuâ ab adſtantibus Mulieribus habita & declarata, hinc linteis involuta & ſepoſita fuerit; poſtridie

die mane dein, cùm aperiretur conclave, en uno in angulo jacentem Fœminam, quæ ſola interim peperit, in altero autem angulo hærentem Infantem Filiolam, ambas jam verè mortuas.

Quomodo ab Apoplexiâ diſtinguatur.

Diſtinguitur ab *Apoplexiâ* haud difficulter, in hâc enim ſenſus quidem & motus etiam auferuntur, ſed corpus tamen non evadit frigidum & ſudans, niſi cùm jam ipſa mors eſt præ foribus, pulſus quoque ſatis patens, reſpiratio magna, nonnunquam ſtertoroſa evadit, & Facies magis rubet, dum contraria in Lipothymia contingunt.

Cauſa.

Cauſam proximam arbitramur eſſe vel paulatinam, vel ſubitaneam elateris atque oſcillatorii motûs fibrarum Cordis & Arteriarum motricium, muſculoſarumve imbecillitatem, unde circulatorius ſanguinis motus, ſpirituumque animalium influxus, majori vel minori ex parte impeditur. *Antecedentes* autem & *procatarcticæ* cauſæ diverſæ ſunt, quæ proximam illam excitant ad effectum Deliquii producendum; quando enim elater ille ac oſcillatorius fibrarum cardiacarum motus imminuitur, aut tantùm non planè tollitur, neceſſe eſt, ſenſûs tam externos, quàm internos unâ cum motu muſculorum aboleri, vel ad tempus ſufflaminari. Contribuunt itaque huc Spirituum diſſipationes plus minus repentinæ, Sanguinis item & aliorum humorum largæ profuſiones, aut eorundem diſſolutio nimia, quemadmodum in Febribus malignis qualibuscunque, imò & aliis Febribus, Morbisve, item poſt aſſumta Venena, acceptosque Animalium venenatorum ictus morſusque contingit. In Inflammationibus, Eryſipelate, Vulneribus, Ulceribus, Doloribus variarum partium intenſis, adeoque in Cardialgiâ, Palpitatione Cordis, colicâ & hystericâ Paſſione, Nephralgiâ, Cephalalgiâ, Ophthalmiâ, haud infrequens eſt Syncope, præſertim apud illos, quorum ſanguinea maſſa fluxilior eſt, & ad rarefactionem promtior, quorum item fibræ nervoſæ delicatioris ac tenerioris ſunt texturæ, qui puſillanimes, ſplenetici, & nativâ vel adſcititiâ debilitate præditi ſunt. Fœminæ dein magis quàm Viri, hyſtericæ plus quàm non hyſtericæ huic malo ſunt obnoxiæ. Accuſamus etiam heic ſæpè nimiam Ventriculi pituitam, quam Vulgus appellat *daß Hertz-Waſſer*; bilem in Stomachum effuſam, aliasve in illo collectas varii generis, præcipuè viſcidas, auſteras, aut ſulphureo-oleoſas cruditates, à quibus Homo ad nauſeam & vomitû ſtimulatur. Vermes porrò Inteſtinorum, aut grumos etiam ſanguinis ubicunque demum in corpore, præſertim in Ventriculo, Inteſtinis, aut Utero collectos, & ad corruptionem tendentes, quod Puerperis non infrequenter evenit, quando retenta apud ipſas Lochia grumeſcunt & putreſiunt, ſicque acrimoniam nervos valdè irritantem, vel criſpantem nanciſcuntur.

Si externas cauſas examinare velimus, palam eſt, multas occurrere *Externa cauſa.*

Leipo-

Leipothymiæ phænomenon producentes, quas inter numerantur 1. Aëris ambientis nimius æſtus in Laconicis, Hypocauſtis, aut apricis ſub æſtivo Sole locis. Imò Balnea quoque valdè calentia, ſi quis profundius atque diutius illis inſideat, ſanguinem nimis diſſolvendo, aut ſpiritus valdè diſſipando iſtuc contribuunt. 2. Diutius protracta Jejunia, ſanguinis & fluidi nervei penuriam inducentia. 3. Cibi Potusve nimii, vel vitioſâ qualitate præditi, aut aliquâ naturali idioſyncraſiâ ſive antipathiâ adverſi aſſumtio, vel deguſtatio. 4. Inſolita ac vehementior corporis agitatio. 5. Odor rerum per antipathiam maximè adverſarum, v. gr. Ceparum, Allii, Roſarum, Moſchi, Ambræ gryſeæ, Glirium, Felium, Candelarum extinctarum fumus, fœtentium itidem acriter rerum aliarum. 6. Venus immoderata atque intempeſtiva, ſpiritus exhauriens. 7. Graviores animi Paſſiones, Ira vehemens, Terror ingens, Triſtitia maxima, Metus & conſternatio ſubitanea, etiam poſt Venæſectionem, aut inſpectionē ſanguinis, quem ſine horrore intueri Homo nequit, vel à conſpectu Operationum chirurgicarum proveniens, Gaudium inſolitum, Pudor enormis. 8. Conſpectus inopinatus Animantium, quæ forſan naturali quadam idioſyncraſiâ valdè horremus, v. gr. Serpentum, Aranearum, Glirium, Murium, Felium, Erucarum, &c. 9. Morſus aut Ictus Animalium venenatorum, veluti Serpentum, Scorpionum, Felium, Luporum, Canum rabidorum. 10. Vehementiora ſive draſtica Purgantia aſſumta; Venena item è vegetabili, animali aut minerali Regno petita, comeſta, pota, inſpirata, aut foris tantùm corpori admota, illata, vel inuncta. 11. Fœtores rerum variarum putreſcentium abominabiles è cadaveribus, cloacis, aquis ſtagnantibus, Hominibus narium aut alarum Fœtore laborantibus, fimo Herbarum variarum, v gr. Raparum Foliorum in putrilaginem abeuntium. Odores è Fodinis & Cryptis terreſtribus, Argento vivo Carbonibus ardentibus, accenſo ♁nio, &c. exhalantes. 12. Aura maligna, peſtilentialis, ſanguinis craſin maximè diſſolvens.

Prognoſis.

In *Prognoſi* ſtatim veritas *Aphoriſmi Hippocratici* 42. *Section.* 2. confirmari debet, quòd *qui crebrò & vehementer citra cauſam manifeſtam animo linquuntur, tandem derepente & inopinatè moriantur.* Quo levior interim affligit gradus Lipothymiæ eo minus periculi ſubeſt. Si intenſior autem ejuſdem gradus Hominem prehendit, in Febribus præcipuè acutis, tum funeſtum plerunque ſignum eſſe ſolet. Quando poſt ſuperatum paroxyſmum Lipothymiæ fortioris, pulſus naturalis & color vividus non redit, Ægerque frigidus ſemper manet, tum paroxyſmi ſyncoptici facilè redeunt, & mortis periculum inferunt. Ex animi Deliquio graviore non facilè redeuntes aut revocabiles Ægri, ſed diu ſine ſenſu motuque toti frigidi manentes, non obſtante efficacium remediorum uſu, &

vultûs colore viridi, aut livido evadente, ad mortem properant. In Tabe qualicunque ſæpè redeuntia deliquia mortem propinquam denunciant. Ex rebus fragrantibus aut è quibusdam graviter olentibus, vel ex animi pathematibus proveniens Lipothymia felicius curatur. Sudor frigidus copioſus, Tremores artuum, Convulſiones, Vultusque ſtatim evadens Hippocraticus, ſequuturam proximè mortem indicant. Hyſterica deliquia periculo magis vacant.

Curatio. In *Curatione* ſi Diætam ſpectemus, quilibet ſibi conſulere heic poterit ad præcavendos Leipothymiæ paroxysmos, ea omnia fugiendo, quæ ſuperius diximus veras evadere poſſe aut ſolere hujus Affectûs cauſas. Quod pharmaceuticam autem & chirurgicam medelam attinet, in Paroxysmo quidem niſu omni eo attendendum venit, ut ad ſeſe redeant quàm promtiſſimè Ægri, quem in finem apud hyſtericas quidem Fœminas convenit *Aſam fœtidam*, *Caſtoreum*, *Succinum*, *Nucem moſchatam*, *Pennas*, *Corium vetus*, *Olibanum* & ſimilia accenſa, naribus applicare. Vel admovebimus *Tincturam Caſtorei cum Spiritu Sal. arm. paratam*, vel *Spiritum Anthos* cum *Eſſentiâ Caſtorei*, aut *Spiritum urinoſum Salis armoniaci* ſolum. Intus verò cochleatim propinabimus ſequentem Mixturam.

℞. *Aqu. Artemiſ. Marrub.*
Puleg. Pœon. ana ℥vj.
Vitæ cum Caſtor. ℥ß.
Syrup. de Card. bened. ℥vj.
Tinct. Caſtor. cum Spir. Sal. armon. par. ʒß.
Eſſent. Croc. ℈j.
M. d. ad Vitr.

Vel ℞. *Aqu. Card. bened.* ℥iß.
Fœnic. ℥j.
Menth.
Naph. ana ℥ß.
Roob Junip. ʒj.
Eſſent. Succin. ʒß.
Ol. ſtillat. Cort. Aurant. gutt. vj.
Cumin. gutt. viij.
Sacch. alb. ʒij.
M. d. ad Vitr.

Poſt Paroxysmum uſurpari debent, quæ ſuo loco in *Matricis ſuffocatione* commendantur.

A conſpectu ſanguinis per inflictum qualecunque Vulnus, v. gr. in Venæſectione, chirurgicaque aliâ Operatione &c. vel ab horrore, terroréve producta Lipothymia, in paroxysmo quidem requirit vel *Aquæ frigidæ*, vel *Vini* aut *Aceti* inſperſionem in Faciem, non ſecus atque *Spirituum* quorumvis 🜍eorum aut *ſalinorũ*, plus minusve *fragrantium*, admotionem ad Nares; *Balſamorum* itidem, *apoplectici*, *Roriſmar. Succini*, *Rutæ*, *Majoran. Thymi*, *Cinamom. Garyophyll.* &c. inunctionem ad Tempora, Nares & verticem Capitis. Intus verò Cochleare unum vel alterum plenum *Elixiris Vitæ Matthioli*, vel *Spiritûs Ceraſ. nigr. Roris Solis*, *Aquæ Cinamom. cum Vin. deſt. Elixiris Citri*, *Aurantiorum*, *Angelicæ*, aut cujuscunque aliûs ſtomachici propinetur. *Lipothymia ab horrore conſpectû ſanguinis.*

Deliquium à Veneno aſſumto, *Vomitorio* exhibito tollitur, evacuatâ enim *Deliquium à Veneno.*

enim cauſâ ipſe Affectûs tollitur. Poſt vomitum *alexipharmaca* ſtatim in uſum vocanda ſunt, quæ abſorbendi, edulcorandi præcipitandi vi gaudent, v. gr. præter *Juſcula lactea*:

℞. *Pulv. Pannon. rubr.* ʒiß.
♁n. diaph.
Terr. ſigill.
Unic. marin. ppt. ana ʒß.
Pulv. Viperar. ppt. ʒj.
M. f. Pulvis ſubt. d. ad ch. in 8. *doſes æqu. m. ac veſp. cum Aquâ Galegæ, Scorzoner. Plantag. Card. bened.* &c. *capiendas.*

℞. *Aqu. Borrag.*
Plantag.
Fumar. ana ℥j.
Syrup. de Card. bened. ℥ß.
Conf. Alk. incompl. ℈ij.
Matr. Perl. ppt. ʒß.
Liqu. Nitr. fix. ℈j.
Miſc. d. ad Vitr. Sæpè cochleare plenum aſſumendo.

Extus Ventriculi regio *Oleo Chamom. Hyperic. Scorpionum* inungatur. Vide etiam Titulum de *Venenis.*

à Crapulâ & comeſſatione. A Crapulâ & comeſſatione nimiâ oriundum Malum ante omnia emeticum deſiderat, v. gr.

℞. *Bezoard. min.*
Salis Abſynth.
Sacch. alb. ana gr. vj.
🜿ri emet. Ludov. gr. ij.
Ol. ſtill. Charyophyll. gutt. j.
M. f. Pulv. ſubtil. d. ad ch. pro doſi matutinâ.

Vel ℞. *Pulv. rad. Ipecacuanh. ſive Aſari* ʒß.
Crem. 🜿ri gr. vj.
M. f. Pulv. ſubt. d. ad ch. pro doſi.

Vomitione abſolutâ *Infuſum foliorum Thée aut Betonic. Fumar. Scabioſ. Veron.* cum *Caryophyll. aromat.* vel *Decoctum Granor. Coffée toſtorum,* quotidie ſemel aut bis per aliquot dies bibatur. Sed & *Radices Zingiberis in Indiâ condit. Radic. Calam. arom. conditæ* aliquoties manducandæ præbeantur. Pro potu ordinario per aliquot dies concedatur *Decoctum Radic. Chin. Gramin. Sarſæparill. Raſur. Lign. Saſſafr. Semin. Aniſ.* Tandem & ſequens *Tragema* ordinabitur:

℞. *Specier. aromat. roſat.*
diamargarit. frig. aa. ʒj.
Ebor. uſt. ppt.
Cryſtall. alb. ppt. ana ʒij.
Semin. Fœnic.
Radic. Calam. arom. ana ʒj.
Sacch. alb. ℥ij.
M. f. Pulv. ſubt. d. ad Scatul. Sumatur quotidie ʒj. *pondus.*

A morſu aut ictu Animalium venenatorum excitata Syncope iis profligatur remediis, quæ ſub Titulò de *Canis rabidi morſu* commendavimus. *à Morſu Animal. venenat.*

Ab æſtu Aëris nimio, vel Balneo exceſſivè calido proveniens Syncope curatur, ſi *gelidâ Aquâ* aut *Vino* Ægri facies conſpergatur, aut *Spiritus volatiles* naribus admoveantur. Cumque ad ſeſe redierit Æger, ſtatim ſequens *Mixtura* propinabitur: *ab æſtu ſanguinis.*

℞. *Aqu. Cichor.*
Lactuc. ana ℥iß.
Syrup. Viol. purp. vel
Capill. ♀r.
de Nymph. ana ʒvj.

M. d. ad Vitr. Sumatur duabus doſibus ſpatio trihorii.

à Purgante vehementi. A Purgante vehementiore exorta Animi defectio in Paroxyſmo quidem ſpirituoſis, uti ſupra monitum, medicamentis excitandus Æger, ſed poſtea ſtatim *Potio theriacalis* exhibenda; v. gr. ſequens aut ſimilis:

℞. *Aqu. Card. bened.* ℥iß.
Borrag.
Galeg. ana ℥j.
Theriac. Cæleſt. gr. v. vel
Elect diaſcord. Frac. ʒj.
Corall rubr. ppt. ʒß.
Salis Abſ. ℈j.
M. d. ad Vitr. Sumatur unâ vel duabus doſibus.

Vel ℞. *Aqu. Portulac.*
Burſ. Paſtor.
Plantag. ana ℥j.
Cinam. cydon. ℥ß.
Syrup. Pap. errat. ʒvj.
Elix. propr. Claud. ʒj.
M. d. ad Vitr. Sumatur cochleatim.

Juſcula hordeacea, avenacea, lactea interim per aliquot dies ſunt concedenda.

à fœtore candelarum & carbonū. Quod ſi à fœtore Candelarum ſive ardentium ſive extinctarum, vel à fumo & halitibus carbonum in Conclavi probè clauſo, provenerit Leipopſychia, externis quidem ordinariis ſupra pluries allegatis excitandi ſunt Ægrotantes, deinceps verò blanda in ipſis diaphoreſis eſt promovenda ſequentibus aut ſimilibus exhibitis:

℞. *Aqu. Fumar. Scab.*
Beton. ana ℥j.
Syrup. de Hed. terr. ℥ß.
Elect. Orvietan.
Confect. Alk. inc. ana ℈ij.
Eſſent. Succin. ʒß.
M. d. ad Vitr. Detur cochleatim per intervalla frequentia.

℞. *Oſſis de Cord. Cerv.*
Pulveris bezoard. Sennert.
♁ n. diaph. ana ʒj.
M. f. Pulv. ſubt. div. in 6. doſ. æqu. m. ac veſp. cum hauſtu Aqu. Fl. Sambuc. capiendas.

Si ſudor eſt præ foribus, is omnino per horulæ ſpatium blandè urgendus, ac dein linteis calentibus cum leni frictione abſtergendus venit. *Venæſectio* quoque inſtituenda, ſicubi æſtum in ſanguine non probè circulante invenerimus. Hâc ipſâ Venæſectione profectò *Inſultum apoplecticum*, vel *Syncopem cardiacam* lethalem præcavere poſſumus, quam halitus illi Carbonum ardentium producere ſolent.

Syncope nimirum cardiaca eſt illa Lipothymiæ ſpecies, in quâ motus Cordis, & Circulatio ſanguinis valdè impeditur, ob compreſſionem vel conſtrictionem ſpasmodicam fibrarum & Vaſorum pneumonicorum à ſtagnatione & collectione Pituitæ nimiâ oriundam, unde Æger in periculum ſuffocationis decidit. Vernaculâ noſtrâ appellamus *ein Stickfluß*. Diſtinguitur à *Catarrho ſuffocativo*, in quo non tam à ſtagnatione, quàm ab extravaſatione humorum Pulmonis veſiculæ implentur, ſed cum Reſpirandi potius maximâ difficultate, quàm cum Animi deliquio ſubſequente. Heic certè, ſi Plethora adfuerit, *Syncope cardiaca.*

Venæ-

Venæſectio mox adminiſtrabitur, ſi Nauſea & vomendi Deſiderium moleſtias ſimul pariat, poſtquam Æger nonnihil ad ſe redierit, *Emeticum* erit præſcribendum, deinceps verò Cardiacis ſpirituoſis reliqua curatio abſolvenda; v. gr.

℞. *Dent. aprin. ppt.* ʒj.
Succin. alb. ppt.
Cinnab. ♁ n. opt. ana ʒß.
Salis volatil. Viper. vel
C. Cerv. purior.
gr. xxiv.
M. f. Pulv. ſubt. div. in 6. doſ. æqual. m. ac veſp. ſumendas.

Vel ℞. *Eboris phil. ppt.*
Unic. mar. ppt. ana ℈ij.
Specif. cephal. Mich.
Salis volat. Succin. ana ℈j.
M. f. Pulv. ſubt. div. in 4. part. æqu. ad chart. quarum doſis man. ac veſp. capiatur.

℞. *Aqu. Cardiac. Officin.* ℥iß.
Fumar. ℥j.
Cinam. bugloſſ. ℥ß.
Syrup. Capill. ♀ *r.*
Fl. Tun. ana ʒiiß.
Conf. Alk. compl. ℈ij.
Matr. Perl. ppt. ʒß.
M. d. ad Vitr. Sumatur cochleatim.

Vel ℞. *Aqu. confortativ. uſit. Auguſt.* ℥iiij.
Conf. Alk. compl. ʒj.
Spirit. Salis armon. fœnic. ʒß.
Miſce d. Vitr. Detur per cochlearia frequenter.

Ab aurâ malignâ. Ab aurâ malignâ, halitibus mercurialibus, arſenicalibus, antimonialibus aliiſque venenatis ortum Deliquium ſtatim in paroxyſmo requirit Faciei conſperſionem per Aquam frigidam, vel ſpirituoſorum ad nares & ſcrobiculum cordis applicationem. Quamprimum autem ad ſeſe redierit Æger, ſequentia *alexipharmaca* & cardiaca diligenter ſtatim dabuntur:

℞. *Conſerv. Fl. Tunic.* ʒj.
Elect. Orvietan. ʒß.
Pulv. Viper. ppt.
Bezoard. min. ana gr. xij.
Cum Saccharo f. Bolus una vice deglutiendus, & quotidie ſemel repetendus, deſuper bibendo hauſtum Aqu. Borraginis.

Vel ℞. *Conſerv. Fumar.*
Betonic. ana ʒvj.
Elect. diaſcord. Frac.
Confect. Alkerm. compl. ana ʒj.
Pulv. bezoard. Senn.
Corall. rubr. ppt. ana ʒß.
Syrup. Fl. Tunic. q. ſ.
F. Mixtur. ad formam Opiatæ, d. ad Fictile, ſingulis ſex horis inde magnitudo Nuciſtæ capiatur.

℞. *Aqu. Borrag.*
Ceraſ. nigr. ana ℥iß.
Syrup. de Beton. ℥ß.
Confect. Hyac. compl.
Eſſent. Succin.
Pulv. Pannon. rubr. ana ʒß.
Julep. roſac. ʒij.
M. d. ad Vitr. Sumatur cochleatim.

Sudor fere ſingulis diebus pellatur exhibitâ ſeq. *Potione*:

℞. *Aqu. Fl Sambuc.* ℥iß.
Card. bened. ʒvj.
Borrag. ℥ß.
Mithrid. Damocr. ʒß.
Roob Juniper. ʒj.
♁ *nii diaph.* ℈j.

M. d. ad Vitr. pro doſi.

à Vermibus. A Vermibus Inteſtinorum occurrens Deliquium profligitur ſtatim, adhibitis generalibus externis: poſtea verò interna anthelmintica externaq; in uſum vocabuntur, qualia ſub Titulo de *Lumbricis* commendata extant.

ab odore Roſar. & rerum fragrantium. Si Roſarum, Moſchi, Ambræ gryſeæ, aliarumve rerum fragrantium odor Lipothymiam excitaverit, communioribus mox ſpirituoſis, imò hyſtericæ Mulieres Caſtorei applicatione ad Nares revocabuntur. Poſtea verò antihyſtericorum & antiſpasmodicorum uſus commendabitur per unum vel alterum diem. Vide plura ſub Titulo de *Matricis ſuffocatione.*

ab odore & intuitu rerum adverſarum. Eodem modo procedendum, ſi quis ob ſingularem temperiem vel idioſyncraſiam, per odorem aut intuitum inopinatum Felium, Araneatum, &c. animo deliquerit.

à Venere exceſſivâ. A Venere nimiâ oriunda Lipothymia unicè ſpirituoſis tam internis, quàm externis eſt profliganda. Naribus proin mox in paroxyſmo, Temporibus, verticeque capitis inungetur *Balſamum apoplecticum*, aut aliud ſpirituoſum: vel hiſce partibus non ſecus atque Pectori & ſcrobiculo Cordis calidè *Linteola Aquæ Reginæ Hungariæ, Spiritui Anhaltino, Meliſſæ, Cephalico Auguſt.* aut ſimili calenti immerſa, & expreſſa applicabuntur. Intus verò ſequens *Cardiacum* concedendum venit:

℞. *Aqu. confortat. uſit. Auguſt.* ℥iij.
Naphæ ℥ß.
Syrup. de Beton.
Fl. Tunic. ana ʒiiß.
Eſſent. Ambr. ℈j.
M. d. ad Vitr. Sumatur cochleatim.

Vel ℞. *Aqu. Fl. Til.*
Acac.
Meliſſ.
Borrag. ana ℥vj.
Syrup. de Cinam. ℥ß.
Conf. Alk. compl. ʒß.
Matr. Perl. ppt. ℈ij.
M. d. ad Vitr. Exhibeatur cochleatim.

Vel ℞. *Conſerv. Roſ. incarn.*
Fl. Tunic.
Borrag. ana ℥vj.
Nuc. Indic. cond.
Conf. Alk. compl. ana ʒj.
Rad. Zingib. cond. ʒß.
Corall. rubr. ppt.
Unic. marin. ppt. ana ℈j.
Syrup. de Cinam. q. ſ.
M. f. Electuar. d. ad Oll. Singulis 4. vel 5. horis capiatur magnitudo Nuciſtæ.

In Diætâ à Veneris uſu frequenti abſtineatur, Cibi optimi ſucci quotidie comedantur, Vinum generoſum bibatur. Balnea Aquæ dulcis, vel *Thermæ ſulphureo-aluminoſæ* æſtivo tempore uſurpentur, ac de ſequenti Liquore confortante guttatim dabitur.

℞. *Eſſent. Zedoar.* ʒij.
Beton.
Ambr. ana ʒj.
M. d. ad Vitr. Mane ac veſperi 20. 30. aut 40. guttæ capiantur cum vehiculo conveniente, v. gr. Succolata Indorum.

Deli-

à Doloribus variis.

Deliquium à *Colicâ*, *Cardialgiâ* aliisve doloribus originem ducens in Paroxyſmo quidem ſpiritus excitantia generalia, extra eum autem anodyna poſcit & antiſpasmodica, qualia ſub Titulis de Colicâ, Cardialgiâ &c. commendavimus.

à putreſcentibus Sanguinis uteri grumis.

Quod verò à corruptione ſtagnantium in Utero grumorum ſanguinis, indeque per exhalantes, ac ſpecificâ quadam ratione conſtringentes, particulas ſufflaminato vel imminuto motu fibrarum Uteri membranacearum, totiusque hinc generis nervoſo-membranacei oſcillatorio, profectum eſt deliquium, *hyſtericam* planè *Lipothymiam* ſapit, adeoque ſimili cum *Matricis ſuffocatione* modo curari debet. Ulterius tamen heic præter communia remedia externa, Spirituum, Cordis, ac Generis nervoſi motum vibrativum ſeu oſcillatorium reſuſcitantia volatilia, internè exhibenda ſunt, quæ grumos ſanguinis diſſolvere & per Uterum leniter purgare valent; v. gr. ſi nulla adhuc Febris adſit:

℞. *Ocul. ♋. ppt.*
♁ n. diaph.
Sanguin. Hirc. ppt.
Putamin. Nuc. avellan. aa. ʒß.
Croc. orient. ver. ℈ß.
Cinam. optim. ℈j.

M. f. Pulv. ſubtil. in 5. part. æqu. divid. ad ch. Mane ac veſp. dosis cum Juſculo capiatur.

Vel ℞. *Trochiſc. de Myrrh.* ʒij.
Teſticul. equin. ppt. ℈ij.
Lign. Aloës ver.
Borac. Venet. ana ℈ß.

M. f. Pulv. ſubtil. divid. in 6. doſes æqu. ad chart. m. ac veſp. cum Vehiculo conveniente ſumendas.

℞. *Aqu. Meliſſ.*
Artemiſ. ana ℥j.
Puleg. ʒvj.
Cinamom. bugl.
Syrup. aperitiv. Mind. ana ℥ß.
Salis volatil. oleoſ. ʒß.
Tinct. Caſt. cum Spir. Sal. arm. par. ℈j.
Elæoſacch. Citr. ʒiß.

M. d. ad Vitr. Singulis trihoriis capiantur cochlearia duo.

Conſule porrò titulos de *Matricis Lochiorum ſuppreſſione*, atque *Menſium retentione*, quoniam remedia talibus in locis commendata & heic proſunt.

à Phlebotomiâ.

Si quis Phlebotomiam per idioſyncraſiam horrens ex illius adminiſtratione facilè in Animi deliquium incidat, is ante Sanguinis miſſionem *Juſculum* comedere, & hauſtum *boni Vini* ingurgitare poterit, ac dein Lecto incumbens venam ſibi aperiri curabit; naribus continuè *Spiritum cephalicum*, aut *Reginæ Hungariæ*, aliumve, aut *Acetum* vel *Balſamum peruvianum* admovendo. Dumque nihilominus animo linquere incipit Homo, ſtatim cochleare plenum *Roris Solis*, *Aquæ Cinamom. Elixiris Vitæ Matth.* aut ſimilis *Liquoris* deglutiendum offertur. Vel *Sal* ori indetur, aut eodem Labia Ægri fricentur, ſimul cum Lingua nareſq; comprimentur.

ab æſtu Sanguinis febrili.

In Febribus aliiſque ſanguinis incaleſcentiis ortum Animi deliquium ea requirit, quæ Spirituum & Sanguinis

guinis turgeſcentiam nimiam blandè compeſcere, & ſedare valent, prout ſunt Aquæ deſtillatæ refrigerantes, temperatæ, cordiales, acidulis, & nitroſis medicaminibus ſociatæ: v. gr.

℞. *Aqu. Lactuc.*
Acetoſ.
Rub. id. ana ℥ij.
Syrup. de Nymph.
Berb. ana ʒvj.
Spirit. Nitr. q. ſ. ad grat. acid.
M. d. ad Vitr. Sumatur duabus vel tribus doſibus.

Vel ℞. *Aqu. Endiv. Portulac. aa.* ℥iij.
Nymph.
Syrup. Violar. purp. ana ʒij.
Conf. Alk. compl. vel inc. ʒß.
M. det. ad Vitr. pro tribus doſibus, ſpatio novem horarum capiendis.

Vel ℞. *Aqu. fontan. aut*
Decoct. radic. Acetoſ. & Gramin. ℔ij.
Succi Citri vel Limon. ℥iiß.
Sacch. alb. ℥ij.
M. f. Julepus d. ad Vitr. pro pluribus doſibus.

Naribus admoveatur nodulus è *Baccis Juniperi, Cinamom. Caryophyll. Rutâ hortenſi*, invicem inciſis & mixtis *compoſitus*, atque *Aceto roſaceo* immerſus.

Confortantia in genere, externa. Denique in omnis Lipothymiæ paroxyſmo præter hactenus dicta generaliter proſunt *frictiones* partium extremarum cum *Sale, Aceto, Spiritu Vini camphorato, Spiritu Meliſſæ, Anthos, Roſarum, Cephalic. Aqua Carbunc. Lavendul.* & ſimilibus inſtitutæ. Imò fruſta panni coccinei, linteaque talibus ſpiritibus calefactis immerſa regioni Cordis & Carpis manuum cum fructu applicantur. Vel

℞. *Radic. Angelic. Petaſit. ana* ʒß.
Cyperi rot.
Galang. ana ʒij.
Herb. Betonic. Meliſſ.
Salv. Ocym. ana Mß.
Thym.
Flor. Roſ. rubr.
Borrag.
Tunic. ana Pj.
Bacc. Juniper. ʒiij.
Semin. Aniſ.
Cinam. opt. Caryoph. arom. aa. ʒij.
Inciſ. & contuſ. inſuantur nodulis aliquot, qui dein Vino incocti, & expreſſi Cordis regioni calidè ſæpius applicantur.

Vel *Species cordiales temperatæ Sacculo* etiam induntur, & *Sacculus* dein *Aceto bezoardico* calefacto immerſus Cordis regioni applicatur, non ſecus atque Plantis pedum, Carpiſque manuum.

Internè quoque egregia ſpirituoſa, blandè & efficaciter nihilominus penetrantia conducunt, quæ inter præter ſuperius allegata ulterius proſunt *Spiritus Meliſſæ per herbæ putrefactionem extractus, Spiritus Eboris, Sanguinis human. Roſarum ambrat. Aurum* ſi habeatur, *potabile, Elixir Citri*, & ſimil.

LOCHIORVM FLVXVS NIMIVS, vid. *Matricis Lochiorum Fluxus exceſſivus.*

LOCHIORVM SVPPRESSIO, vid. *Matricis Lochiorum retentio.*

…nes venerea.

LVES VENEREA, MORBVS GALLICVS, SYPHILIS, MENTAGRA, PVDENDAGRA, eſt univerſalis humorum per totum corpus dyscraſia & corruptio, quâ particulæ acido volatiles, nonnihil viſcidæ & corroſivæ, per impurum plerunque coitum contractæ, atque hinc toti ſanguinis maſſæ communicatæ, non tantùm glanduloſas hinc inde partes, ſed & muſculos, tendines, nervos, imò tandem & oſſa ſpecifico quodam modo exedunt, corrumpunt, atque ita quamplurimis dolorificis ſymptomatibus, Morbisque etiam variis anſam præbent.

Pars affecta.

Pars non una tantū in hoc Morbo eſt *affecta*, ſed integrum ferè corpus; etenim malum in fluidis primùm humoribus nidulatur, deinceps verò partibus quoque ſolidis communicatur, ſi non omnibus, ſaltem quamplurimis, ita ut nulla ferè pars, ſive interna, ſive externa immunis ſit, niſi in tempore præveniamus.

Modus affligendi, & Cauſa.

Duobus autem imò tribus modis dirum hoc Malum contrahi ſolet, nimirum vel per *impurum* cum infecto aut infectâ *coitum*, quæ cauſa omnium frequentiſſima eſſe ſolet; vel per *contagium* citra coitum; vel denique per *hæreditatem*, quomodo Infantes ſæpè in lucem hanc mundanam prodeunt Lue hâc ſordidâ infecti.

Per coitum impurum.

Impuro coitu contrahitur, quando vel ab infectâ Fœminâ virus illud mucoſum, ſale volatili occulto-acido-corroſivo præditum, in Vaginæ uterinæ plicis atque glandulis obhærens, per venereum Meretricis œſtrum magis excitatum, admiſſi maſculini penis poros atque canalem ſubintrat, eundemque pervadendo hinc inde ſua in ſpongioſam tunicam ſpicula infigit; quorum plura intra bidui vel tridui ſpatium fibrillas quasdam erodere, imò ipſum Proſtatarum glandularum oſtium exedere vel excoriare, hinc intra apertos facilè tubulos ſanguineos ſeſe immittere ſolent, ſuaque volatilitate cum totâ ſenſim maſſâ ſangui-neâ ſeſe beneficio circulationis communicare, eâ ferè ratione, quâ venenatæ ſalivæ Animalis rabidi volatilitas per demorſas partes ſeſe intra humoralem maſſam ingerit, pauloque pòſt deleterias Convulſiones excitat. A Viro autem Lue hâc infecto ſimiliter corruptum, atque corroſivo acido volatili ſale inquinatum ſemen in Vaginam ſanæ aliâs Fœminæ protruſum, ſimilem in illius glandulis atq; fibrillis corroſionem inſtituit, hincque ſimul humoroſo latici promptè communicatur. Poſt unum itaque alterumve, ab accepto taliter impuri ſordidique amoris veneno, diem *Gomorrhœa virulenta* omnium ferè primò in pleriſque excitatur, ſi excipias illos, in quibus Proſtatæ glandulæ à veneno hocce immunes manſerunt, utpote ſuis fibrillis admodum validis firmisque ſpicula illius maximè eludentes. Sed dein, ubi venenum magis activum fuerit, brevi ſimul *Ulcera in pene, circa penem, in vaginâ Fœminarum, Bubones, Laſſitudines, Tentigines, Satyriaſin*, inſignes Glandis dolores, ſi membrum erigitur; retractio item atq; *Inflam̃atio* tantilla *præputii*

putii, *Oſſium* deniq; *excreſcentiæ* oboriuntur. Atque ſi Maſſam jam humorum integram virus inquinavit, *Raucedo Vocis*, *Maculæ pruriginoſæ*, *Furunculi*, imò parvi *Bubones* hinc inde per corporis glandulas, in fronte, facie, brachiis pedibusque à corroſione & obſtructione efflorеſcunt; Uvula, & aliæ Oris faucĭumque glandulæ, imò ſæpè & Naſus &c. paulatim exeduntur, totaque adeo illa tragœdia excitatur, quæ in diagnoſi hujus Affectus paulè inferius fuſo deſcribitur.

Per contagium. *Per Contagium* excitatur hæc *Lues*, *contagioſa* hinc dicta, quando quis cum hâc Pudendagrâ graviter afflicto eodem in lecto cubat, ſicque illius exhalationes intra laxos fortè, & delicatos ſuæ cutis porulos facilè admittit; quando ex iisdem cum tali Homine vitris vaſisque bibit, atque edit, ut ſic aliquid de ſalivâ illius fortè haurire queat: quando iisdem in ſedilibus ſua deponit excrementa, quibus Lue infectus paulo ante inſidebat: quando denique iisdem linteaminibus lecti incumbit, in quibus morbidum illud genus hæſit, atque fortè tantillum ſudavit. Et ſi qui adhuc alii ſunt communicationis modi, per communionem veſtium, oſculorum inſertiones frequentes &c.

Per hæreditatem. Denique *per hæreditatem* à Matribus in natos cum ſanguine transmittitur miſerrimum hocce malum; ubi ſæpiùs Infantes ejusmodi ad aliquot annos vivunt, tandemque univerſalem ferè *Oſſium Cancrum*, atque *nigredinem* deleteriam adquirunt, ſub quâ etiam corruptione miſerè vitam ſuam finiunt. Infans ſic affectus etiam Nutrici ſuæ malum comunicare, & ſi dein eadem Nutrix alios Infantes lactare pergat, iisdem ſimul labem immittere valet.

Si *primam* quis ſcire cupiat Affectûs *originem*, credibile eſt, à Sodomiticis Hominum cum Beſtiis congreſſibus hoc primùm in Indiis contractum fuiſſe venenum. Clariſſ. Dolæus in *Encyclop. Medic. Dogm. p.m.* 752. refert, *ſe Bubulcum* noviſſe, *qui rem habuit cum Vaccis*, *crudeliter hoc hoc morbo afflictum*, *& tandem in carcere defunctum*. An igitur hic Morbus à *Chriſtophori Columbi* militibus, quos anno 1495. in Americam primus traduxit, cum Indorum Mulieribus venereâ Lue infectis conſuetudinem veneream exercentibus, conquiſitus, ac poſtea in Italiam reportatus, ſenſimque diſſeminatus fuerit, præſertim in famosâ illâ Neapolitanæ Urbis obſidione, à Gallis, ſub regimine Caroli VIII. Galliarum Regis, cum Alphonſo Rege Neapol. belligerantis, factâ, quemadmodum hiſtoriæ tradunt, adcuratius inquirere in tantâ rei incertitudine ſuperſedemus. *Origo prima Morbi.*

Diagnoſis. Ad cognoſcendum probè hunc Affectum oedipo ſæpè opus eſt, niſi Æger Medico ſua fateatur liberè peccata, dum ab impuro contraxiſſe malum coitu potuit. In uno enim Homine hæc, in alio alia, in plurimis etiam obſcura hujus Morbi indicia deprehendes. *Primum* ſignum, quodque paucis ab impuro coitu diebus affligere ſolet, *Gonorrhœa* eſt *virulenta*,

quam

quam tamen non contrahunt illi admodum, qui ſine coitu impuro per contagium aliud afflicti hoc malo fuerunt. Gonorrhœam verò iſtam ſæpè præcedit laſſitudo oſſifraga, gravitas totius corporis. Si virus hinc venereum fuerit acrius, in principio quoque apparebunt Ulcuſcula ſordida in partibus à veneno primùm tactis; in labiis poſt accepta oſcula, virgâ ſ. membro virili, vaginâ uteri. Præputium atque Glans ſæpè inflammantur etiam ac intumeſcunt: in Scroto quandoq; Tumores, Abſceſſus & Ulcera; in Inguinibus Bubones lividi venerei exoriuntur. Comitantur dein ſæpè hunc Affectum ſputatio frequens, phlogoſes faciei, halitus oris fœtens, vox rauca. Dolores autem vagi ſub noctem ingraveſcentes ſuſpicionem præbent Gonorrhœæ jam in Luem veneream commutatæ. Si malum altas egit, firmasque à longo tempore radices, Cephalalgias excitat noctu quidem graviores, dolores itidem brachiorum, crurumque inter duos articulos ſub noctem ingraveſcentes; veneno nimirum jam perioſtia, ipſamque oſſium ſubſtantiam erodente. Fauces etiam ſiccantur & uruntur quaſi, imò in pluribus exulcerantur, excoriantur, carnoſasve excreſcentias, vel depaſcentia ſenſim Ulcera adquirunt, quæ in malo inveterato vicinas paulatim partes erodunt, exedunt; & ita duras æquè ac ſolidas molliores partes miſerando ſpectaculo abſumunt. Inprimis Naſi extremitas rubicunda primùm, hinc livida redditur, ſideratur, aufertur, cum ſubſequente vicinarum ſenſim partium abſumtione, oſſiumque procedente ſemper Carie, acido-volatili corroſivo veneno omnia jam pervadente ac erodente; quod venenum ſi furit in ſpiritus animales cerebrique nervos, tunc oriri facilè poſſunt præter Cephalalgias immanes, Epilepſiæ, Convulſiones, Inſomnia terrifica, imò Melancholia, Mania. In aliis Gonorrhœæ virulentæ ſuccedunt Animi ſæpè Deliquia, cordisque Palpitationes. Interea apud plurimos ſimul Puſtulæ variæ majores, minoresque rubicundæ, liventes, prurientes in capite, fronte, naſo, labiis, vel alibi obſervantur. Cartilagines & oſſa narium ſpongioſa ſæpè eroduntur, naſo collabente, ut hinc per naſum loquantur Ægri. Tophi ac Tubercula apud aliquos in oſſibus excreſcunt; ſæpiùs etiam per longam moram Carie oſſa corrumpuntur, ita ut levi ſæpiùs anſâ motuque media rumpantur, iterumque conglutinentur, callo fortè meliore, quàm ipſum eſt os, internaſcente. Atque ita Ægri malum hoc omni modo ſub Cachexiæ, Scorbuti, Scabiei, Rheumatiſmi, vel Arthridis vagæ nominibus tegere ſtudent, magno cum ſanitatis ſuæ detrimento. In deſperato jam caſu capillorum adeſt Defluvium, in capite, ſuperciliis, & ipsâ quoque barbâ, acido volatili radices pilorum depaſcente ſucco: quemadmodum ſi hic ipſe ad gingivas devenerit, Odontalgias, Dentium vacillationes & caſus, Gingivæ exeſionem producit. Urina perpetim manet

net acris, Gonorrhœâ quantumvis curatâ. Ægri redduntur macilenti; Genitalia ipſa ſæpiùs exulcerantur, intumeſcunt, & quandoque prorſus abſumta delabuntur. Quamplurimos erectio Penis involuntaria, & ſæpè ejusdem incurvatio maximè dolorifica affligit, qui quidem Priapismi affectus aliquando ita vexat Hominem, ut præ membri duritie ac dolore tenſivo obambulare neſciat. Sed inprimis tum dolet, cùm præputium violenter retractum fuerit, glandemque intorſerit. Si Viri cum infectâ Fœminâ concumbentis membrum fuerit rarum, molle, ac tenerum, tunc facilius veneni particulas admittit, ac citiùs adeo Luem veneream adipiſcitur; ſi durius illud fuerit, firmioribusque fibris præditum, tum Æger vel tardius adquirit, vel planè non recipit malum, præprimis ubi ſtatim poſt coitum urinam emiſerit, ſicque propriâ mox urinâ aliquoties membrum intus atque extus probè eluerit. Si venenum acrius ac penetrantius extiterit, tunc in glande Puſtula exorietur, & Ulcusculum, paulatim non ſine dolore in vicina ſerpens, atque ichorem virulentum, mox flaveſcentem, mox videſcentem, ſubinde & fœtidum fundens, gignetur; quod in orificio ſuo calloſum ac durum nanciſcitur orificium. In Ano ſæpè & Pudendis reliquis Condylomata Ficosq; prurigino ſæ efflore ſcunt, flavæ, lividæ, duræ, nonnunquam & in Abſceſſus degenerantes. Qui effluit è glande ichor Gonorrhœæ tempore, non tam Semen eſt, quàm Lympha corrupta, è Proſtatis glandulis, internaque Urethræ ſuperficie glanduloſo-fibroſâ & excoriatâ profluens; unde Urina tales exulcerationes internas præterfluens ſuâ acrimoniâ non niſi acutum ſuſcitare dolorem poterit.

Eventus Luis venereæ diverſus eſt, pro temperiei ſanguineæ varietate; curatur illa certè millies, præprimis ſi recens fuerit, & ſanatur quidem facilè ac perfectè, modò Æger ſibimet longo tempore à Veneris exercitio temperet, ac præter uſum medicaminum diligentem ſimul Diætam obſervet exactam. Difficilius eradicatur malum in Melancholicis ac Pituitoſis, præſertim ſi inveteratum jam fuerit. Novi haud paucos, quibus hic Morbus per viginti & plures in corpore delituit annos, quique dein continuatâ glanduloſarum, membranoſarum ac oſſearum partium maximè dolorificâ exeſione, Homines inductâ macie, cum vel ſine Hydrope, è medio ſuſtulit, in provectiore ſic ætate Juventutis delicta, miſerabili carnis conſumtione graviter luere coactos. Steriles evadunt, qui gravius hoc malo afflicti fuerunt. Mulieres mitiùs plerunque tractantur in hoc Affectu. Si Caries jam oſſa cranii, brachiorum, crurum, cartilagines item varias narium &c. prehenderit, in medendo malo cauſâ cades, nec credas te laudabile quid præſtiturum. Autumno & Hyeme, hinc & in Regionibus frigidioribus Morbus difficilior curatu; unde Angli, ut felicius ſanari queant, natale ſolum relinquunt, atque in Galliam transfretant, Progno-ſis.

fretant, ibique ſub Aëre longè puriore, ſubtilioreque citiorem ſibi curam conciliant aut promittunt.

Curatio. In *Curatione* reſpectus habendus tum ad dyscraſiam ſeu corruptionem univerſalem humorum, tum ad Symptomata plura urgentia: illa requirit medicamenta ſanguinem ab omnibus heterogeneis moleculis viſcidobus acribus corroſivis egregiè liberantia, adeoque depurantia: hæc verò diverſis remediis, pro caſuum varietate mitigantur & abiguntur.

Maſſa tota ſanguinea multiplici modo depurari, corrigique ſolet, prout nunc magis, nunc minùs radicatum & amplificatum fuerit malum. In mitiore Affectu per *purgantia* ferè morbus curari ſolet. Itaque heic primò datur *Mercurius dulcis optimus ad* ℈j. cum *Extracti catholic.* vel *panchymag. Croll.* eâdem quantitate; cujusmodi doſis ſingulis ferè quatriduis repeti poteſt, eandem etiam augendo ſi non ſatis purgaverit ſemper, cavendo tamen ſalivationem. Atque hæc curatio intra tres ſeptimanas ad ſummum abſolvi poteſt. Die poſt primam Pilularum doſin mane exhibe *Salis polychreſti* ʒij. in *Juſculo*, aut *Julepo ex Syrupo de Nymph.* cum *Aqu. Plantagin.* & *Ulmariæ*. Reliquis autem diebus à purgatione vacuis mane ac veſperi bonum *Decocti Lignorum ſudoriferi* hauſtum propinabis, quod ſequenti vel ſimili modo parabis:

℞. *Raſur. Lign. Guajac.*
Saſſaphr.
Cortic. Lign. Guajac.
Rad. Sarſæparill. ana ℥ij.
Filic.
♄*n. crudi.*
Paſſular. min. ana ℥iß.
Inciſ. & contuſ. coqu. in Aquæ font. ℔viij. *in vaſe duplici per trihorium, poſtquam per* 24. *horas in tepido loco infuſa fuerint. Colatura cum albumin. Ovi clarificata d. ad Vitr.*

Si quæ interim Symptomata Ægrum exercent, illis methodo conſuetâ, ſuisque locis indigitatâ occurrendum; remedia ſcilicet in uſum vocando, quæ ſimul acrium humorum edulcorationem non impediunt.

Ita *Gonorrhœa virulenta*, ſi juncta fuerit, deſiderat etiam remedia ſuo loco commendata. *Animi imbecillitas* medicamina poſtulat *analeptica* & *confortantia*, quibus omnibus pro lubitu quoque *Eſſentiam Lignorum* vel *Tincturam* ♄*nii* aſſociare licebit.

Si qui ſunt hoc Malo infecti delicatiores, *purgationis* loco in hâc methodo ferent ſeqq. pilulas:

℞. *Mercur. corallat. Helmont.* vel
dulc. ſexies ſublimati.
Extract. Hellebor. nigr. ana ʒij.
M. f. Pilulæ num. 90 *Inaur. d. ad ſcat. De quibus quarto quovis die decem vel* 12. *ſummo mane capiantur cum debito regimine diætæ.*

Poſtridie purgationis mane ac veſperi ſequentium Pilularum doſin ſumant:

℞. *Extract. Fumar.*
Lign. Guajac. ana ʒj.
Cinnab. nativ. opt.
Flor. Sal. arm. hæmatit.
Salis Succin. volat. ana ʒij.

M. f. Pilulæ num. 220. *Conſperſ. pulv. Liquirit. d. ad Scatul. Doſis ſunt* 10. *vel* 12.

Tertio die m. ac veſp. ſudor eliciatur hoc vel ſimili *Pulvere*:

℞. *♁nii diaph.*
Bezoard. min.
Cinnab. nativ. opt. ana ℈iiij.
M. f. Pulv. ſubtil. in. 8. *doſes æqual. divid. ad ch. Sumatur doſis ſemper cum Aquâ Ulmariæ.* Vel

℞. *♁nii diaph.* ℈iiij.
Bezoard. miner.
Cinnab. ♁n. corr. ana ℈j.
M. f. Pulv. ſubt. in 4. *doſ. æqu. ad chart. cum Aqu. Fumar. Ulmariæ vel Scabioſ. ſumend.*

Vel ℞. *Extract. Fumar.*
Betonic. ana ℈j.
Diaph. ♃vial.
Cinnab. ♁n. correct.
Salis volat. Lumbr. terr. vel Succin. ana ℈ij.
M. f. l. a. Pilulæ num. 80. *Conſperſ. pulv. Liquirit. d. ad ſcatul. Sumantur* 12. *vel* 15. *pro doſi.*

Vel ℞. *♁nii diaph.*
Salis volatil. Viperar. ana ℈ij.
Cinnab. nativ. opt.
Bezoard. min. ana ℈j.
Extract. Liquirit. q. ſ.
M. f. Pilulæ num. 80. *Inaur. d. ad ſcat. ac ſumantur* 13. *vel* 15. *pro doſi, cum Aquâ flor. Sambuc. vel Decocto Lignorum, vel ſequenti etiam Mixturâ*

℞. *Aqu. Ulmar.*
Scorzoner.
Fumar. ana ℥ij.
Syrup. Flor. Tunic. ℥iß.
Spirit. volat. Viper. vel C. C. ʒiß.
Rotul. Man. Chriſt. perlat. ʒij.
M. detur ad Vitr. per cochlearia cum Pulveribus vel Pilulis exhibeatur.

In *Diætâ* tenuior ſit victus ratio, acida, maximè ſalita, fumo ſiccata, concoctuque difficilia ſunt vitanda. *Juſcula conſumata*, etiam *hordeacea*, atque *avenacea* quàm maximè conveniunt, quibus junge Animalium teneriorum, nimirum *Avicularum, Pullorum, Perdicum, Caponnm, Coturnicum, Vitulorum carnes*, cum *Radicibus Siſari, Scorzoner. Cichorii, Petroſelin. Apii ſelin. Carlin.* &c. probè coctis & præparatis. Ab uſu *Vini* abſtinendum, & pro ordinario potu bibendum eſt *decoctum Ligni Quajaci, Saſſaphr.* & *Radic. Gramin. Scorzon. Sarſæparill. Liquir. Ulmar. Carlin. Filicis.* Liberior *Aëris* uſus quoque vitetur, donec curatio ſit abſoluta, poſt quam tamen adhuc omnes Diætæ errores aliquandiu vitentur. *Venus* omni modo fugiatur. *Venæſectio* in principio poſt purgans inſtitui poteſt, niſi Æger *Anæmiâ*, i. e. ſanguinis penuriâ laboret. Diæta.

Secundus Modus hanc Luem tractandi eſt prorſus *ſudoriferus*, qui interdum per tres ſolum hebdomadas durat, interdum etiam ad uſque ſextam hebdomadam extenditur. Ante omnia quoque heic corpus purgandum eſt *Pilulis* aliquibus ſupra deſcriptis, vel poterit ſeqq. *Potio medicata* propinari: Secundus modus curationis Luis venereæ.

℞. *Syrup. de Cichor. cum Rhab.* ℥ij.
Aqu. Ulmar. ℥iß.

Confect.

Confect. Hamech. ℨj.

M. ad Vitr. pro doſi, mane cum regimine Diætæ capiendâ.

Vel ℞. *Syrup. roſ. ſolut. compoſ.* ℥iß.
de Spin. cervin. ℨvj.
Aqu. Fumar.
Succiſ. ana ℥ß.
Elect. è Succ. Roſar. ℈ij. *vel* ℨj.
M. d. ad Vitr. pro doſi.

Ejusmodi *Purgans* poſt ſingulos 7. vel 8. dies eſt reiterandum. Poſtridie primæ purgationis *Vena* brachii *ſecetur*, atque ſeptem vel octo ſanguinis unciæ emittantur. Dein mane ac veſp. bonus hauſtus *Decocti ſudoriferi*, ſuperiùs jam deſcripti, propinetur calidè, hinc verò Æger paulo pòſt in *Laconicum* vel *Stupam ſudatoriam* ſeſe recipiat, in quo per calorem ab accenſo *Spiritu Vini rectificato* in ſcutellâ æneâ non admodum amplâ excitatum toto corpore, excepto Capite forâs prominente, ſuder, & poſtquam benè ſudavit ad horæ ſpatium, linteis calidis ſudor cum leni fricatione abſtergatur, inque lectum Æger calentem denuò reponatur. *Stupha ſudatoria* loco *Spiritûs Vini accenſi* ſolis etiam *Prunis* calefieri poteſt. Inter ſudandum reficiendus eſt Æger *Mixturâ cordiali*, cujusmodi formula ſeqq. eſt:

℞. *Aqu. Meliſſ. Ulmar. ana* ℥j.
Flor. Acac.
Fragor. ana ℥iß.
Syrup. Rub. id. ℥j.
Confect. Alk. compl. ℨj.
♁ *n. diaph.*
Matr. Perl. ppt. ana ℈ij.
M. d. ad Vitr. Sumatur cochleatim.

Noctu cubitum iturus dabis *Emulſionem anodynam* ex *Amygdalis* ac *Seminibus frigidis*, cui ſemper de *Ebore ppt. Pulvere Viper. ppt.* ♁ *nio diaph.* vel *C. C. philoſ. ppt.* ℈j aut ℨß. immiſceatur. Sudor ergo continuandus eſt, donec omnia ſymptomata evanuerint, *purgantia* ſuis temporibus intercalando.

Quod ſi poſt elapſas tres hebdomadas ſudor adhuc neceſſarius erit, ſemel quotidie provocatus ſufficiet, ne in Tabem Æger conjiciatur, exiccato præter modum corpore, quam tamen *Emulſionibus anodynis, Juſculis analepticis conſumatis*, & *Mixturis cardiacis* præcavere facilè poteris. *Diæta* heic eadem, quæ in priore methodo obſervanda eſt.

Tertius modus, isque ferè omnium ſecuriſſimus eſt *Curatio ſalivatoria*, quæ non niſi ſex hebdomadarum ſpatio abſolvitur, quarum duæ vel tres primæ conſumuntur præparatione ad ſalivationem, reliquæ ipsâ hâc excretione abſolvuntur, ſub finem addendo, quæ nervos admodum debilitatos roborare valent. Ante omnia ergo corpus purgatur *Pilulis mercurialibus*, uti ſuprà, vel *Potione purgante*, pridie tamen purgationis vel *Clyſma emolliens* ac *detergens*, vel *Pulverem digeſtivum* ex ♁ *n. diaph. Ebor. ppt. Crem.* ♀. aut *Sale Abſynth.* exhibebis. Poſtridie purgationis *Vena ſecatur*, niſi Bubo Abſceſſusve venereus id impediat, cujus materia per adminiſtratam *Venæſectionem* in ſanguinis maſſam regrederetur. Tertio & quarto die *Decoctum emolliens* & *reſol-* *Tertius modus.*

reſolvens exhibetur, quod non ſolùm humores ad linquendas ex ſe facilè particulas heterogeneas, liquare, ſed & ad obſtructos ubique poros reſerare poteſt: quale v. g. ſequens exiſtit.

℞. *Radic. Scorzoner. Filicis,*
Apii,
Salſæparill. ana ℥iij.
Lign. Guajac.
Sarſaphr. ana ℥iiß.
Herb. Malv.
Violariæ ana Mß.
Hordei integr. pug. ij.
Inciſ. & contuſ. coqu. in ſ. q. Aquæ fontan. per dimidiam horam. Colaturæ ℔ij. *d. ad Vitr. Bibatur quatuor doſibus mane ac veſperi. In primâ doſi ſimul propinentur Salis polychreſt.* ℥ij.

Hoc epoto decocto *purgans* repetatur, hinc *Vena* denuo *ſecetur*, ſanguinem ad ℥vj. vij vel viij. extrahendo. Dein per triduum mane ac veſperi Æger *Balneo Aquæ dulcis* immittatur, ac per horæ ſpatium ibi maneat, ex *Decocto Malvæ, Alth. Violariæ, Mercurial. Borrag. Bugloſſ. Lactucæ*, ac bonæ *Hordei integri* quantitatis, cujus *Balnei* uſu totum corpus probè humectatur, humoresque fluxiles, aptioresque redduntur ad futuram ſalivationem. Si Dolores artuum, vel Cephalalgia, aut Paralyſis adſit, ſimul *Balneo* incoquere poteris *Chamædryn, Chamæpithyn, Salviam, Origanum, Calaminthàm*, aliasque *Herbas cephalicas* & *antarthriticas*. Dein per triduum *Apozema* rurſus *aperitivum* potandum exhibeatur, vel ſimile ſuperiori, vel ſequens:

℞. *Radic. Cichor. hortenſ. ſ. Endiv.*
Scorzoner. ana ℥ß.
Herb. Agrimon.
Fragar.
Flor. Bugloſſi.
Geniſt.
Borrag. ana Mß.
Semin. Fœnic. ʒj.
Rhab. elect. ʒij.
Cinam. acut. ʒj.
♀*ri alb.* ℈ij.
Inciſ. & contuſ. affunde
Aqu. fontan. fervent. ℔ij.
Stent per noctem infuſa, poſtridie mane iterum calefacta exprimantur, ac filtrentur, addendo Syrup. Violar. q. ſ. ad grat. dulced. De quo ℥iiij. *uno hauſtu ſumantur.*

Dein iterum *Balnea* per triduum vel quatriduum uſurpentur. Tandem rurſus doſin *Pilularum purgantium mercurialium* capiat Æger, poſtquam *Salis polychreſti* aſſumtione corpus pridie veſperi præparaverit. His præmiſſis, per triduum mane ſemper ſumatur *Mercurius dulcis ter ſublimatus* ad ʒß. *pro doſi*; & niſi *ſalivatio* ſecundâ jam aut tertiâ die per tumorem glandularum Oris ſeſe monſtrare incipiat, *mercurialis Inunctio* adhibebitur; quem in finem *Unguentum* parabitur *Neapolitanũ*, vel elegantius ſeqq.

℞. *Unguenti pomat. vel*
Axung. porcin. ℥iv.
Mercurii vivi optimè purgati, ac pauxillo Tereb. ſubacti ℥ij.
Ol. ſtillat. Roriſmar.
Lavend.
Thym.
Serpill. ana ℈j.
M. f. Un-

M. f. Unguentum ſecundùm Artem, d. ad Oll. Ubi tamen probè notandum venit, quòd loco *Oleorum* tot *deſtillatorum* ſolum *Baccarum Lauri oleum* apud plebejos aſſumi poſſit. Hoc *Unguentum* primâ die circa Cubitum, Carpum, Genu, & Talum ad ℥ß. inungatur, ſequenti die plus, ubi ſimul incipiet ſaliva jam copioſius è glandulis ſecerni, atque viſcida craſſa exiſtens Tumores illarum partium primò producere, dein ſenſim viſcido-acris prodire, & Oris partes irrigare, ſuaque acrimoniâ, ni præcaveatur, arrodere & exulcerare. *Inunctio mercurialis* ter, quater vel pluries continuanda, usq; dum ſaliva benè, quanquam viſcida adhuc prodire incipiat, totamque Linguam flaccidam &c. efficere.

Antequam inunctio quævis fiat, priùs Articuli calidis ſunt fricandi linteis. Ab uſu inunctionis deſiſtendum, quamprimum incipiet ſaliva benè procedere, neque enim nimium eſt urgenda *ſalivatio*, ne glandulæ Oris & Palati ab exceſſivâ quantitate ſalivæ ſecretæ intumefiant, ac inde tracheam vaſaque vicina maximè premendo Ægrum ſuffocent. Si verò ſaliva non benè profluat, inunctio quoque in plantis pedum & dorſo ſemel inſtitui poteſt. Tamdiu autem poſtea eſt linquenda ſalivatio, donec ſaliva non amplius turbida, craſſa lenta atque viſcida profluat, quando enim inſtar Cryſtalli pellucida evaſit, ſignum eſt, vitioſam materiam omninò evacuatam eſſe, adeoque tum ſiſtendus eſt ejus fluxus, quod fit tum *internis*, tum *externis* remediis. *Internè* dabis *Infuſum Fol. Senæ cum Rhabarb. Semin. Aniſ. Radic. Filic. Scorzoner. Sale polychreſt.* &c. *in Aquâ factum*, atque ſemel vel bis propinabis. *Externè* Os ſæpè collues cum *Decocto Lignorum*, cui immiſtum ſit *Mel roſaceum* atque *Spiritus Vitrioli ad aliquot guttas*, pro conciliandâ adſtrictione. Vel *Sal Vitrioli decocto* admiſceri poterit in eundem uſum.

Poſt peractam ita Salivationem Æger per quatuor vel plures dies mane aut veſperi, vel utroq; tempore in Lecto ſcamnove ſudet ad Mercurii reliquias expungendas, poſt aſſumtam *Decocti* ſuperioris *diaphoretici* doſin. Ac denique per quatriduum ad Vires refocillandas iterum uſurpet *Balneum Aquæ dulcis* ex incoctione *Plantarum cephalico-nervinarum*.

Inter ſalivandum *Mixturam* ſæpè *cardiacam* cochleatim propinabis: v. gr.

℞. *Aqu. Borrag.*
Flor. Acac.
Ulmar. ana ℥iß.
Syrup. Rub. id. ℥iß.
Confect. Alk. compl. ʒj.
Matr. Perl. ppt.
Bezoard. miner. ana ʒß.
M. d. ad Vitrum.

Dein ad præcavenda exedentia multum *Oris Ulcera*, eaque ſenſim, ſi adfuerint, detergenda & curanda, præter frequentem Oris cum *decocto Herb. Scabioſ. Brunell. Agrimon. Sanic. Flor. Sambuc. Malv. hortenſ. Liguſtr.* atque *Lignorum calido gargariſationem*, etiam exterſio ejus inſtituenda venit — *Quomodo curanda Oris Ulcera.*

n

venit cum *Melle roſaceo*, *Roob dianucum*, *Lapid. prunell.* & *Decocto Lignor.* vel *Aqu. Ulmar. Plantag.* &c.

Diæta per omnia obſervetur ut ſupra. *Salivatio* ad vigeſimum usque diem plerunque extenditur, ac relinquitur, poſtea verò ceſſare cogitur. Atque hæc operoſa curandi methodus omnium certiſſima eſt in illis, apud quos *Lues venerea* per longum jam tempus radicata fuit.

Brevior ſalivandi methodus in mitiore malo ſic inſtituitur: primò *digeſtivus* unus & alter *pulvis* ex ♁*n. diaph.* & *Sale polychreſto* exhibetur: poſtridie purgatur corpus *purgante* exhibito *mercuriali*; tertiâ die Vena ſecatur: quartâ purgatur denuo: quintâ, ſextâ & ſeptimâ *Turpethum minerale correctum ad gr.* 4. 5. 6. *vel* 7. cum *Mercurii dulcis ſcrupulo* mane ſummo datur cum *Conſervâ Roſar.* vel *Violar. Borrag.* &c. Sic inchoabitur *Salivatio*, quæ 15. dierum ſpatio durabit, vel aliquot dies ultra, eaque maſſam totam depurabit, glandularum hinc inde obſtructarum vias expediet, Ulcera, Tophos, Nodos, aliaque Luis ſymptomata extirpabit, ac feliciter perſanabit.

Symptomatibus verò Salivationis interea ex arte occurrendum. Tandem abſolutâ Salivatione Corpus iterum ſemel vel bis *Infuſ. Fol. Senn.* & *Rhab.* purgandum; poſtea aliquoties ſudandum, & corpus *Balneo* per paucos dies refocillandum, non ſpreto *confortantis opiatæ* uſu ex *Conſerv. Anth. Beton. Borrag. Condit. Citr. Nucis Indic. Ebor. ppt. Matr. perl. ppt.* &c. *Diæta* probè ſervanda. Atque hâc methodo Chirurgi hodie nonnulli perquam feliciter plurimos ſæpè reſtituere ſolent in integrum. Dum ſalivant Ægri, fœtent quandoque immaniter, ſed eapropter Salivatio non ſiſtenda, nec *hypnotica* in uſum vocanda ad ſoporem Ægris conciliandum, ne intempeſtivè ſedatus fluxus Homines ſuffocet.

Durante tali curâ *Aër* liber eſt vitandus, ab *animi Paſſionibus* maximè deſiſtendum. *Alvus* arte vel naturâ aperta eſſe debet.

Quartus iterum *modus*, & hodie quoque uſitatus citra *Salivationem* ſequens eſt, isque minùs ægris moleſtus, ſed certus tamen, ac ratione non minus, quàm experientiâ probatus. In quo corpus primum ſicut in reliquis modis *purgatur* bis vel ter, *Venæſectio* circumſpectè inſtituitur; *Clysma* quoque purgationi præmittitur; *purgans* è *Caſſiâ recenter extractâ* in formâ *Boli* cum *Mercurio dulci* & *Scammonio* 🜍*rato*, vel in formâ *Potionis* exhibetur; poſtea verò ſtatim ſequens *Decoctum* uſurpatur: *Quartus curationis modus.*

℞. *Radic. Sarſ. parill.*
Chin. ana ℥iiß.
Liquirit. Filicis maj.
Ireos florent. ana ℥j.
Cortic. Lign. Guajac.
Lign. Saſſaphr. ana ℥iij.
Fol. Senn. opt. mund. ℥ij.
Cryſtall. mineral. ℥j.
♁*nii crudi nodulo incluſ.* ℥xij.
Mercurii vivi purificati, quadruplici linteo imponendi atque in Ollâ de Filo ſuſpenden-

ſpendendi ſubter Aquam, ne materiam tamen reliquam attingat, ℥iij.

Auri præcipitati ℈ij.

Inciſis, contuſis invicem, atque Ollæ terreæ novæ immiſſis affunde

Aqu. fontan. pur. Menſ. 12. *quarum ſingulæ pondus complent quatuor circiter librarum ponderis civilis.*

Stent in Infuſione per horas 12. *in cineribus calidis, poſtea Ollam Carbonibus ignitis impone, & coque ſic lento igne usq; ad conſumtionem tertiæ partis, quòd intra ſpatium trium vel quatuor horarum continget. Olla tecta ſit linteo quadruplici, atq; duplici operculo. Quando materia bullire incipit, tum demum Antimonium in nodulo ligatum Mercuriumq; ſuſpenſum immitte. Imò ipſum quoque Antimonium ſuſpendi, atque ita liquori immergi poteſt, ne tangat reliquas ſpecies, quanquam nihil videam ex hoc contactu Antimonii metui poſſe. Tandem quando tertia jam pars conſumta eſt, Folia demum Senæ cum* ℥j. *Liquirit. immitte demto* ♁*nio & Mercur. & adhuc per pauca momenta bullire permitte, ac tum Ollam ab igne remove, cumq; Decoctum refrixerit, cola.*

De hoc igitur *decocto* quotidie *ſex cyathi* exhauriantur, nimirum duo mane horâ ſeptimâ, prandium offeretur horâ decimâ vel undecimâ; trihorio poſt prandium iterum duo cyathi ebibantur, cœna ſit horâ 6. vel ſeptimâ veſpertinâ; ac trihorio poſt tres ultimi cyathi propinentur. Unusquisque autem cyathus capax ſit 4. vel 5. unciarum. Atque ſic continuabis usque ad conſummationem *Decocti.* Hinc purgabis iterum, atque novum *Decoctum* parabis; quo iterum abſumto, denuo corpus purgabis, atque tertiâ vice *Decoctum* in uſum vocabis. Tandem curam finies *purgante* exhibito.

Ratione *Diætæ* ea obſervabuntur, quæ in primâ methodo fuerunt indigitata. Inprimis autem præter *bona Juſcula, Panem comedet Æger toſtum* vel *biscoctum* cum *Carnibus teneris aſſatis* magis quàm *elixis. Potus* erit *Ptiſana* ex *decoctione reliquiarum ſuperioris decocti* in *Aquâ parata*, ſed per aliquot horas etiam hanc *Ptiſanam* coques. *Diæta.*

Quod ſi *Ulcus* quoddam os occupabit Ægri, guttulas quasdam *Spiritus Sulphuris* permiſcebis *Ptiſanæ calefactæ*, & Os atque Palatum gargariſabis. Mane tamen per curationis tempus, horâ unâ poſt aſſumtum *decoctum* ſumes *Juſculum carnium* bonum. Interea neque ſudandum, neque Salivatio procuranda eſt; Æger per Ædes obambulabit, ſed frigidus tamen, humidusque aër vitandus. *Ulcus oris.*

Aurum Præcipitatum, pro hoc curationis modò requiſitum ita paratur:

℞. *Folior. Auri vel Auri limati* ʒij.
Spirit. Nitri ℥ij.
Salis ammoniaci probè triti ℥ß.

Soluto hoc ſale in ſpiritu, Aurum injice, hinc coque ſuper ignem lenem in phialâ rotundâ, donec Aurum probè diſſolutum fuerit. Poſtea guttatim infunde circiter dimidiam unciam Olei ♀*ri per deliq. usque dum Aurum ad fundum*

dum ſit præcipitatum ; hoc dein quater vel quinquies affuſâ Aquâ calidâ edulcorabis, usque dum Aurum omni ſapore fuerit privatum ; tandem illud ſuper papyrum expones, & calore blando ſiccatum in uſum vocabis.

Curatio particularis.

Curatio particularis in hoc Morbo reſpicit varia Symptomata eundem comitantia, vel ſalivationi quoque, ab imperitis Chirurgaſtris malè inſtitutæ, ſupervenientia.

Tentigo & Priapiſmus.

Hinc *Tentigo* vel *Priapiſmus* corrigi, tollique poteſt, ſi virile membrum ſæpiùs *Lacti calenti* immittatur, in quo *Malva*, *Ruta*, *Althæa*, *Violaria*, *Endivia*, *Solanum* &c. cocta fuerint. *Unguentum* etiam *roſatum*, item *martiatum* cum *Mercurio dulci*, vel *præcipitato albo* permiſtum non ſine fructu inungitur. Intus dandæ ſimul ſunt *Emulſiones*, ex *Seminibus frigid. majorib.* & *minor.* cum *Semin. Cannab. Agni caſti*, & *Aqu. Portulac. Nymph. Lactuc.* paratæ.

Ulcera pudendorum.

Ulcera varia, in ſinu pudoris vel circa membrum virile à corroſivo acido venereo exorta, non felicius, citiusque curantur, quàm ſi diligenter *Urinâ* adhuc *calente*, vel *Decocto Ligni Guajaci*, *Radic. Helleb. nigr. Filicis*, *Herb. Plantag. Millefol. Alchym.* in quo ſimul tantillum *Mercurii ſublimati* vel coctum vel diſſolutum fuerit, eluantur, & hinc *Linimento ſaturnino Zwelferi* cum admixtione *Mercurii præcipitati* inungantur, usque dum ſanata fuerint. Ad perfectam verò conſolidationem *Emplaſtrum diapalma*, vel *de Bolo* cum *Mercur. dulci* optimè conducit.

Bubones venerei.

Bubones venerei, ſive *Tumores inflammatorii* in Glandulis inguinalibus præcipuè occurrentes, maturabis ante omnia *Cataplaſmate* è *Farinâ Fabarum*, *Herbâ Chelidoniæ*, *Malvæ*, *Croco*, *Cepis* & *Melle* parato; & ita promtè ad maturitatem perducti, ſi ſponte non aperiantur, arte rumpendi, atque hinc factum Ulcus *turundis* immiſſis unâ cum *digeſtivo Unguento*, quod è *Terebinth.* cum *Melle roſaceo*, atque *Eſſent. Lign. Guajac. Myrrh. Aloës* &c. paratum ſit, extergi poterit, deſuper poſito *Emplaſtro Diachyl. cum Gumm.* vel *Opoteldoch.* Quod ſi *dolores acerbiſſimi* jungantur Buboni, mitigabis illos, ſi *Cataplaſmati* ſimul *permiſceas Flor. Verbaſc. Chamomill.* ac *Melilot.* Quod ſi *Bubones ſcirrhoſi* magis ſint, neque in *Abſceſſus* tendant, tum imponendum eſt vel *Emplaſtrum diſcutiens*, vel *Cataplaſma diſſolvens* ac *diſſipans*. *Emplaſtrum* conducit *de Cicutâ*, *de Ranis Vigonis cum triplo Mercurii*, quæ ſimul *Oleo deſtillato Baccarum Lauri* vel *Ligni Guajaci* exaltari poterunt.

Tumor Scroti inflammatorius.

Tumor Scroti inflammatorius ſæpiùs diſcutitur *Cataplaſmate* ex *Foliis Rutæ*, *Ebuli*, *Solani*, *Chelidoniæ majoris* invicem tenuiter ſectis atque miſtis, Vinoque tandem incoctis, addendo *Spiritum theriacalem camphoratum*. Si ad *ſuppurationem* vergat, tunc cura ſicut in *Bubone* eſt inſtituenda. Si Tumor idem fuerit durus ad *Scirrhum* tendens, minimè inflammatorius, tunc feliciter diſcutitur *inunctione* diligenti cum *Balſamo* ♀*ris ſuccinato*, vel *Oleo deſtill. Ligni Guajaci*, quod potens eſt, vel *Oleo Scorpionum*,

pionum Matthioli, quod languidius operatur. Prodeſt & heic *Cataplasma* validè *diſſipans* ex recentibus *Herbis Ariſtol. rotund. Rutæ*, *Verbenæ*, *Ebuli*, *Folior. Sabin. Radic. Sigill. Salom.* ac *Cepar.* Quæ incidi tenuiter, invicem probè contuſa miſceri, & paululum calefacta imponi poſſunt, ſæpiùs iterando.

Tophi, ſ. Gummata gallica. *Tophi* ſeu *Gummata gallica* hinc inde per corpus à Lymphâ gypſeâ venereâ, inprimis circa Brachia, Frontem, ſub formâ Tuberculorum dutem, ſub formâ Tuberculorum duporum efflorescentia, requirunt potenter *reſolventia* atque *diſcutientia*; ubi conducit ſeqq.

℞. *Empl. diachyl. cum Gumm. de Cicut. ana* ℥j.
Mercur. viv. Tereb. extinct. ℥ß.
Ol. deſt. Lign. Guajac. ʒij.
Miſce diligenter, *& exhibe ad Oll.*

Solent alii etiam *Laminas plumbeas Mercurio illitas* imponere: vel Tubercula prorſus reſecare, atque hinc, ſi ad Os carioſum tenderint,

Caries. *Caries* illa vel *raſorio inſtrumento*, vel *cauterio actuali* deleri debet, methodum conſolidandi reliquam obſervando, ſicuti in *Oſſium Carie*. Si Caries ſit levis, tum præſcribi poteſt *Decoctum Scordii*, *Perſicariæ*, *Sabin. Lignorum*, *Euphorbii* &c. in *Aquâ Calcis vivæ* factum, cui addi poteſt tantillum *Aquæ phagedænicæ*, ſive *ſolutionis Mercurii ſublimati* in *Aqu. Plantaginis*.

Puſtulæ, exanthemata, Scabies, Fiſſura cutis. In *Puſtulis*, *Exanthematibus*, *Scabie*, & *Fiſſuris* proſunt *edulcorantia*, *demulcentia*; præprimis *Linimentum ſaturninum* cum *Mercur. præcipitat. rubr.* vel *alb.* Aliis placet *Elixir balſamicum* qualecunque *amarum*, illitum ſæpè vel applicatum. Commendantur ulterius *Unguentum de Nicotianâ*, *Gallio luteo*, *Helenio*, *Perſicariâ*, *Sabinâ*, *Ariſtolochiâ* &c.

Puſtulæ & Ulcuſcula Narium. In *Puſtulis* & *Ulcuſculis Narium* exedentibus pro ſecreto habuit *Dolæus* ſequens *Linimentum*:

℞. *Cinnab. nativ.*
Sacch. Saturni.
Spermat. cet.
Camphor. ana q. plac.
Except. cum Balſ. Peruviano fiat Linimentum, d. ad Oll.

Capillorũ defluvium. *Defluvio Capillorum* medeberis non niſi *Capillamento artificiali*, quo uti poteris, donec poſt methodicam curationem univerſalem Pili rurſus ſuccreverint. Interea *caput* ſubinde lavare poteris *Vino*, cui *Salvia*, *Origanum*, *Perſicaria*, *Majorana*, *Tanacetum*, *Serpillum*, *Melilotus* incocta fuerint, poſt lotionem caput *linteis* ſtatim *calidis* probè ſiccando.

Dolor capitis & articulorum. *Dolor Capitis & Articulorum* mitigatur *purgatione* repetitâ *mercuriali*, & *Emplaſtro de Ranis Vigon. cum triplo Mercurii*, *Emplaſtr. de Nicotian. Oleo deſt. Ligni Guajac. acuato* & impoſito. Nec rejicimus *Cataplasmata* ex *Herbis* recentibus *Majoran. Meliſſ. Perſicar. Rut. Sabinæ*, *Chamædr. Chamæpit. Betonic. Verben. Trifol. fibrin.* &c. conciſis parata.

Tinnitus aurium. *Tinnitus aurium* tollitur inſtillato *Spirit. Anth. Fœnic. Meliſſ.* cum *Oleo Amygd. amar.* Poterit ſpiritibus illis prius infundi *Lignum Guajac.* vel *Saſſaphras*, *Radix Ireos florentin. Chelidon.*

lidon. major. addendo àliquot guttulas *Spir. Salis arm. urinoſ.*

Gonorrhœa virulenta. *Gonorrhœa virulenta* peculiari methodo eſt tractanda, uti ſuo loco indigitavimus.

Tabes. Si *Tabes* adfuerit, proderit *Gelatina C. C. Pulvis Viperar. ppt. Sal. volat. Viperar.* cum *Diaph.* ♃*viali* probè parato mixtum.

Caruncula meatûs urinarii. *Hyperſarcoſis* ſeu *Caruncula*, in meatu urinario exorta, difficulter admodum tollitur, propter affecti loci incommodum ſitum. Nihilominus per *cathæretica* quomodocunque in urethram intruſa auferetur; ſumenda igitur *candela cerea*, ejusque extremitati *Calx viva*, *Mercurius præcipitatus*, *Tutia*, *Lithargyrium*, *Alumen uſtum*, ♁*n. diaphoret. Pulvis fol. Sabinæ* &c. immiſcenda veniunt. Imò talia remedia per cannulam argenteam flexilem in extremitate hiantem applicari poterunt. Vel parant *Unguentum*, uti *Dolæus* habet, ex *Melle in cineres cremato*, *Tutiâ ppt. Butyro recent.* in *Aqu. Plantaginis* vel *Leviſtic.* loto, *Cerâ flavâ*, cum admiſto *Aluminis uſti* tantillo. Paratur etiam injectio ex *Decocto Hordei*, *Lignorum*, *Radic. Filic. Ariſtoloch. rotund. Alumin.* vel *Vitriol. uſto*, cum *Unguento Ægyptiaco*, quod aliâs *Linimentis* vel *Unguentis* permiſceri ſolet. Imò *Unguent. roſatum* cum *Mercur. præcip. rubr. Tutiâ ppt. Sacch. Saturni* &c. egregium eſt medicamen, ſenſim carunculam, ſi per cannulam intruſam Urethræ adplicari poſſit, abſumens. *Ulcus* poſt abſumtam *carunculam* reſtans *injectionibus* eſt conſolidandum, quales parari ſolent ex *Decocto Sanicul. Pyrol. Ariſtoloch. Veron. Flor. Roſ. rubr.* in *Aqu.* & *Vin.* fact. cui addes *Unguentum diapompholygos*, *Vitriolum* vel *Alumen uſtum*, & *Camphoram*, vel *Spirit. Vini camphoratum theriacalem*, *Mercur. dulc. Spodium ppt.*

LVMBAGO, LVMBORVM DOLOR, vide *Dolor Lumborum.*

LVMBRICI, VERMES INTESTINORVM

Lumbrici. **LVMBRICI, VERMES INTESTINORVM** ſunt Animalcula viventia diverſæ figuræ, in canali Inteſtinorum ex ovulis Inſectorum vivificatis progenita, atque rodendo, chylumque è Ventriculo advenientem abſorbendò, varia ſymptomata producentia.

Eorum ſpecies. Habentur atque inveniuntur diverſæ Lumbricorum *ſpecies*, quarum Lumbrici teretes, oblongi. *prima* eſt *Vermium teretium, oblongorum*, Lumbricis terreſtribus ſimilium, quæ ſpecies omnium communiſſima non tantùm in Inteſtinis gignitur & invenitur, ſed & non rarò ipſum quoque Ventriculum ſubingreditur. Germani vocant *die Spühl-Würme*. *Secunda ſpecies* eſt *Vermium latorum & longorum*, qui per totum ſæpè Inteſtinorum Lati. tractum ſeſe exporrigunt, cœteris rariores, & Adultis, quàm Pueris familiariores: hinc verò *Lumbricus latus duplicis* reperitur *differentiæ*, quarum altera quidem variis juncturis prædita eſt, ita ut quodlibet ſpacium inter duas Juncturas ſemen Cucumeris referat, unde & *Vermes cucumerini* à nonnullis dicti fuerunt, qui ſi adcuratius examinentur, videbuntur

tur ex pluribus ſibi invicem firmiter cohærentibus Vermibus eſſe compoſiti; unde & interdum per portiones excernuntur. *Altera differentia* eſt eorum Vermium, qui quòd faſciis ſint ſimiles, ταινίαι, *Tæniæ*, Germ. *Bündel-Würme*, *Neſtel-Würme*, appellantur, ſimpliciter enim ſine internodiis lati ſunt, & quandoque miris ſe convolvunt modis, inſtar glomorum ex filis linteis confectorum. *Tertia* tandem *ſpecies* eſt Vermium minorum, ſutorias acus majores longitudine, craſſitie & figurâ referentium, atque in cloacâ inteſtini recti præcipuè ſtabulantium, numero ſubinde maximo. Communiter vocant *Aſcarides*, Germ. *die Nadel-oder Affter-Würme*.

Aſcarides.

Animalia grandiuſcula.

Præter iſtas verò Lumbricorum communiter obſervabiles ſpecies, reperiuntur quandoque Animalia adhuc grandiora, Lacertas, vel Ranas quodammodo æmulantia, atque fortaſſis ex talium ſeminio genita, ſicubi forſan homo ſordidas, ranarum, atque aliorum Inſectorum ſpermate inquinatas aquas hauſerit.

Ratione dein *Coloris* inveniuntur *Vermes rubri*, *flavi*, *albi*, vel etiam *variegati* ſ. variorum colorum, punctulis ſignati. Ratione *figuræ* obſervantur *unicipites*, *bicipites*, *tricipites* &c. duplici ſæpè caudâ præditi, quanquam hæ ſpecies cæteris ſint rariores.

Cauſa.

Quoad *cauſas* ejusmodi Animalium præternaturaliter in Inteſtinis exiſtentium, dicimus ea materialiter quidem ex ſemine Inſectorum, inter cibos potumque deglutito progigni, efficienter autem à calore blando Inteſtinorum, Ovula talia ſ. ſemina vivificante, & poſtea, immiſſo ſufficiente nutrimento augmentante produci. Veteres, quibus *Inſectorum* generationes per mutuum maris ac femellæ congreſſum non adeo cognitæ fuerunt, ex ſolâ alimentorum aſſumtorum putredine Vermes generari crediderunt. *Ovula* autem illa, è quibus *Vermium* proventum adducimus, præexiſtere debent in Inteſtinis, eôque deferri per gulam cum Cibo Potuque aſſumtis. Nimirum tenendum eſt, infinita ejusmodi ovula ſeminalia ab Inſectis minutiſſimis, utplurimum volatilibus, non tantùm in Aquas ſtagnantes, aut fluviatiles, Herbasque rore madentes, ſed & in ipſam quoque Athmoſphæram deponi; unde poſtea facilè Oleribus hortenſibus, graminibus, aliisve Herbis adſperguntur. Quæ dein ſi minus probè lota & purificata ab Hominibus fuerint, vel etiam ſi à Brutis alimento noſtro deſtinatis comeduntur ac depaſcuntur, fieri nequit aliter quàm ut eadem vel immediatè in corpora Hominum admittantur, vel prius Corpora Brutorum ingrediantur, horumq; ſive Lacti, ſive Carnibus, in Hominum eſcam cedentibus, permiſceantur. Quod ſi ergo pauca tantùm Ovula Ventriculum Hominis elapſa ad Inteſtinorum canalem devenerunt, inibi per blandum calorem vivificantur, & Animalcula ſua paulatim exprimunt, quæ dein facilè ob copiam circumſtantis alimenti, quod avidè ſorbent, ad certam magnitudinem, figuramque paula-

paulatim aſſurgunt. Ubi autem magna copia ejusmodi Ovulorum aliquem aëris diſtrictum occupavit, hincque Cibos omnes inquinare potuit, tum certè ſolet eos Homines, in quos exceſſiva talium Ovulorum quantitas fortè delata, ſanguinisque maſſam ſubingreſſa eſt, maligno, atque contagioſo veneno inficere; usque adeo ut, ſi eadem ovula vel in ipſo ſanguine maximo numero vivificata fuerint, ſanguinis laticem turbare, circulatorium ejus motum valdè impedire, ac ita Peſtem quoque ipſam producere apta ſint.

Equidem haud inficias imus, ejusmodi ovula ſub digeſtione Ventriculi, Cordisque pulſationibus conteri, atque ad vivificationem inepta reddi poſſe, veruntamen hoc in omnibus Hominibus ſimiliter haud contingit; etenim Infantes & Pueri plerique, voraces inprimis, quin & Adultorum multi, digeſtionem Ventriculi debilitatam, motumque Cordis non ita validum ac tot ovulis conterendis inſufficientem obtinent. Imò ovula ſæpiùs adeo exilia ſunt, ut ulteriorem contritionem recuſent ac ſubterfugiant.

Partes affecta. Suppoſitâ igitur Vermium omnium generatione ex præexiſtente Ovulo ſeminali, facile eſt concipere, in omnibus ferè partibus ejusmodi Vermiculos progigni poſſe, in quibus nimirum ovula talia obhærere aliquandiu, blandoque Animantis calore foveri queunt. Quicunque autem obſervat, quâ ratione ovula Piſcium in Amnium aquis ad ripas depoſita à Solis calore per aliquot dierum ſpatium vivificentur, & cortice fracto excludantur, is etiam facilè ſibi imaginari poterit, quomodo ſimiliter & Ovula Inſectorum in canalem inteſtinorum, aut alias partes depoſita, viva ex ſeſe Animalcula emittant, quæ hinc nutrimentum & augmentum capiendo, in Vermes diverſæ figuræ, atque magnitudinis evadunt; quanquam in perfecta Animalia, volatilia nimirum Inſecta à quibus talia ovula provenerunt, nunquam convertantur, quoniam loco deſtituuntur apto, ad talem ſui perfectionem adipiſcendam.

Præſentiam Lumbricorum teretium produnt morſus ac vellicationes Abdominis interioris, inprimis jejuno exiſtente ſtomacho, à Vermibus rodentibus provenientes; dentium ſtridor extraordinarius ac inſolitus in ſomnis; tuſſis ſicca, frequens; narium pruritus; facies ſqualida; malæ per intervalla modò rubentes, modò liventes; oculi concavi; fœtor quidam inſolitus ex ore prodiens; appetitus utplurimum bonus; quandoque ſingultus aut vomitus, & nauſea aſſidua, ſi Vermes fuerint in ventriculo; dolor & gravitas capitis; ſomnolentia; interdum dyspnœa cum pallore faciei; pavores in ſomno; motus ſpasmodici; ventris diſtenſio ac durities; alvus modò ſuppreſſa, modò laxa, atque fœces bubulum ſtercus referentes excernens; corporis aliqualis atrophia; urinæ turbidæ, crudæ, cineritiæ aut albicantes; torminum vel roſionum abdominis ceſſatio poſt cibum ſumtum. *Diagnoſis.*

Lumbrici

Lumbrici lati præſentiam indigitant cibi appetentia nimia ac perpetua, morſus abdominis frequentes, ſed remiſſi, corporis macilentia, virium imbecillitas. Tandem *Aſcarides* ſeſe cognoſcendos præbent per inſignem, quem in ano excitant, pruritum, magis minusque moleſtum. Singuli autem hi Vermes tanto certius cognoſcuntur, ſi ſimul per Inteſtina & Alvum prodeant. Quandoque & Febres plus minus malignæ, vel lentæ à Lumbricis excitantur.

Prognoſis In *Prognoſi Aſcarides* omnium minus noxiæ ſunt, quoniam à partibus nobilioribus longè abſunt, facilimeque expelli poſſunt. *Latus Lumbricus* diu in corpore hæret, ac difficillimè extruditur. *Teretes* autem Vermes, quo majores ſunt & numeroſiores, eo etiam periculoſiora ſymptomata excitare valent; nil enim novi eſt, quod exinde Sopores graves, Deliria, Mœrores, Febres ardentes, Angina, Pleuritis, Cardialgia, Syncope, Palpitatio cordis, Hectica, proveniant. Morbo ad ſtatum & criſin eunte, ſi prodeant Lumbrici, bonum eſt ſignum, juxta *Hippocr. in Aphor. Incipientibus Febribus ſi vivi, aut iisdem declinantibus ſi mortui Vermes excernuntur, malum eſt.* Ita ſi in quocunque morbo Vermes ſponte egrediantur, Ægerque viribus ſit exhauſtus, imminentis jam mortis eſt indicium; exeunt enim foràs non robore naturæ, ſed potiùs morbi ſævitiâ. Quandoque etiam in Ventriculum ſurrepunt, inibique Cardialgiam, Singultum atque Nauſeam excitant tamdiu, donec mortui vel vivi exinde quâ datâ portâ expulſi ſint. Lumbrici ſanguine conſperſi, aut valdè rubicundi dejecti Inteſtinorum læſionem deleteriam ſignificant; Mulierculæ tum clamant conſpecto tali Verme, *es ſeye der Hertz-Wurm.* Febris acuta, aut Inteſtinorum perforatio à Vermibus producta lethalis.

In *Curatione* Infantibus ad expellendos Vermes teretes proſunt vel *Syrupus Fl. Perſic. Fl. Acac. de Cichor. cum Rhab.* vel *Trochiſci hermetici* aliquoties dati. Dein & ſeqq. pulvis convenit: Curatio.

℞. *Pulv. ad Verm. Aug.* ℥ij.
Fol. Matricar. ℨß.
Mercur. dulc. opt. ℈ij.
Sacch. roſat. ℥iij.
M. f. Pulv. ſubt. d. ad ch. Doſ. ℨß. *quotidie mane usque ad* ℨj.

Vel ℞. *Radic. Filic.*
Cort. rad. Mor.
Semin. Plantag.
Cynæ ana ℨj.
Corallin. ppt. ℈j.
M. f. Pulv. ſubt. div. in 4. part. æqu. ad ch. in lacte quotidie mane ſumendas.

Vel ℞. *C. C. uſt. ppt.*
Semin. Santon. ana ℨj.
Portulac.
Rad. Rhab. elect.
Mechoacann.
Dictamn. cret. ana ℨß.
M. f. Pulv. ſubtil. in ſex doſes æqu. divid. & quotidie mane cum Melle vel Lacte Puero quinquenni dandas.

Vel ℞. *Semin. Santonic.*
Fœni. græc. ana ℈iiij.
C. C. raſi vel uſt. ppt.

Diaph. ♂ial. Corallin. ppt.
Mercur. dulc. opt. ana ℈ij.
Scammon. 🜍rat. ʒß.

M. f. Pulv. ſubt. cujus doſis eſt à ℈ß. *ad* ʒß. *tribus ſeſe inſequentibus diebus, Lunâ deſcendente in convenienti vehiculo, v. g. Lacte, Melle &c. ſumenda.*

Sic & *Confectio ſeminis Santonic. laxativa à* ʒß. *ad* ʒiß. exhibita per tres dies conſecutivè pellit *Lumbricos. Decoctum Mercurii vivi* ſaburram quoque verminoſam paulatim expellit, ſi pro ordinario potu exhibeatur. v. gr.

℞. *Mercur. viv.* ℥iij.

Coque in Aquæ fontanæ q. ſ. in Vaſe vitreo ad remanentiam Miß. *Colatura filtrata d. ad Vitrum.*

Delicatulis datur *Mercurius vivus* in ſubſtantiâ hoc modo:

℞. *Mercurii vivi purgat.* ℈ß. ad ℈j.
Sacch. q. ſ. Miſce in mortario vitreo vel lapideo diligenter, donec Mercurius omnino ſubactus ſit, & cum Syrupo domeſtico qualicunque deinceps exhibeatur Infanti. Proſunt & *folia Perſici, Nucis Juglandis, Allium, Semen Braſſicæ*, in *Lacte* cocta, & calidè propinata. *Amara* inprimis Vermibus deleteria ſunt, v. gr. *Myrrha, Aloes, Rhabarb. Gentiana, Abſynth. Abrot. Tanacet.* &c. Hinc ſequ. nobis ſatisfecit hucusque Pulvis:

℞. *Rad. Rhab. elect.* ʒj.
Mechoacann. ʒß.
Fol. Tanacet. ℈ij.
Summ. Cent. min. ℈j.
Myrrh. elect.
Diaph. ♂ial. ana ℈ij.
Sacch. alb. ℥j.

M. f. Pulv ſubt. d. ad ſcat. Doſis ʒj. *quotidie ſemel.*

Vitrum Venetum pulveriſatum ſubtiliter, ac *Melli* ſubactum, Umbilicoque ſingulis noctibus alligatum; vel *Theriaca* cum *foliis contuſis recentibus Rutæ, Tanaceti, Abſynth. Perſici*, permiſta ac impoſita; vel eidem inuncta *Olea Lauri, Abſynth. Anethi, Colocynthidos*, cum *Pulvere Aloës, Rhabarbari, Gentianæ Radicis, Lumbricor. terreſtrium*, & *Axungiâ felinâ*, Lumbricos valdè pellunt.

Adultiores purgentur *Extracto catholico* cum *Mercurio dulci*, vel *Hierâ picrâ*, aut *Infuſo fol. Senæ* ac *Tanac.* cum *Rhabarb. Semin. Aniſ. Cyn. Radic. Filic. Scrophular.* atque *Cremore Tartari*; vel ſequenti pulvere:

℞. *Radic. Jalapp. reſinos.* ℈j.
Crem. 🜿ri.
Mercur. dulc. opt. ana ℈ß.
Scammonii ſulphur. gr. iij.

M. f. Pulv. ſubtil. cum Syrupo flor. Perſic. capiendus ſummo mane. Pulvis hic per intervalla repetitus tandem Lumbricos necat, & expellit, præprimis ſi *Clyſmata* aliquot, è *Lacte* & *Saccharo* vel *Melle* parata, ſimul interea ad alliciendos Vermes injiciantur.

Poſt purgans tamen *anthelminticus* quoque *Pulvis* in uſum vocari debet, quemadmodum ſequens Adultis convenit:

℞. *Pulveris ad Vermes Auguſt.* ʒiiß.
fol. Tanacet.
Corallinæ ppt. ana ʒj.
Semin. Plantag. ʒß.

M. f. Pulv.

M. f. Pulv. ſubt. div. in 10. *doſ. æqu. ad ch. Quotidie mane doſis capiatur.*

Proſunt & ſequentes Tabellæ, Pueris non minus quàm Adultis diverſâ licet doſi convenientes:

℞. *Pulver. ad Verm. Auguſt.* ℥ß.
Corallin. ppt. ʒiß.
Semin. Tanacet. ʒj.
Scammon. 🜍*rat.*
Cinam. opt. ana ʒß.
Sacch. alb. Aqu. Roſ. ſolut. ℥ij.

M. f. Confectio in Morſulis vel Rotulis, de quibus à ʒj. *ad* ʒij. *vel* ʒiij. *detur.* Eadem materia cum Melle & aliis Aromatibus in Panes dulciarios coqui & dari poteſt.

Sumunt quidam *Vermes* ex Hominibus prodeuntes, eos in *Vino* albo necant, pluries lavant, hinc torrefactos, & pulveriſatos ad ʒß. m. ac veſp. exhibent. Attamen *Pulveres* ſuperiores *anthelmintici* non ſunt contemnendi.

Aſcarides extrudit *Antimonium diaph. ad* ʒj. exhibitum. Vel *Vinum medicatum purgans amarum* præſcribendum, quod Vermes pellit omnes: v. gr.

℞. *Radic. Cichor. Gentian.*
Curcum. Rhapontic.
Cyclamin. ana ʒij.
Herb. Marrub. alb.
Artemiſ.
Naſturt. aquat. ana Mj.
Summit. Centaur. minor.
Abſynth. ana Mß.
Semin. Santon. ℥ß.
Baccar. Laur. ʒij.
Agar. trochiſcat.
Radic. Helleb. nigr. ana ʒvj.
Cinam. opt. ʒj.
Salis Abſynth.
⊖*li Mart. ana* ℈ij.

Inciſ. & contuſ. inſue Nodulo ex ſindon. rubr. cui affunde Vini albi veteris, vel Cereviſiæ optimæ & Aquæ fontan. ana Mj. *ſingulis dein matutinis horis exhauriatur Cyathus. Elixir. Propriet. Paracelſ.* cum Tincturâ ♂*tis aperit.* inſigne etiam eſt *anthelminticum.* Ita quoque *Olea deſtillata amara* v. gr. *Abſynthii, Myrrhæ, Succini* &c. guttatim ſumta proſunt. Sed & commendatum eſt ſequens *Unguentum* pro uſu externo:

℞. *Olei Abſynth. ac Rutæ per triplicem Infuſ. parat. ana* ℥j.
Aloës hepatic.
Myrrh. elect. ana ʒij.
Fellis bubul. inſpiſſat. ℥ß.
Eſſent. Centaur. min.
Gentian. ana ʒj.
Ceræ pauxillum.

M. f. Unguentum, quod m. ac veſp. inungatur regioni Umbilici.

Clyſteres interim primùm è *Lacte ſaccharato* vel *mellito*, deinceps verò è *Decocto Herbarum amararum*, v. gr. *Centaur. minor. Abſynth. Abrotan. Matricar. Radic. Allii, Lil. alb. Gentian. Baccar. Laur. Juniper.* &c. ad Vermes necandos infundi poſſunt. Pro arcano quidam habuerunt *Muſcerdam* ad ʒj. in *Lacte* coctam & Clyſteris inſtar infuſam. Imò ſex vel ſeptem muſcerdæ cum Lacte propinantur.

Lumbricus latus interdum ſolâ *Theriacâ Andr.* cum *Roob Juniper. Specieb. Hieræ picr. Pulvere fol. Sabin.* Mar-

Marrub. alb. Card. bened. Abſynth. Matricar. Semin. Cyn. Radicum Tarax. Filic. Rhabarb. elect. Raphan. ruſtic. Corticis radicis Mori, ac ſimilibus permiſtâ necatur, ſi pluries inde comedatur à ℈j. ad dimidiam vel integram drachmam cum *Lacte* vel *Melle*.

Lupus. LVPVS eſt Cancer utplurimum exulceratus, per vicina corrodendo atque exedendo ſerpens, & modò faciem, modò crura magis vel pedes occupans, cujus proin naturam, ætiologiam, diagnoſin & curam ſub titulo *Cancri* videre poteris.

Luxatio. LVXATIO, DISLOCATIO eſt Articuli ſive Juncturæ oſſium è naturali ſuâ ſede deturbatio, cum voluntariæ flexionis in eodem impotentiâ, interdum & dolore conjuncta.

Differentia. *Differentiæ* Luxationum variant tum reſpectu Partium affectarum, tum reſpectu Morbi ipſius, tum denique reſpectu Symptomatum. Luxari profectò videmus partes in Articulis Oſſium, i. e. iis propriè in locis, in quibus Oſſa ſibi invicem contigua ad motum manifeſtum ſunt comparata, velut in Axillâ ſive Humero, in Cubito, Femore, Genu, Talo, Maxillâ Vertebris, tandem & Oſſiculis digitorum Manus atq; Pedis. Reſpectu *Morbi* Luxatio ipſa plerunque eſt *perfecta*, in quâ Oſſis caput è ſuâ ſede penitus excidit; ſubinde tamen etiam eſt *imperfecta*, in quâ leviter tantùm è ſuâ ſede ad quodcunque latus dimovetur; *Subluxationem* vocare ſolent. Dein ipſa quoque Oſſis extremitas v. gr. in Maxillâ, Humero, aliisve Articulis nunc in hanc, nunc in illam partem magis deflectit. Quod *Symptomata* attinet, ſi in Dislocatione eveniat, ut tendines alicubi valdè premantur, aut expanſi nimium fermè dilacerentur, non poteſt non *Dolor* ſimul inſignis excitari, isque tamdiu durare, donec Os priſtinum in locum fuerit repoſitum, Articulusque ſuæ integritati reſtitutus. Imò ſimul cum dolore ſæpiùs & Intumeſcentia jungitur, impediens, quò minus ante illius diſcuſſionem os in ſuum reponere articulum valeamus. Reperiuntur, in quibus & Luxationi imperfectè ac maximè dolorificæ ſimul Inflammatio, Abſceſſus atque Ulcus non raro fiſtuloſum jungitur. Malum hoc plerunque adventitium eſt, ſubinde tamen etiam hæreditarium, quemadmodum eſt Femoris Os à nativitate dislocatum, propter quod Homines claudi evadunt.

Cauſa. *Cauſam* Luxationis omnis duplicē invenimus, *externam* unam, *internam* alteram, quarum hæc eſt 1. vitium nativum, quando jam in utero Matris Os aliquod ſuâ ſede vel extruſum, vel inibi natum ac poſitum non eſt. 2. Flaccidus Ligamentorum Oſſa ſuis in ſedibus continentium tonus, à defectu Spirituum oriundus, qui Oſſium articulos ſuis in ſedibus detinere & coërcere nequit. 3. eſt ſerum aliquod aquoſum plus minus viſcidum, quod inter cartilagines articulorum è lymphicis fortè vaſculis ruptis depoſitum, vel per qualemcunque aliam transſudationem inibi collectum, pri-

primò

mò quidem leviter Os ſuâ è ſede extrudit, paulatim dein ligamenta circumjacentia nimis emolliendo penitus expellit, ſicque *Luxationem perfectam* efficit. Ita ſi in acetabulo oſſis Iſchii collectus humor ligamentum, quo caput Oſſis Femoris intra illud fortiter ligatum tenetur, eroſerit, ipſum Femur ſponte excidit, Hominemque claudicantem reddit; neque rara ſunt exempla talium Luxationum Femoris, indeque ſubſecutæ claudicationis inemendabilis. Vidimus etiam Homines, quibus ſive à nativitate, ſive à Catarrho vel humore mucoſo lento utrumque Femur dislocatum fuit. Nonnunquam conformatio oſſium, ligamentorum, aut muſculorum vitiata huc contribuit. Quandoque & muſcoſo-lymphaticus humor intra Articulum congeſtus & ſtagnans coagulatur & in tophum abit, velut in Podagrâ nodoſâ, hincque Os è ſuâ ſede pellit. Quod ſi luxatum Os diu ita maneat, tum callus in Articulo interea natus omnem repoſitionis ſpem præſcindit. Dignum obſervatu eſt, Matrem heic claudicantem tres filios peperiſſe claudos ex femoris Luxatione, totidem autem filias non claudas in lucem protuliſſe.

Externæ verò *cauſæ* ſunt violentæ, ictus nimirum, caſus ſeu lapſus ex alto, contuſiones, vulnera, imò ipſæ interdum violentæ membrorum expanſiones. Si quis enim laxiori texturâ muſculorum temporalium præditus, vel violentâ nimis oſcitatione, vel riſu amplo Os maximè diduxerit, Luxationem maxillæ inferioris ſubinde contrahit, quâ quidem maxillæ proceſſus condyloides è ſinu oſſis temporum ceu ſuo Articulo extruditur, non ſine inſigni tenſione plus minus dolorificâ muſculorum temporalium, atque ligamenti Articuli. *Subluxationes* ſive *imperfectæ Dislocationes* fiunt, quando mucus non adeo copioſus Juncturas oſſium leviter tantùm à ſe invicem dividit; id quod etiam à vehementi quadam hupandiculatione, lapſu ex alto, humectatione & laxatione ligamentorum contingere ſolet.

In *Diagnoſi* multum ſæpè negotii faceſſit conditio luxati Articuli; etiamſi tumor adeſt, & inflammatio cum impotentiâ motûs, non inde ſtatim pronunciandum eſt, contiguitatem oſſium in Articulo ſolutam eſſe; cùm ſæpiùs videamus etiam in Arthritide ſimile quid contingere. Sed *pathognoſigna* Luxationis perfectæ *pathognomica* ſunt Articuli figura mutata, cùm motûs voluntarii impotentiâ, atque tumore in illo Articuli latere, verſus quod Oſſis elapſi caput prominet. Utplurimum quoque cauſa violenta præceſſit, nimirum lapſus, ſaltus, contuſio, ictus &c. Hiſce dein junguntur ſimul quandoque Inflammatio, Dolor, Fractura, Vulnus. Membrum porrò luxatum ſæpè brevius evadit oppoſiti lateris membro. Diagnoſis.

Elapſum Oſſis humeri caput plerunque ſub axillâ deliteſcit, atque tactûs ſenſu percipitur. *Dislocatio Oſſis Femoris* ex eo præprimis pateſcit, quod pes illius lateris brevior longè evadat, tumorque in natibus pateat

eâ parte, quâ caput Oſſis luxati à muſculis validè ſurſum fuit tractum. *Luxatam maxillam* cognoſces ex eo maximè, quòd maxilla inferior promineat, neque Homo eandem cum ſuperiore committere, ſicque Os claudere valeat; quòd dentes inferioris maxillæ ſuperioribus non reſpondeant, ſed magis extra verſus, vel ad alterutrum quoque latus detorti obſerventur; quòd continuus in regione muſculorum temporalium & articulatione maxillæ dolor adſit. Reliquas Diſlocationum ſpecies è generalibus facilè ſignis dignoſces. Sed *Subluxationem* ſive *imperfectam Diſlocationem* indigitant præſens adhuc aliqualis licèt is difficilis atque dolorificus membri motus.

Signa Luxationis à causâ internâ ſunt, quando nullæ violentæ & evidentes cauſæ præceſſerunt; quando Luxatio non ſimul & in momento, ſed paulatim contigit; quando diutius uni alicui lateri ſine mutatione corporis Æger incumbit: ita enim memini, Uxorem noſtratis cujusdam Piſtoris perquam diu inſigni dolore Coxendicis dextri excruciatam, non niſi lateri dextro noctu diuque incumbere potuiſſe, unde factum, ut tandem poſt aliquot menſium elapſionem mitigatis doloribus è lecto ſurgens ſiniſtrum femur luxatum planè deprehenderet, neque vitium hoc Luxationis poſtea emendari poſſet. Luxatio autem hæc ſine ullo prorſus dolore Iſchii præcedaneo contigit. *Callum* in Articulo genitum eſſe arguit, quando diutino tempore luxatum Os non fuit repoſitum. Tophacea autem materia in Arthriticorum tantùm articulis gigni ſolet.

In *Prognoſi* tenendum eſt, Luxationes Femoris, ubi tendo vel ligamentum acetabuli oſſis Iſchii rumpitur, hincque Articulus luxatur, nullam amplius ſupereſſe medelam, quia etiamſi Crus in ſuum locum reponatur, nihilominus primo ſtatim ambulationis motu inde rurſus excidit. Et certè *Luxatio* talis Femoris rarò contingere poteſt ſine tendinis illius rupturâ. Ubi verò *Subluxatio* illius facta eſt à laxato nonnihil ligamento, tum verò ſenſim indurato magis tendine luxato curatur. Luxatio qualiſcunque ſive *perfecta*, ſive *imperfecta*, à Catarrho orta ſubinde per diſcuſſionem humoris reſtituitur, quandoque verò poſt longos cruciatus in Abſceſſum & Ulcus fiſtuloſum, difficulter ſanabile, terminatur. Luxatio maxillæ niſi intra 10. vel 12. dies curetur, muſculum temporalem nimis tenſum inflammat, convellit, & mortem accelerat. Quin & Luxatio vertebrarum Colli ac Dorſi perfecta, propter compreſſam medullam ſpinalem, lethalis eſt. Luxatio autem vertebrarum Dorſi infimarum, propter compreſſam tantùm dictæ medullæ partem, nervos ad artus inferiores mittentem, Paralyſin crurum inducit. Luxatio aliorum Oſſium v. gr. in Cubito, Manu, Pedibus, ſi primis menſibus non reſtituatur, incalleſcit, ac deinceps haud amplius reſtituitur. *Luxatio cum Fracturâ*, difficilior curatu, ſæpè quoque periculoſior. *Luxatio*

Prognoſis.

xatio Tali ſ. *Malleoli* cum diſruptione tendinum reponi quidem, ſed in loco tamen ſuo propter tendinum defectum detineri haud poteſt.

Curatio. In *Curatione* Indicatio generalis eſt dislocati articuli in propriam & naturalem ſuam ſedem reductio per illam quidem, quâ Os exiliit, viam. Operationem græci ἀρθρέμβολον vocant, quam qui cum fructu exercere cupit, omnium in corpore humano Articulationum naturam exactè noviſſe debet. Ad perficiendam verò operationem opus eſt 1. *Extenſione* ſ. ἀντιτάσει membri. 2. Extenſi membri *repoſitione*, quæ μόχλευσις græcè appellatur. Pro diverſitate autem membrorum atque ætatis quoque Ægrorum *extenſio* fit vel *manibus* ſolis; vel *laqueis* aut *faſciis*; vel *organis* ac *machinis* majoribus, quales quidem apud *Hildanum*, *Scultetum* aliosque, exactè delineatas videre, in ipsâ autem operatione per Chirurgum peritum factâ earum ſimul ſtructuram, uſum atque applicationem adcuratius conſiderare licet.

Repoſitio ſimiliter vel manibus peragitur, vel machinis atque inſtrumentis in variis Chirurgorum libris extantibus depictis, vel apud Operatores viſibilibus. Repoſitum verò membrum eſſe cognoſces ex dolore mitigato, articuli flexurâ redeunte; imò etiam interdum ex ſono, qui excitari & audiri ſolet in ipsâ reductione Articuli. Maxillæ luxatæ reſtitutio ſpecialiter manibus eſt perficienda, Chirurgus enim pollices ambarum manuum Ori Patientis immittit, eos molaribus utrinque dentibus fortiter applicat, hinc extus ſimul reliquis digitis maxillam prehendit, eam primùm fortiter extrahit, extractam tandem retro pollicibus deprimit, ſicque ſponte à temporalibus muſculis in ſuam ſedem retrahitur. Si Luxatio talis recens, nec valdè notabilis eſt, vel ſolâ inflictâ ad maxillam inferiorem commodiore alapâ in momento reponitur. In Luxationibus vertebrarum dorſi imperfectis haud adeo feliciter Chirurgus operabitur, niſi ferreus thorax geſtatus ſenſim aliquid efficere queat.

Repoſiti membri cura. Cùm membrum repoſitum eſt (quemadmodum hæc repoſitio poſt factam Luxationem minimè differenda eſt, ſed ante accedentia ſymptomata v. gr. Inflamationis, Tumoris, inſignis doloris, Convulſionum &c. peragenda venit) in ſuo illud loco per plures adhuc dies tranquillè tenendum donec vigor extenſis antea ac debilitatis ligamentis redierit; quem quidem conciliare poterit commoda deligatio, ita inſtituenda, ut *Emplaſtrum* mox *diaphoreticum* reſtituto, ac *Oleo Lumbricorum*, *Anethi* atque *Roſarum* probè illito membro applices; hinc ſplenia & faſcias naturæ loci accommodatas injicias, easque ſi placet *Vino* prius immergas, cui *nervinæ* & *aromaticæ Herbæ* incoctæ fuerint, admiſcendo ſimul *Spiritum Vini camphoratum*. Ferulæ tandem per aliquot dies ſimul appoſitæ utiles erunt, impedientque, quo minus vel in ſomno membrum luxatum & adhuc tenerum

nerum flecti ac fortè denuò excidere queat, vel ſaltem dolorem, tumorem, atque inflammationem allicere. Situs tandem vel decubitus commodus membro procurandus venit, usque dum probè firmatum, multisque amplius ſymptomatibus obnoxium fuerit. Quotidie interim deligatum inſpicies illud, omnique ſtudio gravia accidentia præcavebis.

Internè per plures dies *traumaticum decoctum* bibendum offeres m. ac veſp. ſimulque *Diætam tenuem* Mali naturæ convenientem imperabis. *Diaphoreticum* quoque unum alterumve præſcribes. *Venam* in principio pro re natâ *ſecabis*, *Clysmatibus emollientibus* ac *detergentibus* primas vias ſubinde expedies. Tandem Æger membrum paulatim & leniter primùm flectere incipiet, ac ita perget, donec ſenſim priſtino motui ſuo rurſus aſſuetum fuerit.

Symptomatum curatio. Si poſt Luxationem ſtatim *Inflammatio*, *Tumor* atque *Dolor* ingens *Gangrænam* minitans acceſſerint, non reduci poterit membrum, antequam ſymptomata iſta mitigata fuerint, niſi violentiore fibrarum tendinoſarum expanſione dolores augere, Convulſiones atque Gangrænam arceſſere, mortemque ipſam accelerare cupias. Itaque membro commodum in ſitum locato prius applicabis, ante vel poſt inſtitutam *Venæſectionem Clysmataq́;* infuſa ſimul, *fotum diſcutientem* ex *Decocto Herbar. Scord. Aneth. Virgæ aureæ, Majoran. Ulmar. Sabin. Perſicar. Salviæ, Meliſſ. Agrimon. Ariſtoloch. Chamomill. Melilot. Calendul. Origan. Calaminth. Serpill. Chamædr. Betonic.* &c. *Bacc. Junip. Flor. Sambuc. Melilot.* in *Vino* facto, cum additione *Fimi caballin. ovill.* aut *vaccin.* ut & *Spirit. Vin. camph.* aut *Spiritûs matrical.* vel *cephalici* cujuscunque; vel etiam *Phlegmatis Vitrioli. Internè diaphoreticos pulveres antifebriles* cum *Decocto traumatico*, aut *Aqu. Card. bened. Flor. Sambuc. Scabioſ. Fumar.* aliquoties exhibebis. Diſcuſſâ Inflammatione, Operationem reſtituendi membri ſuſcipies; poſt reſtitutionem ſimiliter adhuc cum deligatione *fotus diſcutientes* applicando.

Si *Vulnus* ſimul cum *Luxatione* contigerit ſine Fracturâ, reponendum ſimpliciter membrum, illud in quiete tenendum, Vulneri *digeſtivum Unguentum* immittendum, *Emplaſtrum ad Fracturam* ſive *rupturam*, vel *diachalcitheos*, de *Cicutâ* cum *Diapalma* deſuper ponendum; ac *Fomenta* nihilominus circumvolvenda.

Si *Gangræna* acceſſerit, ei prius ſuâ ratione medendum, ante repoſitionem: poſt repoſitionem tamen faciliùs ſanabitur.

Fractura & *Vulnus*, Luxationi juncta, affectum quidem periculoſiſſimum, ſed tamen non incurabilem prorſus reddunt, niſi ipſum luxati Oſſis caput ſimul fractum fuerit; tum enim Os quovis poſſibili modo reponendum eſt, ac dein ſtatim ſplenia ſive lintea applicanda, *Eſſentiâ* calente *Myrrhæ, Aloës, Ariſtoloch. Hellebori nigr. Euphorb. Maſtich. Meliſſ. Majoran. Primul. ver.* &c. nonnihil madefacta,

facta, deſuper ponendo *Emplaſtrum nervinum*, atque *Fomentum* ex *Decocto Herbarum traumatico-aromaticar.* Intus exhibendo diu *antifebriles pulveres*, cum *Decocto traumatico*, atque præſcribendo *Diætam tenuem*, ſine *Vini* uſu, cujus loco continuè bibendum *Decoct. Agrimon. Radic. Gramin.* & *Filicis*. Subinde quoq; *Clysmata emollientia* ac *detergentia* injicienda.

Si *Callus* in Juncturâ ante repoſitionem, quæ neglecta fortè fuit, vel etiam poſt eandem natus fuerit, neſcio quâ quidem arte emollire ipſum, diſcutereque valeas. Si mollior tamen ipſe fuerit, tentabis ejusdem diſcuſſionem externis diaphoreticis, impoſitione nimirum *Emplaſtri diaphoretici*, cum quantitate *Cinnabaris factitiæ* & *Gummatum* permiſti, nec non *Cataplasmatis* ex *herbis diſcutientibus aromaticis*, & *acriuſculis* in *Vino decoctis*, vel è recentibus ſolùm *Herbis* invicem inciſis atque contuſis parati. *Plantæ* tales eſſe poterunt *Radices Sigilli Salomonis*, *Vincetoxici*, *Imperatoriæ*, *Valerianæ*, *Fol. Sabinæ*, *Perſicariæ*, *Ariſtolochiæ*, *Scordii*, *Alliariæ*, *Allii urſini*, *Salviæ*, *Menthæ ſylveſtr. Origani*, *Calaminth. Chamædreos*, & ſimiles aliæ.

Maculæ hepaticæ. MACVLÆ HEPATICÆ ſunt Maculæ utplurimum fuſcæ per totius ferè corporis, inprimis Artuum cutim efloreſcentes, ſubinde iterum evaneſcentes, & denuò emergentes, cum levi cutis aſperitate & ſquamularum emiſſione conjunctæ.

Cauſa. Originem ſuam trahunt ab acidiore & viſcidiore lymphâ cum particulis quibusdam ſulphureo-pinguibus in extremæ Cutis tubulis poriſque ſtagnante, & ita per texturæ ejus ſuperficialis vitiatam modificationem, discolorante. Colligitur illa vitioſa materia per acquiſitam ſcorbuticam intemperiem ſanguinis, præcipuè poſt diuturnum Vini meracioris abuſum, Ciborumque valdè ſalitorum quotidianam comeſtionem. Hinc Bibuli præ aliis huic Affectui ſunt obnoxii. Lympha autem illa Maculas tales non producit, niſi fixa in ſe ſalia acida minus acria contineat, quæ ſcilicet ſufficientem aſperitudinem habent his illisve cutaneis locis ſeſe infigendi, ac tandem per Epidermidis poros planè excuſſa ſquamulas albicantes fuſcasve componendi.

Maculæ hæ majores minoresve exiſtunt, ſubinde latitudinem pollicis exæquantes, diſperſæ per collum, pectus, brachia & pedes; Cutim leviusculè exaſperantes, rarius autem pruritum excitantes. *Differentia. Diagnoſis.* Affectus reverâ non contemnendus, utpote qui diu neglectus tandem facilè in conſummatam Sceletyrben, imò ipſam Lepram, aut omnimodam Viſcerum corruptionem abire poteſt. *Prognoſis.*

Quod ſi ergo maturè curatum hoc vitium cutaneum velis, primò ſtatim *Vinum* propinabis *medicatum*, ſequentem juxta formulam ex *antiſcorbuticis* & *ſpleneticis*, *acidum corrigentibus* &c. paratum: *Curatio.*

℞. *Radic. Apii.*
Ruſci.
Scorzoner.

 Helleb.

Helleb. nigr. ana ʒiij.
Herb. Scolopend.
Cuſcut.
Hepat. nob. ana Mj.
Summit. Centaur. min.
Abſynth.
Fol. Cochlear. rec.
Naſturt. rec. ana Mß.
Semin. Aniſ. ʒiß.
Bacc. Alkek. ℈iiij.
Fol. Sen. opt. mund. ℥iß.
Rhab. elect. ℥ß.
Cortic. Winter. ʒiß.
Salis polychreſt. ʒj.

Inciſis, contuſis & nodulo incluſ. affund. Vini albi veteris Menſ. j. *vel* ℔iv. *& Aqu. fontan.* ℔ij. *Stent per noctem inter cineres calentes, poſtridie mane in cellam ſepone, & ſingulis matutinis cyathum* 5. *vel* 6. *uncias capientem exhauriendum præbe, ſemper horâ poſt elapsâ Juſculum porrigendo.*

Si fortè Æger reſpuat tale *Vinum*, tum *Pilulas* ei *mercuriales* dabis, ſingulis alternis vel tribus diebus per 3. hebdomadas ſumendas: v. gr.

℞. *Maſſæ pilul. marocoſt.*
Extr. Helleb. nigr. ana gr. ix.
Mercur. dulc. opt. ℈ß.
Reſin. Jalapp. gr. j. vel ij.
Ol. ſtill. Succin. q. ſ.

Miſc. f. l. a. Pilulæ num. XIV. *Inauratæ capiantur ſummo mane pro doſi, ſuper hauriendo usque ad meridiem aliquot Juſcula.* Interea verno vel autumnali, aut quovis etiam tempore per 3. quatuorve ſeptimanas *Juſcula herbis antiſcorbuticis alterata* m. ac v. exhibeantur; vel ſaltem *Aquæ* talium *Plantarum deſtillatæ* cum *Tincturâ* ♁*nii*, *Corallorum*, ♂*tis aperitiv. Eſſentia Trifolii fibrini*, vel Pulvere ſequenti concedentur:

℞. *Pulv. Viperar. aut Serpentum qualiumcunque ppt.* ʒij.
Diaph. ♂*ial.*
Ocul. ♋. *ppt.*
♁*n. diaph.*
C. C. philoſ. ppt.
Salis Cichor. ana ʒj.
Sacch. alb. ℥ß.

M. f. Pulv. ſubt. d. ad ſcatul. Doſis m. ac v. ʒß. *vel* ℈ij.

Vel ℞. *Diaph.* ♃*vial.*
Ebor. phil. calc. ana ʒij.
Corall. rubr. ppt.
Matr. Perl. ppt.
Bezoard. min. ana ʒj.
Semin. Fœnic.
Radic. Aron. ana ʒß.
Sacch. alb. ℥ß.

M. f. Pulv. ſubt. ut ſuperio uſurpandus.

Vel ℞. *Conſerv. Borrag.*
Fumar.
Cardamin.
Trifol. fibr. ana ℥ß.
Condit. Cort. Aur. ℥ij.
Roob Junip. ʒiß.
♁*n. diaph.* ʒj.
Cryſtall. alb. ppt. ʒß.
Syrup. de Nymph. q. ſ.

M. f. Electuar. d. ad Oll. Ter quotidie magnitudo Caſtaneæ capiatur.

Externè ſubinde commendabitur *Laconicum*, ante cujus uſum Homo ſemper bibet hauſtum *Aqu. deſt. Card. bened. Fumar. Chelidon. maj.* &c. cum *Elect. diaſcord.* vel *Roob Junip.* ʒj. Ipſas dein Maculas frequenter lavabit *Aquâ Sigilli Salomon.* cum *Fell. bubulo*, *Succo*

Succo Citri, & *Oleo* 🜿*ri permiſt.* Vel ipſum hoc *Oleum* cum *Felle bubulo* elutriato ſolùm mixtum in uſum trahetur. *Clariſſ.* Screta ſequens *Linimentum* commendavit tanquam excellens:

℞. *Olei de Been.* ℥ij.
Maſtich. ſel. ℥ß.
Solvantur ſuper igne leni, Colaturæ adde
Mercur. dulc. opt.
Sacch. Saturn. ana ʒij.
M. f. Linimentum, *quod ſi admittere Æger nolit*, ſaltem *Emplaſtrum de Cicutâ cum Mercurio vivo* mixtum, vel *Cerotum ſimplex applicabitur.*

Prodeſt nonnunquam illitum Pulmentum, ex *Farinâ Orobi*, *Semine Sinapis pulveriſato*, *Succo Ceparum*, *Melle*, *Aqu. flor. Fabar.* & ſimilibus confectum. In aliis conducit longè magis *Fimus columbinus* vel *anſerinus*, cum *Succo Citri*, *Chelidonii major.* vel *Aceto* ſubactus, & applicatus. Imò ſolus hic *ſuccus recentis Chelidonii*, vel *Alliariæ*, *Scordii*, *Allii hortenſis*, *Ceparum*, cum *Felle bubulo*, *Oleo* 🜿*ri per deliq.* imò *Lacte* quoque *virginali* permiſtus, & frequentiſſimè illitus Maculas abſtergere valet. *Dolæus* laudat *Liquorem Salis* 🜿*ri* cum 🜍*re*, nec non *Myrrham* in cellâ humidâ liquatam; *Aquam* item *Calcis vivæ*; *Aquam Hyperici* & *Fol. Quercus*, cum *Camphorâ*, *Lacte* 🜍*ris*, & *Sacch. Saturni*, quibus addimus *Mercurium dulcem*, vel *Spiritum Vini camphoratum.*

Diæta. Interim *Diæta* talis eſt per longum tempus ſervanda, quæ *ſcorbuticæ* ſimul *Diatheſi* reſiſtit. *Vinum* modicè & non niſi ſub ordinario paſtu bibendum eſt, illudque album, tenue, bonum, diureticum, cui immiſſæ ſemper ſint *Radices Apii*, *Ruſci*, *Rubiæ Tinctor.* cum *Agrimoniâ*, *Pimpinellâ*, *Ulmariâ*, *Hepaticâ nobili*, *Borragine*, *Fumariâ*, aut ſimilibus. Æſtivo tempore *Acidulæ* commendabuntur cum regimine optimo Diætæ per 4. hebdomadas bibendæ, idque ipſis ex fontibus, inprimis *Sualbacenſes*, *Egranæ*, *Spadenſes*, *Carolinæ*, *Mauritianæ*, aliæ.

MACVLÆ INFANTVM VOLATICÆ, ſunt maculæ parvæ rubicundæ vel purpureæ, hinc inde ſerpentes, iterumque evaneſcentes, cum magno ardoris ſenſu torquentes. Hinc etiam à nonnullis pro *Igne ſacro*, ſive *Eryſipelate errante* habentur. Affectus non ita Infantibus proprius, ut non etiam interdum Adultos corripiat. *Maculæ volaticæ infantũ.*

Origo illarum tribui nequit, niſi ſero cuidam ſalino-acri & acido, in extremis tubulis cutaneis pluribus paucioribusve, ob irregularem particularum ſuarum figuram obhærenti, hinc ſimul capillaria vaſcula ſanguinea criſpanti, ſanguiniſque circulationem in illis nonnihil hebetanti. Illi proin Infantes præ aliis huic malo obnoxii, qui vel à Matribus ſuis Lac nimis ſalſum aciduloque ſale acri occulto imbutum ſuxerunt; vel aliâs maturè ſalitis, nimiumque ſaccharatis, mellitis Cibis ſaginati fuerunt: Aut quibus etiam tenerioribus exiſtentibus ſubinde hauſtulus Vini conceſſus fuit. Hinc prodromus eſſe ſolet *Cauſa.* *Prognoſis.*

let iſte Affectus vel Scabiei maximè acris, vel ſcorbuticæ prorſus Cacochymiæ, niſi ſanguis citò ſatis per debitum remediorum uſum fuerit correctus, & ab acrimoniâ ſalino-acri probè liberatus.

Curatio. Tolletur autem feliciter hoc Malum, radicitusque extirpabitur, ſi pro re natâ *Clyſma* ſequens, vel ſimile Infanti applicetur, *emolliens* atque *detergens*, primasque inprimis vias à cruditatibus acido-acribus liberans: v. gr.

℞. *Radic. Lil. alb.*
Vincetox. ana ℥ß.
Herb. Agrimon. Mj.
Malv. Scabioſ.
Mercurial.
Betonic.
Verben.
Summit. Aneth. ana Mß.
Semin. Aquileg. Lin.
Carvi ana ʒiß.
Inciſ. & contuſ. coqu. in ſ.q. Aqu. fontan. Colaturæ ℥*iv. vel vj. adde*
Olei roſac. ʒvj.
Mellis communis vel violac. ℥ß.
M. f. Clyſter tepidè injiciendus.

Poſtmodum internè ſequentis *Mixturæ* cochleare plenum ſæpiùs Infanti exhibeatur:

℞. *Aqu. Succiſ. Card. bened.*
Fumar. ana ℥j.
Syrup. Capill. ♀. ʒvj.
♁*nii diaph.*
C. C. phil. ppt. ana ℈j.
Lapid. bezoard. occident. ver. ℈ß.
M. d. ad Vitr.

Simul quoque in Pulmentis vel aliis Cibis mane ac veſp. de ſequenti *Pulvere* ℈j. *vel* ʒß. aut quantum apex cultri capit, diligenter præbeatur, ad acrimoniam & aciditatem chyli, ſanguiniſque demulcendam atque edulcorandam:

℞. *Eboris ppt.*
♁*nii diaphor. ana* ʒj.
Corall. rubr. ppt. ℈ij.
Cinnab. ♁*n. corr.* ʒß.
Sacch. perlat. vel roſat. tab. ʒiiß.
M. f. Pulvis ſubt. d. ad ſcatul.

Si Mater adhuc lactet Infantem, à *Vini* potu per aliquot dies abſtinebit; ejusque loco bibet *decoctum Raſur. C. C. Granor. hordei*, cum *Radic. Gramin.* vel *Liquirit.* Infans autem ablactatus ſequens *decoctum* hauriet:

℞. *C. Cerv. uſt.* ʒij.
♁*n. diaph.* ʒj.
Paſſul. min. ℥ß.
Radic. Gramin. ʒiß.
Aquæ fontan. Miß.
M. f. Decoctum colandum.

Vel ℞. *Boli armenat.*
C. C. philoſ. ppt.
Radic. Liquirit. ana ʒiß.
Sacch. ℥ß.
Folior. Ling. cervin. num. iv.
Aqu. fontan. Mj.
Miſc. bulliant aliquandiù, & colaturam ordinariè bibendam exhibe.

Externè ad diſcutiendas Maculas, earumque ſerpiginem ulteriorem præcavendam, imò dolorem ardentem ſimul ſiſtendum, *Lintea Spiritui Vini camphorato & Crocato* immerſa partibus affectis ſæpiſſimè applicantur calidè: induſia verò ac linteamina, vel *ſuffumigiis* impraegnantur; vel lintea aut papyrus *Bolo armenate*,

menate, *Camphorâ*, *Cretâ albâ*, *Floribusve Sambuci* ſubtiliſſimè tritis conſperſa, maculoſis partibus circumvolvuntur. Interea Victus concedatur ſalubris, aura externa frigidior arceatur; reliquaque ſingula repellentia procul amoveantur: ſecus qui faciunt, Malum certè ad internas partes tendere, aut Gangrænam ſupervenire, Ægrumque ſic jugulari permittunt.

Madaroſis.

MADAROSIS, Græc. Μαδάρωσις., vel Μαδαρότης, *Glabrities*, *Lævor ex deſluvio pilorum*, voce derivata à verbo Μαδαρόω, *glabro*, *depilo*, quod à μαδός, *glaber*, *depilis*, eſt Affectus Palpebrarum oculi, quando Pili earum ſive Cilia defluunt, à quacunque demum causâ id fiat. Μίλφωσις etiam dicitur, quando extremitas palpebrarum maximè rubet cum caſu Pilorum ſive Ciliorum; & πτίλωσις, quando eadem extremitas dura & calloſa evaſit.

Cauſa.

Hi Affectus ſuccedunt crebrò Palpebrarum Ulceribus pruriginoſis, in Ciliorum regione occurrentibus; quando enim humor ſeroſo-ſalſus, ejusmodi Ulcera producens, eſt valdè acris, atque ad Ciliorum radices penetrat, tum vel humorem ea nutrientem ita alterat ac immutat, ut ineptus evadat ſeſe in poros Ciliorum inſinuandi, eorumque ſubſtantiam nutriendi, unde paulatim ſiccantur, & defluunt: vel radices Ciliorum corrumpit, exedit, atque à partibus, quibus implantata ſive infixa hærent, ſeparat. Antecedentes hinc Cauſæ, quæ humorem acrem ad Partes affectas mittunt, ſunt v. gr. Febres malignæ, Tinea, Lepra, Scabies fœda, Lues venerea, aliique Morbi.

Prognoſis.

In *Prognoſi* dicendum, Cilia ſemel deperdita non facilè renaſci; ac certè ſpes regenerationis illorum nulla eſt habenda, ſi radices planè exeſas atque conſumtas habuerint; vel ſi pori Palpebrarum, è quibus enaſcuntur, prorſus mutati atque deſtructi fuerint. Deſtructos autem eſſe poros illos, eroſasque planè radices pilorum, vel ex eo cognoſcere licet, quando Ulcus quoddam ſordidum, venereum, leproſum &c. præceſſit.

Curatio.

In hisce proin caſibus fruſtra planè remedia ſive interna, ſive externa adhibebis, quicquid demum veteres Medici in contrarium attulerint, plurima excogitando ad Ciliorum reſtaurationem promovendam medicamina, ex *Axungiâ Urſi*, *Melle*, *excrementis Hirundinum*, *Aurium*, aliisve petita. Quin potius inſtituenda venit curatio Morborum, à quibus Madaroſis ortum ducere ſolet, quemadmodum ſuis locis indigitatum fuit.

Quòd ſi autem aliquæ radices Ciliorum adhuc ſanæ manſerunt, porique illorum haud deſtructi ſunt, tum verò per ſe ſenſim Pili creſcent, atque ſponte naturæ emergent. Auxilium tamen afferre poteſt quotidiana inunctio vel applicatio *Cremoris Hordei* facta cum *Decocto Betonicæ*, *Salviæ*, *Lavendulæ*, *Meliſſæ*, *Origani*, *Serpilli*, &c. *Melliq;* ulterius permiſti.

Vel lavari poteſt ciliorum regio *Spirit. Anth. Anhaltino, cephalico, Lilior. convall.* vel per ſe, vel cum *Butyro recenti* prius commixto.

Si calloſa evaſit Ciliorum regio, aut rubeat valdè, tum blandè emollientia diu applicanda ſunt; compoſita v. gr. è *Mucilagine ſemin. Pſyll.* vel *Cydon.* cum *Aquâ Ulmar. Malv. Chelidon. major. extractâ*, *Pulpâ Radicis Conſolidæ major.* vel *Alth. Violariæ, Cremore Hordei*, & ſimilibus aliis.

MALACIA, vid. *Gravidarum cura.*

MALUM HYPOCHONDRIACUM, vid. *Affectio hypochondriaca.*

MALUS ODOR, vid. *Anhelitus fœtens.*

Mammarum Abſceſſus & Ulcus.

MAMMARUM ABSCESSUS ET ULCUS, eſt Tumor inflammatorius illarum partium jam ſuppuratus, cum dolore & ardore paulullum remittente. *Abſceſſus* autem vel *Apoſtema* tum vocatur, quando nondum ruptus & apertus exiſtit. Tumor verò *Ulcus* dicitur, quando Abſceſſus maturatus cutim jam perrupit, excitatoque foramine ſuum pus effudit, & enatam porrò ſaniem paulatim excreat.

Cauſa.

Quanquam autem Affectus hic originem ſuam unicè debeat Inflammationi præcedenti, adeoque uniformis ſemper videri deberet: nihilominus tamen variat ſæpè pro diverſitate humorum in Mammis prius ſtagnantium. Quod ſi enim illi fuerint dulcioris atque balſamicæ magis naturæ, tunc Abſceſſus inde oritur melioris notæ; ſi verò iidem magis ſalini & acres fuerint, pus certè in Abſceſſu gignitur corroſivum magis, Ulcus facilè ſinuoſum reddens, ac tardius ſanabile. Contingit autem frequentius Fœminis lactantibus & Puerperis, Lactis fortè coagulationem, & hinc Inflammationem cum aliquali Synocho ſive Febri continuâ ſuſtinentibus.

Diagnoſis.

Cognoſcitur hinc facilè ex Tumore, rubore, & ardore prægreſſo; cum dolore inprimis pulſante acerbo conjuncto; ex ipſius dein tumoris faſtigiatione in Puſtulam ferè albicantem, ubi Abſceſſus cutim extenuat & perrumpere nititur. Subinde etiam Virgines aut Viduæ hoc Malo prehenduntur, quandocunque forſan aliquem graviorem ictum vel contuſionem in Mammis acceperunt; unde Inflammatio oboriri potuit. Non rarò duo plurave minora Apoſtemata in unâ Mammilla hinc inde oboriuntur, & diverſis locis rumpuntur. Quin & interdum plures illi Abſceſſus, ſi fuerint viciniores invicem, in unum coëunt, atque per unum vel plura foraminula ſibi propinqua ſaniem omnem effundunt.

Differentia.

Abſceſſus alius hinc *maturus* eſt, cùm ſtagnans in illo humor in verum pus fuit mutatum: *immaturus* alius, in quo humor adhuc turgeſcit, atque ſuppurari incipit vel pergit.

Cura.

Utrique Abſceſſui, quia nondum ruptus eſt, applicabitur ſtatim *Cataplaſma emolliens, anodynum, ſuppurans & rumpens:*

nunquam

nunquam enim Author ſum, ut talis Abſceſſus lanceolâ aperiatur, quoniam non ſemel obſervavi graviora inde Ulcera, difficiliusq; ſanabilia, non ſine doloribus immanibus, producta fuiſſe. *Cataplasma* illud emolliens ſequentem in modum præparari poteſt:

℞. *Micar. panis.*
Farin. Fabar. ana Mj.
Ficuum pingu. par. iij.
Croci pulveriſ. ʒj.
Sevi cervin. ℥j.
Inciſa invicem tenuiter cum lacte calente in formam Cataplasmatis redige, atque mane & veſperi recenter applica.

Vel ℞. *Farin. Semin. Lin.*
Rad. Alth. ana ℥iß.
Micar. pan. Mj.
Cepar. contuſ. p. ij.
Croc. ʒj.
Inciſ. & contuſ. cum lacte coque in formam Cataplasmatis.

Vel ℞. *Mellis communis.*
Farin. ſecalin. ana ℥ij.
Succ. Alliar. Scord. vel Chelid. major. ℥iß.
Croc. ℈ij.
Miſc. & craſſiusculè linteo obtenſum applicabitur. Si craſſius evadit, lacte emollietur calente.

Sunt qui *Emplaſtrum de Mucilaginibus*, vel *Diachylum cum Gummis*, & ſimilia alia applicant; ſed cùm hæc tardius operentur, *Cataplasmata* ſunt præferenda. Nonnullæ Femellæ *Sevum bubulum* vel *cervinum* cum *Croci pulvere*, & *Farinâ Semin. Lini* permixtum continuè applicant, nec infeliciter, usque ad rupturam Abſceſſûs.

Abſceſſu rupto, *Ulcus* ſubſequens probè eſt deligandum, nullæ verò turundæ ſunt immittendæ Ulceris foramini, quoniam illæ fibrillas teneras Mammarum ſemper trudendo dolores excitant majores, ipſamque ſanationem impediunt. Quin fiat tantùm aliquod *Unguentum digeſtivum* ex *Melle roſaceo*, *Pulvere Myrrhæ, Aloes, Radic. Sigill. Salomon.* & *Ariſtoloch.* cum *Terebinth. vitell. Ovi ſolutâ.* Fila hinc linea huic digeſtivo immerſa foramini Vlceris applicabuntur, ac per quinque pluresve adhuc dies *Cataplasma* illud *mellitum* imponetur; deinceps verò ſolum *Emplaſtrum diapalma*, vel aliud ſimile, cui *Radix Ulmariæ* pulveriſata fuerit immixta, in uſum trahetur usque ad conſolidationem. Hactenus feliciſſimo cum ſucceſſu uſurpavimus, etiam ſine digeſtivo, ſolum *Emplaſtrum Norimbergenſe Gruberianum*, vel *Francofurtanum Colleti*, vel *Sticticum Crollii*, qualibus Emplaſtris Ulcus probè deterſum atque conſolidatum fuiſſe ſæpiùs obſervavimus. Quod ſi *Ulcus* fuerit nonnihil *ſordidum* propter materiæ effluentis acrimoniam, tum *Elixir proprietatis* cum *Solo ſpiritu Vini camphorato* paratum Ulceri in qualibet deligatione inſpergetur, atque cum ſpleniis vel carptis filis lineis applicabitur.

Intus per aliquot hebdomadas interea dabitur *Decoctum vulnerarium* ex *Radic. Ulmariæ, Pimpinell. Sarſ. parill. Herb. Alchymill. Pyrol. Sanic. Matri-*

Matriſylv. Hepat. nobil. Semin. Fœnic. Hyper. &c. cum *Vino* & *Aquâ* parandum. Imò in caſu neceſſitatis ſimul ℥ß. pulveris m. ac v. dabitur ex ♁ *n. diaph. Ocul.* ♋. *ppt. Bol. arm. Unicorn. foſſil.* &c. parat. In Victu ab omnibus acidis & valdè ſalitis, ab Irâ, Terrore, &c. abſtinebitur. Pro potu cedet *Decoct. Raſ. C. C.* cum *Hord. Liquirit. Raſur. Lign. Saſſafr. Semin. Coriandr.* & *Herb. Agrimon.*

Mammarum inflammatio. MAMMARUM INFLAMMATIO eſt Tumor rubicundus, ardens, cum dolore plus minus pulſante conjunctus, atque à ſtagnante ſanguine & lymphâ in vaſculis glandularũ mammariarum, vel iisdem extravaſatis oriundus. *Differentia.* Variat Tumor hic magnitudine ſuâ; tumet enim ſubinde tota Mammilla, interdum ejus tantùm portio; imò quandòque duo vel tria inflammatoria Tubercula diverſis in locis Mammillam occupant.

Subjectum. Quanquam hic Affectus frequenter prehendat Fœminas lactantes, Puerperas, ac eas quæ ablactare ſuos Infantes inchoarunt, quæque frigidum aërem ad mammas admiſerunt, aut alios errores in diætâ commiſerunt, unde Lac inſpiſſatum in Glandulis ac tubulis mammariis cum præcedaneâ quadam Febri ephemerâ ſubſiſtere, cumulari, ſtagnare, hincque ſimul ſanguinis allabentis circulationem difficilem reddere, atque Inflammationi occaſionem præbere debuit; non raro tamen & in Virginibus, Fœminisque non lactantibus, à contuſione, aliaque datâ occaſione Sanguinis ſtagnatio, vel extravaſatio contingere poteſt.

Cognoſcitur interea Malum facilè vel ex ſolo intuitu: plerunque adeſt ſimul ephemera Febr s, cum laſſitudine, ſiti & dyſorexiâ. *Diagnoſis.* Eventum autem ſortitur ancipitem, diſſipatur enim ſæpiùs & prorſus diſcutitur: aliquando tamen etiam mutatur in Abſceſſum, quando ſanguis extravaſatus eſt, neque ad priſtinam circulationem reduci poteſt. *Prognoſis.*

Itaque in *Curatione* eò ſtatim adnitendum, ut quocunque modo Tumor inflamatorius diſcutiatur. *Curatio.* Quod quidem fieri poteſt facilius, ſi humores nondum ſunt extravaſati. Dabimus ergo hinc ſtatim *Clysma emolliens* & *primas vias detergens*, prout aliis pluribus in locis deſcripſimus. Hoc tamen non adeo opus erit, ſi alvus libera ſatis exiſtat. Poſtmodum ſine morâ *Venam* in brachio lateris affecti *tundi*, ſanguinisque uncias ſex circiter extrahi curabimus. Intus verò mane ac veſperi blanda *diaphoretica* concedemus ex ♁ *n. diaphor. Ebor. ppt. C. C. phil. ppt. Bezoardic. mineral. Bol. armen.* & ſimilib. invicem permiſtis, atque doſi ℈j. vel ℥ß. cum *Aqu. Scabioſ. Fumar. Fl. Sambuc. Agrimon. Endiv. Card. Mar. Fumar. Calendul. Scorzoner.* aut *Cherefol.* exhibita. Pro *potu ordinario* concedendum eſt *Decoctum Radic. Scorzoner. Graminis*, cùm *Raſur. Eboris* vel *C. Cerv.* & *Hordeo integro.* Extus applicabimus *Farinam Fabarum*, vel *triticeam probè ſiccatam*, cum *Lapide calaminari ppt. Cretâ albâ, Bolo armenat.*

& Cam-

& *Camphorâ.* Vel *Spiritus Vini camphoratus Aquæ Scabioſæ, Solani,* atque *Fœniculi* permiſtus, ſæpiùs calidè cum linteis imponetur. Non rarò prodeſt ſolum *Ceratum* ex *Oleo Roſar.* & *Cerâ albâ* compoſitum cum permiſto *Lithargyrio.* Quod ſi verò diſcuti nequeat Inflammatio, ſed eadem ad Abſceſſum tendat, tunc maturandus hic, curandusque erit, prout in præcedenti Affectu peculiariter demonſtravimus.

MAMMARVM CANCER, vide *Cancer.*

Mammarum Tumor. MAMMARVM TVMOR, eſt morbus magnitudinis auctæ in Mammillis à diverſâ cauſâ produci conſuetus. Quod ſi enim à Sanguine ſtagnante oriatur, *Inflammatio* dicitur: ſi à Pure collecto, *Apoſtema* vel *Abſceſſus.* Si à Lacte ſtagnante, Tumor lacteus dici poterit, de quo ſub Titulo de *Lacte coagulato* egimus. Si à Lymphâ acri in tubulis extremis capillaribus ſtagnante, & ſanguinis circulum impediente, tum *Eryſipelatodes* erit. Si verò ad humore acido-acri & prorſus corroſivo provenerit, *Cancrū* efficiet. Denique à lymphâ vel ſero pituitoſo minus acri, in paucioribus pluribusve glandulis mammariis collecto, incraſſatoque originem ducens, *Scirrhus Mammarum* appellabitur, de cujus naturâ, geneſi, atque curâ conſuli poterit generalis *Scirrhi* tractatio, ſuo loco exhibita.

Inflammatorius, apoſtematicus, lacteus. Eryſipelatodes, cancroſus, Scirrhoſus.

Tumor à Lactis copiâ. Tument præterea Mammæ in Puerperis, quando Lac confertim in illas irruere incipit, neque ſtatim eâ quâ acceſſit quantitate exugi poteſt. Vocant hoc *einen Blaſt oder Blähung der Brüſten.* Lac enim copioſè ſimul in omnib⁹ glandulis ſecretū ita ſubitò tubulos omnes replet, ut neceſſariò hinc Mammæ velut ſpiritu inflatæ, non ſine aliquo tenſivi doloris ſenſu compareant.

Prognoſis. Malum leve, ſi probè tractetur, Puerperæque calidis linteis Mammas, ſubinde ab Infante exugendas, muniant; atq; ab aëre frigido ſibi caveant, unde tranſpiratio facilè impediri, homoresque circulantes incraſſari poſſent. Si porrò victui ſtudeant tenui, neque comedant quicquam, quod ſanguinem craſſiorem vel viſcidiorem reddere valeat. Si denique unum alterumve lene *diaphoreticum* aſſumpſerint ex ♁ *n. diaphor. Lacte Lunæ, Unicorn. foſſil,* vel *marin. ppt.* & *Aqu. Scabioſ. Fumar. Succiſ. Fl. Sambuc. Ulmar. Taraxac.* vel *Card. Mariæ,* cum vel ſine *Roob Samb.* aut *Junip.*

Tumor ex pinguedine. Tandem & Tumor Mammis accedit ex nimiâ pinguedine, quo quidem tantùm non omnes Ruſticæ Fœminæ per varios Bernenſis Helvetiæ tractus, Vallem præprimis Emmenſem, ex quotidiano *Lactis vaccini* potu, ſæpè cum Peregrinorum transeuntium admiratione ſuperbire obſervantur. Huic verò, ſi quæ eſt, deformitati nullum aliud remedium ſupereſt, quam aëris victusque mutatio, & frequens *Venæſectio.* Qui verò ſubinde non in Lactantibus tantùm aut Puerperis, ſed & in Prægnantibus aliisque Fœminis cum Febri ephemerâ in Mammâ alterutrâ à lymphæ ſtagnatione,

tione, cum rubore, ardore, dolore acri, pungitivo & lancinante, ob quem tangi mammas non permittunt, contingit Tumor eryſipelatodes; aut etiam ſine tali rubore atque ardore evenit cum dolore tamen acerbo, pungente & lancinante, is adhuc recens facilè diſſipari poteſt, *intus* quidem exhibendo *diaphoreticos Pulveres* ex *♄n. diaph. Ebor. ppt. C. C. phil. ppt. Ocul. ppt. Cryſtall. alb. ppt.* &c. cum *Aqu. Flor. Sambuc. Fumar. Card. bened.* &c. *Extus* verò applicando *Sacculum* ſiccum non adeo craſſum aut ponderoſum è *Pulvere Radic. Liquirit. Althææ, Flor. Sambuc. & Chamomill.* cum linteis calidis fumo imbutis. Vel imponendo *Ceratum* ex *Oleo Ovorum, Nucum, Croco, Cerâ & Bolo armenate*. Vel applicando ea, quæ præcedenti ſub Titulo de *Mammarum Inflammatione* commendavimus.

Mania.

MANIA, *Μανίη*, à *μαίνω* vel *μαίνομαι*, *furo, inſanio*, Latinis INSANIA, eſt Delirium absque Febri utplurimum, cum audaciâ & furore Hominem affligens, ita ut nullâ pudoris habitâ ratione ferociter ſæviant, objecta qualiacunque adoriantur, veſtes etiam proprias disjiciant, atque dilacerent, truci admodum vultu, torvisque oculis adſtantes intueantur, eosque morſibus, pugnis, conviciis aliisque injuriis impetant, ac proſcindant; imò ſibimet ipſis quandoque non parcant, ſed vulnera, mortemque interdum inferant; capillos evellant, ac plurima alia Belluarum ferocientium more peragere nitantur.

Differentia atque Diagnoſis.

Reperies & in hoc genere, licèt rarius, quibus tantus non eſt furor, ſed qui falſa, qui ludicra, qui obſcæna, horrenda quoque narrent, qui vociferentur, ejulent, ac jurent: qui abſurda quæque obvia, lapides, pennas, &c. vitra confracta devorent. Invenies iterum, qui horrendum laſcivientes in modum Veneri usquequaque turpiſſimis geſtibus inhient, ſuamque libidinem vel in Brutis ipſis extinguere ſatiareve haud erubeſcant. Obſervabis porrò callidos, ſubdolos, non omni prorſus ratione deſtitutos, qui rideant frequenter, riſuque adſtantes ac ſubinde affabili alloquio ad ſe alliciant, ſed quò poſtea in arreptos ſævire, ſuamque evomere rabiem queant. Reperies ulterius, qui citra furorem notabilem, muti ſæpiùs exiſtunt, & quàm diutiſſimè tacent, nec ullâ arte ad loquendum perſuaderi poſſunt; imò qui ſubinde per plures dies citra virium decrementum nullum cibum potumque capiunt. Deprehendes, qui præternaturalia & monſtroſa agunt, quique ſe à Dæmonibus obſeſſos profitentur, qui mirè corpus intorquent, flectunt, & curvant, quod citra articulorum luxationem in ſtatu naturali fieri haud poſſet: qui præterea hariolando, divinando ac prædicando ſeſe exerceant; qui linguas, quas ſani aliâs nunquam didicerant, ac adeo minimè callent, ſatis benè loquuntur; dumque ad ſanam iterum mentem redeunt, loqui amplius neſciunt; quos proin *Dæmoniacos* appellant, velut à Dæmone obſeſſos. Reperies, qui

liquida

liquida omnia, qui liberum aërem ferre nequeunt, morſibusque adſtantes impetunt, *Hydrophobiâ* nimirum laborantes. Reperies iterum furore ſaltandi percitos, qui noctu diuque per plures etiam hebdomadas ſaltare, choreasque ducere geſtiunt, Affectus, quem peculiari nomine *Choreæ S. Viti* inſigniverunt, quod ſe invocatione S. Viti liberari à Morbo ſibi fuerint imaginati. Reperies denique Tarantulis ſ. Araneis marinis ictos, quibus continuæ corporis motitationes, ſaltantium ferè inſtar contingant; Malum, *Tarantiſmi* nomine indigitatum, quod non niſi certâ muſicæ vel melodiæ ſpecie curari poſſit. Eſt tandem ſpecies Maniæ, à propinato, acceptoque philtro producta, & hinc *Philtromania* nuncupata.

Hydrophobia. *Chorea S. Viti.* *Tarantiſmus.* *Philtromania.*

Usque adeo in ſingulis Maniacis exiſtit tum robur ſtupendum, ut vel ſex robuſtiſſimi ſæpè Viri illos tenere, atque coërcere vix valeant; tum frigoris etiam intenſiſſimi tolerantia, ut ſubinde nudi rigidiſſimâ hyemis tempeſtate manere queant. Quanquam autem ita robuſti exiſtant, audaces, ac furibundi Maniaci, non in omnes tamen æquè ſuum furorem exercent; ſed in illos tantùm, à quibus teneri nequeunt. Quin ſibi quoque metuunt ſæpiùs à talibus cuſtodibus ſuis, à quibus fortè prius flagellati fuerunt, fuſtibusque probè excepti.

Mania continua.

Sunt Maniaci quandoque per totam vitam tales, ad ſanam mentem nunquam redeuntes; alii verò ad ſanæ rationis uſum revertunt, ſed per certas tamen aut incertas periodos in Maniæ paroxysmum relabuntur, inque eo per plures hebdomadas vel menſes manent hærentque. *Periodica* nimirum hæc eſt *Mania*, nec minus quàm prior frequens. Vidimus ſæpiùs & allocuti ſumus Fœminam, quæ ſingulis ferè bienniis maniaca reddebatur, inſtantemque paroxysmum ſibi prænunciari aſſeverabat ab auræ cujusdam ferventis è partibus vel artubus inferioribus ad caput ſenſim aſcendentis manifeſto ſenſu, ita ut, quamprimum aura iſta, *der warme Dunſt*, cerebrum attingebat, illicò rationis ſanæ expers atque Maniaca evaderet.

intermittens ac periodica.

Quoad productionem & *cauſas* Maniæ, ſciendum eſt, *immediatè* quidem omnem Rabiem vel Inſaniam ab impetuoſo ac perverſo Spirituum animalium & fibrarum nervoſarum turbato motu provenire; ſed *mediatam* cauſam accerſendam eſſe nunc ab ipſâ circulante humorum maſſâ, nunc ab extus illatis corpori injuriis. Notant hinc Practici diverſas oriri ſpecies *Inſaniæ*; quando enim in ſanguineo latice hæret multum ſalis volatilis acido-acris atque ſulphurei, illudque glandulas cerebri corticales penetrat, ac ita Spirituum animalium latici ſeſe communicat, non poteſt non irregulari ſuorum corpuſculorum figurâ, irregularem quoque illis ac impetuoſum continuò influxum fibrillisque turbatam valdè tenſionem aut oſcillationem præbere, imò intra ipſos medullaris cerebri

Cauſa.

ſubſtantiæ poros ordinariam ſpirituum atque fibrillarum agitationem perturbando deliris cogitationibus ac furibundis imaginationibus occaſionem dare. Hinc Maniaci ſibi fortè illatas graviſſimas injurias imaginantur, ac eapropter iratorum inſtar vindictam exercere nituntur; vel diverſas alias actiones abſurdas, atque deliras committunt. Patet exinde, Melancholico-Cholericos huic Morbo præ aliis eſſe obnoxios, illos maximè, in quibus ſal volatile acido-ſulphureum admodum acre prædominatur. Nam quod reliquos attinet Hypochondriacos, in quibus Sal acido-fixum, minusque oleoſum præponderat, hos ad Maniam tantopere haud inclinare credimus. Quomodo autem *Rabies canina*, vel *lupina* &c. producatur, ſub titulo *Canis rabidi Morſus* ſuo loco explicatum fuit. Videlicet ab extus ſaliva talium Animantium rabidorum qualiumcunque ſale volatili acri-acido-ſulphureo prædita in Vulnera Hominum præmorſorum demittitur, inibique vel ſanguini circulanti, vel immediatè ſpiritibus in nervis laceratis permiſta tragœdiam illam maniacam excitat. Et cum ſalivalis diverſorum Animalium humor variæ texturæ exiſtat, differentia quoque *Maniæ* ſymptomata producit; quemadmodum id in *Tarantismo* conſpicimus, in quo Homines à Tarantulis ſive Araneis marinis fortiter commorſi, convulſivas membrorum jactationes, cum imaginationis læſione adipiſcuntur, ut veluti ſaltantium inſtar noctu diuque ſeſe commoveant, ſi modò Affectus hic inter Maniæ ſpecies recenſeri commodè poſſit. Philtra dein varii generis, hucusque parum cognita, ſuo ſale volatili acido-ſulphureo acri *Philtromaniam* inducunt, Spirituum laticem mirè corrumpendo, & invertendo. Quod autem *Furorem uterinum* attinet, qui maximè ad Inſaniam pertinet, de eo jam peculiariter ſuo loco actum eſt. *Chorea* denique *S. Viti*, quanquam rariſſima, non multum à Tarantismo abludit; attamen ſuam geneſin internæ cauſæ debere magis videtur, quâ per certos ac ſpecifico quodam modo figuratos humores ſalino-acido-volatiles, magis balſamicos ac leniter acres, ipſi animales Spiritus cum nervoſis fibrillis continuè intra cerebrum ita agitantur, ut hinc ideæ tales perverſæ in Animâ excitentur, à quibus Homo noctu diuque ad ſaltandum compellitur, donec illa ſpecifica ſpirituum turgeſcentia, ac fibrillarum perverſa oſcillatio penitus ceſſaverit; notabile hujus exemplum videri & legi poteſt in *Praxi Plateri*.

Remotius ad talem Humorum & Spirituum ataxiam contribuunt non ſolùm Cibi Potusque acido-acri ſale multum præditi; ſed etiam Ira crebra ac vehemens, ſolitudines, captivitates, injuriæ quotidie illatæ, Triſtitia protracta. Venena quoque varia corpori immiſſa, cogitationes profundæ venereæ. Inter Venena exiſtunt *Solanum furioſum*, *Radices & Semina Hyoſcyami*, *Napellus*, *Philtra* varii generis. Imò *Vermes vivi* *Cauſa remota.*

hinc

hinc inde in corpore latentes continuâ ſuâ mordicatione turgeſcentiam in Spiritibus maniacam producere valent. Tandem hæreditaria Cerebri diſpoſitio anſam huic Affectioni quoque præbet.

Ratio Symptomatum. *Symptomata* verò omnia, quæcunque in Maniacis obſervare ſolemus, facilè ab ipsâ ſpirituum animalium diversâ ataxiâ & efferveſcentiâ, fibrarumque nervoſarum agitatione ſive oſcillatione vehementiore, deducere poſſumus; ſi modò etiam conceſſerimus, taliter affectos ſpiritus propter ſuarum particularum figuram irregularem non ita è corpore diſſipari, ſed firmius intra nervoſos tubulos diutiusque retineri, illosque ſic perpetim inflatos, vel ſaltem reciprocè inflabiles ſervare, aut vehementem illis oſcillationem conciliare.

Prognoſis. In *Prognoſi* diverſimodè eſt judicandum. Mania à cauſis internis producta, quæque hæreditariæ diſpoſitioni multum debet, diuturnior exiſtit, ac Homines plerumque ad mortem usque comitatur; quamvis apud nonnullos interdum inducias faciat, & per aliquantum ſubinde tempus rationis melioris uſum concedat. Si Mania eſt cum riſu & hilaritate ſine torvis admodum oculis, cum geſtibus atque aliis actionibus ridiculis, tum mitiorem eam, & tutiorem pronunciabis alterâ, quæ cum furore contingit, & in quâ Homines catenis vel nudi quoque alligari ferreis debent. Maniaci, qui alvum habent quotidie apertam, quibus Hæmorrhoidum, Menſiumque fluxus, vel gravis etiam narium Hæmorrhagia, aut Diarrhœa ſupervenit, ad rationis melioris ſtatum redeunt. Solvitur etiam Mania, ſi alius accedat morbus, aſt non ſemper cum Ægri ſalute, ita enim Dyſenteriâ adveniente plerunque intereunt hoc Morbo affecti. Aliâs verò etiam lentè moriuntur Maniaci, ſi per diuturnas inedias, continuas vigilias, aliasque corporis mentisq; fatigationes ſpirituum &c. humorũ vitalium vigore ſenſim privantur. Deniq; niſi probè cuſtodiantur Maniaci, etiam qui viſi ſunt ad ſaniorem mentem rediiſſe, vel ſubitò mortem ſibi adſciſcere poſſunt, ſive præcipitatione quâdam ſui in Aquas aut Plateas ex ſupernis ædium contignationibus, ſive alio aliquo modo. Quòd ſi Maniaci ratiocinentur adhuc utut perversè, ſi querelas moveant apud Amicum unum vel alterum, hujusque converſationem tolerant, tum ſpes adeſt, ad ſanam mentem redituros eſſe, quamprimum ſanguis & ſpiritus ipſorum præternaturaliter turgeſcere deſierunt. Ubi verò ratio omnis funditus everſa eſt, tum plerunq; Maniaci ad vitæ finem manent; & per plurimos ſæpè annos, ſi Juvenes fuerint, ita manent ac vivunt.

Cùm ergò Maniaci omnes, qui ab internis tales ſunt redditi cauſis, potenti admodum conatu ſpirituum animalium, validisque nervorum villis aut fibris ſint præditi, mirum nemini videatur, quòd triplam remediorum doſin requirant, ſi aliquam inde operationem exſpectare velimus. Itaque ante omnia in eorum *Curatio.*

Curatione validum quoddam *emeticum* eſt exhibendum, v. gr. ſequens aut ſimile:

℞. *Radicis Hellebor. alb.* ʒß.
Vini albi generoſi ℥j.
Salis polychreſt. ℈ß.

Miſce, ſtent infuſa per noctem in loco calido, poſtridie mane de Colaturâ leviter expreſſâ propinetur ʒj. *primùm, ac ſi inde vel nihil, vel leviter purgetur Æger, ſequenti iterum die aucta nonnihil doſis exhibeatur, donec effectus ſuccedat deſideratus.*

Helleborum verò *album in ſubſtantiâ* noſtrarum regionum Incolæ, imò ejusdem *Infuſum* hyſtericæ Fœmellæ, ſine Convulſionibus ſupervenientibus probè ſuſtinere haud poſſent. Hinc loco *helleborati Vomitorii* aliud dari poterit, v. gr.

℞. *Aqu. bened. Ruland.* ℥j.
Scolopendr.
Borrag. ana ʒij.

M. f. Potiunc. d. ad Vitr. pro doſi, quæ ſi inſufficiens ſit, augeri ulterius debet.

Vel ℞. *Crem.* ♀*ri.*
Nitr. ♁*niat.*
Cinnab. ♁*ii. opt. ana* ℈ß.
♀*ri emet. gr.* ij. iij. *vel* iiij.
Mercur. vitæ corr. gr. j.

M. f. Pulvis ſubtil. pro doſi.

℞. *Pulv. radic. Aſar.* ℈iß.
Crem. ♀*ri* ℈j.
♀*ri emet. gr.* j. *vel* ij.

M. f. Pulv. ſubt. d. pro doſi.

Vel ℞. *Oxyſacch. emet. Ludov. aut*
Syrup. emet. Ang. Sal. ℥j.
Aqu. Portulac.
Fœnic. ana ℥ß.

M. d. ad Vitr. pro doſi.

Vel ℞. *Vitr.* ♁*ii. aut*
Croc. Metall. ʒj.

Affunde Vini alb. ℥iiß. *Stent per* 10. *horas in loco tepido, poſtea filtratus liquor detur pro doſi.*

Vel ℞. *Tabaci* ℥ß.

Affunde Vini alb. ℥iij. *Stent per* 12. *horas in loco tepido, colatura dein bibatur unâ doſi.*

Aliquoties verò Maniacos recentes per epicraſin ſequenti Pulvere purgavi, atque ad rationem priſtinam, aliis non neglectis infra commendatis, reduxi:

℞. *Radic. Helleb. nigr.*
Hermodact.
Jalapp. ana ℥j.
Crem. ♀*ri* ʒiß.
Semin. Fœnic. ℈ij.
Scamm. 🜍*rat.* ʒß.
Sacch. alb. ℥j.

M. f. Pulv. ſubt. d. ad ch. Doſ. m. ac veſp. ʒß. *plus minus.*

Quando Pulvis hic parum vel nihil operatur, tum doſis major danda, & ſubinde iteranda; ſi verò effectum præſtabit aliquem, tum ita moderandus eſt ejus uſus, ut crebrò quidem Diarrhœam cum ventris Torminibus, neutiquam verò eam nimiam excitet. Conducit interim valdè Maniacis, ſicubi dolores colicos perſentiſcant, deque illis conqueri incipiant; principium enim hoc eſſe ſolet rationis paulatim redituræ.

Poſt Corpus hâc ratione ἄνω & κάτω purgatum, *Venæſectiones* quoque inſtituantur, perque eas repetitas ſubinde octo vel novem plus minus

nus unciæ ſanguinis extrahantur. Quin imò ſi Vena quoque frontis ſecari poſſet, non parum conferret. Præter hæc Auctores etiam *Cauteria actualia* vertici capitis, vel brachiis pedibusque non ſine fructu inuri & applicari poſſe credunt. Interea verò dum hæc aut ſimilia uſurpantur, intus ſimul vel *Infuſa*, vel *Decocta alterantia* ſunt propinanda: quod ſi hunc in finem *acidulas* in quantitate *Aquas* habere poſſimus, quotidie mane ac veſperi menſuram illarum propinabimus, ac ſi bibere recuſent, fuſtibus eo adigantur, ſed ab unico ſolùm eodemque cuſtode, quem Maniaci deinceps timebunt, ſicubi ab ipſo aliquoties antea, vel ſalutaris quoque remedii loco probè fuſtigati, aut virgis cæſi fuerint. Quod ſi autem deficiant *Acidulæ*, dicta ordinabuntur alterantia decocta, v. gr.

℞. *Radic. Cichor.*
Dictamn. alb.
Fragar.
Acetoſ. ana ℥ß.
Herb. Lactuc.
Endiv.
Portulac.
Parietar.
Hepat. nobil.
Scolopendr.
Rut. murar. ana Mj.
Semin. Plantag.
Citri ana ʒiß.
Crem. ♀ri ℥ß.

Inciſ. & contuſ. coqu. in ſ. q. Aqu. fontan. per quadrantem horæ. Colaturæ ℔viij. *permiſce Spirit. Nitr.* ʒß. *vel q. ſ. ad gratam aciditatem. Miſc. ad Vitr. propinentur* ℥iv. *ad* ℥vj. *mane ac veſperi pro doſi.*

Singulis tamen diebus veſperi ſimul cum *Decocto Pulvis* ſequens dabitur:

℞. *Nitr.* ♁ *niati* ℈j. *vel* ʒß.
Cinnab. nat. vel ♁ *n. opt.*
Camphor. ana gr. vj.
Sacch. Saturn. gr. iv.
M. f. Pulv. ſubt. d. ad ch. pro doſi.

Vel ℞. *Nitri depurat.* ʒß.
Camphor. gr. iv.
Laud. opiat. gr. j.
Sacch. roſ. ℈ß.
M. f. Pulv. ſubt. d. ad ch. pro doſi.

Quod ſi hâc ratione dies 10. vel 15. præterierunt, nec ſperatus ſucceſſus adveniat, *Decoctum* per inferiora *purgans* parabitur, & ſemel quotidie exhibebitur; v. gr.

℞. *Radic. Nymph.* ʒvj.
Acetoſ.
Doronic. ana ʒiij.
Herb. Borrag.
Anagall. purpur.
Paris ſ. Solani quadrifol. cum Bacc.
Beccabung. ana Mj.
Semin. Agn. caſt.
Lactuc. ana ʒiß.
Fol. Epithym. ʒij.
Sen. mund. ʒiß.
Flor. Papav. rhead. Pij.
Radic. Hellebor. nigr. ʒvj.
Polypod. ℥ß.
Salis polychr. ʒj.
Crem. ♀ri ℥ß.

Inciſa

Inciſ. & contuſ. coqu. in
Aquæ fontan. Mij. per quadrantem horæ.

De Colaturâ poſtmodum ℥iv. *vel* vj. *quotidie mane propinabuntur.*

Sub veſperam autem de *Eſſentiâ Anagallid.* ʒß. cum *Aquâ Nymphææ*, aut *Emulſione Seminum frigid.* & *Papav. alb.* concedetur; idque per longum ſat tempus continuabitur. Cum fructu nonnullis conceſſimus uſum *Spiritûs Salis* aut *Nitri dulcis*, *Clyſſi* ♄*nii*, *Tinctur.* ♂*t. aper. Corallor.* ♄*nii*, *Liquoris Terræ fol.* ♀*ri* &c. guttatim in potu ordinario per aliquot hebdomadas. Pro *ſpecificis* habentur *Sanguis aſininus* verno tempore ex arteriis propè aures extractus, in umbrâ ſiccatus, & ſub formâ *Pulveris* pondere ʒj. quotidie ſemel cum *Aquâ* vel *Decocto Anagallidis flore phœniceo* datus. Imò etiam ſolum hujus herbæ *Decoctum*, vel ſi *Hypericum* ſimul, *Fumariam*, *Nymphæam*, *Borraginem*, *Meliſſam*, *Cuſcutam*, *Bugloſſam*, *Solanum bacciferum quadrifolium* permiſceas, uſui eſſe poterit. *Extractum* Hyperici & *Anagallidis* cum *Camphorâ*, *Saccharo Saturni*, & *Opio* in *Pilulas* redactum pluries veſpertino tempore datum Maniacorum ferè medela ſunt; modo placidus inde ſomnus ſubſequatur. *Opiatorum* verò doſis ſemper augenda eſt ad duplum, quoniam ordinaria doſis parum conferret. Si quis dicat, ab *Opio* magis furibundos atque deliros reddi Maniacos, is experientiæ frequenti contrariatur, quam quidem Practici meliorem habent. Hoc tamen verum eſt, non ſemper bonum ejusmodi effectum ſuccedere, neque certò poſt *opiati* uſum Ægros dormire; & ſi hoc contingat, ſignum eſt Affectûs in pejus vergentis. Hinc *Ettmüllerus* rectè juſſit *Opium* non niſi per alcalia probè correctum uſurpare.

Juxta hæc parcè ſaginandus, catenisque ſimul ferreis probè alligandus eſt Æger, à pauciſſimis Hominibus frequentandus, quorum alloquio utplurimum magis turbantur & corrumpuntur. Unicum verò habeat Miniſtrum, qui remedia aliave porrigat, qui nimis furentem ſubinde fuſtibus coërceat; usque dum manſuetus & obtemperans fuerit redditus. Hoc enim ſi obtinuerimus, bonam ſpem curationis facere poſſumus. Conferrent etiam *Veſicatoria*, & *Clysmata acria*, ſed quia Maniaci & moroſi ſunt & ſuſpicaces valdè, non multum nobis promittere poſſumus de talium remediorum applicatione. Cibis plerunque ſimul permiſceantur *blandè laxantia*, & ſimul *refrigerantia*, v. gr. *Tamarindorum pulpa*, *Paſſulæ minores*, *Malva*, *Portulaca*, *Blitum*, *Mercurialis*, *Fol. Senæ* quæ cum *Cremore* ♀*ri* ſubinde *Prunis* incocta exhibeantur. Potus eſto *Aqua fontana*, *Clyſſo* ♄*nii*, vel *Spiritu Nitri*, aut *Salis* tantillum *acidulata*. *Vinum* prorſus ſit interdictum; *Aquis frigidis* ſubinde Ægri quoq; immergantur, ſi metus abſit αὐτοχειρίας.

Abacto autem poſt pluſculum tempus paroxysmo maniaco, recidivæ præcavendæ ſunt, quem in finem ſequens vel ſimile *Vinum medicatum* propi- *Cura prophylactica.*

propinabitur Vere & Autumno, vel etiam ter aut quater in anno:

℞. *Radic. Polypod. quern.* ℥iß.
Rubiæ tinctor. ℥ß.
Cortic. Tamaric. ʒvj.
Herb. Aſplenii.
Hepatic. nobil.
Taraxac.
Fumar.
Flor. Bugloſſ. ana Mj.
Semin. Portulac.
Agn. caſt. ana ʒiß.
Fol. Sen. opt. mundat.
Paſſular. minor. ana ℥j.
Radic. Hellebori nigr. ʒvj.
Cortic. Winteran.
Caryophyll. aromat.
Salis polychreſt. ana ℈ij.
Chalybis ♀*re ppt.* ℥j.

Inciſa & contuſa inſue Nodulo ex ſindone rubrâ; affunde Vini albi veteris menſuras duas, ſtent per primam noctem inter cineres adhuc calentes: poſtmodum quotidie mane cyathus exhauriatur unciarum quatuor vel quinque plenus. Uſurpato hoc Vino *Vena brachii tundenda, ſanguisq; ad decem vel duodecim uncias eſt extrahendus. Acidularum* potus diuturnus & largus per æſtatem ſimul concedi poteſt.

Rabiei cura. In *Rabie caninâ* vel qualicunque aliâ eo modo eſt procedendum, quo jam ſub *Canis rabidi morſu* dictum eſt. Interea ad præcavendam *Hydrophobiam*, ſimilemque *Rabiem*, ſimul *Fonticulus* unus vel duo ſtatim excitentur, & aliquandiu relinquantur.

Chorea St. Viti. In *Choreâ S. Viti* Hominibus ſaltationes ſunt concedendæ, donec non amplius poſſint: interea vel *Acidulæ*, vel *Aquæ Portulacæ* & *Anagallidis* largius ſunt propinandæ. Simul etiam *Purgans helleborinum* aliquoties exhibendum. Deinceps verò commendantur *Pulveres ſeminis Agni caſti, Lactucæ, Endiviæ, Diaphoretici* ♃*vial. Oſſis Sepiæ ppt. Corall. alb. ppt. Nitri* ♁*iat. Camphor. Bol. armen.* & ſimil. *Opio* permiſcendorum, ſicque ſomnus ſenſim placidus conciliandus. In potu *Succi nitroſi* vel *aciduli expreſſi Plantarum Acetoſæ, Lactuc. Portulac. Borrag. Fumar. Anagallidis aquaticæ* &c. largiter ſunt permiſcendi.

A *Tarantulâ* ſi quis eſt morſus, Tarantismus. vulneri ſtatim *Tarantulam* ipſam vivam contuſam cum vel ſine *Theriacâ Andromachi, Foliis Salviæ contuſis* vel *Rutæ* inciſis admovebit. Ac dein intus cum eadem *Theriacâ* ſumet m. ac veſp. *Pulverem diaphoreticum* ex *Terrâ ſigillat. Pulvere pannonic. rubr.* ♁*n. diaph. Bez. min. Lapid. Lazuli, Camphorâ, Ebore ppt.* &c. compoſitum, atque cum *Saccharo* pro lubitu edulcoratum.

MANUUM ASPERITAS eſt Manuū asperitas. ſuperficiei cutis manuum, quæ naturaliter mollis eſſe deberet, ſaltem in Hominibus duro labori non indulgentibus, mutatio in aſperitatem quandam duriuſculam, non ſine ſordibus epidermidem inprimis ad digitorum articulos inquinantibus. Affectus hic cutaneus, quantumvis nullam Homini moleſtiam procreet, aut in actionibus qualibuscunque impedimen-

dimentum cauſetur; ſordidus tamen exiſtit atque prorſus indecens illis, qui aliâs corporis munditiei ſtudent, ac quotidie inter conſortia Hominum ſublimioris conditionis verſantur.

Cauſa. Apud Plebejos, Ruſticos, Opifices & Aurigas, aſperitas illa non niſi originem duris laboribus debet, ſordidiſque variis rebus, quas ſuis quotidie manibus tractandas habent. Hinc & illi ſpurcitiem hanc minus curant. Apud Delicatiores autem provenit tum ab inopiâ pinguedinis ſubcutaneæ, tum ab exhalationibus cutaneis ſalſedine acidulâ magis quàm oleoſitate præditis; tum ab externo aëre frigido, cui manus frequenter exponuntur; tum denique ab aquâ gelidâ rigidiſque moleculis turgidâ, quâ quidem manus quotidie lavantur. Accidit enim ſic, ut pori cutis conſtringantur, ut exhalationes in epidermide quaſi congelentur, ſordeſque maximè plicis articulorum cutaneis inhærentes exhibeant; ut hæ denique ſordes figuræ particularum ſuarum irregularitate ſuperficiem cutaneam inæqualem & aſperam reddant. Atque hæc quidem tanto certius Delicatulis obtingunt, quando vel ſalſam magis humorum circulantium texturam ac diſpoſitionem obtinent, vel operibus mechanicis variis ſubinde delectantur, vel tandem ſuas manuum ſordes Aquâ ſaponatâ, quantumcunque calidâ, abſtergunt, quoniam hæc Aqua ſalſis gaudet, irregularibus & exaſperantibus particulis.

Curatio. Quicunque ergo molles mundaſque aut nitidas cupit habere manus, ille vel abſentem aſperitatem ſordidam præcavere debet, vel jam præſentem tollere. Præcavebit facilè, ſi à ſordidis manuum operibus abſtineat, ſi eaſdem ab aëre auſtero, frigido humido probè muniat, ſi autumnali tempore corpus à quantitate ſalſorum humorum nimiâ per aſſumptum purgans liberet; ſi denique *frigidâ Aquâ* manus nunquam ſuas lavet; ſed *tepidâ* potius, *Vino* tantillum permiſtâ, & addito ſimul, ubi placebit, *Furfure*, ſicq; cutim mollem lubricamque ſemper conſervare ſtudeat.

Tolli verò ſolet ſordities omnium optimè, ſi manus abluamus *Vino calido*, in quo tantillum *Saponis* fuerit ſolutum; quod ſi *Vinum* heic adhibeatur, non adeo aſperam cutim reddit, atque ſi *Sapo* in *Aquâ* fuerit ſoluta. Vel ſola *Aqua calida* cum *Vino* permiſta ſenſim emollit & abſterget ſordes, tantoque id felicius, ſi *Furfur*, vel *Malvam*, *Parietariam*, *Saponariam*, *Naſturtium*, ſimileſque Herbas alias incoxeris. Abſterſis verò ſordibus, tolles ſimul Aſperitatem, ubi ſingulis noctibus manus inunges *Sevo* aliquo v. g. *cervino*, *urſino*, *caprillo* &c. vel ſi hunc in finem *Unguentum pomatum*, *Pomum* aut *Globulum pomatum fragrantem* compoſueris; quemadmodum ſequens formula exempli loco inſervire poteſt, ad cujus normas ſimiles alias componere licebit; v. gr.

℞. *Axung. porcinæ, in quâ Roſar. rubrarum flores cum Vini tantillâ admiſtione usq; ad*

hujus

hujus exhalationem leniter
fuerint cocti ℥iv.
Radic. Ireos flor. ʒij.
Gum. Benzoin ʒj.
Olei Jaſmin. opt. ʒß.
Caryophyll. arom. ſubtil. trit. ℈j.
Ceræ virgineæ q. ſ.

Miſce ſuper lenem ignem in formam Unguenti, quo ſingulis noctibus manus illinantur, poſtridie mane Vino calente iterum, ſi placet, abluendæ.

Vel commune *Unguentum pomatum* paretur: v. gr.

℞. *Axungiæ ſuillæ* ℥vj.
Storac. calamit.
Benzoin.
Radic. Ireos florent.
Cinamom. elect.
Caryophyll. arom. ana ʒij.
Pomum citreum dimidium.
Pomum aurantium dimidium.
Pomum curtipendulum vel Borſthofianum integrum.

Inciſa miſce invicem, & coque usq; ad humiditatis conſumtionem; hinc cola & exprime per linteum, admiſtaq; ſufficiente quantitate Ceræ albæ virgineæ & Spiritûs Roſar. in Unguentum redige, quod ſi fragrans magis deſideres, grana ſex vel 8. Ambræ gryſeæ atq; Moſchi orient. Spirit. roſar. ſoluti immiſcere poteris: ac ita ſicut prius Unguentum uſurpare.

Vel ℞. *Axungiæ caninæ.*
cervinæ.
caprillæ.
Cremoris lactis ana ℥j.
Olei Jaſmini.
deſt. Ligni rhod. ana ʒj.
Ceræ virgineæ q. ſ.
M. f. Unguentum d. ad Ollam.

Qui ſectionibus Animalium frequenter indulgent, & ſuas poſtmodum manus *Vino* & *Aquâ* calefactis cum *Furfure* probè abluunt, illi nitidas etiam molleſque adipiſcuntur manus. Commune verò illudque non contemnendum remedium eſt *Magma Amygdalarum dulcium* poſt expreſſum *Oleum* relictum, quod ad fricandas molleſque reddendas manus adhibere quotidie ſolent. Vide de his quoque Titulum de *Cutis Aſperitate.*

MANVVM CONTRACTVRA *aut* **PARHESIS**, vid. *Contractura Membrorum.*

MANVVM FISSVRÆ ſunt exulcerationes Cutis manuum, ple- *Manuū fiſſuræ.* runque cum tumore, aliquali rubore, doloreque plus minus acerbo conjunctæ, ſubinde ſaniem fundentes, ab humorum ſalſedine, & nimio aëris vel aquæ frigore, cutis poros ſtringente ac findente, ortum ducentes.

Affectus, cui Homines illi præ a- *Subjectum.* liis ſunt obnoxii, qui molliorem habentes manuum cutim, hyberno tempore eaſdem frequenter vel aëri frigido exponunt, vel aquæ ſimul frigidiori ſæpiùs immergere coguntur, atque hinc ſtatim luculento igni appropinquant, vel calido fornaci admovent. Accidit enim ſic, ut, qui antea in extremis vaſculis cutaneis ab externo frigore quaſi congelatus, & incraſſatus fuit humor circulans, per

ſubitò accedentem ignis calorem, in motum inteſtinum vehementiorem adactus, elaſticâ ſuarum particularum aërearum virtute excitatâ tubulos cutaneos magis expandat, plures etiam illorum nimiopere diſtenſos frangat, ac ita epidermidem ſimul diffindat. Unde poſtmodum, ſi acres ſatis, acidòque ſalini multum ſint humores affluentes, Ulcuſcula tardius ſanabilia enaſcuntur.

Curatio. Præcaveri ergo malum hoc facilius poteſt, quàm ſanari; quanquam & hoc fieri ſoleat haud adeo difficulter, ſi Æger dulciorem habeat ſanguinis & humorum diſpoſitionem, ac in principio ſtatim remedia in uſum vocet. Qui proin obnoxii huic incommodo exiſtunt, illi ſtatim in principio hyberni temporis poſt Autumnum, frigidi aëris aquæve uſum & acceſſum crebrum, vel diuturnum fugiant; manus ſuas *Vino* ſæpiùs *calente* abluant; & ſingulis ferè noctibus eaſdem *Axungiâ cervinâ*, *caninâ*, *Anatum*, *Anſerum*, aliave inungant, cui *Spiritus Vini camphoratus*, aut *Ceraſorum nigrorum*, vel ſolutum in *Vini Spiritu Gummi ammoniacum* pro lubitu fuit permiſtum. Quòd ſi autem Fiſſuræ jam ſunt factæ, tum illas diligenter *Unguento albo camphorato*, vel *Unguento de Lithargyrio*, aut *de Minio* perunges. Vel *Oleum* aut *Vitellum* ſaltem *Ovorum* cum *Pulvere Calcis vivæ*, *Boli armenatis*, ♁nii *diaphoretici*, *Lapid. calaminar. ppt. Camphoræ*, *Myrrhæ* & ſimilibus alcalino balſamicis, addito tantillo *Terebinthinæ*, *Oleiq; Meliloti* vel *roſacei*, permiſcebis & inunges. Superimpoſito vel *Emplaſtro diapalmæ*, *Opoteldoch*, aut *de Spermate ranarum*; vel *Fomento è decocto Herbarum Perſicariæ*, *Scordii*, *Alliariæ*, *Salviæ*, *Ariſtoloch. Melilot. Hyperic. Verbenæ*, & ſimil. cum *Vino* & *Aquâ Calcis vivæ* parando; vel ſolùm *Spiritus Vini camphoratus*, aut *Elixir* è *nervinis*, *cephalicisq; Herbis*, cum *Camphorâ*, *Myrrhâ*, & *Aloë*, affuſo *Spiritu Vini rectific.* paratum calidè ſæpiùs toti manui applicetur. Imò idem *Elixir Axungiæ cervinæ* permiſtum manibus inungatur. Vide plura ſub Titulo de *Pernionibus*.

MANVVM LVXATIO, vide *Luxatio*.

MANVVM TREMOR eſt depravatio vel impotentia quædam motus voluntarii, quo Homines manus ſuas firmiter tenere nequeunt, ſed eaſdem, cùm quid prehendere volunt, ultro citroque agitari permittunt. *Manuum Tremor.*

Huic malo obnoxii ſunt inprimis Bibuli, qui crapulis indulgent quotidianis, quique tartarea maximè Vina, utcunque generoſa affatim hauriunt. Dein & Senes, vel levi Apoplexiâ tacti hujuſmodi Tremorem adipiſcuntur, non ſecus atque Veneri nimiæ dediti, aut qui cum venereâ non ſemel Lue conflictati ſunt. *Subjectum.*

Producit hunc Affectum laxitas, vel imbecillitas tendinum nervoſorum muſculos radiæos & cubitæos, quorum actione manus flectuntur, irradiantium. Laxitatem verò tendines non perfectam, ſicut in Paralyſi totali, *Cauſa.*

totali, ſed imperfectam obtinent, eamque à quorundam tantùm, non ſingulorum nervorum, in illos muſculos diſtributorum, obſtructione oriundam. Obſtruunt inprimis vel Catarrhi apoplectici, vel acido-auſtera minus acria ſalia, quibusdam nervulis infixa, eosque conſtringentia, qualia cumulantur ex Vinorum tartaro nervis admodum inimico in Bibulis. Nec obſtat, quòd obſervetur, hujus farinæ Homines ſuas manus firmiter aliquando citra Tremorem tenere poſſe, poſtquam bonum Vini hauſtum ingurgitârunt, jejuno inprimis ſtomacho; tum enim ſpirituoſa Vinorum ſubſtantia animales iterum ſpiritus quaſi reſuſcitat, eosque ad fortiorem in muſculos influxum, tubulorumque nerveorum elaſticam tenſionem fortiorem adigit. Cùm citra Vini potum iidem ſpiritus dimidiatâ ſolùm portione muſculos manuum flaccidos irradient. Anguſtiores dein etiam illi muſculorum tubuli quoque redduntur, cùm per ſenectutem exiccantur. Tandem Anæmia ſive defectus ſanguinis ad inflandos pro voluntariâ actione muſculos, occaſionem huic imminuto vel depravato motui præbere poteſt in Hominibus admodum debilibus, vel recens è graviore morbo reconvaleſcentibus, in quibus penuria animalium ſpirituum facta, elaterque generis nervoſi valdè debilitatus eſt. Si quis denique Philtrum aut aliud Venenum deglutivit, aut mercuriales copioſè fumos & halitus inſpiravit, is Tremorem quoque talem, utut aliâs convaleſcens, ſæpè acquirit, quando videlicet ſpicula quædam veneni acria ſubtilitate ſuâ penetrando, manuum fortè non ſecus atque aliarum partium muſculos petierunt, inque eorum faſciculis nerveis aliqualem vel conſtrictionem vel laxitudinem præternaturalem pepererunt; vel quando ipſa ſanguinis maſſa à Veneno quoad ſuam naturalem craſin adeo perverſa fuit, ut poſtmodum ſufficientem ſpirituum copiam ad irradiandos validè muſculos exhibere amplius nequeat.

Prognoſis. Tremor ergo talis corrigi poteſt, ſi in convaleſcentibus Ægrotis, vel poſt aſſumtum Venenum apparuit. In Bibulis verò, in Senibus, atque Venereis Hominibus, quoad ſuam Diætam incorrigibilibus, in Aurifabris, ſi à deaurandis quotidie vaſis argenteis non abſtinent, malum erit inſanabile.

Curatio. In *Curatione* proin omninò Maſſæ ſanguineæ eſt proſpiciendum; quæ ſi viſcida nimis vel acris fuerit, *abſorbentibus Pulveribus*, atque *Tincturis ſpirituoſis*, inprimis *cephalicis* corrigatur. *Diæta* optima, ſpiritus animales augens & reficiens præſcribatur. Externa denique omnia in uſum trahantur, quæcunque in *Manuum Parheſi* ſub Titulo de *Contracturâ membrorum*, atque in *Paralyſi* commendavimus.

Maraſmus ſ. Tabes, Atrophia. MARASMUS, MACIES, TABES, ATROPHIA, eſt paulatina corporis vel ejus partium conſumtio, & extenuatio, citra inſignia ſymptomata Hominem moleſtantia affligens.

 Affectus

Affectus non ſolùm Pueros aut Infantes, ſub *Atrophiæ* vel *Pædatrophiæ* nomine affligens, ſed Adultos etiam, ac Senes interdum prehendens; utut pro cauſarum varietate novas quandoque appellationes fuerit adeptus. *Maraſmus* græcum eſt Μαρασμὸς, quæ vox à μαραίνω, *tabefacio* eſt deducta. Sicut *Atrophia*, Ἀτροφία, eſt vox ex α privativo & τρέφω, *nutrio* compoſita, ſignificatque hinc *nutritionis privationem*. Παιδατροφία autem decompoſita vox eſt ex παῖς, *puer*, ἀ *privativo*, & τροφὴ *nutrimentum*, & dicit *Tabem Puerorum*.

Ratio nominis.

Equidem *Maraſmi*, *Maciei*, *Tabis*, *Contabeſcentiæ*, & *Emaciationis* vocabula generalia ſunt, & qualemcunque corporis extenuationem ſine conſumtione denotant, à quâvis etiam cauſâ oriundam. Sed cùm non una tantùm cauſa ſit, quæ hunc Affectum producat, diverſa hinc etiam nomina fuerunt ab Authoribus ipſi indita, inque uſum tracta, usque adeo, ut, quæ concinnius primùm tractari potuiſſet materia, poſtmodum non niſi prolixè explicari debuerit.

Ante omnia proin notabimus, plurimos eſſe Morbos, in quibus vel totum corpus emaciatur, vel ejus ſaltem pars extenuatur. Ita enim in *Febribus* qualibuscunque *malignis* aut *diuturnis*, in *Dyſenteriis*, *Lienteriis*, aliisque corpus conſumitur: in *Paralyſi* verò, aut *Rheumatiſmo* partes ſolùm affectæ extenuantur. Hæ tamen conſumtiones non niſi tanquam ſymptomata aliorum Morborum conſiderantur, nec *Maraſmi* nomine propriè veniunt, eò quòd morbis illis, tanquam ſuis cauſis ablatis per ſe ceſſent.

Cauſæ.

Producitur verò Macies omnis à defectu particularum nutritiarum, quæ moleculas, è partibus tam fluidis quàm ſolidis quotidie in ſtatu etiam naturali exhalantes, reſtaurare deberent. Deficiunt tales nutritiæ particulæ, quando ſanguis nimium acris, ſalſus, acidusve evadit, prout in *hectica Febri*, ſuo loco deſcriptâ, contingit; vel quando Sanguis valdè craſſus, viſcidus ac lentus producitur à Chylo adveniente pituitoſo viſcido, prout in *Febri lentâ*, ab *hecticâ* nonnihil diſtinctâ, notatum fuit. Quicquid ergo ſanguinis craſin & texturam naturalem deſtruit, & ſive viſciditate quadam, ſive acrimoniâ ſalino-ſulphureâ aut aquoſâ inquinat, illud etiam gelatinoſas ejusdem particulas, in alimentum partium faceſſentes, vel nimis tenues ac fluidas, vel craſſiores & viſcidiores reddit, aliove modo ita pervertit, ut ineptæ hinc exiſtant in poros nutriendarum partium recipi, aut in iisdem retineri, coagularique. Quamobrem in omni Sanguinis turgeſcentiâ febrili corpus conſumi neceſſe eſt, & quidem tanto citius, quanto major fuerit illa turgeſcentia, ſub quâ moleculæ partium ſolidarum validè agitatæ cum ſudore extra corpus affatim emittuntur. Præterea Philtra, aliave blandiora Venena aſſumta paulatim corpus emaciant. Non ſecus atque defectus Chyli laudabilis ad Tabem contribuit, quando

vel

vel in Meſenterii glandulis & lacteis vaſis obſtructiones ab acido-viſcido ſucco fuerunt productæ, quemadmodum id frequenter apud Infantes voraces contingit, ut eapropter Morbus talis *Pædatrophia* à nobis fuerit nuncupatus, atque Diſſertatione inaugurali ante triginta annos prolixè explicatus; vel quando Lumbrici Inteſtinorum, aut Comedones quoque chyloſam portionem abſumunt: vel quando Chylus minus probè ſive in Ventriculo elaboratus, ſive in Inteſtinis perfectus, atque adeo crudus, & viſcidus ad ſanguinem transmittitur. Quamobrem Liquor gaſtricus vel ex toto vel ex parte deficiens, aut volatilitas ejus activitasque perpetim exigua; penuria dein etiam Succi pancreatici aut Bilis, propter Pancreatis Hepatisve obſtructiones; aut eorundem ſuccorum activitas valdè minuta; defectus denique Lymphæ glandularum inteſtinalium heic ſæpiùs accuſari debent; undecunque demum liquores iſti, dictæque Partes ſua vitia contraxerint; ad quæ producenda remotiùs errores in Diætâ frequenter commiſſi valdè contribuunt.

[P]ædatro-[ph]ia.

Si quæ partes interiores, aut exteriores etiam Ulcera ſinuoſa, phagedænica, fiſtuloſa, cancroſa, acquiſiverunt, jugiter illa particulas ſanioſas & acres ad circulantem ſanguinem transmittunt, à quibus poſtea ſenſim gelatinoſo-alimentoſæ, & balſamicæ moleculæ corrumpuntur, ac alienâ texturâ admiſſâ ad nutritionem præſtandam ineptæ redduntur. Sic enim Ulcera pulmonum in *Phthiſi*, Ulcera Hepatis, Renum, Uteri, Cancri etiam qualescunque *Marasmum*, ſub *Febris hecticæ*, de quâ ſuo loco, ideâ poſt ſe trahunt. Ita Scirrhi Viſcerum & Glandularum interiorum, Sanguinis maſſam craſſiorem, ac viſcidiorem reddendo, tandem cum vel ſine Febri lentâ nutritias particulas imminuunt, ac ita *Atrophiam* ſive *Marasmum* verum producunt, ſive dein Hydropem, ruptis ſimul vaſculis lymphaticis nimium diſtenſis, poſt ſe trahant, ſive corpus ſiccè velut emacient.

Phthiſis. *Febris hectica.* *Atrophia ſ. Marasmus.*

In Pueris & Infantibus utplurimum à lacte vel lacticiniis coagulatis cruditates acido viſcidæ atque tenaces colliguntur, quæ ſi vel oſtia lacteorum vaſorum, vel Meſenterii glandulas obſtruunt, vel ſanguinem nimis lentum ac tenacem, aut acriusculum quoque reddunt, *Pædatrophiam* inducunt, difficulter admodum tardiusque ſanabilem.

Cauſa Pædatrophiæ.

In *Diabete* porrò ob nimium Urinæ profluvium, in *Diarrhœâ continuâ*, ob nimiâ ſeri ſanguinei effuſionem; in *Tabe dorſali*, ob perpetuam copioſamque ſeminis excretionem, Spiritus animales maximè exhauriuntur, unde appetitus ac digeſtio ciborum paulatim imminuuntur, crudus ac ad nutritionem ineptus, ſalſus vel aquoſus chylus generatur, ſecretiones variæ hebetantur, & ſic Æger quotidie magis extenuatur.

Diabetes. *Diarrhœa continua.* *Tabes dorſalis.*

Atque ita plures admodum ſpecies *Marasmi* heic forent conſiderandæ, quarum potiſſimam partem tamen aliô ablegamus; heic ſolùm naturam & curam explicaturi *Atrophiæ* ab

ab obſtructione Glandularum variarum oriundæ.

Diagnoſis. *Atrophia* ſ. *Marasmus* in principio vix cognoſcitur, dum enim ſubinde Homines per tempora varia magis minusve obeſi exiſtunt, haud multum curant ſicubi etiam aliàs emaciari incipiant, præſertim cùm hoc citra qualemcunque moleſtiam contingat, nullaque ſymptomata notabilia Æger percipiat, de quibus jure conqueratur. Poſtea autem paulatim animadvertit ciborum appetitum minui, ſe ſenſim magis ac magis, vel à quocunque leviculo labore, aut obambulatione fatigari ac laſſari: noctes redduntur inquietæ, ſomnus primùm leviter, dein magis turbatur; phlogoſes & calores volatici non rarò ſimul affligunt, quando ſanguis jam craſſior redditus, nec ita feliciter eapropter circulans, in motu particularum ſuarum inteſtino ſubinde per plura momenta augetur. Atque tum manifeſtius obſervatur, corporis habitum extenuari, pallore faciem indui; vocem ac ſermonem aliquantillum remiſſiorem fieri, reſpirationem etiam in quovis corporis motu plus minus offendi; ſitim aliqualem nocturnasque ſudationes obtingere. Denique ſi ex uſu remediorum nullum obſervetur auxilium, Macies quotidie augetur, usque dum cutis vix oſſibus ſola hæreat, faciesque Hippocratica prorſus reddatur, ac ita tandem Homo ſenſu motuque omni deſtitutus in ſudorem fortè primò calidum, poſtea autem frigidum quaſi diffluat, & naſo digitisque frigidis lividisque redditis remiſſius de horâ in horam reſpirare, vitæque ſic uſum tandem prorſus amittere cogatur. Sæpè etiam ante mortem Hominibus pedes & abdomen, imò totum quandoque corpus ob lymphæ ſtagnationem intumeſcunt. Si *Febris* adſit quædam *lenta* aut *hectica*, ſuis ex ſignis cognoſcetur, prout ſuo loco videre licet.

Neque enim credendum eſt, Marasmum adeo facilè curari, quin, ut de internis partium exulcerationibus maciem plerunque deleteriam poſt ſe trahentibus nihil dicam, ſolæ etiam obſtructiones & indurationes Glandularnm meſaraicarum, hepaticarum, pancreaticarum ac ſimilium Atrophias quoque producunt plerunque difficulter ſanabiles, imò interdum prorſus immedicabiles. Quot enim non reperiuntur Infantes, pulmentis, fructibus horæis, cibis viſcidis, lentis, ſaccharatis, mellitisque adeo ſaginati, ut tandem in Atrophiam univerſalem, corpus totum emaciantem, ſolo Abdomine forſan intumefacto ac tenſo, incidant. Senes etiam decrepiti, qui per vitam ſuam ſani extiterunt, vel rariſſimè ægrotârunt, tandem citra manifeſtum aliquem morbum blandè exiccantur, conſumuntur, atque deperdito uno poſt alterum ſenſu, ſine ullis doloribus, blandè obdormiſcunt; in quibus fortè dices radicale humidum fuiſſe ſenſim abſorptum, eoque conſumto ſimul vitalem calorem, ſive nativum, ut Veteres loquebantur, calidum eſſe extinctum. Atque hæc eſt illa Tabis Prognoſis.

ſpecies,

ſpecies, quam *Maraſmi ſenilis* nomine peculiariter inſignire Medicorum Schola conſuevit.

ratio laraſ- i ſe- lis.

In *Curatione* Maraſmi hujus ſenilis nulla præſcribere meliora poſſumus remedia, quàm *analeptica* & *confortativa*; quamobrem ſæpiùs *Juſcula conſumata*, *Cinamomi* tantillo aromatiſata exhibebuntur, intercalando *Syrupi antiſcorbutici* recenter cum Melle parati uſum. *Aquæ cardiacæ* loco inſerviet *Vinum* aliquod generoſum, v. gr. *Hiſpanicum*, *Malvaticum*, aut *Canarienſe*, cum *orbiculis Panis ſaccharati*, aut *Pane martio*. *Confectio Alkermes completa* ſubinde pura linguæ imponetur. Propinare quoque ſolemus *Mixturam* ſeqq.

℞. *Aqu. Borrag.*
Bugloſſ. ana ℔j.
Roſ. rubr. ℥iv.
Sacch. alb. q. ſ. ad dulcedinem gratam conciliandam.
Miſc. atq; ſoluto probè in Aquis ſaccharo adde
Spirit. Ceraſ. nigr. ℥iv. v. *vel plures pro lubitu.*
Eſſent. Ambr. q. ſ. ad gratum guſtum.
Miſc. ac ſubinde cochlearia plena exhibe.

Atrophia Puerorum, vel Adultorum.

In *Atrophiâ Puerorum*, vel etiam *Adultorum*, ubi contigerunt obſtructiones, vel Scirrhi quidam glandularum internarum, ea ſunt remedia in uſum trahenda, quæ primò Inteſtina probè eluunt, dein blandè ſed ſufficienter nihilominus incidunt, attenuant atque reſolvunt mucum viſcidum. Itaque ante omnia Puero v. gr. trium vel quatuor annorum *Trochiſcos* 4. vel 5. noſtr. *hermeticos* mane jejuno ſtomacho exhibere ſoleo, ac poſt ſex dies ſemper intermedios, ter vel quater, prout opus eſſe videbitur eosdem repeto; vel *Pulverem* ſeqq. *purgantem* exhibeo:

℞. *Mercur. dulc. opt. gr.* vj.
Scammon. 🜍*rat. gr.* iv.
Specif. antih. Poter. gr. iij.
Crem. 🜿*ri gr.* ij.
Sacch. roſat. gr. vj.
M. f. Pulv. ſubtil. d. ad ch. pro doſi.

Vel ℞. *Panac. ſolutiv. alcalin.* ℥ß.
Div. in 8. *doſ. æqu. ad ch. Quotidie ſemel aut bis pro re natâ doſis dabitur, quæ blandè tandem ſine ullis torminibus laxabit, obſtructaq; viſcera reſerabit.*

Puero unius anni dabitur *Trochiſcus unus*, vel *unus cum dimidio* pulveriſatus. Infanti bimulo concedentur *Trochiſci duo* vel *tres*. Puero ſexenni exhibebuntur *ſex*, *ſeptem* aut *octo* devorandi; vel ſequens dabitur:

℞. *Syrupi de Cichor. cum Rhab.*
Flor. Perſic. ana ʒvj.
Aqu. Fœnic. ℥ß.
Julep. roſac. ʒiß.
Mercur. dulc. ℈ß.
Scammon. 🜍*rat. gr.* j.
M. f. Potio, detur pro doſi matutinâ.

Vel ℞. *Mercur. dulc. opt.* ℈ß.
Specif. antihect. Pot. gr. iv.
Scammon. 🜍*rat. gr.* vij.
Crem. 🜿*ri gr.* j.
Rotul. Man. Chriſt. ſ. gr. vj.
M. f. Pulv. ſubt. d. pro doſi.

Adulti ſequens aliquod ſubinde capient:

℞. *Maſſ. pilul. hydrop. Bont.* gr. xij.
Extract. cathol. gr. vij.
Mercur. dulc. opt. ℈ß.
Magiſt. Jalapp. gr. ij. *vel* iij.
Ol. ſtillat. Succ. q. ſ.

M. f. l. art. Pilulæ num. XV. Inaurat. d. ad ſcat. ſumantur mane pro doſi.

Vel ℞. *Extract. panchymag.* gr. xj.
Maſſ. pilul. tartarear. Querc. gr. vj.
Reſin. Jalapp. gr. iij.
Mercur. dulc. opt. gr. xv.
Ol. ſtillat. Fœnic. q. ſ.

M. f. l. a. Pilulæ num. XIV. Inaur. d. ad ſcat. pro doſi.

Vel ℞. *Syrup. de Spin. cervin.*
Roſ. ſol. compoſ. cum Rh. Ag. & Sen. aa. ℥j.
Aqu. Agrimon. Taraxac. aa. ℥ß.
Cinam. ʒij.
Elect. è Succ. Roſ. ʒj.

M. d. ad Vitr. pro doſi matutinâ.

Vel ℞. *Mercur. dulc. opt.* ℈j.
Radic. Rhab. elect. ʒß.
Crem. ♀*ri* ℈ß.
Scammon. 🜍*rat.* gr. vj.

M. f. Pulv. ſubt. d. ad ch. pro doſi.

Poſt purgans tale ſtatim conveniunt *remedia antatropha, aperientia* atque *reſolventia*, *acidum fixum admodum deſtruentia*, variis ſub formulis exhibenda. *Pulvis* heic ante omnia eminet *antatrophus Scretæ*, qui ſequens eſt:

℞. *Sacch cand. alb.* ℥iv.
Salis volat. Fuligin. ʒj.
Radic. Ireos florent. ℥ß.
Aron. pulveriſ.
Diaph. ♂*ial.*
♃*vial.*
Ocul. ♋. *ppt. ana* ʒij.

M f. Pulvis ſubtiliſſ. qui vel per ſe ad ℈j. *vel* ʒß. in Pueris, ad ℈ij. autem vel ʒj. in Adultis pro doſi m. ac veſp. exhiberi ſolet. *Pulveres* verò nobis eundem ad ſcopum uſitati parantur ex *Specif. antihect. Poter. Radicibus Chelidon. major. Zedoar. Ariſtoloch. long. Vincetoxic. Ireos florent. Ireos noſtrat. Sigill. Salomon. Aronis, Spod. ppt. C. C. phil. ppt. Mercur. dulc. opt. Bolo rubr. noſtrate*, vel cujuſque regionis, *Herb. Lichen. petr. Rutæ murar. Auricul. muris, Trichomanes* ſive *Polytrichi Officinar. Cinamom. Naſturt. aquatic. pulveriſat. Arcano duplic. Mynſ.* vel *Sale polychreſt.* & ſimilibus invicem mixtis, neque *ſaccharo* nimium edulcoratis; v. g.

℞. *Radic. Ireos florent.* ʒij.
Aron.
Fol. Polytrichi.
Diaphor. ♃*vial.*
Boli armenat. vel commun. noſtrat. ana ʒj.
Mercur. dulc. opt. ℈ij.
Salis polychr. ℈j.
Sacch. roſ. tab. ℥j.

M. f. Pulv. ſubt. d. ad ſcat. Doſis à ℈j. *ad* ʒj. *m. ac veſp.*

Vel ℞. *Radic. Ireos noſtrat.*
Chelidon. maj. ana ʒj.
Zedoar. ℈ß.
Spodii ppt.
Ocul. ♋. *ppt. ana* ʒiß.
Diaph. ♂*ial.* ʒj.
Sacch. cand. alb. ℥j.
Semin. Fœnic. ʒß.

M. f. Pulv.

M. f. Pulv. ſubt. d. ad ſcat. Uſurpetur ut prior.

Vel ℞. *Bol. communis rubr.* ʒij.
Pulver. folior. Naſt. aquat. ʒj.
Lichen. petr.
Specif. antihect. Poter. aa. ʒiß.
Semin. Aniſ. Violar.
Arcan. dupl. Mynſ. ana ℈iiß.
Sacchar. alb. ℥iß.
M. f. Pulv. ſubt. d. ad ſcatul. Uſurpetur ut primus.

Quando multum conſtipatus eſt Æger, laxans ſimul intermiſcebitur; vel ſequ. v. gr.

℞. *Radic. Sigill. Salomon. vel*
Ireos flor. ʒiß.
Scrophular.
Serpentar.
Fol. Auricul. Mur.
Polytrich. ana ʒß.
Semin. violar. ʒj.
Aniſ. ℈j.
Ebor. phil. ppt.
Specif. ſtom. Pot. ana ʒij.
Sacch. cand. alb. ʒx.
M. f. Pulv. ſubt. d. ad ſcat. Doſis ʒß. *bis vel ter quotidie.*

Vel ℞. *Radic. Carlin. Mechoc. aa.* ℈ij.
Scrophular. ℈j.
Dent. aprin. ppt.
Unicorn. marin. ppt. ana ʒj.
Diaph. ♂ial. ℈ij.
lunar. ʒß.
Semin. Fœnic. ℈j.
Fol. Mercurial. ℈ij.
Sacch. alb. ʒvj.
M. f. Pulv. ſubt. d. ad ſcatul. Doſis ut ſupra.

Vel ℞. *Magneſiæ alb.* ℥j.
Fol. Polytrich.
Rut. murar. ana ℈ij.
Boli noſtrat. ppt. ʒiß.
Semin. Violar. ʒj.
Cinamom. elect. ℈ß.
Sacch. cand. alb. ℥j.
M. f. Pulv. ſubt. d. ad ſcat. Ter quotidie ℈j. *ad* ℈ij. *detur.*

Si ſimul cachecticus eſt Æger, proſunt etiam *martialia* ſola interdum; imò *Tinctura* ♂nii, vel *Tinctura* ♂t. *aperitiv. Zwelfer*, aut *Corallor.* cum *Aquâ Cinnamom.* mixta, quotidie mane ac veſperi ad guttas 30. ad 40. dabitur. Vel *Succi Plantarum antiſcorbuticarum Saccharo edulcorati*, ſed *recenter* prius *expreſſi, filtratiq́;* ad ℥ij. man. ac veſperi pro doſi per plures hebdomadas capiantur. Laudavit Hartmannus ſuam *Aquam antihecticam. Deſtillatum* etiam quoddam *antatrophon* ſeqq. modo paratur, & quotidie mane ac veſperi ad cochlearia duo vel tria bibendum per plures ſeptimanas conceditur; v. gr.

℞. *Sanguinis recenter è Vitulo vel Cervo mactato extracti Menſ.* j. *vel* ℔iv.
Radic. rec. Scorzoner.
Chelidon. maj. aa. ℥j.
Herb. Naſturt. aquat.
Beton.
Bellid. min. cum flor.
Salviæ.
Polytrichi.
Agrimon.
Anſerin. ana Mj.
Beccabung. Mij.
Semin. Aniſ.
Fœnic. ana ʒiij.

Aqu. Card. bened.
Veronic. ana ℔ij.

Inciſ. & contuſa ſerventur per aliquot horas in Vaſe probè munito, dein ſuperimpoſito alembico deſtillentur. Deſtillato hinc Saccharum permiſceri poteſt ad gratiam. Purgans lene ſubinde reiterandum; atque externa quoque remedia non negligenda; inprimis verò totum Abdomen cum ſpinâ dorſi eſt inungendum ſeqq. *Unguento:*

℞. *Herb. Bellid. min. cum flor.*
Fol. Salviæ, Polii.
Anſerin. Majoran.
Verben. Perſicar.
Malv. Origan. ana Mj.

Inciſ. & contuſ. coqu. in ſ. q. Butyri recentis non ſaliti, colaturæ propemodum inſpiſſatæ admiſce

Boli communis alicujus q. ſ.
Axungiæ Caponum.
Anatum ana ℥ij.

M. f. Unguentum, quod m. ac veſp. calidè inungatur.

Balneum Aquæ dulcis, ejusque vel *mineralis*, in quo *Argilla* reſidet tantillum *aluminoſo-ſulphurea*; vel ſimplicis *fontanæ*, in quâ *Herbæ* ſupra notatæ, unâ cum *Urticâ, Violariâ, Altheâ* &c. ac *Vini fæcibus* probè decoctæ fuerunt, per aliquot hebdomadas quotidie ſemel vel bis ad aliquot horas uſurpatum ſimul conducit; præſertim ſi Corpus poſt Balneum ſemper inungatur.

Diæta. In *Diætâ* vitentur omnia craſſioris ſucci, difficulter in ſtomacho diſſolubilia, aut quæ viſcidum, craſſum, crudum exhibere chylum ſolent. Pro potu ordinario dari poteſt *Decoctum radic. Ireos flor. Gramin. Liquirit. Chin. Scorzoner. Semin. Aniſ. Fœnic. Coriandr. Lign. Saſſafr. Herb. Scab. Agrimon.*

MATRICIS HYDROPS, vid. *Hydrops Uteri.*

Matricis ſuffocatio. MATRICIS SVFFOCATIO, ſive *Paſſio hyſterica*, *Uteri ſuffocatio*, eſt certa quædam Pectoris anxietas, cum ſubſequente nonnunquam Aſthmate, Lipothymia, vel Convulſionibus, plus minus diu durans, atque ab humore quodam acido-auſtero nervos uterinos, vel etiam meſentericos tantùm plexus affligente oriunda.

Subjectum. Quanquam autem non paucæ exiſtant Fœminæ iſti incommodo obnoxiæ, reperies tamen diverſo planè modo illas affligi. *Diagnoſis.* Pleræque conqueruntur de gravi pectoris anguſtiâ, anxietate & oppreſſione, cum reſpirandi majore vel minore difficultate. Comitantur in principio frigus, & oſcitationes crebræ, ſudorque nunc frigidus, nunc calidus, cum virium imbecillitate exprimitur. Quin imò prorſus accedunt Deliquia Animi, eaque nunc mitiora, in quibus Ægrotæ cum pallidâ admodum facie loqui quidem videreque neſciunt, audiunt tamen adſtantium murmura & ſermones; nunc graviora, longiusque durantia, unde ſæpiùs ante bihorium vel trihorium excitari minimè poſſunt. Aliæ iterum ſunt, quibus membra nunc omnia, nunc aliqua ſolùm convelluntur, fermè ut credas, Epilepticos in hisce motus urgere. Quandoque

doque interni tantùm plexus nervei meſenterici & uterini ſpasmodicè contorquentur, ac vel Inteſtinorum aut Meſenterii partem ita coarctant vel criſpant, ut hinc Fœminæ aliquid inſtar globi in abdomine circumvagari, imò ad fauces ferè aſcendere, indeque ſibi collum anguſtari & quaſi fune ſtrangulari perſentiant, atque credant, vel ſibi imaginentur, Matricem ſuo è loco dimotam verſus palatum aſſurgere. In multis etiam Hyſtericis tempore paroxyſmi colicæ Paſſiones, vel Tormina ventris cum rugitibus urgent, imò apud nonnullas quoque Nauſea & Vomitus, non ſine præcedaneâ Hemicraniâ vel Cephalalgiâ, moleſti ſunt.

Pars affecta. Atque hæc Symptomatum diverſitas plures hactenus Medicos dubitare fecit, utrum in tali Affectu præcisè ſemper Uterus ſit affectus? Si verò dicendum quod res eſt, ſæpiùs quidem afflicti matricis nervi hyſtericas producunt Paſſiones; interdum tamen etiam nervi ſoli meſenterici, ſimiliter irritati, eadem Pathemata excitare obſervantur, cumque tale quid ſæpiùs & Viris contingere ſoleat hypochondriacis, ideo abſurdæ quædam mulierculæ haud erubeſcunt dicere, ſuos quoque Maritos Uteri Suffocatione laborare.

Cauſa. Quicunque igitur humor auſtero-acidus, irregularibus acribus particulis præditus, in tubulis uterinis, vel meſentericis, diaphragmaticis, aliisque membranaceis obhærere, ac ſpiculis ſuis nervoſas fibras vicinas fortiter pungere, lancinare atque criſpare valet, is noſtro quidem judicio deſcripta ſuperius hyſterica ſymptomata producere poteſt; prout nunc pauciores, nunc plures, nunc hos aut illos nervos magis affligit. Humor autem ille nocivus è maſſâ ſanguineâ profluit, & in variis tubulis ſtagnare ſolet, idque tanto facilius, ſi occaſio quædam vel per animi vehementiora pathemata, vel per cibos acidos, ſaccharatos alioſque nervis peculiariter inimicos, vel per frigus extremarum partium nimium data; vel per odores rerum inconvenientes, nariū fibrillas fortius affligentes, & ſpasmodicè criſpantes, Spiritus animales Fœminæ, ac totum ferè genus nervoſo-membranaceum ad motum perturbatum fuerit concitatum, indeque nervi, membranæ, muſculique plus minus constricti. Quòd ſi in Inteſtinorum, vel Meſenterii glandulis, tubuliſque talis humor acris lancinationem inſtituat, oboritur hinc membranarum & plexuum nervoſorum per Inteſtina diſperſorum criſpatio & convulſio ſucceſſiva, unde Ægræ perſentiunt ſibi quaſi globum per abdomen circumvagari, nihil credentes aliud eſſe, quàm ipſam Matricem ſuo è loco motam. Si nervi inteſtinales tamen magis affliguntur ab acido rodente ſcorbutico, Colica oboritur, quæ in Fœminis quidem *hyſterica Paſſio* dicetur, in Viris autem ſcorbutico-hypochondriacis, in quibus ſimiliter aliquando contingit, *ſpasmodica Colica.* Si Nervi diaphragmatici, intercoſtales, pneumonici, muſculorum laryngæorum, lancinentur ab eodem hu-

more, tum Anxietates, Aſthmata, oppreſſiones pectoris, ſtrangulationes Colli & Laryngis oboriuntur; quæ ſimiliter Viris modò dictis æquè ac Fœminis hyſtericis evenire poſſunt. Quod ſi verò vel ſanguinis guttulæ quædam corruptæ, vel lympha mucusve acris in cervicem aut ipſam fundi uterini ſubſtantiam depoſita, nervos matricis ſpasmodicè pungat, criſpet, ac alios quoque ſimul nervos in conſenſum ſuæ afflictionis trahat, tum vera oritur *Paſſio hyſterica*, vel *Suffocatio Uteri*, qualis in Viris obſervari nequit. Sicuti nec illa, quæ fragrantibus Moſchi, Ambræ, Roſarum, aliisve adverſis odoribus frequenter producitur, virilem ſexum affligere ſolet.

Prognoſis.

Quanquam autem raro admodum lethalis ſit hæc Affectio, licèt ſæpiùs in nonnullis Mulierculis recurrere poſſit; exempla tamen habentur earum quæ, ſive prægnantes ſive puerperæ exiſtentes, gravius eodem Morbo prehenſæ diutiusque vexatæ convelluntur, & moriuntur. Malum cenſetur hinc ſignum, ſi Hyſterica non ſternutet, cùm pulvis ſternutatorius ejus naribus eſt inſperſus, ſi animo valdè graviterque linquatur, neque facilè excitari queat, imò excitata mox iterum in Lipothymiam relabatur.

Curatio.

In Paroxysmo itaque Hyſterico ea intus extusque uſurpanda, quæ tumultuantes ſpiritus ad placidum motum reducere, quæque criſpatos hinc inde nervos demulcere & ad naturalem oſcillationem reducere valent. In hunc finem naribus admoveri ſtatim poterunt *ſulphurata*, *ſuccinum*, *vetus corium*, *pennæ*, *pannus lineus cœruleus*, *nux myriſtica*, ſimiliaque accenſa & fumigantia: vel *Caſtoreum*, *Teſticuli vulpini*, *Priapus Cervi*, *Aſa fœtida*; vel *Spiritus Sal. armon. urinoſ. Liquor.* C. C. *ſuccinat.* qualis etiam naribus inſpergi poteſt. Si Lipothymia gravis adfuerit *Pulvis ſternutatorius* naribus immittitur; tempora naresque *Balſamo rutaceo*, *ſuccinato*, cum *Aſa fœtidâ*, vel *Axungiâ Caſtorei* inungentur: *Spiritus* etiam vel *Elixir* qualecunque *matricale* admovebitur naſo, cordi atque temporibus calidè. Pila quoque hyſterica ſequens Naribus applicata bona eſt:

℞. *Caſtor. optim.* ℥ß.
Aſæ fœtid. ʒj.
Gumm. Sagapen. ℈ij.
Semin. Rut. ℈iiß.
Radic. Angelic. ℈ij.

Pulveriſatis admiſce Oleum deſtill. Succin. & cum Oxymel. ſquill. f. Maſſa in globum unum vel duos redigenda.

Umbilico inungatur *Galbanetum Paracelſi*, vel *Oleum Rutæ calidum*, vel ſequens:

℞. *Axung. leporin.* ℥ij.
Caſtor. ʒj.
Ol. ſtillat. Rutæ.
Meliſſ.
Chamomill.
Cervi ana gutt. xv.
Spicæ gutt. x.

M. d. ad Ollam, & inungatur, uti dictum.

Si quæ autem Fœminæ *Aceti* odorem commodè ferunt, tum hoc faciei

faciei ipſarum frigidum inſperges; vel ſaltem *Vinum* ore receptum in faciem ægræ exſpues fortiter, & ita ſæpiùs ſtatim ad ſe redeunt. Nonnullæ Mulieres facilè tolerant *Balſamum antapoplect.* vel *Rutæ*, *Majoran. Cinamom. Succini*, quæ proin naribus ac temporibus earum inungere poteris. Pudenda verò fricare licet cum fructu ſeqq. *Balſamo:*

℞. *Unguent. roſat. vel pomat.* ʒiiß.
Axung. human. ʒj.
Zibeth. gr. viij. *vel* x.
Ol. ſtillat. Garyoph. gutt. iij.
M. d. ad Oll.

Si *Clysma* neceſſarium videbitur, & commodè applicari poterit; parabitur aliquod ex *Aquâ* vel *Carnium Juſculo*, vel *Urinâ Hominis*, cui *Radices Angelic. Petaſitid. Imperator. Irid. flor. Lil. alb. Herb. Malv. Marrub. alb. Pulegii*, *Alth. Violar. Meliſſ. Origan. Hyſſop. Matricar. Leviſtic. Aneth. Abſynth. Tanacet. Flores Calendul. Chamomill. Primul. ver. Salviæ* &c. *Semina* item *Carvi*, *Cumin. Bacc. Laur. Junip.* incocta ſint; addito poſt factam colaturam *Sale communi*, *Melle rutaceo*, & *Oleo Chamomill.* vel *Meliloti*.

Ægris per externa talia ad ſe redeuntibus ſtatim exhibe quandam per cochlearia *Aquam hyſtericam*; quemadmodum ſunt *Aqua vitæ* cum *Caſtoreo Zwelferi*, *Balſamus Embryonum*, *Elixir* quoddam *matricale*, vel ſeqq.

℞. *Aqu. Meliſſ.*
Card. bened.
Puleg.
Syrup. de Artemiſ. ana ʒvj.
Tinct. Caſtor. cum Spir. Sal. arm. par. ʒß.
Eſſent. Succin.
Cortic. Aurant. aa. ℈j.
Diaph. ♃*vial.* ʒß.
M. d. ad Vitr. & ſubinde cochleatim exhibeatur.

Vel ℞. *Aqu. Matricar.*
Fœnicul.
Aneth. ana ℥j.
Cinam. cum Vin. deſtill.
Syrup. de Eupator. ana ℥ß.
Eſſent. Caſtor.
Liqu. C. C. ſuccin. ana ℈j.
Spod. ppt. ʒß.
Sacch. alb. ʒj.
M. d. ad Vitr. Uſurpetur ut ſupra.

Vel ſi *Convulſiones* adſint, aut metuantur:

℞. *Aqu. Cichor.* ℥ij.
Artemiſ.
Marrub. alb.
Syrup. cortic. Aurant. ana ℥ß.
anodyn. ʒiij.
Balſ. Embryon. ʒij.
Salis volat. Succin. ℈ß.
Ol. ſtillat. Menth. gutt. iiij.
Amaraci. gutt. vij.
♁*n. diaph.* ʒß.
Sacch. alb. ʒiij.
Cinnab. nativ. opt. ℈ß.
M. d. ad Vitrum.

Vel ℞. *Aqu. Meliſſ.* ℥j.
Matricar.
Cinam. cum Vin. deſt.
Vit. cum Caſtor. ana ℥ß.
Syrup. anodyn. ʒiiiß.
Ungul. Alc. ppt. ʒß.
M. d. ad Vitr.

Si

Si Ruri verſatis, Ruſticæ hyſtericæ ſequens euporiſton bibendum trades quàm certiſſimum:

℞. *Hippenteror. bolos tres vel quatuor.*
Herb. Majoran. Marrub. alb.
Cherefol. Aneth.
Rutæ. Menthaſtri.
Meliſſ. & ſimil. aa. Mß.
Affunde Aquam ferventem, fontanam aut deſtillatam Cichor. Card. bened. Fœnic. ſtent parum, donec refrixerit Aqua, colaturæ poſtmodum adde Sacchari parum, vel etiam ſolum ſine Sacchαro hauriendum præbebitur.

Poſt Paroxyſmum Mulieres, ad deſtruendum, quod in corpore circumgerunt acidum ſpasmodico-hyſtericum, æſtivò quidem tempore corpus per aliquot hebdomadas quotidie lavabunt in Balneo Aquæ qualiſcunque mineralis ſulphureo-aluminoſo-argillaceæ, ac ſubinde ſument ante prandium & cœnam vel *Tincturam* quandam *antihyſtericam*, vel *Pulverem abſorbentem alcalinum*; v. gr.

℞. *Elix. propr. ſ. acid.* ℨij.
Eſſent. Caſtor.
Zedoar. ana ℨj.
Miſc. d. ad Vitr. doſ. gutt. 18. *ad* 25. *in Aqu. Fœnicul. Meliſſ. Puleg.* &c.

Vel ℞. *Tinctur.* ♄*n.*
♂*t. aperit.*
Caſtor. cum Spir. Sal. arm. par.
Aqu. Cinamom. cum Vin. deſt. ana ℨj.
M. d. ad Vitr. Doſ. ut ſupra.

Vel ℞. *Eſſent. Succin.*
Betonic.
Angelic.
Caſtor.
Myrrh. ana ℨj.
M. ad Vitr. Doſis ut ſupra.

Vel ℞. *Pulv. Radic. Doronic.*
Ariſtol. rot. ver. ana ℨß.
Semin. Pœon. ℈ij.
Spod. ppt.
♄*n. diaph.*
Ocul. ♋. *ppt. ana* ℨj.
Cinnab. ♄*n. correct.* ℨß.
Elæoſacch. Aurant. vel Aniſ. ℥j.
M. f. Pulv. ſubtil. d. ad ſcat. Doſis ℨß. *ad* ℈ij. *cum Aqu. Meliſſ. Card. bened.* &c.

Vel ℞. *Radic. Caryophyll.* ℨiß.
Pœon. ℨj.
C. C. phil. ppt.
Spod. ppt.
Diaph. ♃*vial.*
Corall. rubr. ppt. ana ℈ij.
Ol. ſtillat. Cherefol.
Major. aa. gutt. vj.
Sacch. alb. ℥iß.
M. f. Pulv. ſubtil. d. ad ſcat. Doſis ut ſupra.

Poterunt & *Pilulæ hyſtericæ* multoties in uſum trahi, v. gr.

℞. *Caſtor. ppt.* ℨj.
Aſæ fœtid. ℈ß.
Succin. alb. ppt.
Diaph. ♃*vial.*
☽*ar. ana* ℈jß.
Semin. Angel. Rut.
Aquileg.
Nigell. ana ℈j.
M. f. Pulv.

M. f. Pulv. ſubt. cum Eſſent. Myrrh. vel Oxymel. ſimpl. in Pilulas redigendus grani unius pondere, quæ pulvere Cinam. conſp. d. ad ſcat. & ſumantur quotidie bis numero decem.

Si ad Convulſiones inclinet Fœmina, *Pilulæ anodyno-hyſtericæ* præſcribentur, de quibus ſubinde doſis aſſumi poterit.

Verno & autumnali tempore *Vinum* hauriant *medicatum purgans:* v. gr.

℞. *Radic. Doronic.*
Imperat.
Caryophyllat.
Pœon. ana ℥iiß.
Herb. Meliſſ.
Agrimon. ana Mj.
Summit. Abroton.
Marrub. alb.
Abſynth.
Matricar. ana Mß.
Flor. Calendul. Pij.
Bacc. Laur. ʒiß.
Fol. Sen. opt. mund. ℥j.
Rhabarb. elect. ℥ß.
Agaric. trochiſc. ʒiij.
Semin. Fœnic.
Cortic. Winter.
Salis Abſynth. ana ʒj.
Inciſ. & contuſ. inſuantur nodulo ex ſindon. rubr. cui affunde
Vini albi veteris Mj.
Aqu. fontan. Mß.
Stent per primam noctem in loco tepido, poſtea quotidie mane cyathus exhauriatur.

In *Diætâ* ab acidis, à dyspeptis, ab immodico Vini potu, ab odoribus inconvenientibus, à Paſſionibus animi qualibuscunque vehementioribus, ab uſu Aëris frigido-humidi nimio Hyſtericæ ſibi magnopere caveant aut temperent.

MATRICIS PROCIDENTIA ſive PROLAPSUS eſt Morbus compoſitionis, quo vel Uterus ipſe, aut illius portio, vel Vagina tantùm uterina è ſuâ ſede naturali procumbit, atque extra vulvam, nunc majore nunc minore cum tumore prominet. *Matricis prolapſus*

Rarus verò eſt ipſius Fundi uterini prolapſus, usque adeo ut plures hodierni Medici & Jatro-Chirurgi de illo valdè dubitent, atque eapropter inter hos quidam, aliâs longâ jam annorum Praxi exercitatiſſimus, in Rhætiâ, talem Prolapſum, quem credidit eſſe carneam excreſcentiam, cum pernicie Mulieris ægrotantis reſciderit. Caſum alium novimus contigiſſe in Ruſticâ quadam Puerperâ, cui, ut mihi quidem fide digniſſima Matrona *Cl. Sch.* ceu teſtis oculata retulerat, obſtetricans Fœmina in partu difficili non ſolùm Infantem ſatis feliciter cum ſecundinâ, ſed carneam inſuper, fundo Uteri fortiter adnatam, molem tantâ vi extraxit, ut ſimul portio Uteri cum maximis doloribus circa regionem internam Iſchii, ubi ligamenta Uteri lata affixa ſunt, obortis ſubſequeretur, quam poſtmodum imperita Muliercula, dolores Puerperæ forſan lenitura, unâ cum Mole carneâ imprudenter abſcidit, ſicque inductâ Gangrænâ & Sphacelo miſeram Puerperam è medio ſuſtulit. *Pars affecta.*

Ipſum ergo fundum Matricis per

ſe nunquam elabitur, ſed poſt partum duntaxat ſive cum Secundinâ, ſive cum Molâ quadam Moleve carneâ non ſine vi protrahitur, idque contingere debet ſtatim ab excuſſo Fœtu; ſi enim diutinum intervallum intercedat, cervix Uteri conſtringitur, talisque violenta extractio fieri amplius nequit. Quod ſi autem cervix Uteri profundius in Vaginam procumbat, vel etiam tantillum extra eam foras promineat, ſignum erit, & lata & rotunda Uteri ligamenta vel propter humiditatis nimiæ admiſſionem laxata, emollita, & flaccida eſſe reddita, id quod tamen rariſſimè contingit.

Vaginæ prolapſus frequentior.

Frequentior autem Matricis procidentia illa eſt, quando Vagina ſolùm Uteri à nimiâ humiditate in Fluore albo, v. gr. rugas illius obſidente, aut à ſpirituum animalium tunicas ejus irradiantium penuriâ mollior, laxior flaccidiorque redditur, ut retrahi amplius ſuoque loco teneri nequeat: vel quando Cervix Uteri in Vaginam profundius decumbit: vel quando denique per nimium in difficili Partu egerendi conatum fibræ membranarum Vaginæ nimium tenduntur, elongantur, tandemque retrahi & corrugari amplius nequeunt.

Diagnoſis & Prognoſis.

Cognoſcitur hic Morbus facilè modò adcuratis oculis examinetur & luſtretur. Moleſtus eſt valdè, ſicubi major fuerit Prolapſus, diuturnus etiam, atque non niſi palliativè curabilis, ſi jam inveteratus ſit. Nec meliorem conſequitur ſortem, qui à rupturâ, vel ab eroſione Ligamentorum uteri provenit. Quæ autem à laxitate membranarum Vaginæ uterinæ originem trahit, & recens adhuc eſt Procidentia, illa verò curatur nonnihil facilius.

Curatio.

In *Curatione* notabis ſtatim, Procidentiam Fundi uterini ſemper ferè lethalem, aut reverâ inſanabilem fuiſſe obſervatam. Tentanda tamen eſt ejusdem Fundi retruſio, poſtquam *Oleo roſaceo, chamæmelino*, aut *Verbaſci* probè emollitum, vel etiam adhibitâ *emolliente fomentatione*, ex *decocto Herbarum cephalicarum* & *emollientium* in *Aquâ* facto laxatum fuerit. Ad Cervicem Uteri retrudendam, ſuoque naturali in loco retinendam *Balnea* proſunt *Aquarum mineralium acidularum*; ſuperimponendo Lumbis ſimul *Emplaſtrum de Comitiſſâ*, aliudve adſtringens, cujus ope forſan non ſecus ac *Balnei* efficaciâ laxata Uteri ligamenta magis roborari, & contrahi poſſunt.

Prolapſus Vaginæ.

Si verò Uteri Vagina prolapſa plus minus extra corpus, & fortè intumefacta vel inflammata fuerit, tunc *Decocto Althææ, Scordii, Melil. Sambuc. Chamomill. Herb. Salv. Meliſſ. Beton. Scab. Agrim. Ocymi* &c. in *Lacte* vel mediâ parte *Aquæ* parato prius fovebitur, & emollietur, hinc *Oleo* quoque *roſaceo* vel *Lil. alborum, Hyperic. Maſtich. Cydonior.* inungetur, cumque ſine dolore attingi poterit, moverique, tum linteo molli admodum per digitorum miniſterium intra corpus protrudetur. Quo facto ſtatim lintea *Maſtiche, Succino, Gummi ceraſor. Gummi juniperin. Myrrhâ,*

Thure,

Thure, *Styrace*, accenſis fumigata calidè applicabuntur, vel talis *Fumus* per Infundibulum ſubinde admittetur. Interea ſimul *Sacculus* ex *Herbis Polygon. Myrti*, *Equiſeti*, *Salviæ*, *Betonicæ*, *Foliis Sumach*, *Quercûs*, *Cydoniorum*, *Cortice Granator*. *Gallis* &c. in *Vino rubro* & *Aquâ ferratâ* coctus atque expreſſus calidè ſæpiùs applicabitur. *Emplaſtrum* vel *Ungt. Comitiſſæ* Lumbis admovebitur. Intus cum *Lignorum decocto* m. ac v. propinabitur *Eſſentia Tormentillæ*, *Tinctura Corallorum*, *vel ♂tis adſtringens ad gutt.* 15. *vel* 20. *pro doſi*. Inque horum uſu remediorum per aliquot dies, imò hebdomadas perſiſtendum eſt; & ſi tum nullus effectus laudabilis deprehendatur, confugiendum erit ad *Peſſaria adſtringentia*, vel *Globum* aut *Circulum ligneum*, è *Subere* fabricatum, eumque *Emplaſtro ſtyptico Crollii*, vel *Emplaſtro de Comitiſſâ*, aut de *Chalcitide* obtectum, qui *Oleo myrtino*, *maſtichino*, aut *Cydoniorum* inſuper illinitus Vaginæ intruditur, inibique reliquitur tamdiu, donec ſuo iterum in loco Vagina nonnihil ſiccior reddita perſiſtat. Interea ſimul *Balneorum adſtringentium*, ſive ſint *mineralia acidula* & *martialia*, ſive *artificialia* ex *Decocto Radic. Tormentill. Biſtort. Gallarum*, *Folior. Cornorum*, *Pyrorum*, *Quercûs*, *Cydonior. Ligni ſuberis*, *Tamaricis*, *Quajaci*, *Saſſaphras*, *Santali rubri*, *Limaturâ ♂tis* ac *Vitrioli crudi* in *Aquâ* parata uſum haud diſſuademus.

In *Diætâ* prohibemus Aërem, Cibos ac Potum, corpus nimiopere refrigerantes; Fructus itidem horæos, Olera hortenſia admodum emollientia; atque è contrario Victum ſuademus nonnihil ſiccantem, & leniter adſtringentem.

Matricis Cervicis anguſtia.

MATRICIS CERVICIS ANGUSTIA morbus eſt conformationis, in quo Collum ipſius Uteri ſive Cervix ita anguſtatur & conſtringitur, ut Fœtus aliaque in Uteri fundo contenta egredi, vel extrudi minimè queant. *Subjectum.* Affectus proin Parturientibus proprius, utpote quarum eſt Matricis contenta in lucem edere. Quæ enim extra hoc tempus contingit in Cervice anguſtia, minimè præternaturalis eſt, atque hinc nulli curanda Medico offertur.

Occaſio.

Itaque in gravibus parturiendi conatibus ſubinde evenit, ut, cùm Fœtus ſive quoad caput, ſive quoad aliud membrum jam extra Uterum excluſus eſt, cervix dein illius ſubitò conſtringatur, atque hinc reliqua portio tenelli corporis, quacunque etiam Parturientibus vi adhibitâ, extrudi, imò ne quidem validâ peritaq; obſtetricantis Chirurgi manu facilè extrahi poſſit. Sic & poſt Fœtum utcunque feliciter extruſum Cervix interdum fortiter clauditur, & ita Secundinæ pari facilitate expellendæ obicem haud levem ponit.

Cauſa.

Cauſam autem non unam ejusmodi anguſtationis afferre poſſumus: notum eſt, Cervicem matricis conſtare tunicâ craſſâ, nervoſaque validâ, ſed quæ tamen indifferenter, urgente neceſſitate magnopere ampliari, iterumque

rumque validè corrugari poteſt; dum fibræ ipſius nervoſæ modò extendi & velut intra ſeſe recurrere ſolent, ſi modò irritationem quandam paſſæ fuerint. Irritationem verò ſive vellicationem patiuntur nunc ab affluente acri viſcido humore, nunc ab admiſſo infeliciter aëre externo frigidiuſculo, nunc à ſanguine fervente Lochiorum, aut humoribus Fœtûs acriuſculis, nunc denique ab extenſione nimiâ ſub tranſitu Fœtûs grandioris difficili; à quibus certè cauſis fibrarum nervearum incolæ, ſive animales ſpiritus incitati, atque etiam majori ſolito quantitate affluentes ſuam fortius elaſticitatem exercent, & ita fibras dictas validè tendunt atque criſpant.

Diagnoſis & Prognoſis. Quando igitur hoc malum, quod vel digiti ope & ab Obſtetrice explorari cognoſciq; facilè poteſt, minimè contemni debet, quippe Partũ valdè impediens, aut Lochiorum debitum effluxum ſufflaminans; atque hinc ſanguinis congrumationi vel corruptioni, Febri etiam malignæ, Uteri Inflammationi & Gangrænæ lethali occaſionem præbens; neceſſe prorſus erit, ut conveniente ſtatim methodo medendi huic Malo obviam eamus, atque deleterium eventum præcaveamus. Neque difficilis adeo res erit expeditu, modò peritus maturè Medicus Chirurgusve in conſilium adhibeatur.

Curatio. In tali verò caſu melius citiusque levamen afferri nequit, quàm intus quidem *Remedia diaphoretica & antiſpasmodica*, irritatos ſpiritus fibraſque criſpatas demulcentia, extus verò *emollientia* in uſum trahendo; tandem & Parturienti imperando, ne in doloribus, validiſque egerendi cruciatibus tantam vim adhibeat, antequam anguſtata Cervix iterum laxior ampliorque fuerit reddita. Peccant enim hic enormiter ſollicitæ aliâs & naſutulæ Mulieres, dum Parturientem nimiopere ad enitendum Fœtum urgent. Cavebis ergo tibi in hoc rerum ſtatu à præſcriptione remediorum dolores partûs augentium, & Fœtum nimis pellentium, cum ita non niſi cruciatus horrendi, conatusque irriti ſuſcitentur; Cervice quippe Uteri ſemper anguſtâ manente. Intus ergo juxta uſum Juſculorum cum fructu ſemper exhibuimus ſeqq.

℞. *Aqu. Scab.* ℥iß.
Succiſ.
Borrag. ana ℥j.
Syrup. Rub. id.
anodyn. ana ℥ß.
Confect. Alk. inc. ℈ij.
♁*n. diaph.* ℈j.
Matr. perl. ppt.
Cinnab. ♁*n. opt. ana gr.* xv.
Miſc. detur ad Vitrum, ac ſubinde cochleare plenum exhibeatur.

℞. *Spod. præparat.*
♁*n diaph.*
Corall. rubr. ppt.
Ungul. Alc. ppt.
Pulver. Viperar. ppt.
Cinnab. ♁*n. correct. ana* ʒj.
Sacchar. perlat. ℥ß.
M. f. Pulvis ſubt. de quo ſingulis trihoriis detur cuſpis cultri plenus.

Extus

Extus vel *Butyro non ſalito*, vel *Oleo Roſar. Verbaſc. Amygd. dulc. Melilot.* aut ſimili genitalia frequenter inungantur. Si Fœtus nondum prodierit, aut ſi manus tantùm, vel pes ipſius comparuerit, & hinc Cervix anguſtata *emollientibus Oleis* laxari nequeat, protinus Parturientem *Balneo Aquæ dulcis* immittito, cui multum *Malvæ*, *Althææ*, *Violariæ*, *Chamomillæ*, *Origani*, *Meliſſæ*, *Solani*, *Meliloti*, *Salviæ*, ac *Semin. Lini* fuerit incoctum. In *Balneo* per aliquot etiam horas ipſam relinquito, atque ſic tandem ampliata Cervice, ſi Fœtus per ſe non prodeat, chirurgicâ manu extrahendus erit; idque non alio, quàm exercitato manûs inſtrumento; niſi ſumma neceſſitas, quam tamen Chirurgus præter rationem facere non debet, etiam alia requiſiverit. Quod ſi Alvus ſuppreſſa ſit, Clyſma emolliens ante Partum injicito, ex *Aquâ* vel *Carnium Juſculo*, cui *Parietariam*, *Meliſſam*, *Brancam urſinam*, *Chamomillam*, *Melilotum*, *Malvam*, *Mercurialem*, *Betam*, *Hyſſopum* & ſimilia incoxeris, addito ſimul poſt colaturam *Oleo Melleq́ violaceo*. Pro *Potu ordinario* concedatur *decoctum Raſur. C. C.* cum *Radic. Gramin. Cinam.* Si Febris abſit, etiam aliquid ſubinde *Vini boni albi* concedatur.

Matricis Vulnus. MATRICIS VVLNVS, eſt Morbus ſolutæ unitatis, in quo Uterus vel ab externis qualibuscunque inſtrumentis pungentibus, ſecantibus, perforantibus, lacerantibus, aut contundentibus; vel à violentâ Secundinarum adhuc fortiter cohærentium, fortè & ex aliquâ ſui parte adnatarum, extractione, plus minus graviter læditur, dilaceratur, & ſaniem cruentam admodum fœtentem exſpuit tamdiu, donec Vulnus, Ulcusve perſanatum fuerit.

Quod itaque Vulnus ab externis inſtrumentis inflictum fuit, per ſe cognoſcitur; ab extractione Secundinarum autem factum effluens illa ſanies graveolens prodit. In utroque caſu febricitant plus minus Ægrotæ, ſitiunt, nec multum appetunt. Periculoſius etiam decumbunt, ſicubi Inflammatio & Gangræna vulneratam partem prehenderit, ac Ægrotantes diaphoreticorum, antidotorum, traumaticorumque uſu ad ſudorem perduci minimè potuerint. Diagnoſis & Prognoſis.

In *Curatione* Vulnus ab externâ causâ abdomini inflictum *externâ* quoque, ſub titulo de *Vulnere* prolixius commendata, & *interna* ſimul deſiderat medicamina. Vulnus autem à Secundinæ extractione enatum ſola requirit ferè *interna*. Omni in caſu autem ante omnia *Venæſectio*, niſi id ſanguinis penuria prohibuerit, inſtituenda, dein *Pulveres* & *Mixturæ diaphoretico-traumaticæ*, imò *Decocta* quoque ſimilia exhibenda, quæ Matrici ſimul non ſint adverſa, ſequentibus vel ſimilibus formulis; v. gr. Curatio.

℞. *Terr. ſigillat.* ʒj.
♁ *n. diaphor.*
Spod. ppt.
Ungul. Alc. ppt. ana ℈ij.
M. f. Pulv. ſubt. d. ad ch. in 6. doſ.

æqu. divid. quæ mane ac veſperi cum Juſculo capiendæ.

Vel ℞. Pulv. Pannon. rub.
Sanguin. Hirc. ppt. ana ʒiß.
M. f. Pulv. ſubtil. in 6. doſ. æqu. ad ch. div.

Vel ℞. Boli armen. ppt. ʒj.
Unicorn. foſſil.
Bezoard. min.
C. C. phil. ppt.
Pulver. Viper. ana ʒß.
Cinnab. nat. opt. ℈j.
M. f. Pulv. ſubt. in 6. doſ. æqu. div. ad ch. uſurpandas ut ſupra.

℞. Aqu. Fumar.
Succiſ.
Card. mar. ana ℥j.
Syrup. Rub. id.
Capill. ♀r. ana ℥ß.
♁n. diaph.
Ocul. ♋. ppt. ana ʒß.
M. d. ad Vitr. Exhibeatur ſubinde per cochlearia.

Vel ℞. Aqu. Taraxac.
Ulmar.
Scabioſ. ana ℥j.
Syrup. de Eupator.
Brunell. ana ʒij.
Confect. Alk. inc. ℈ij.
Eſſent. Gram. Parnaſſ. vel
Traumat. cujuscunq; ʒj.
Corall. rubr. ppt.
Bezoard. min.
Unicorn. foſſil. ana ℈ß.
M. d. ad Vitr. Uſurpetur cochleatim.

Vel ℞. Aqu. Flor. Til. ʒvj.
Plantag.
Agrimon. ana ʒiß.
Syrup. Acetoſ. Citr.
de Beton. ana ℥ß.
Confect. Hyac. inc. ℈ij.
Roob Sambuc. ʒiß.
Eſſent. Numular.
Hyperic. ana ℈ij.
M. ad Vitr. Detur per cochlearia.

Decoctum Traumaticum ſequens erit:

℞. Radic. Filic. Virg. aur.
Ulmariæ ana ʒij.
Herb. Sanicul.
Betonic.
Alchymill.
Vinc. pervinc.
Pyrol.
Numular.
Agrimon. ana Mß.
Semin. Aquileg.
Hyperic. ana ʒj.
Inciſ. & contuſ. coque parum in
Aqu. fontan. &
Vin. alb. vet. ana ℔ij.
De colaturâ mane ac veſperi cyathus quatuor unciarum exhauriatur.

Pro potu ordinario concedatur loco *Vini Decoctum Agrimon. Hord. Radic. Gramin. Liquirit. Raſur. Corn. C. Juſcula* dein *hordeacea, carnium, avenacea*, & *farinacea* concedantur. Alvus libera ſit naturâ vel arte. Animus à curis & paſſionibus liber.

Extus totum quoque Abdomen *Oleo chamæmolino, roſaceo, Lumbric. terr.* & *Hyperici* inungatur. *Fomentatio* autem, ſi facilè feret Ægra, ex *Vino calido*, in quo *Salvia, Betonica, Scordium, Alliaria, Meliſſa, Pulegium, Matricaria, Origanum, Serpillum, Chamædris, Melilotus* & *Chamomilla* decocta fuerint, in parte eadem inſtitui ſæpiùs poterit.

MATRI-

tricis us.

MATRICIS VLCVS, eſt Morbus ſolutæ unitatis in quo Uterus, vel Vaginæ tantùm uterinæ ſubſtantia, ſive à Vulnere præcedaneo, ſive ab humoribus ſalino-acido-acribus & corrodentibus læſa, & cum ſaniei plus minus frequenti aut continuo effluxu, quoad continuitatem ſuam ſoluta ac diviſa fuit.

rs ecta. uſa.

Occupat igitur talis afflictio nunc fundum, nunc cervicem, nunc vaginam tantúm Matricis. Originem verò ei præbet ſubinde Vulnus, unde eâ ratione perſanabitur, quâ quidem præcedenti titulo explicatum eſt. Plerunque autem humores acres corroſivi illud ſuâ vi exedente, in modum aliorum Ulcerum producunt. Atque hinc tale Ulcus vel ex Inflammatione & Abſceſſu enaſcitur, vel è Fluore albo, vel ex impuro concubitu cum viro Lue venereâ laborante, unde Ulcus prodit exedens, atque paulatim non ſine macie & Febri lentâ depaſcens. Denique Sal acidum volatile corroſivum è Maſſâ ſanguineâ ad illas partes delatum, obhærens, ſtagnans, & erodens, nunc benignum & mite, exedens tamen, nunc ſinuoſum, fiſtuloſum, vel etiam cancroſum Ulcus producere valet.

Diagnoſis.

Cognoſcuntur talia Matricis Ulcera ex Ægrarum relatione; profluet è pudendis ipſarum ſanies nunc albicans & craſſiuſcula, nunc livida aut flaveſcens, nunc etiam carnei aliusve coloris eaque plus minus fœtens; modò copioſior, modò parcior. Dolor ſimul in partibus exulceratis aderit, mitior aliquando, interdum verò intenſior, lancinans atque pungitivus. Febricula lenta & paulatim conſumens jungetur; Menſtrua in his fluent interdum quoque copioſius, cum Hæmorrhagiâ Uteri, in aliis ſuppreſſa erunt, prout craſis erit ſanguinis conſtituta in patiente Fœminâ. Fortè etiam hæc prius laboravit Gonorrhœâ virulentâ, aut Fluore albo acri, vel cum Viro concubuit Gallicâ Lue infecto. Secutum quoq; novimus tale Ulcus Hæmorrhagias Uterinas, vel Lochia, & Secundinas putrefactas fruſtillatim non ſine fœtore prodeuntes; in quibus caſibus ſanguis, aut humores alii acriores, fibroſam Uteri, Cervicisve illius ſubſtantiam eroſerunt. Appetitus modicus eſt in hoc Malo, Sitis verò utplurimum naturali intenſior. Somnus eſt irrequietus; ſtylus argenteus, ſi in Vaginam, vel Matricem ulceroſam intrudatur, ab ipſâ mordicante & corroſivâ Ulceris materiâ ſtatim erodetur, & candidum ſuum colorem penitus amittet, lividusque evadet, velut ſi igni fuiſſet expoſitus.

Prognoſis.

Quanquam autem curatu difficile admodum ſit hocce malum, ſæpiusque immedicabile, ut potius Ægras paulatim emaciet, perque inductam Febrim hecticam lenta morte conſumat, nihil tamen intentatum relinquere decet ad promovendam illius medelam. Totum verò ſanationis negotium abſolvetur *remediis abſorbentibus*, *acidum corrigentibus* vel *deſtruentibus*, *detergentibus*, *traumaticis*, *ſiccantibus* & *balſamicis*. Heic igitur & *Purgantia*, ſanguinis acrimonia n

niam augentia, & *Venæſectionem*, balſamicum illius florem depauperantem, exulare jubemus.

Sed *leniente* aliquo *remedio* nihilominus Inteſtina & Ventriculus eluentur, huncque in finem ſeqq. aliquod in uſum trahetur:

℞. *Syrup. de Cich. cum Rhab.*
Flor. Perſicor. ana ℥j.
Aqu. Plantagin.
Taraxac. ana ℥ß.
Fœnic. ℥iij.
Elect. è Succ. Roſ. ʒj. *vel* ʒiß.
M. f. Potio d. ad Vitr. & exhibeatur pro doſi matutinâ.

Vel ℞. *Syrup. de Cich. cum Rhab.*
Roſ. ſol. ſimpl.
Flor. Acac.
Aqu. Scabioſ. ana ℥j.
M. f. Potio d. pro doſi matutinâ.

Vel ℞. *Rhabarb. elect.* ʒj.
Crem. ♀*ri* ℈ß.
Scamm. ♀*rat. gr.* j.
M. f. Pulv. ſubtil. d. ad ch. pro doſi.

Vel *Clyſma* loco talis *lenientis* ordinabitur, ex *Decocto Agrimon. Malv. Sanicul. Violar. Betæ, Plantag. Meliſſ. Chamom. Mercurial. Bacc. Juniper. Semin. Dauc. Cumin.* &c. in *Aquâ*, vel *Juſculo Carnium* facto paratum, addito *Melle roſaceo* & *Oleo Lil. albor.*

Poſtea intus *Decocta traumatica* ex *Herbis* & *Lignis* compoſita diutiſſimè in uſum vocabuntur; unâ cum *Pulveribus*, *Pilulis*, aliisve *remediis acidum acre corroſivum deſtruentibus*; v. gr.

℞. *Radic. Ulmar.*
Vincetox.
Sarſ. parill. ana ʒiij.
Lign. Saſſaphr.
Cortic. Lign. guajac. ana ʒvj.
♁*n. crudi* ℥j.
Herb. Alchymill.
Pyrol.
Geran. robert.
Vinc. pervinc.
Sanicul. ana Mß.
Semin. Fœnic. ʒij.

Inciſ. & contuſa coque per duas horas in Aqu. fontan. ℔ix. *Colatur. d. ad Vitr. ac inde m. & veſp. unciæ quatuor hauriantur, cum doſi ſequentis alicujus* remedii, v. gr.

℞. ♁*n. diaph.*
Ocul. ♋. *ppt.*
Corall. rubr. ppt.
Bol. Armen. ppt.
Cinnab. ♁*n. opt. ana* ʒj.
M. f. Pulv. ſubtil. in 10. *doſ. æqu. ad ch. divid.*

Vel ℞. *Diaph.* ♃*vial.*
♂*ial.*
Unicorn. foſſil.
Dent. apr. ppt.
Pulv. Viper. ppt.
Cinnab. nat. opt. ana ʒj.
Sacch. roſ. tab. ʒiij.
M. f. Pulv. ſubt. in 12 *doſ. æqu. divid. ad chart.*

Vel ℞. *Pulv. Lich. petr.*
Rutæ murar.
Piloſell.
Pentaphylli min.
Specif. ſtomach. Poter.
Boli rubr. cujuscunq. Terræ benè purgati.
Ocul. ♋. *ppt. ana* ℈ij.
Sacch. roſ. tab. ℥ß.
M. f. Pulv.

M. f. Pulv. ſubt. d. ad ch. Doſis ℈ij. *vel* ℈iß.

Vel ℞. *Tinctur.* ♁*n.*
♂*t. aperit. ana* ℥ß.

M. d. ad Vitr. Doſ. 20. *ad* 30. *gutt.*

Vel ℞. *Eſſent. Numular.*
Veronic.
Hyperic.
Gramin. Parnaſſ. aa. ʒij.

M. d. ad Vitr. Doſ. 30. *ad* 40. *gutt.*

Vel ℞. *Eſſent. Plantag.*
Trifol. fibr.
Succin. ana ʒij.

M. d. ad Vitr. Doſ. 20. *ad* 30. *gutt.*

Vel ℞. *Spirit. Terebinth.*
Eſſent. Succin. ana ʒiß.

M. d. ad Vitr. Doſ. 15. *ad* 25. *gutt.*

Vel ℞. *Ol. Terebinth.*
Balſ. de Copaib. ana ʒiß.

M. d. ad Vitr. Doſ. 12. *ad* 20. *gutt.*

Vel ℞. *Terebinth. chiæ* ℥ß.
Diaph. ♂*ial.*
Succin. alb. ppt.
♁*n. diaph. ana* ʒiß.
Ol. Terebinth. vel
Balſam. Tolutan. q. ſ.

M. f. l. a. Pilulæ piſi min. magnit. de quibus decem ſumantur pro doſi.

Vel ℞. *Terebinth. opt.* ʒiij
Extract. Trifol. fibr. ʒj.
Spod. ppt.
Diaph. ♃*vial.*
Cinnab. nat. opt. ana ʒj.
Balſ. Peruvian. q. ſ.

M. f. l. a. Pilulæ piſi minoris magnitud. d. ad ſcatul. ſumantur 10. *vel* 12. *pro doſi.*

Præterea quotidie ſemel *Juſculum avenaceum* vel *carneum*, *Herbis Pimpinellæ ſanguiſorb. Milleſ. Ulmariæ, Borragin. Trifol. fibrin. Plantag. Naſturtii*, *Cherefol. Numular.* &c. alteratum capiat; vel ſæpè hauſtum *Aquæ Pimpinellæ ſanguiſorbæ*, *Ulmariæ*, *Alchymillæ* aut *Saniculæ bis deſtillatæ* bibat. Pro *Potu ordinario* cedat *Decoctum Lignorum*, cum *Radic. Liquirit. Polypod. Gramin. Hordeo*, *Raſur. C.C. Sanicul.* &c. In *Cibis* fugiantur acida, acria, ſalſa, auſtera, dyspepta. *Animi pathemata* mitia ſint & læta, concubitus fugiatur omnis.

Extus fiant *Injectiones* in Vaginam & Uterum; nec non *Peſſaria* intrudantur. *Injectiones* meliores vix ſunt, quàm ſi *Radices Liquirit. Vincetox. Ariſtoloch. long. Mutellinæ*, *Alth. Conſolidæ majoris*, *Ulmariæ*, *Herbar. Alliariæ*, *Trifol. fibrin. Plantaginis*, *Hyperici*, *Chamomill. Telephii*, *Geranii*, *Conſolid. med. Brunellæ*, *Gallii lutei*, *Alchymill. Rutæ*, *Perſicariæ*, *Salviæ*, &c. in *Urinâ humanâ*, vel *Aquâ Calcis vivæ* aut mediâ parte *Vini albi* coquantur, decoctum coletur, Colaturæ *Spiritus Vini camphoratus*, cum *Eſſentiâ Myrrhæ* & *Aloës* permiſceatur, & ita calidè ſæpiùs cum ſiphone inſpergatur. Quod ſi *præparatam* ſimul *Tutiam*, aut *Calaminarem lapidem*, *Bolum* qualemcunque, & ſimilia velis ſimul inſpergere, tanto melius erit. Sunt, qui *Lixivium Sarmentorum*, vel *Aquam Calcis vivæ* in mortario plumbeo diutius relinquunt, hinc *Eſſentiam matricalem* ſive *Elixir ſimil.* cum *Melle roſaceo* permiſcent, ac ita inſpergunt. Vel coquantur *Herbæ Brunellæ*, *Conſolidæ mediæ cæruleæ*, *Geran. Robert. Ariſtol. rot.* **Remedia externa.**

ver. Hyperic. Salviæ ſylveſtr. Succiſ. Flor. Liguſtr. Roſar. Verbaſc. Perſicor. &c. in *Melle*, & tale poſtea *Mel* pro *Injectionibus* ſerviat. *Peſſaria* quoque fiant è *Melle* tali, cum permixto *Bolo* qualicunque, ♁*n. diaphor. Unicorn. foſſil. Tutiâ, Lapid. Calamin. ppt. Myrrhâ, Thure*, eaque *Succo Florum Verbaſci* imbuta intrudantur. Nonnulli *Acetum ſaturninum Balſamo Peruviano*, vel cuicunque *vulnerario* miſcent, addito ♁*n. diaphor.* & ita Vaginæ immittunt, vel cum *Decocto* ſuperiore inſpergunt. Atque hæc ipſa remedia quoque conducunt ſingula in *Ulcere Matricis cancroſo*, quod maximè corroſivum & ſcindens pungensque ſal acidum volatile pro ſui causâ agnoſcit.

In Ulcere cancroſo,

& venereo.

Quod ſi verò *Ulcus* fuerit *venereum*, à concubitu impuro cum præcedaneâ fortè Gonorrhœâ virulentâ enatum, *intus* quidem remedia contra veneream Luem commendata in uſum trahentur: *extus* verò in Vaginam inſpergentur *decocta Lignorum* & *Plantarum traumaticarum* in *Urinâ* vel *Aquâ Calcis viva* facta, cum admixtione *ſolutionis Mercurii* in *Aquâ Roſar.* vel *Plantaginis*, ita ut ʒij. hujus *ſolutionis* cum ℥iv. *vel* ℥vj. *Decocti* miſceantur. Si mâvis *dulcem Mercurium*, *Saturniq;* *Saccharum* cum *Urinâ* ſani Hominis tantillum coquere, & hinc ſæpius inſpergere, non malè facies. Si Febris atque Cancer abſint, etiam *Thermarum* ♀*eo-aluminoſarum* & *argillacearum* uſus conveniet.

Ulcus fiſtuloſum & *ſinuoſum* Matricis, quâ ratione perfectè ſanandum ſit, nondum ſcimus; ſufficiet proin juxta uſum *traumaticorum internorum*, externè *Balneum* quoddam *minerale*, cum inſperſione vel *Aquarum* ejusmodi *mineralium*, vel *Decocti Herb. Perſicar. Sabin. Rutæ, Ariſtoloch. rotund. Alliariæ, Matricariæ, Radic. Gentian. Scrophular. Imperator. Bryon. Hellebor. nigr.* & ſimil. cum *Urinâ* vel *Aquâ Calc. viv.* facti. Atque ita remedia pro Symptomatum diverſitate mutando Ægram curabimus, vel ſaltem ad lentam blandè mortem comitabimur.

Ulcus ſinuoſi & fiſtuloſi curatio.

MATRICIS CANCER eſt Tumor Uteri durus, maximè dolens, nunc *exulceratus* & ſaniem fœdam, ſordidam, graveolentem, ſubinde ſanguinolentam acrem fundens; nunc *occultus*, citra materiæ effuſionem noctu diuque dolens ac torquens.

Matricis Cancer.

Graviſſimus eſt hic Affectus, quemque nulla Ars medica, quod ſciam, ſanare valet. Durat interim ac Fœminas diutiſſimè torquet. In principio Tumor levis, vixque perceptibilis; imò ſi jam major fuerit, atque ampliorem Uteri portionem acquiſivit, non niſi obſcuris ſeſe cognoſcendum ſignis præbet. Dolor ab initio adeſt exiguus, ſed pungens tamen ille, atque lancinans, intra Hypogaſtrii regionem continuè affligens. Dum verò Tumor ſcirrhoſus augetur, dolor ſimul intenditur, isque ulterius incrudeſcit, ſi digitis fortiter appreſſis affecta Abdominis regio tangatur.

Diagnoſis & Prognoſis.

Febri-

Febricula quoque lenta ſimul adeſt, variaque paulatim ſymptomata, Hominem lentè conſumentia, poſt ſe trahit; moleſtæ inprimis ſunt Vigiliæ, & Inquietudines. Si verò tandem exulceratus fuerit Tumor hic, tunc jam incipit ſaniem fundere lividam, interdum ſanguinolentam, plerunque fœtentem, minus viſcidam, cum quâ non rarò Hæmorrhagiæ, ob vaſa majora exeſa, contingunt, ſimulque fruſtilla ſubſtantiæ Uteri quandoque prodeunt. Dolor ſæpè intolerabilis invadit, rarò mitior, niſi Arte medicâ mitigetur. Quantumcunque igitur minus frequens ſit hic Affectus, & non niſi binâ vice nobis intra 20. annos curandus obtigerit, minimè tamen eſt contemnendus, quin crediderim immedicabilem prorſus exiſtere, lentaque Febri hecticâ Ægras non ſine cruciatibus tandem è medio tollere.

i. Occaſionem ei gignendo præbet Pituita viſcida, ſale acri corroſivo volatili acido prædita, & in tubulis ſubſtantiæ vel Cervicis Uteri obhærens, hincque paulatim magis incraſſata duriuſculum Tumorem cum venarum varicoſâ expanſione producens. Ubi ſal corroſivum nihilominus ſuam tragœdiam ſcindendo, pungendo, putrefaciendo exercet, & Cancrum indies auget, tandemque poſt longum licèt tempus ruptis ac eroſis omnibus tunicis exulcerat. Sal iſtud acre vel ex Sanguine provenit circulante, in quo, propter diatheſin ſcorbutico-acido-hypochondriacam ab Irâ, Triſtitiâ, Cibis, Potuque incongruis, vel etiam ſuppreſſis menſtruis &c. provenientem, collectum fuit; vel ex impuro coitu frequenti, cum Viro Lue venereâ laborante, ab extus Cervici tantùm Uteri unâ cum ſemine adſperſum.

In *Curatione* maximâ cum circumſpectione procedendum; etenim non niſi ea intus extusque præſcribenda ſunt remedia, quæ validè admodum abſorbere, acidumque pungitivum & acre deſtruere valent. Quamobrem nocivæ ſunt heic *purgationes*, nocivæ *Venæſectiones*; nec etiam quidquam juvare poterunt *Cucurbitulæ cum ſcarificatione applicatæ*, vel *Hirudines*, aut *Veſicatoria*. Conducunt verò *diaphoretica*, *ſudorifera* & *diuretica*, qualia quidem eſſe poterunt *Decocta Lignorum* cum ♁*nio crudo*, & ipſo quoque *Mercurio vivo* ſed in nodulo ſuſpenſo, parata: v. g. *Curatio.*

℞. *Radic. Polypod. quern.*
Dictamn. Cret.
Chinæ.
Sarſæparill. ana ℥ß.
Liquirit. ʒij.
Lign. Saſſaphr.
Cortic. Lign. Guajac. ana ℥j.
♁*n. crudi* ℥iß.
Mercur. viv. in nodulo ligandi, atq; in decoctionis vaſe ſuſpendendi ℥ij.

Inciſ. & contuſa coque in vaſe duplici in Aquæ fontan. ℔x. *vel* xij. *per trihorium, vel ad tertiæ partis conſumtionem; Colatura hinc d. ad Vitr. Mane ac veſperi hauriantur unciæ quatuor, cum ſudoris exſpectatione.*

Pulveres abſorbentes ac *diaphoretici*, *acidum* ſimul *deſtruentes* ſunt v. gr. ♁*n. diaph. Bezoardic miner. Unic. foſſil. Spodium ppt. C. C. phil. ppt. Bolus armen. Terr. ſigillat. Pulvis pannon. rub. Spinæ Viperar.* aut *Serpent. ppt. Unicornu marinum ppt. Myrrh. pulveriſat. Diaph.* ♃*vial.* aut ♂*ial. Antihect. Poterii* &c. è quibus variè invicem miſtis doſes componuntur ad ʒß. adſcendentes, & per longum tempus m. ac veſp. exhibendæ. Imò tales *pulveres* etiam in *Pilulas* redigi poterunt cum *Extracto Gentianæ Centaur. min. Trifol. fibrin. Lign. Guajac. Tormentill.* &c. ſicque exhiberi, additâ ſi placet *Camphorâ*, vel *Theriacâ cœleſti.* Loco horum præſcribi etiam poſſunt, ac diutiſſimè uſurpari, *Eſſentia Lignor. Trifolii fibrin. Meliſſ. Succin. Tinctura traumatica quævis, Tinctur.* ♁*nii, Spirit. Salis* vel *Nitri dulcis*, *Liqu. C. C. ſuccinatus. Spirit. C. Cerv. Cochlear. Eboris, Sanguin. humani volatil.* & ſimilia; ſinguli nimirum hi liquores ad gutt. 15. 20 aut 30. pro doſi matutinâ ac veſpert. cum vehiculo conveniente dantur. Alvus pro rei exigentiâ ſubinde *Clyſmate emolliente* & *detergente* ſollicitabitur. In *Cibo* & *Potu* ea fugiantur omnia, quæ ſal acre acidum in ſe tenent. Ab *Irâ*, ac *Triſtitiâ* frequenti ſibi Ægra magnopere temperabit.

Externa remedia. Externè Cancer occultus nullo tangendus eſt remedio; in exulcerato autem non niſi *Inſperſiones* conveniunt, acidum acre corroſivum vel abſorbentes, vel præcipitantes ac deſtruentes; quemadmodum ex *Urinâ ſani Hominis*, è *Lixivio ſarmentor. Vitis*, ex *Aqu. bis deſtillatâ Solani*, *Flor. Sambuc. Nicotianæ*, vel *Aquâ Calcis vivæ*, & ſimilibus parari poterunt. Vide de his plura ſub Titulo præcedenti de *Matricis Ulcere*, nec non Titulum de *Cancro Mammarum.*

Matricis Inflammatio & Abſceſſus. MATRICIS INFLAMMATIO & ABSCESSVS. Non raro contingit, ut Sanguis viſcido-acris in tubulis ſubſtantiæ Uteri ſubſidens, vel etiam extravaſatus è ruptis vaſculis colligatur, *Tumoremq́* excitet, cum dolore pulſativo, ardore ac Febri continuâ conjunctum, ſicque *Inflammationem* pariat, levem illam, faciliusque diſſipabilem, ſi ſtagnans ſanguis commodè reſolvi, ac rurſus ad priſtinam circulationem deduci queat; minus verò ſanabilem, imò in Gangrænam & Sphacelum funeſtum mutabilem, ſicubi in tali ſanguine ſtagnante ſalia fuerint acida corroſiva, non tubulos ſolùm ſanguineos ſed inſimul nerveos ita pungentia, rodentia, corrugantiaque, ut præpedito ſanguinis ac ſpirituum affluxu pars emori ac ſiderari neceſſe habeat, ipſaque hinc ſiderario promptè ſerpens tandem necroſin totalem inducat. Ubi denique ſanguis ſtagnans vaſa nimium diſtendendo rumpit, hincque effluit ac in pus vertitur, ibi quoq; Tumorem parit *Abſceſſûs* vel *Apoſtematis* nomine venientem, quæ affectio dum rumpitur & Pus effundit, in *Ulcus* faceſſit.

Diagnoſis & Prognoſis. Inflammationem Matricis è Lochiis vel Secundinis retentis, vel ex Hæmorrhagiâ Uteri ſubitò ceſſante, quæ

quæ malum hoc excitare valent, hinc & è dolore pulſante atque ardente regionis Matricis cognoſcere licet, inprimis ubi ſimul Febris acceſſerit continua cum ſuis ſymptomatibus, qualis ſi vehementior aut maligna fuerit, Convulſiones quoque poſt ſe trahere poteſt lethales; dumque intenditur ipſa cum dolorum vehementiâ, ſignum Gangrænæ præbebit funeſtæ. Tumor inflammatorius hic extus in Abdomine nullatenus apparet, ſi tamen hypogaſtrii regionem fortius tetigeris, dolorem augebis & acerbiorem mox reddes. Bonum eſt, ſi ſudor à præſcriptis & aſſumtis remediis frequens prodeat cum ſymptomatum mitigatione. Quando autem ſudare nequit Ægra, vel morietur brevi, vel Inflammatio in Abſceſſum & Ulcus mutabitur.

Curatio. Cùm autem Inflammatio talis producatur ſicut omnes Inflammationes, non aliam quoque curandi methodum poſtulat, quàm Inflammatio in genere, de quâ ſuo ſub titulo proprio actum fuit; quo etiam Lectorem benevolum remittimus.

MATRICIS HÆMORRHAGIA, vide *Hæmorrhagia Uteri*.

MATRICIS HÆMORRHOIDES, vid. *Hæmorrhoides Uteri*.

Matricis Vaginæ Condylomata. MATRICIS VAGINÆ CONDYLOMATA, ſunt Tubercula nodoſa in rugosâ Vaginæ uterinæ tunicâ cum pruriente ardenteq; leni dolore natâ, atq; à maſculini Lue plerunq; gallicâ infecti ſeminis acrimoniâ acido-volatili erodente, & inde ſucci glanduloſo-mucoſi, vel nutricii affluxum majorem, ejuſque concretionem excitante producta, coitum poſtliminio laborioſiorem magisque dolorificum producentia.

Cauſa. Quanquam autem *Sylvius de le Bois* ſibi fuerit imaginatus, ejusmodi nodos magis produci à nimis frequenti coitu, adeoque affrictione partium genitalium crebriore durioreque; minimè tamen credibile videtur, fricationem Vaginæ interioris adeo duriter, etiam in crebriore congreſſu venereo, contingere poſſe à virili membro, ut inde excoriatio, & ſucci nutritii concreſcibilis major affluxus producatur. Quin cùm tales Nodi rariſſimè obſerventur in Regionibus & Civitatibus, v. g. noſtris Helveticis, in quibus rara eſt Lues venerea, coitus verò æquè forſan frequentes, aut fortè fœcundiores quàm alibi contingunt, veritati magis conſentaneum videtur, acrimoniam maſculini ſeminis, utplurimum Lue venereâ infecti, forſan etiam aliquando ſolùm ſcorbutici, acido-volatilem, in coitu plus minus frequenti, glandulas rugasque Vaginæ ita erodere, ut hinc profluentes guttulæ, ſive lymphico-mucoſæ ſive nutricio-gelatinoſæ, ab admiſtis illis acidis ſeminis particulis coagulentur, ſicque cum novis aliis ulterius affluentibus tandem in *Tubercula* ejusmodi *nodoſa* concreſcant,

Diagnoſis. duriora certè illa, majoremque pruritum & ardorem excitantia, ſi cum Inflammatione conjuncta fuerint: minus

minus dura autem, vel molliora, parumque dolentia ſive prurientia ſicubi Inflammationem comitem non habuerint: usque adeo ut viſu tactuque percipi poſſint.

Prognoſis. Quo profundiora ſunt *Condylomata* in Vaginâ Uteri, eo difficiliorem medelam ſortiuntur, atq; interea coitum laborioſum ſatis reddunt, quoniam facilem Vaginæ expanſionem impediunt. Quæ verò magis apparent in exteriore Vaginæ parte, facilius tolluntur, modò ne ſcorbuticæ admodum, cachecticæ, vel Lue quoque venereâ corruptæ exſtiterint Fœminæ.

Curatio. In *Curatione internè* dabuntur remedia Luem veneream vel Scorbutum ſanantia; *externè* autem Condylomata vel *Liquoribus*, vel *Linimentis* aut *Unguentis cathæreticis* tamdiu tangenda ſunt, donec abſumta illa videamus; v. g. primò mitiora applicabuntur:

℞. *Butyr. recent. non ſalit.* ℥ß.
Pulver. Lapid. ſciſſil.
Teſtar. Cochlear. uſtar.
Virid. æris. ana ℈ij.
Semin. Sinap. ℈j.
Olei Ceræ q. ſ.
M. f. Unguentum d. ad Ollam.

Vel ℞. *Butyr. recent. Vino albo aliquoties loti* ʒvj.
Succi lactei Eſulæ.
Pulv. radic. Aron. ana ℈ij.
Mercur. præcipit. rubr. ſubtiliſſ. triti ʒß.
Olei deſt. Bacc. Juniper. ℈ij.
M. f. Unguent. d. ad Ollam.

Vel ℞. *Ungt. diapompholyg.* ʒvj.
de Helen. ʒij.
Calcis vivæ ʒiß.
Ærug. æris. ʒj.
M. f. Unguent. d. ad Oll.

Vel ℞. *Unguent. pomat.* ℥ß.
Radic. Chelidon. major. pulv.
Imperator. pulv.
Raphan. ruſtican. pulv.
Mercur. præcipit. alb. ana ʒß.
Alumin. crud. ℈j.
Olei è Lathyrid. Fern. q. ſ.
M. f. Unguent. d. ad Ollam.

Vel ℞. *Butyr. recent. Succo Perſicar. vel Chelidon. maj. vel Ol. 🜿ri per deliq. probè lot.* ℥j.
Croc. Metallor.
Calc. viv. ana ʒj.
Semin. Cataput. ʒß.
Alum. rupei ℈ij.
M. f. Unguent. d. ad Oll.

Vel ℞. *Unguent. de Nicotian.* ʒvj.
Pulv. fol. Sabin.
Semin. Eruc.
Ærug. æris. ana ℈ij.
Camphor. ʒß.
Olei philoſ. q. ſ.
M. f. Unguent. d. ad Oll.

Vel ℞. *Succi Perſicar. vel Chelidon. major.* ℥ij.
Spirit. vel Olei 🜖li.
🜍ris ana ʒj.
Miſc. d. ad Vitr. Quo liquore ſæpius tangantur Condylomata.

Vel ℞. *Urinæ Hominis ſani, vel propriæ Ægrotæ* ℥ij.
Butyri ♁nii ʒj. *vel* ʒiß.
M. & tange crebrò Tubercula, abluenda hinc cum *Vino rubro calente*, vel *Urinâ calidâ*.

Vel

Vel ℞. *Spir. Sal. arm. cum Calce viv. parat.* ℥j.
Succi fol. Chelid. major.
Raphan. ruſtic. ana ʒvj.
Miſc. d. ad Vitr. & uſurpetur ut ſuperius.

Si mitiora talia effectum non præſtent exſpectatum, tunc acriora etiam in uſum vocabuntur; & quidem doſis *cathæreticorum* in præcedentibus formulis augebitur; v. gr.

℞. *Butyr. rec. non ſalit. Vino albo vel Succ. Perſicar. probè loti* ℥j.
Arcan. corallin. ʒj.
Mercur. ſublimat. ℈j.
M. d. ad fictile, & eo Condylomata inungantur frequenter.

Vel ℞. *Ungt. de Nicotian.*
Ægyptiaci ana ʒiij.
Mercur. præcip. alb.
Calcis vivæ.
Croc. metallor. ana ʒj.
Olei è Lathyrid. Fern. q. ſ.
M. f. Ungt. d. ad Fictil.

Vel ℞. *Aqu. aut Succ. Perſicar.*
Roſar.
Calc. viv. ana ℥j.
Mercur. ſublimat. corroſ. ℈j.
Alum. rup. ʒß.
M. d. ad Vitr. ſubinde Condylomata tangantur.

Vel ℞. *Urinæ human.* ℥ij.
Succi Tithymal. ʒiß.
Mercur. præcip. alb. ʒj.
M. d. ad Vitr. Utere ut ſupra.

Vel ℞. *Aqu. Plantag.* ℥iß.
Succ. Raph. ruſt. ℥ß.
Spirit. ⊖*li vel*
🜍*ris vel*
Butyr. ♁*nii* ʒj.
M. d. ad Vitr.

Vel ℞. *Lactis Virgin.* ʒiß.
Mercur. ſublim. corroſ. gr. ij. *vel* iij.
M. d. ad Vitr.

Hiſce remediis diligenter in uſum tractis probè animadvertendum, an vicinæ ſimul ſanæ partes corrodantur & forſan exulcerentur, ad quod præcavendum ſola frequens elotio partium cum *Urinâ* propriâ, vel *Aquâ Plantaginis*, aut *Roſarum*, vel cum *Decocto Lignorum* inſtituenda venit. Imò, antequam *cathæreticum Remedium* applicamus, vicinæ ſanæ partes *Unguento pomatum*, vel *Unguento de Althæâ*, vel *albo camphorato* muniri poſſunt.

Quæ ergo profundius intra Vaginam hærent Condylomata, talibus corroſivis remediis tangi, facileque eapropter curari nequeunt: proin in hiſce *Injectiones* ſolæ proſunt, cum *Succo Chelidon. majoris*, item *Perſicariæ*, *Rutæ*, *Aquâ Calcis vivæ*, *Urinaq́ humanâ*, quibus *Mercurium dulcem* & *Crocum metallorum* incoquere poſſumus, inſtitutæ.

MATRICIS VAGINÆ VERRUCÆ ſunt Tubercula in Uteri Vaginâ ex effluente copioſiore ſero nutricio, vel lymphâ mucoſâ coagulatâ enaſcentia. Rarius hæc intra Vaginam, ſed plerunque in ejus extremitate oriuntur, ac eodem modo iisdemque à cauſis producuntur, à quibus Condylomata progenita fuiſſe præcedenti capite diximus. Differunt

Matricis Vaginæ Verrucæ.

Differentia.

runt quoad *figuram* & *magnitudinem*, & nunc *ſeſſiles*, *latæq́*, nunc *penſiles*, exiſtunt; hinc & *Myrmecia* quoque vel *Thymi* ſubinde nuncupantur.

Prognoſis & Curatio. Quanquam verò ex his Tuberculis per ſe metuendum nihil ſit, niſi Lues venerea conjuncta fuerit; nonnunquam tamen in congreſſu venereo incommoda pariunt, ut ſic Fœminæ Chirurgorum medelam implorent, quam proin inſtituere licet eâ ratione, quâ Condylomata ſuperiore Titulo abſumi poſſe indigitavimus. Si penſiles tamen fuerint Verrucæ, ſetâ ligentur equinâ, & ita paulatim ſiccatæ, emortuæque decident. Si verò abſcindi illas malint Fœminæ, tunc forfice maximè acutâ id fiat, atque ſuperveniens Hæmorrhagia ſiſti poterit, ſimulq́ue radix Verrucæ extingui, tangendo locum vel *Oleo Vitrioli*, vel *Butyro ♁nii*, vel *Ferro ignito*; Hinc *Unguentum album camphoratum* inungendo, donec cruſta abſceſſerit, & locus probè ſanatus fuerit.

Matricis Fiſtula. MATRICIS ejusve COLLI FISTULA eſt Ulcus ſinuoſum & calloſum in Collo, Vaginâ vel ipſâ etiam ſubſtantiâ Uteri ab humore ſeroſo ſalſo-corrodente progenitum, & tenuem, pravam, fœtidam, nunc flavidiusculam, nunc virideſcentem ſaniem fundens. *Diagnoſis.* Cognoſcitur facilè è labiis duris, calloſo-carnoſis, ſinu hinc penetrante ad interiores alias partes, ipſoque tandem ſanioſo humore promanante. Si Fiſtula penetret ad Veſicam, eamq́ue perforet, Urina cum ſanie continuè effluet. Si verò Inteſtinum rectum penetraverit, excrementa quoque alvina inde prodibunt.

Prognoſis. Qualiscunque autem Fiſtula fuerit, ſemper Fœminas reddit miſeras, quoniam in ejusmodi partibus non licet remedia Fiſtulis convenientia uſurpare. Si erodendum, ſi ſecandum, ſi urendum eſt, obſtabunt vicinæ partes, plus fortè damni à talibus operationibus adquirentes, quàm boni per illas excitari queat. *Curatio.* Itaque palliativa tantùm Cura adhibebitur, reliquumq́ue negotium ſoli naturæ permittetur. Quando igitur nulla Febris lenta, vel hectica adfuerit, ſubinde Ægrotam purgabis ſive *Pilulis mercurialibus*, ſive *Syrupo de Cichorio cum Rhab.* Dein *vulnerarium* aliquod *Decoctum* propinabis unâ cum *Lignis par.* prout in *Matricis Ulcerum* curatione indigitavimus. Æſtate *Thermas 🜍reo-aluminoſas* uſurpandas ordinamus cum debito regimine Diætæ. Interea cùm extus *Emplaſtra* nulla applicare poſſimus, imò ne quidem *Turundas* foramini Fiſtulæ immittere, niſi extus illud in Pudendis vel Perinæo hiaverit; ſolæ *Injectionnes traumaticæ*, ex *Decocto Lignorum*, ut & *Myrrhæ* &c. cum *Aquâ Calcis vivæ* paratæ proderunt, videndumq́ue, ut ipſi ſinui Fiſtulæ inſpergi poſſint, & hinc per longum ſat tempus mane ac veſperi continuari, quò ita, ſi non ſanetur Fiſtula, ſaltem gravius malum inde ſucceſſurum præcaveatur. *Injectionibus* permiſcere poterimus *Eſſentiam Tormentillæ*, *Graminis Parnaſſi*, *Hyperici*, *Ariſto-*

Ariſtolochiæ, *Perſicariæ*, *Sabinæ folior. Chamomill. Vincæ pervinc. Myrrh. Aloës*, *Thuris*, *Maſtich.* &c. Qualis quoque *Eſſentia* ad gutt. 20. vel 30. per plures hebdomadas ſemel quotidie cum *Decocto Lignorum* propinari poſſet. *Diæta* talis præſcribatur, qualis in omnibus *Ulceribus* & *Fiſtulis* convenit. Quod ſi *Mercurius dulcis*, cum *Saccharo Saturni*, *Antimonio crudo* & *Myrrhâ*, in *Aquâ Calcis vivæ*, vel etiam mediâ parte *Vini* decoquatur, hocque *decoctum colatum* pro *Injectionibus* uſurpetur, ac poſtea ſemper *Balſamicus Liquor* ſuperinjiciatur, v. g. ex *Succo Folior. Semperviv. Alth. Malv. Conſolid. maj. Brunell. Fol. Quercûs* &c. addito *Balſamo Peruviano liquido*, forſan ad aliquam conſolidationem perveniemus.

Matricis Puſtulæ.

MATRICIS PVSTVLÆ ſunt Veſiculæ vel Exanthemata in Vaginâ Uteri, vel etiam extus in Vulvâ efflorеſcentia, nunc ſerum acre continentia aut effundentia, nunc ſicca magis & interdum ſcabra, ſquamoſaque; pruritum frequentem modò debiliorem, modò graviorem excitantia. Puſtulæ tales majores minoresve exiſtunt, pro varietate cauſæ producentis mitioris ac paucioris, vel copioſioris & acrioris.

Cauſa.

A Seminis autem maſculini acrimoniâ ſive ſcorbuticâ, ſive venereâ ſalino-acri in Fluore albo è glandulis exudante, inque rugoſâ tunicâ ob viſciditatem ſubſiſtente, *Puſtulas* illas exoriri arbitramur, quatenus ſal illorum liquorum acido-acre & volatile, plus minus aquoſo mucoſoque humore temperatum, ſpicula ſua in tunicam Vaginæ immittit, quæ dein ſcindendo pungendoque tubulos membranaceos erodunt, exinde lympham effluere, ſubterque cuticulam colligi faciunt, ac eam elevando Puſtulas gignunt ad eum ferè modum, quo Veſicatoria in cute Veſicas, aut Saliva acris, vel Lac maternum acre in ore Infantum Aphthas producere obſervantur. Quod ſi particulæ oleoſæ cum lymphâ illâ ſalſâ Puſtularum permiſceantur, & aquoſæ particulæ per poros exhalent, ſquamulæ ſimul oboriuntur, ſcabritiesque Tunicæ excitatur.

Diagnoſis & Prognoſis.

Puſtulæ hæ facilè ex ſolo intuitu cognoſcibiles, ſi à Lue venereâ Infectis ſub venereo concubitu, vel ſi à radicatâ Gonorrhœâ ſive Fluore albo pertinaci provenerint, curatu difficiles exiſtunt. Subinde etiam verecundæ quædam, ſaltem erga Medicos Fœminæ ſuum diu reticent malum, & curam illius eousque procraſtinant, donec non amplius ita facilè corrigi & auferri queat. Quin excoriationes, atque exulcerationes inde provenire tandem poſſunt plus minus ſerpentes, & in Fiſtulas inſanabiles abeuntes.

Curatio.

Quæcunque igitur Fœmina prurientibus ejusmodi, forſan & interdum ad coitum ſtimulantibus, Puſtulis moleſtata ſanari cupit, *intus* quidem opus habebit *remediis antivenereis* vel *antiſcorbuticis*, ad liquorum circulantium aciditatem & acrimoniam maximè corrigendam, planè ſicut in Lue venereâ, Fluore item albo,

& Scorbuto docuimus. *Extus* verò proſunt *Lotiones* & *Inunctiones:* pro *Lotione* inſervire poteſt *Aqua viridis Plateri*, quæ ſequens eſt:

℞. *Ærugin. æris.* ʒj.
Auripigmenti ʒiß.
Terantur ſubtiliſſ. & coquantur in Vini albi ℥iv. *ad conſumtionem medietatis, ubi refrixerit, adde*
Aqu. Roſar.
Solan. ana ℥iß.
Miſce & ſerva in vitreo vaſe ad uſum.

Cum hâc *Aquâ* Puſtulas ſemel vel bis de die probè tangito; ſed poſtea ſtatim ad majorem corroſionem præcavendam cum *Aqu. Roſar. Cichor. Brunell.* ac *Melle roſaceo, Roob dianuc.* &c. Aquam abluito. Vel immitte Ægrotam per aliquot dies inſequentes in *Laconicum*, prius ſemper propinato hauſtu *Aquæ Fumariæ, Ulmariæ, Scabioſæ* vel *Cardui bened.* cum *Roob Sambuci, Mithridatiive* ʒj. Hinc *Semicupium* fiat ex *Aquâ ſimplici*, cui incocta fuerint *Radices & Folia Lapathi acuti, Verbaſci, Virgæ aureæ, Radices Bryoniæ, Herb. Hyperici, Perſicariæ, Rutæ, Ariſtoloch.* ut & *Calx viva.* Poſſumus etiam *Nicotianam, Perſicariam, Radicem Sigilli Salomonis, ♁ium crudum, Nitrum, Garyophyllos* &c. *Vino* incoquere, talique *Vino* Puſtulas ſæpiùs calidè abluere, ac poſtea *Mucilaginem Seminis Cydoniorum, Aquâ Plantag.* vel *Ulmar.* factam cum *Melle roſaceo* inungere. Vel *Aquam* ſume *Calcis vivæ, Aquam Solani*, & *Roſarum*, permiſce *Eſſentiam Aloës, Myrrhæ*, & *Ariſtoloch. rotund. ver.* cum *Camphorâ*, adde *Mel roſaceum*, & ſæpiùs illine:

Vel ℞. *Ungt. alb. camphorat.*
diapompholyg. ana ℥ß.
Magiſt. ♁n. diaphor.
Mercur. præcip. alb. ana ℈ij.
Tut. ppt. ʒß.
Olei Sambuc. q. ſ.
M. f. Unguentum ſubinde inungendum.

Vel ℞. *Butyri rec. non ſaliti Vino aliquoties abluti* ℥j.
Flor. ♀ris.
Magiſt. Saturni.
Mercur. præcipit. alb. ana ʒß.
Olei Lil. alb. q. ſ.
M. f. Ungt. ſubinde illinendum.

Si ſquamulæ adfuerint pruritum excitantes, coquito *Radices Lapathi, Folia Perſicariæ* atque *Nicotianæ* in *Vino rubro* vel *albo*, vel in *Aquâ* ſaltem *Calcis vivæ*, adde *Mercurium dulcem*, & hinc ſæpiùs calidè illas ablue. Vel *Aquam Solani*, & *Spermatis Ranarum* cum *Oleo ♀ri per deliquium*, & *Spiritu Vini camphorato* frequenter calidè applica.

MATRICIS COLLI RHAGADES ſ. FISSVRÆ, ſunt Ulcuſcula quædam parva, longa, aſpera, ſeu Fiſſuræ in rugoſâ Cervicis aut Vaginæ Uteri tunicâ, ipſaque interdum Vulvâ comparentes, atque ab humore ſalino-acri erodente (ſive per ſemen maſculinum acrius, ſive per lympham glandularum ſcorbuticam adſperſo) ut & interdum à coitu violento, frictione petulanti, aut Partu nimis *Matricis Colli Fiſſuræ.*

mis difficili productæ, & pruritum moleſtum, gravioremque etiam ſæpè dolorem excitantes. Poſtulant ergo talia Ulcuſcula citam curationem, niſi velimus eadem ſenſim fœda, ſordida, ſinuoſa, tandem & fiſtuloſa evadere.

uratio. In Puerperis ergo non ſecus ac in aliis *internè* proderit unum alterumve *diaphoreticum*, ex *Aquis deſtillatis* vel *Decocto Lignorum* cum *Roob Sambuc.* & *Spodio ppt.* paratum. *Externè* verò *detergentia*, *acrimoniam temperantia*, *abſorbentia*, denique *conſolidantia* conducunt. Primùm ergo Rhagades *Vino* eluantur, in quo *Salvia, Alliaria, Geran. Ariſtolochia, Hypericum, Sanicula, Vinca pervinca, Piloſella, Melilotus* &c. cum *Myrrhâ, Maſtiche* & *Aloë* decocta fuerunt, & hæc elotio bis vel ter quotidie fiat. Poſt quamlibet earum autem *Unguentum abſorbens* & *conſolidans* probè inungatur donec Rhagades fuerint ſanatæ; v. gr.

℞. *Mucil. Semin. Pſyll. vel Cydon.*
Aqu. Roſar. aut Plant. fact.
Crem. Lactis ana ʒiij.
Radic. Liquirit.
Bol. Armenat. ppt.
Cret. alb. Colonienſ. ana ʒj.
Myrrhæ pulveriſ.
Maſtich. pulveriſat. ana ℈j.
M. d. ad Ollam.

Vel ℞. *Ungt. pomat. vel roſat.* ℥j.
Tut. ppt.
Magiſt. ♃*n. diaph.*
Corall. alb. ppt. ana ℈ij.
Mercur. præcipit. alb. ʒß.
Ol. Ovor. q. ſ.
M. f. Unguent. d. ad Oll.

Vel ℞. *Vitell. Ovor.*
Axung. cervin. ana ℥ß.
Lapid. calam. ppt. ℈ij.
Ocul. ♋. *ppt.*
Mercur dulc. ana ʒß.
Sacch. Saturn.
Camph. ana ℈ß.
M. d. ad Ollam.

Vel ℞. *Ungt. diapomphol.*
populeon. ana ʒvj.
Flor. 🜍*r.*
Tutiæ ppt. ana ℈ij.
Mercur. præcipit. rubr. optimè triti ʒß.
Camphor. ℈ß.
Olei Ceræ q. ſ.
M. f. Ungt. d. ad Fictil.

Vel ℞. *Olei Ovorum.*
Roſar. ana ℥ß.
Ceræ ʒij.
Terr. ſigillat.
Maſtich. elect.
Mercur. præc. alb. ana ℈ij.
Extract. liquirit. ʒß.
M. f. Ungt. d. ad Ollam.

MATRICIS VAGINÆ DILACERATIO & RUPTURA VULVÆ, eſt Morbus ſolutæ unitatis, in quo tunicæ Vaginæ uterinæ aut Vulvæ à Fœtu grandiore nimis expandente, vel etiam ab inſtrumentis, quibus mortuus extrahitur Fœtus, rumpuntur, finduntur vel dilacerantur. *Matricis Vaginæ ruptura.* Affectus vel ad Oculum patens, nunc cum nunc ſine tumore pudendorum affligens; in quo rima modò levior contingit ſine ſphincteris Veſicæ aut Ani dilaceratione; modò grandior evadit, & dictum ſphincterem ex parte lacerat, atque Dyſuriam pro- *Diagnoſis.*

producit; vel eundem prorſus diffindit, cum ſubſequente Urinæ incontinentiâ immedicabili; vel denique relicto ſphinctere Veſicæ, Perinæum ſolùm dilaceratur, aut ſimul ipſe muſculus Sphincter Ani ſive ex parte disrumpitur, ſive totus dilaceratur, unde Incontinentia fœcum alvinarum inſanabilis, atque ſimul unum è Vulvâ & Ano foramen naſcitur.

Curatio. Quando igitur Vulnera hæc in Ulcera facilè abeunt diu manantia, etiam ulterius, ni præcaverimus, ſerpentia, ſphincteresque Veſicæ aut Ani leviter tantùm laceratos prorſus diffindentia; hinc citò admodum extergenda, & ad conſolidationem promovenda ſunt; *remediis* tam *internis vulnerariis* (quæ ſub formâ *Decoctorum traumaticorum* vel *lignoſorum* propinabuntur, addendo ſæpè guttas aliquot *Balſami Peruviani*:) quàm *externis* ſiccantibus adſtringentibus, abſorbentibus, balſamicis, minimè unctuoſo-emollientibus. Quod ſi proin Tumor abſit pudendorum, nec Hæmorrhagia, per adſperſos ſuo loco commendatos pulveres ſiſtenda, acceſſerit, *Gratiolam*, *Geranium Robertianum*, *Plantaginem*, *Pruna ſylveſtria*, *Tormentillam*, *Ariſtolochiam rotundam veram*, *Clematin daphnoidem* &c. *Vino rubro* incoquito, *Roob Acaciæ* permiſceto, hocque *decocto* Vulnus frequenter calidè eluito, hinc fila carpta vel eidem decocto immerſa, vel ſicca, aut *Eſſentiæ Myrrh. Aloës*, *Tormentillæ*, *Maſtichis*, cum vel ſine *Melle roſaceo*, *Roob Acaciæ*, aut *Balſamo* quodam *vulnerario*, v. g. *Peruviano*, *Tolutan.* intincta frequenter applicato, usque dum conſolidatio ſupervenerit. Si *Oleum Ovorum*, *Melilot. Hyper. Ceræ*, aut *Terebinthinam vitello Ovi ſolutam* cum *pulvere Radic. Conſol. maj. Colophonii*, *Myrrhæ*, *Maſtichis*, *♀ n. diaphor. Seminis Perfoliatæ*, *Herniar. Boli armenat.* permiſcueris; vel etiam *Mel roſaceum*, *Balſamum Peruvianum*, aut alium *vulnerarium* addideris, hincque mane, veſperi, & noctu Partem inunxeris, tum conſolidationem ſimiliter promovebis; ſed benè ſemper facies, ſi *Decocto* quodam *vinoſo*, ut ſupra monitum, prius elueris. Ubi autem labia Vulneris nimis diducta ſunt, etiam ſuturâ conjungenda veniunt, ſive acûs ope, ſive per *glutinoſum Emplaſtrum* imponendum; labiaque hinc commiſſa anſulis probè colliganda ſunt, ac ita tenenda, usque dum ſibi invicem cohæſerint: medio tempore inſperges *pulverem Radic. Conſolid. major. Biſtort.* vel *Tormentill.* ſimulque *Balſamum vulnerarium* inunges. In Rupturâ inveteratâ, foraminis labia utrinque vel incidenda, vel exulceranda, hinc acu iterum conſuenda, ſicut Labia leporina, & *Balſamo vulnerario* perſananda.

MATRICIS VAGINÆ ſive PUDENDORUM TUMOR INFLAMMATORIUS, eſt Morbus auctæ magnitudinis, à nimiâ Vulvæ diſtenſione in Partu, v. gr. difficili, circulationisque ſanguinis & lymphæ hebetatione originem ducens, & niſi promtè diſcutiatur, vel Abſceſſum, vel Gangrænam & Sphacelum poſt ſe trahens. *Matricis Vaginæ ſ. Pudendorum Tumor inflammatorius.*

trahens. Hinc *diſcutientia Medicamina* ſtatim expoſcit, in quem finem *internè* quidem *diaphoretica* aliquot exhibeantur v. gr. ♁ *n. diaph. Bezoard. mineral. Terr. ſigillat. & C. C. phil. ppt. ad* ℈j. *vel* ʒß. cum *Roob Sambuc.* & *Aquâ Flor. Sambuc.* vel *Scabioſ. Card. bened. Fumar.* &c. *Externè* autem Pudendis applicetur *Vinum Aquâ dilutum*, in quo *Chamomilla*, *Pulegium*, *Meliſſa*, *Betonic. Scabioſ. Origanum*, *Alliaria*, *Scordium*, *Geranium robert. Verbaſcum*, *Alchymill. Beccabunga*, *Calamintha*, *Brunella*, *Malva hortenſ. Chamædr.* & ſimilia cum *Myrrhâ* & *Bolo armenate* fuerunt decocta, addendo, ſi placebit, *Rorem mineralem* vel *Spirit. Vini camphoratum*. Poteſt & *Beccabunga* recens contuſa cum *Albumine Ovi* & *Aqu. Flor. Sambuc.* vel *Roſar.* miſceri, calideque applicari. Quin & *Sacculi* prædictis *Herbis* repleri, *Vino* incoqui & admoveri poſſunt; irrorando illos *Spiritu Vini camphorato*, vel *Spiritu* quodam *matricali*. Loco *Sacculorum* inſerviunt *Spongiæ* vel *Lintea decocto immerſa*, & calidè admota. Ante applicationem illiniri poteſt *Oleum Roſarum*, *Violarum*, *Hyperici*, *Lil. albor.* &c. Cum fructu ſequentia multoties adhibuimus:

℞. *Aqu. Sperm. Ran.* ℥vj.
Roſar alb.
Scabioſ.
Agrimon. ana ℥j.
Mucilag. Semin. Cydon. Aqu. Roſ. fact. ʒß.
Tutiæ ppt.
Lapid. Calam. ppt. ana ʒiij.
Miſc. d. ad Vitr. & applicetur calidè cum Linteis.

Vel ℞. *Butyr. recent. Aquâ Plantag. probè lot.* ℥ß.
Mucilag. Sem. Pſyll. Aqu. Roſ. fact. ʒij.
♁ *n. diaph.*
Tut. ppt. ana ʒß.
Olei Roſar. ℥ß.
M. f. Ungt. d. ad Pyxidem, & inungatur ſæpè.

Vel ℞. *Ungt. alb. camph.* ℥ß.
Ol. Verbaſc.
Lil. alb. ana ʒj.
Lap. calam. ppt. ℈ij.
M. d. ad Pyxid.

Vel ℞. *Album. Ovor.* ℥iij.
Conquaſſa parum cum fruſto Aluminis, adde poſtea
Aqu. Chelidon. maj.
Fl. Sambuc. ana ℥iß.
Tut. ppt. ʒij.
Croc. opt. pulver. ʒß.
M. d. ad Vitr. Applica calidè cum Linteis.

Si diſcuti nequeat Inflammatio, ſed in Abſceſſum tendat, curatio inſtituetur, ſicut in *Abſceſſu* vel *Apoſtemate* ſuo loco dictum eſt.

MATRICIS SCIRRHUS eſt Tumor durus ac indolens ſubſtantiæ Uteri, haud ita facilè cognoſcibilis, niſi major fuerit, & ponderis cujusdam ſenſu in Hypogaſtrio ſeſe quodammodo patefaciat, ſimulque menſtruum Fluxum, ob ſanguinis maſſam craſſiorem vel viſcidiorem reddicam, inhibeat. *Matricis Scirrhus.* *Diagnoſis.*

Oritur hic Tumor à ſero pituitoſo, lento *Cauſa.*

lento ac viſcido in ſpongioſam Uteri ſubſtantiam, ejusve Glandulas nimium depoſito, hinc ſtagnante, atque exhalantibus particulis aquoſioribus, paulatim magis inſpiſſato ac indurato, idque citra dolorem, cùm nulla ſalium acrium ſpicula permixta exiſtant, quæ lancinando cruciatus inferre queant. Quod ſi fortè tamen ejusmodi ſalia acida juncta ſint, facili negotio illa in motum acta vim corroſivam exercent, atque ita *Scirrhum cancroſum*, ſive *Cancrum* producunt, de quo ſuo loco. *Scirrhum* verò *Uteri* ſi cognoveris ex Hypogaſtrio ſimul intumefacto, duritie in profundo renitente, aliquali vel lentiſſimâ conſumtione reliqui corporis &c. tum remedia uſurpabis ſub titulo de *Scircho* commendata, quamquam vix ullum effectum editura, eo quod malum inſanabile ſit plerunque, & vel Hecticam poſt ſe trahat Febrim, vel Cachexiam cum Hydrope. Notabile eſt, quòd Uterus aliquando ſcrophuloſus evadat, & plures Glandulas ſcirrhoſas adipiſcatur, majores, minores, quemadmodum egregia id demonſtravit Obſervatio extans in Clariſſ. Joh. Conrad. Peyeri *Parergis Anatomicis*.

Matricis Sphacelus.

MATRICIS SPHACELUS ſ. NECROSIS, eſt Spirituum animalium influxûs circulationisque ſanguinis cohibitio in Uteri ſubſtantiâ, propter vaſorum qualiumcunq; conſtrictionem, obſtructionem, aut diſciſſionem obtingens, rarò ſanabilis, ſed plerunque juxta nervorum progreſſum ſerpens, tandemque corruptâ totâ ſanguinis maſſâ, omnem vitalem in corpore motum tollens. Si levior Morbus fuerit, & exiguam ſolùm Uteri portiunculam invaſerit, poterit hæc fortè aliquando per interna remedia *diaphoretico-alexipharmaca*, in uſum diligenter tracta, ſeparari, atque fruſtillatim non ſine fœtore inſigni prodire. Quamobrem exhibere licebit *Pulveres* è *Viperarum ſpinis ppt. C. C. philoſ. calcin. Dente Hippopot. ppt. Spod. ppt. Oſſe de Cord. Cerv. ppt. Bezoard. min.* ♁ *n. diaphor. Pulvere bezoardico Sennerti, Pannon. rubr.* & ſimilibus compoſitos, ac doſi ℈ß. m. ac v. dandos. Addere licet etiam *volatilia* v. g. *Curatio.*

℞. ♁ *n. diaphor.*
Ocul. ♋. *ppt. ana* ℈ß.
Nitr. ♁ *iat.* ℈j.
Camphor. ℈ß.
M. f. Pulv. ſubt. in 4. *doſ. æqu. div. ad chart.*

Vel ℞. *Terr. ſigill.*
Bezoard. min. ana ℈j.
Salis volat. Viperar. vel C. Cerv. pur. ℈ß.
Sacch. roſ. tab. ℈j.
M. f. Pulv. ſubt. in 4. *doſ. æqu. ad ch. divid.*

Vel ℞. *Pulv. pannon. rubr.* ℈ß.
Cinnab. ♁ *n. opt.* ℈j.
Lapid. bezoard. occid. ver. ℈ß.
M. f. Pulv. ſubt. in 2. *doſ. æqu. ad ch. divid.*

Vel ℞. *Pulver. Viperar. ppt.* ℈iiij.
Bezoard. min. ℈j.
M. f. Pulv. ſubt. in 4. *part. aqu. ad ch. divid.*

Vehi-

Vehiculum Pulverum erit aut *Juſculum*, aut ſeqq. *Mixtura*, ſimilisve alia per cochlearia danda:

℞. *Aqu. Flor. Sambuc.*
Ulmar.
Taraxac.
Borrag.
Syrup. Rub. id. ana ℥j.
Confect. Alk. inc. ℈ij.
Matr. perl. ppt.
Bezoard. min.
Spirit. Sal. arm. urinoſ. aa. ℈j.
Julepi roſac. ℥ß.
M. d. ad Vitr.

Vel ℞. *Aqu. Galeg.*
Card. bened.
Scorzoner. ana ℥j.
Syrup. acetoſ. Citr. ʒvj.
Flor. Tunic. ℥ß.
Confect. Alk. inc. ℈iiß.
Pulv. Pannon. rubr. ʒj.
M. d. ad Vitr. uſurpetur ut ſupra.

Vide plura de *Sphacelo*, huc quoque trahenda.

Matricis flatio.

MATRICIS INFLATIO eſt Tumor abdominis tenſivus ac dolorificus ab Utero flatibus diſtento oriundus. Si quis de hujus Affectûs veritate dubitat, conſulere poterit *Sennertum*, *Gabelchoverum*, *Foreſtum* aliosque Practicos: imò in Medicâ praxi exercitati non raro hunc morbum curandum impetrare ſolent. Sæpè & nobis eundem tractare contigit.

iagno- s.

Tumor autem benè cognoſcendus, atq; ab imprægnatione diſcernendus venit; eo quòd ſæpè Mulieribus imponat ſpecie conceptionis & ingravidationis, (quoniam plerunq; menſium fluxus eo tempore ſupprimitur) quod etiam Uterus paulatim increſcat, & interdum Lac in mammis ſecernatur. Dignoſcitur ergo Inflatio ab Utero imprægnato, quod in illâ Abdomen æqualiter intumeſcat; in imprægnatione verò antrorſũ magis promineat, & in lateribus depreſſum ac veluti vacuum deprehendatur: quòd in Inflatione Abdomen citius intumeſcat, quòd dolorem tenſivum, attactu quoque auctum, producat, verâ imprægnatione nihil tale excitante; quòd quandoque evaneſcat flatuoſus Tumor, iterumque redeat; quòd Puerperis non raro obtingat, in quibus nulla imprægnationis ſuſpicio eſſe poteſt: quòd Inflatio ultra annum durare poſſit, nec unquam obſervetur, percipiaturque motus alicujus in Utero exiſtentis Fœtûs; quod ciborum Faſtidium, Vomitus, aliaque Symptomata Gravidarum in tali Inflatione non contingant, ſed bonus è contrario Appetitus adſit, & in Inteſtinis ſubinde flatus, indeque naſcentes rugitus ac borborygmi excitentur; quòd denique nullus à Fœminis percipiatur ſenſus ponderis Uteri Vaginam prementis, ſicut in verâ imprægnatione poſt quartum menſem evenit. Notandum verò eſt, quod aliquoties obſervavimus, juxta veram Imprægnationem non raro flatibus ſimul diſtendi Uterum, ſicque primis ſtatim menſibus Abdomen Fœminarum præter conſuetudinem intumeſcere; qualis Tumor verò nunc paulatim

latim, nunc confeſtim emiſſis flatibus diſparere minuive ſolet.

Cauſæ. *Proxima* ergo Inflationis Uteri, & hinc ipſius Abdominis *cauſa* non eſt niſi Aëris flatuoſi collectio in ipſius Matricis cavitate aut tunicarum poris. Ingreditur autem flatus Uterum rarò ab intus, dum Spiritus animales nimium ipſam ſubſtantiam Uteri, nactâ qualicunque irritatione, irrigantes per poros hos illoſve vel hiantes, vel vi quadam apertos in Cavitatem irruunt, ſuaq; elaſticitate paulatim magis collecti Matricem diſtendunt. Frequentius autem ab extra talis aër Uterum ſubingreditur, quando Fœminæ ſive in Puerperio fluentibus Lochiis, ſive extra illud manantibus nimis Menſibus, aut ex uſu Balnei, liberiori ſtatim Aëri, diductis forſan cruribus, ſeſe exponunt, unde aër per laxam, conniventemque Uteri cervicem penetrare queat. Hoc ſi contingat Parturientibus poſt enixum modò Fœtum cum ſuâ Secundinâ, aut poſtea quoque, tum Lochiorum fluxum cohibere plerunque ſolet, indeque Febrim interdum malignam accendere.

Prognoſis. Flatus ergo tales minimè contemnendum Morbum producunt; etiam extra Puerperium, ſi diu, per plures menſes, annoſve ſubſiſtant, paulatimque nimis diſtendant, tandem vel hecticam Febrim, vel preſſis Vaſis inguinalibus pedum Tumorem, aut Tympanitem, Gangrænam denique membranarum Uteri lethalem inducere poſſunt.

Curatio. In *Curatione* intus extusque *carminativa* proſunt Remedia. Quòd ſi primæ hinc viæ cruditatibus ſcateant; ſi liquor ſtomachicus juſto acidior, flatibusque generandis aptior fuerit; *evacuans* ante omnia *remedium* dabitur, quod ſimul carminativum ſit; v. g.

℞. *Syrup. de Cich. cum Rhab.*
Flor. Perſic. ana ℥j.
Confect. Hamech. ʒiß.
Aqu. Fœnicul. ℥j.
Cinamom. ʒij.
Mercur. dulc. opt. ℈j.
Miſc. d. ad Vitr. pro doſi mane hauriendâ.

Vel ℞. *Syrup. Roſ. ſol. Compoſ. cum Rh. Ag. & Sen.* ℥ij.
Aqu. Meliſſ.
Aniſ. ana ℥ß.
Elect. è Succ. Roſ. ʒiß.
Mercur. dulc. opt. ℈j.
M. f. Potio d. ad Vitr. pro doſi.

Vel ℞. *Magneſ. alb. opt. par.* ʒvij.
Ol. ſtill. Carv. ℈ß.
Scammon. ♀*r. gr.* vj.
M. f. Pulv. ſubt. div. in 6. doſ. æqu. ad ch. Quotidie mane capiatur doſis cum hauſtu tenuis admodum Emulſionis Amygdalar. dulcium recenter factæ.

Vel ℞. *Spirit. Aniſ.* ʒj.
Theriac. camph. ℈ß.
Magiſt. Jalapp. gr. viij.
Solutis leni igne adde
Julepi roſac.
Syrup. Capill. ♀*r. ana* ʒiß.
Aqu. Cinam. cum vin. ʒj.
M. f. Potiuncula d. ad Vitr. pro doſi.

Si Æger formidet vel planè reſpuat & faſtidiat medicamen purgans, tunc *Clyſma* unum alterumve injiciatur

ciatur ex *Decocto Herb.* 5. *emollient.* cum *Anetho*, *Pulegio*, *Meliſſ. Tanac. Chamomill. Seminibusq́; carminativ.* poſt colaturam addendo *Electuarium de Bacc. Laur. cathol. de Hier. picr. Logad.* vel *Lenitiv.* cum *Oleo Chamomill. Anethi* aut *Rutæ*. Deinceps intus mane ac veſperi *guttæ* 20. pluresve *Spiritûs Salis armon. fœnic.* vel *Salis volat. oleoſ. Sylv. Eſſentiæ Galang. carminat. W. Zedoar. Cortic. Aurant. Angelic.* cum *Aqu. Anethi*, *Chamom. Fœniculi* dari debent. Vel decem pluresve guttulæ *Olei deſtillati Carvi*, *Cumini*, *Aniſi*, *Fœniculi*, *Chamomill. Cherefolii*, *Abſynth. Anethi*, *Macis* aut *Menthæ* in *Juſculo* vel *Vino generoſo* exhibeantur. Prodeſt etiam *Tragema ſtomachico-carminativum*, quod acidum ſimul abſorbere queat; v. g.

℞. *Specier. diagalang.*
Imperat.
diatr. piper. ana ʒj.
Ocul. ♋. *ppt.*
Corall. rubr. ppt. ana ʒiij.
Salis Abſynth. ʒj.
Sacch. alb. ℥iiij.
Semin. Fœnicul. ʒiiß.
M. f. Pulv. ſubtil. d. ad ſcatul. Doſis ʒj. *vel* ʒij. *quotidie ſemel aut bis.*

Externè totum Hypogaſtrium *Oleo Anethi*, *Chamomillæ*, *Rutæ*, *Menth.* ac *Oleo deſtill. Carvi*, *Fœniculi*, *Baccarum Lauri*, *Junip.* quotidie bis inungatur; dein *Sacculus* quoque *Seminibus Carvi*, *Fœniculi*, *Aniſi*, *Cumini*, *Dauci*, *Aneth. Angelic. Lentium*, *Avenæ*, *Herbis* item *Matricariæ*, *Menth. Aneth. Abſynth. Chamomill. Ocymi*, *Origan. Tanacet. Pulegii* &c. repletus, interpaſſatus & calefactus Abdomini ſæpius calidiſſimè applicetur. Vel idem *Sacculus*, ſi ſiccè nullam præſtet operationem, *Vino albo* incoquatur, & hinc expreſſus calidiſſimè imponatur. Quibus nihil efficientibus ad *Peſſaria* è *Melle*, *Antimonio crudo*, *Radic. Alth. pulveriſatâ*, *Semine Aniſi*, *Zibetho* &c. invicem mixtis confecta, Vaginæque intrudenda, eſt progrediendum. *Suffitum* quoque ex accenſo *pulvere Nucis moſchatæ*, *Scoriarum Reguli Antimonii*, *Fol. Sabinæ*, *Perſicariæ*, *Semin. Carvi Fœnic. Baccarum Juniperi*, & ſimilium commendant, vaginâ Uteri ſæpius excipiendum. Melius forſan operabitur, ſi *Radices Malvæ*, *Conſolidæ*, *Angelicæ*, *Cichorii*, *Herbæ Meliſſ. Matricariæ*, *Pulegii*, *Artemiſiæ*, *Anethi*, *Marrubii albi*, *Flores Calendulæ*, *Croci*, *Baccæ Lauri*, *Semina carminativa*, *Scoriæ Reguli antimonii*, & ſimilia *Aquæ* incoquantur, vaporque è decocto exhalans Pudendis calidè excipiatur. Nec minus proderit *Balneum Aquæ dulcis*, cui *Plantæ emoll.* & *carminat.* ſint incoctæ.

MATRICIS LOCHIORUM SUPPRESSIO, vel RETENTIO eſt ſanguinis è vaſis uterinis Puerperarum, poſt excuſſum Fœtum atque Secundinas hiantibus, jugiter aliâs fluere conſueti ſubſiſtentia, nunc ſubitò, nunc paulatim à ſuis cauſis producta. *Matricis Lochiorum ſuppreſſio.* Etenim Secundinæ Fœtûs, quæ toto imprægnationis tempore ſuis vaſculis per anaſtomoſin quandam ſanguiferis Uteri vaſis junctæ *Cauſa Lochiorum.*

 existunt,

exiſtunt, ſi poſt partum ab Uteri ſubſtantiâ ſeparantur, non poſſunt nō vaſa Matricis poſt ſe relinquere aperta, ac in cavitatem illius hiantia, unde, qui in illis continetur ſanguis plus minus copioſus, paulatim effluit, aut exprimitur, dum per conſtrictionē fibrarum Uteri, ab onere Fœtûs expandentis liberati, vaſa dicta, ſanguine prius valdè turgida & diſtenta, fortiter comprimuntur. Sanguis ille effluens *Lochiorū* nomine venire conſuevit, & nunc copioſior, nunc parcior excernitur, prout majorem ejus, minoremve quantitatem Venæ Matricis continuerunt, hæ enim per tempus geſtationis Fœtûs ab admiſſo ſenſim tardiusque circulante ſanguine adeo replentur & expanduntur, ut decuplo circiter ampliores evadant. Sanguis idem copioſè profluit ſubinde ante Partum, debileſque reddit Parturientes, quando videlicet Secundinæ prius ab Uteri ſubſtantiâ ſecedunt, quàm partum eniti Fœminæ potuerunt, in hoc enim caſu Vaſa Uteri amplioribus foraminibus hiant, dum propter Uteri continuam expanſionem conſtringi nequeunt. Quando igitur ante extruſum Fœtum ſanguis adeo copioſè effunditur, tum Lochia poſt ipſum Partum exiguè & parcè fluunt. Si verò ante partum Secundinæ non ſeparatæ fuerint, vaſaque Uteri multum ſanguinis continuerint, tum Lochia poſtmodum copioſè fluent, ſi parum ſanguinis continuerint, parciora manabunt. Naturaliter autem Fluxus Lochiorum per 15. 20, aut etiam, licet rarius, triginta dies durat; in principio quidem nonnihil copioſius, dein verò parcius procedens. Blandè proin fluentibus Puerperæ benè habent; ſubſiſtentibus verò atque ſuppreſſis ægrotare incipiunt, inque Febrim utplurimum ephemeram vel continuam, ſubinde malignam incidunt, cum horripilationibus, æſtu caloreve corporis præternaturali, vigiliis, anxietatibus hyſtericis, cephalalgiâ, ſiti, dyſorexiâ, laſſitudine, aliiſque ſymptomatibus, plus minus vehementer affligentem, ſicubi Sanguis vel in Uteri cavitate collectus, vel intra ejusdem vaſa adhuc cumulatus, in grumos fuerit concretus, hincque putruerit, atque putridam acrimoniam ſuam cum ſanguine circulante communicaverit.

Duratio Lochiorū natura lis.

Cauſa ſuppreſſionis Lochiorum.

Quæ autem naturalem Lochiorum fluxum, cum Puerperarum ſalute contingentem, inhibent ac ſupprimunt *cauſæ*, variæ exiſtunt. Producit hoc certè aër frigidiuſculus per incuriam ad pudenda quomodocunque admiſſus: producunt aliæ res actu frigidæ, quas fortè Mulier tangit: producunt cœtera omnia, quæ inſenſibilem tranſpirationem inhibendo occaſionem dant rigoribus febrilibus, à quibus ſimul fibræ uterinæ, vaſaque adeo ipſa Lochiis manantia conſtringuntur: producunt gelidi hauſtus, & potus acidi Vini, Julepoſrum, nec non Cibi viſcidi & acidi, indeque enaſcens ſanguinis lentor & ſpiſſitudo: producunt particulæ ſanguinis auſtero-acidæ, vaſcula uterina corrugantes, tantoque id magis, quando vel Terror aliquis ſubitaneus, vel

Ira ſuppreſſa & clandeſtina, vel Triſtitia quoque profunda intervenerit; producunt denique pedum calentium ſubitaneæ refrigerationes.

gno- & atio. Quando igitur ex ejusmodi ſuppreſſione pejora mala, inprimis autem Uteri Inflammatio, Gangræna, Sphacelus, aut Febres malignæ funeſtæ gigni poſſe ſæpius obſervatum fuit, haud immeritò omnis ſtatim à Medico cura eo impenditur, ut naturalis ille Fluxus denuo provocetur, atque imminentia hinc mala præcaveantur. Itaque ſi Alvus forſitan ſimul ſegnis vel conſtipata fuerit, ſequens *Clyſma emolliens*, *detergens* atque *uterinum* ante omnia infundetur:

℞. *Radic. Bryon.*
Lil. alb. ana ʒiij.
Dictamn. alb. ʒij.
Herb. Marrub. alb.
Mercurial.
Malv. ana Miß.
Artemiſ. Mj.
Puleg.
Flor. Calendul. ana Mß.
Bacc. Laur. ℥ß.
Semin. Dauc. ʒiß.
Inciſ. & contuſ. coqu. in ſ. q.
Juſculi carnium. Colatur. ℔j.
adde *Mellis mercurial.*
Olei Olivar. ana ℥iß.
M. f. Clyſter ſtatim injiciendus tepidè.

Poſt hujus operationem ſi nonnihil *plethorica* fuerit Puerpera, aut etiam prius non multum ſanguinis in Partu amiſit, *Venæſectio* quoque inſtitui poteſt, & ſanguis ad 5. vel 6. uncias extrahi. Deinceps intus quidem dabuntur *remedia attenuantia*, *blandè reſolventia*, & *aperientia*: quem in finem hactenus profuit in noſtra praxi ſequens *Mixtura*; v. gr.

℞. *Aqu. Lil. alb.*
Scabioſ. ana ℥iß.
Syrup. aperit. Mind. ℥ß.
Tinct. Caſtor. cum Spirit. Sal. arm. par. ʒß.
Eſſent. Croc. ℈j.
♁n. diaph. ʒß.
Borac. venet. ℈j.
M. d. ad Vitr. Exhibeatur per cochlearia.

Vel ℞. *Aqu. Card. bened.*
Scorzoner.
Artemiſ. ana ℥j.
Syrup. Rub. id.
Capill. ♀r. ana ʒiij.
Confect. Alk. inc. ℈ij.
Spirit. Sal. arm. urinoſ. ℈iß.
Eſſent. Croc. ℈j.
Diaph. ♂ial. vel
♃vial. ʒß.
Caſſiæ ligneæ veræ pulveriſ. ſubtil. ℈ß.
M. d. ad Vitr. ac ſingulis trihoriis duo cochlearia exhibeantur.

Prodeſt ſimul cum ejusmodi Mixtura *Pulvis* ſequens:

℞. *♁n. diaphor.*
Ebor. ppt. ana ℈j.
Diaph. ♃vial.
Borac. venet. ana gr. xv.
Cinnab. ♁n. opt.
Croc. oriental. ana ℈ß.
Sacch. alb. ʒiß.
M. f. Pulv. ſubt. de quo mane ac veſperi, quantum cuſpis cultri capit exhibeatur cum Juſculo.

Vel ℞. *Putamin. Avellan. pulveriſ.*
Diaph. ♂ *ial.*
Ocul. ♋. *ppt.*
Borac. venet. ana ℈ß.
Croc. oriental. gr. viij.
Trochiſc. de Myrrh. ʒj.

M. f. Pulv. ſubt. in 4. doſ. æqu. divid. ad ch. quæ ſpacio duodecim vel 15. horarum cum Juſculo exhibebuntur.

Vel de Liquore ſequ. aut ſimili ſumatur guttatim:

℞. *Elixir. propr. Claud.* ʒij.
Salis vol. oleoſ. ʒj.
Eſſent. Artemiſ. ℈ij.

M. d. ad Vitr. & ſumantur hinc ter quotidie 30. guttæ cum Aqu. Marrub. vel Artemiſ.

Vel ℞. *Elixir. propr. ſin. acid.* ʒiiß.
Tinct. Caſt. cum Spir. Sal. arm. par. ʒj.
Eſſent. Lign. Aloës. ʒß.

M. d. ad Vitr. Uſurpetur ut ſupra.

Si magna Febris abſit, aliquid *Vini* boni *Aquâ* diluti in potu concedi poteſt. *Vino* Mulierculæ interdum immergunt *Sacculum* ſive *Nodulum* ſeqq. indequè bibunt:

℞. *Herb. Artemiſ.*
Marrub. alb. ana Mß.
Radic. Galang. vel
Cyperi longi.
Croc. oriental. ana ℈ij.
Bacc. Lauri ʒiß.

Inciſ. & contuſ. inſuantur Nodulo, qui Menſuræ dimidiæ Vini immittatur.

Si autem Febris adfuerit, tunc *antifebriles Mixturæ & Pulveres* ſuperiores maximè proſunt.

Extus rarò medicamina adhibentur; proderunt tamen, ſi Puerperæ velint admittere, Vapores ex *Decocto Roſarum*, *Artemiſ. Marrub. Betonic. Malv. Scabioſ. Branc. urſin. Radic. Bryon. Gran. Cherm. Flor. Calendul. Scoriarum* ♃ *nii* in Aquâ facto exhalantes, & Vaginâ matricis excepti.

MATRICIS LOCHIORVM FLVXVS NIMIVS eſt Hæmorrhagia uterina Puerperis contingens ob vaſa Uteri nimium aperta & hiantia, fortè & diſruptas inibi arteriolas. *Lochiorum fluxus nimius.*

Non infrequens eſt hic Fluxus, & plerunque iis evenit Mulierculis, quæ ſanguinem & copioſum habent, & ſalſo-acrem, admodumque fluidum. *Subjectum.* In his enim, dum Uteri ſubſtantia per avulſam Secundinam Fœtûs, forſitan aliquantum fortius adnatam, quaſi vulneratur, dilaceraturque, non poteſt non ſanguis fluidior & acrior copioſè è vaſis in cavitatem Matricis hiantibus profluere, ac ita nimium Lochiorum fluxum excitare. *Cauſa.* Contribuit tamen ad hunc quoque Potus Vini, inprimis rubicundi, alacrior, nonnullis Fœminis haud adeo adverſus, unde ſanguis ad æſtum provocatus magis adhuc illa Uteri hiantia Vaſa expandit, & aperit. Contribuit & Ira fortior, ſanguineam maſſam ſimiliter exæſtuans ac perturbans. Si Fœminæ cibis indulgeant ſalſis aut aromaticis, ſi ante partum Mixturas fortè ſale volatili, vel aromaticis liquoribus nimium turgentes, ſi Vinum denique confortationis gratiâ nimiopere hauſerint, Lochia tunc etiam magis fluentia adipiſcuntur. Faciunt id quoque remedia iiſdem exhibita,

exhibita, quæ Fœtum aut Secundinas fortibus nimis conatibus expellunt, inque tantis parturiendi nixibus vaſa quoque uterina gravius dilacerant, ac diſrumpunt.

Progno ſ.

Fluxus hic ſi perſiſtat diutius, tunc omnem ſanguinis florem balſamicum adimit, atque Puerperas hinc cachecticas reddit. Vidimus etiam, quæ ſub tali Fluxu, nullis in uſum vocatis remediis ſedabili, prorſus interierunt, ſpiritibus ſcilicet paulatim exhauſtis, atque eapropter deſtructis motionibus Cordis Pulmonisque vitalibus. Obſervavimus tamen etiam alias, dum omnis effluxiſſe ſanguis credebatur, profunda in animi deliquia prolapſas eſſe, & nihilominus ad ſe ceſſante fluxu rediiſſe, ſanitatique poſtliminio integræ reſtitutas fuiſſe.

uratio.

Siſti Fluxus hic debet cum circumſpectione, fortiora enim adſtringentia facilè Inflammationem aut planè Gangrænam Utero accerſunt, mitiora verò nihil operantur. Medio itaque tutiſſimus ibis. Quamobrem ſequentem huic Malo medendi methodum optimam atq; ſecuriſſimam notavimus; in quâ *Ligaturas* ſtatim artubus vel digitis quoque injicimus *fortes*, ſubinde eas laxando, iterumque ſtringendo. *Lintea Aceto immerſa* frigidiusculè Lumbis & Hypogaſtrio applicamus, *Armenate Bolo, Cretâ rubrâ*, atque *Ovi albumine* ſimul permixtis. Lumborum & Uteri regio etiam *Unguento Comitiſſæ* bis quotidie inungitur. Intus verò ſeqq. *Mixturam* cochleatim hauriendam præſcribere conſuevimus; v. gr.

℞. *Aqu. Burſ. paſtor.*
Polygon.
Borrag. ana ℥j.
Syrup. Cydon. ℥ß.
Corallor. ʒij.
Confect. Hyac. incompl. ℈ij.
Unicorn. foſſil.
Lapid. Hæmat. ppt. ana ʒß.
Eſſent. Opii liquid. gutt. vj. *vel* viij.
M. d. ad Vitr.

Vel ℞. *Aqu. Plantag.*
Urtic. ana ℥j.
Flor. Papav. rhead.
Rub. id. ana ʒvj.
Syrup. Flor. Tunic.
de Roſ. ſicc. ana ℥ß.
Confect. Alk. inc. ℈ij.
Corall. rubr. ppt.
Matr. Perl. ppt. ana ʒß.
M. d. ad Vitr.

Si quæ Fœmina malit *Electuarii* formam, ei ſequentem aliquam concedimus:

℞. *Conſerv. Fl. Tunic.* ʒvj.
Fol. Myrt.
Plantag. ana ℥ß.
Roob Cydon. ʒiij.
Bacc. Cynosb. cond. ʒij.
Lapid. Hæm. ppt.
Unic. foſſ. ana ℈ij.
Sangu. Drac. ver. ʒß.
Sem. Plantag. ℈j.
Syrup. myrtin. q. ſ.
M. f. Elect. d. ad Ollam, ſingulis trihoriis cuſpis cultri ſumatur.

Vel ℞. *Roob Cydon.* ℥ß.
Rad. Symph. cond. ʒiij.
Conſ. Hyac. inc. ʒj.
Bol. Arm. ppt. ℈iiij.

Terr. ſigillat. ℥j.
Semin. Urtic ʒß.
Eſſent. Catech. ℈j.
Syrup de Roſ ſicc. q. ſ.

F. Mixtur. ad Formam Opiatæ, d. ad Pyxid. Uſurpetur ut præcedens.

Vel ℞. *C. C. uſt. ppt.*
Lap. Hæm. ppt.
Unic. foſſil.
Corall. rubr. ppt.
Sangu. Drac. ver.
Terr. ſigill. ana ʒß.

M. f. Pulv. ſubtil. divid. in 6. doſ æqu. ad ch. Man. ac veſp. doſis ſumatur cum Aqu. Burſ. Paſtor.

Pro potu ordinario Decoctum *Radic. Tormentill.* vel *Biſtort.* cum *Hord. integro* concedimus: vel *Decoctum C. C. uſti* cum *Hordeo* & *Bolo Armenate*: vel *Aquam*, in quâ *Chalybs ignitus* vel *cruſta Panis benè toſta* extincta fuit. Vel paratas cum hisce decoctis *Emulſiones Amygdalarum dulcium.* Cibi loco nil dedimus niſi Juſcula farinacea atque hordeacea. Reliqua vide ſub titulo de Hæmorrhagiâ Uteri.

Mola Uteri. MATRICIS MOLA eſt maſſa quædam informis nunc carneo-fibroſa, nunc etiam aquoſa & ſacci formis in Uteri cavitate ex Ovulo fœcundo poſt conceptum minus perfectè formato, aut aliâs corrupto enata, hincque ſenſim in majorem, arrepto ex Uteri, cui adhæreſcit, vaſis nutrimento, molem aucta, ac ita malè figurata, ut ad nullam Animalis viventis mortuive ſpeciem certam referri queat. Diſtinguimus ergo *Molam* rectè in *carneam* & *aquoſam*. *Differentia.*

Diagnoſis. Nec rarus eſt hic Affectus, utut ſubinde cognitu difficilis: etenim aliquando per ſe ſine præſente ſimul Fœtu naſcitur; aliquando unâ cum Fœtu gignitur, multumque tandem laboris in Partu ſequente faceſſit. Novimus Fœminam quæ anno ætatis vigeſimo ſexto quintum jamjam Fœtum peperit vivum vegetumque, cum quatuor autem præcedentibus in partu ſimul Molam excrevit non ſine cruciatibus, atque ſubſequentibus animi Deliquiis. Utrum autem in Virginibus quoque Molæ generari poſſint, quod quidem nonnulli ſibi firmiter imaginantur, haud facilè dixerimus, nec certè hactenus ſatis firmis rationibus ad fidem huic ſententiæ adhibendam adduci potuimus. Hoc verò tenendum, Molæ una cum Fœtu creſcentis indicia nulla dari certa. Quomodo autem Molæ ſolius conceptio & generatio, à verâ Fœtûs conceptione dignoſci queat, hoc opus hic labor: etenim eadem ferè ſemper, aut pluries ſaltem utrobique ſigna occurrunt; nimirum in Molâ plerunque, ſicût in vero conceptu, ceſſat Fluxus Menſium, appetitus imminuitur vel depravatur, nauſea, vomitionesque ſequuntur, Mammæ intumeſcunt, ac nonnihil tenſæ ac duræ evadunt. Poſt quartum vel quintum menſem hujus falſi Conceptûs fibræ uterinæ ad excretionem ſtimulantur, & cùm natura tum Molam, procul dubio fortiùs Uteri ſubſtantiæ adhærentem excutere nequit, cervice

cervice ſimul ejus nimis ſtrictâ, anguſtâ, minimeque laxâ exiſtente, tum creſcit paulatim Mola, indeque venter etiam intumeſcit; atque hoc tempore felicius demum eadem à vero Conceptu diſcerni poteſt; quoniam 1. in Molâ nullum è Mammis intumeſcentibus Lac emulgeri poteſt, quemadmodum in vero Conceptu. 2. Nullus ſub Molæ præſentiâ motus blandus in Utero percipitur, quemadmodum à vivente Fœtu contingit. 3. Verus Conceptus minus ponderis habet, quàm Mola, quæ inſtar lapidis gravis ex uno latere Hypogaſtrii in aliud delabi ſolet. 4 Symptomata v. g. Nauſea, Vomitiones, Anorexia &c. in vero Conceptu plerunque graviora ſunt quàm in Molâ; ac Fœminæ in Molâ naturalem penè faciei floridumque colorem retinent, quem tamen in vero Conceptu utplurimum omittunt. 5. In vero iterum Conceptu gravidæ Fœminæ nonnihil decreſcunt & macilentæ evadunt, in Molâ autem tale quid vel planè non contingit, vel rariſſimè. Mola porrò ab *Hydrope* diſtinguitur per pallorem totius corporis, urinæ emiſſæ paucitatem, Abdominis tumorem molliorem, pedum quoque intumeſcentiam, artuum ſuperiorum tabem, quæ in Hydrope quidem obſervantur, ſed in Molâ minimè.

ifferen-a.

Mola qualiſcunque in Utero exiſtens vel *minor* eſt & *exigua*, vel *grandior*, quæ paulatim adquiſito ex Uteri vaſis uberiore alimento increvit, ac modò hanc, modò illam figuram impetravit; ſubſtantiâ verò nunc membranoſâ, ſaccum liquore repletum formante, nunc fibroſo-carneâ gaudet, omnique vitâ caret, ſaltem animali, quoniam ſtructuram partium organicam ad animalem vitam reddendam non habet. Subinde una ſolùm Mola, ſubinde plures ſimul in Utero hærent.

Geneſis Molarũ.

Quod attinet *generationem* Molarum, arbitramur illas plerunq; ſi non ſemper ex ovulis in conceptu quidem fœcundatis, ſed dein corruptis gigni, & impetrato qualicunq; nutrimento ex Uteri ſubſtantiâ, cui non minus, quàm vera ovula fœcundata adhæreſcunt, in maſſas informes, nullaque animalia referentes, vel in Hydatides ſive Molas aquoſas excreſcere. Credibile autem eſt, membranam Ovi Amnion fortè dilacerari, hincque ex Chorio nutritium liquorem affatim undiquaque in Colliquamentum Ovi irruere, unde tales invicem confuſi humores perfectam Fœtûs formationem impediunt, ſicque paulatim coagulati invicem maſſam exhibent carneam informem, inconditam atque fibroſam, & ita à Sanguine congrumato, qui aliquando etiam è Puerperarum, vel aliarum Fœminarum, Hæmorrhagiâ Uteri laborantium, pudendis egredi ſolet, maximè differentem; ſed quæ diverſæ quoque magnitudinis atque figuræ poſtliminio evadere poteſt. Quando autem duo plurave ovula ita læſa, corruptave ſimul in Uterum perveniunt, tunc in totidem quoque Molas excreſcunt. Quod ſi porrò ejusmodi Ovula per congreſſum venereum à ſemine virili

debiliori

debiliori tantillum fœcundata fuerint, non autem perfectè, tunc itidem naſcuntur Fœtuum loco moles carneæ, quæ ſubinde vitam animalem quoque, ſed exiguam illam obtinent, ac præterea formam à perfecto Fœtu adeo abludentem, ut neſcias, cuinam Animanti aſſimilare velis. Denique & imaginatio aliquam partem habet in ejusmodi monſtroſâ Molâ producendâ. An Ovula ſubventanea ab Ovariis ſecernantur facilè, & in nimis frequenti ſalacique admodum coitu per fibras ovarii rigidiores factas expreſſa in Uteri cavitate, etiam aurâ maſculini ſeminis parum vel nihil turgida decidant, inibique in Molas concreſcant, dubii certè hæremus adhuc. Si verò tale quid per Uterum prodiiſſe notatum eſt à *Mauriceau* & aliis, illud certè *Molæ* nomine indignum cenſemus. Etenim hiſtoriæ dantur Ovulorum talium ſubventaneorum à Virginibus quoque aut Viduis ſalacioribus excretorum, antequam in Molas converſa fuerint. Quod ſi poſt Hæmorrhagiam Uteri quoad ſuam ſubſtantiam lacerati, nutricius ſuccus magis affluat, atque extremas laceratas fibrillas, hinc inde copioſius irriget, poterit & ſic paulatim *carnea* exinde *Moles*, vel *Excreſcentia* oboriri, tandemque ab Utero, ſed longè difficilius ſecerni & in lucem prodire. Hinc nobis perſuaſi ferè ſumus, tales *Excreſcentias* Molarum nomine venire haud poſſe, ac etiam ab Utero per ſe minimè ſecerni. Obſervationem egregiam talium excreſcentiarum videre licet in *Parergis Anatomicis* Joh. Conrad. Peyeri, *Medici Scaphuſienſis Celeberrimi*. Hoc denique non prætereundum, fibroſo-carnoſas Molas tum maximè gigni, quando jam ſtamina partium fibroſa, ab affluente jugiter ſucco materni ſanguinis nutritio, aliqualem formationem inchoârunt, partiumque rudimenta ſive fingi, ſive explicari jam cœperunt.

Quando autem in principio ſtatim Ovuli colliquamentum fluidius & aquoſius extitit, vel aquoſum nutrimentum quoque per tubulos membranarum paulatim magis affluxit, cumque illo colliquamento confuſum fuit; vel quando etiam ſimul poſt conceptionem Fœmina nimiis corporis motibus & exercitiis indulſit, ita ut concepti hinc Ovi colliquamentum turbatum, ſtaminaque Fœtûs à validâ concuſſione confuſa fuerint, ſimiliter carnea Mola loco vivacis Fœtûs progignitur. Tandem ſi poſt primum vel ſecundum ingravidationis menſem à vehementi corporis exercitio, vel à validâ quadam imaginatione per expreſſionem, vel aliis cauſis turbata fuerit Fœtûs jam formati augmentatio, poſtquam animales ſpiritus jam diſtribui cœperunt, tunc informis quidem maſſa, Molave generatur, ſed quæ motum tamen nunc ordinatum quendam, nunc palpitantem tantùm habeat, ac fortè unum alterumve membrum utcunque probè formatum, reliqua verò informia obtineat.

Prognoſis Molæ diverſa eſt; non ſemper profectò illa tuta venit exiſtimanda; *Prognoſis.*

manda; quin Practici plerique eandem ferè ſemper periculoſam faciunt, inprimis ſi magna evaſerit, ſi diutius retenta, ſi fortius adnata, ſi denique vitâ & nutritione privata corrumpi ac putrefieri inceperit, ſicque vel Febrim malignam vel Uteri Inflammationem, Gangrænam, Sphacelum ac Putredinem, vel alia ſymptomata maligniora excitaverit. Quod ſi irritato poſt aliquot geſtationis menſes Utero Fœminæ parturiendi atq; enitendi conatus adipiſcantur, excutitur tandem Mola, ſed rarò ſponte ac ſine remediorum adminiculo: dumque prodit, id certè non niſi cum acerbis Uteri doloribus contingit, unde Fœminæ in Lipothymias ſæpè incidunt, quandoque funeſtas illas, cùm Hæmorrhagia inprimis ſimul gravis acceſſerit. Subſequitur etiam violentam illam Molæ ab Utero avulſionem non rarò Inflammatio, Gangræna, vel Exulceratio. Imò degenerat quandoque in Hydropem Aſcitem, eumque cum comitante Febri hecticâ lethalem. Nonnunquam verò exigua manet Mola atq; in Scirrhum convertitur, Fœminæ ad mortem usque plus minus moleſtum, ejus tamen novas impræegnationes non ſemper impedientem. Quod ſi in Fruſta dividatur Mola, & hinc per vices, & temporis longiora intervalla excernatur, minus periculi habet, quàm ſi integra ſimul & ſemel, præprimis grandior cum ſubſtantiæ Uteri dilaceratione, & multorum vaſorum aperturâ expellatur. Mola Fœtui juncta plerunque vel Gravidas ad Abortum compellit, vel Fœtui portionem nutrimenti abripit, illumque etiam ſæpè non macilentum ſolùm reddit, ſed prorſus quoque necat: ſi verò neutrum hoc præſtare valeat, Partum nihilominus ſuo tempore laborioſiorem atque difficiliorem producit.

Molæ aquoſæ verò minus periculi habent, dum ruptis Ovulorum ejusmodi aquoſorum involucris aqua confertim effluit, ſine magno Fœminarum incommodo. Novimus Fœminam quadraginta & plures annos natam, fœcundam ſatis, duodecim liberorum matrem, quæ tandem non niſi Ovula ejusmodi aquoſa concepit, in quibus intra Uterum receptis ultra menſuram aquæ vel ſeri aquoſi collegit, quod poſtea ruptis involucris copioſiſſimè ex Utero profluxit, cum ſubſequentibus involucrorum membranaceorum fruſtis. Atque hæc Fœmina intra biennii ſpacium quinquies tale phænomenon perpeſſa eſt, citra gravia ſymptomata, imò cum levamine potius, & tumentis antea valdè, aliasque obeſi Abdominis detumeſcentiâ. Quod ſi verò carnoſæ Molæ Hydrops Uteri verus jungatur, tum hoc ipſum adhuc magis periculoſum & lethale erit. *Prognoſis.*

Quando igitur Molæ rarò admodum ſuâ ſponte egrediuntur, atque potius expellendæ veniunt medicis auxiliis, in *Curatione* ſtatim probè explorandum, an Mola adſit ſola, vel Fœtui viventi conjuncta, id quod ante quintum menſem, quo Infantis à Prægnante motus percipi ſolet, dignoſci nequit; imò ſubinde exſpectandum, *Curatio.*

ctandum, usque dum nonus vel decimus exiſtimatæ impraegnationis præterierit menſis. Si enim Fœtus ſimul vivus adfuerit, Molæ expulſio tentari nequit. Methodus autem curandi Molas absq; Fœtu præſentes ſequens cum felici ſucceſſu nobis hucusque conſueta fuit: ante omnia per ſex vel octo dies *Semicupio* vel *Balneo* Fœminas immittimus, cui *Plantæ emollientes* cum *Artemiſiâ*, *Marrubio*, *Salviâ*, *Origano*, *Pulegio*, *Matricariâ*, *Sabinâ*, *Perſicariâ* &c. fuerint incoctæ. Imò quotidie ſimul *Clysmata* ex ſimilibus parata, additis etiam *Foliis Sennæ*, vel *Colocynthidis ad* ʒij. *in petiâ ligatis*, tepidè infundi curamus, ut fibræ ſic uterinæ non ſolùm emolliantur undique, ſed & ad contractionem ſui ſtimulentur. His præmiſſis ſuademus *Venæſectionem*, cum extractione unciarum octo vel novem ſanguinis adminiſtrandam. Biduo poſt Venam ſectam Vomitorium potens exhibemus, v. gr.

℞. *Syrup. emet. Ang. Sal.* ℥ß.
Aqu. Artemiſ.
Lil. albor.
Cinam. ana ʒiß.
M. d. ad Vitr. pro doſi matutinâ.

Vel ℞. *Crem.* ♀*ri* ℈ß.
Salis Centaur. min. gr. vj.
Caſſiæ ligneæ veræ.
♀*ri emet. ana gr.* ij.
M. f. Pulv. ſubt. d. ad ch. pro doſi.

Vel ℞. *Crem.* ♀*ri gr.* xij.
Salis polychr. gr. iij.
Mercur. Vitæ correct. gr. iij. *vel* iv.
Ol. ſtill. Cinam. gutt. j.
Sacchar. ℈ß.
M. f. Pulv. ſubtil. d. ad ch. pro doſi matutin.

Poſtmodum *internè* præſcribenda veniunt *Emmenagoga*, *Fœtum mortuum* atque *Secundinas expellentia*: v. gr.

℞. *Secundinarum humanarum paulatinâ ſuper lenem ignem exiccatione torrefactarum ac ſubtiliter pulveriſ.* ʒij.
Caſſiæ lign. veræ gr. vj.
M. f. Pulv. in 3. *doſ. æqu. m. ac veſperi cum Juſculo dandas, dividendus.*

Vel ℞. *Putaminum Avellan. ppt.*
Borac. venet.
Priapi cervin. vel caballin. ppt. ana ℈ij.
M. f. Pulv. ſubt. in 4. *part. æqu. divid. & m. ac veſp. dand.*

Vel ℞. *Cinamom. elect.*
Croc. oriental. ver.
Borac. venet. ana ℈ij.
Caſſiæ lign. ver.
Pulv. fol. Sabin. ana ʒß.
Sacch. alb. ʒj.
M. f. Pulv. ſubt. in 6. *doſ. æqu. divid. ad ch. m. ac veſper. ſumend.*

Vel ℞. *Aqu. Pulegii.*
Lil. albor.
Artemiſ.
Sabinæ ana ℥j.
Syrup. de Beton. ʒvj.
Spirit. Secundin. human. ʒj.
Tinctur. Caſtor.
Croc. ana ʒß.
Aquæ Cinamom. cum Vin. ℥ß. *vel* ʒvj.

M. d.

M. d. ad Vitr. ac ſæpius inde cochleare plenum exhibeatur.

Vel ℞. *Radic. Bryon.*
Ariſtol. rot. ver.
Pimpinell. ana ℥iij.
Herb. Marrub. alb.
Artemiſ. ana Mj.
Fol. Sabinæ ℥ß.
Senæ mund. ℥j.
Radic. Helleb. nigr. ℥ß.
Semin. Fœnic.
Borac. Venet.
Cinnam. opt. ana ℥j.

Inciſis, contuſis & in Nodulo ligatis affunde Vini rubri veteris & Aquæ ferventis ana ℔ij. Hinc ſingulis matutinis horis cyathus unciarum trium vel quatuor exhauriatur.

Externè commendantur præter ſuperiora *Balnea* etiam *Fomenta* ac *Vapores* Pudendis per Infundibulum excipiendi, ex *Decocto Herbar. Sabin. Artemiſ. Beton. Puleg. Matricar. Baccar. Laur. Junip. Semin. Naſturt. Aquileg. Dauc. Cochlear. Radic. Imperator. Angelic. Galang. Helleb. nigr. Cyper. Coſti, Sulphuris vivi, Scoriarum Reguli Antimon. in Vino vel Aquâ ſimul facto.* Imò ſi *Pulverem Scoriarum* talium prunis inſpergamus, hincque Fumum excipi pudendis curemus, citò ſæpius Molas evocat. Poterimus autem & *Pulverem Sabinæ, Artemiſiæ, Myrrhæ, Storacis, Matricariæ, Flor. Calendulæ, Summitat. Abſynth. Marrub. Seminum Cochlear.* vel *Naſturt.* ſimul *Scoriis* permiſcere. *Peſſaria* Itali, Gallique Medici commendant ex ejusmodi *pulveribus*, cum *Radice Hellebor. nigr. Rhabarb.* vel etiam *Colocynthidis* ℥j. mixtis, ac *Melle* vel *Cerâ* & *Oleo anethino* ſubactis: qualia *Peſſaria* fortiter admodum Uterinas fibras ad excretionem irritare credunt, ſi modò Fœminæ illa aliquandiu intra Vaginâ retinere queant. Alii Medici ex iisdem Plantis, quibus emollientia quoque permiſcent, in *Vino Aquâ diluto* decoctis parant *Clyſteres uterinos*, quibus aliquoties calidè infuſis ſimiliter Molas evocare contendunt.

MATRICIS VAGINÆ CAVDA eſt excreſcentia carnoſa è tunicâ Vaginæ uterinæ enata, & hinc varia incommoda pariens. Rarus eſt hic Affectus, ſubinde tamen in Fœminis obſervatus, quibus vel à vereneâ Lue, vel ab acri ſero alio è Glandulis profluente, excoriatio ſive exulceratio Vaginæ facta eſt; in quâ ſi nutritius è Sanguine arterioſo allabens ſuccus gelatinoſus paulatim cumulari, luxuriareque ſolet, tum exinde naſcitur per concretionem ejusmodi caro, quæ ſi nonnihil major reddatur ac elongetur, Tumorem producit, non ſolùm in Vaginam protenſum, ſed quandoque ſimul extra illam protuberantem; quemque hinc *Caudam* appellare Medici conſueverunt. *Matricis Vaginæ Cauda.*

Cauda hæc vel ſolo intuitu & attactu cognoſcibilis, carnoſam conſiſtentiam habet, ſatis firmam, ſolidam, non adeo duram: ſed quæ nihilominus partim Venereum congreſſum impedit, partim ipſam Urinæ excretionem non rarò difficilem reddit, partim denique *Diagnoſis.*

Menſium Fluxum ordinarium ſubſiſtere, vel imminui cogit.

Quod ſi acre aliquod ſerum, ſed viſcidum illud atque concretum in Caudâ ejusmodi deliteſcat, id quod dolor nonnunquam pungitivus citoque transiens manifeſtum reddere poteſt, tum Cancroſi quid ſubeſſe exiſtimabitur; & hinc melius erit ſuo Caudam hanc loco intactam relinquere, quàm emollientibus, diſſipantibusq; aut erodentibus remediis applicatis, ſalia illa corroſiva ad motum ciere, indeque Cancrum, indicibili dolore cruciatuque poſtliminiò affligentem, excitare. Quamobrem diligenter prius examinanda venit ejusmodi Cauda, antequam medela afferatur.

Curatio. Quod ſi autem purè carnoſa fuerit, nullisque venis liventibus interſtincta talis excreſcentia, tunc *externam* ſui *Curationem* requirit. Nihil tamen nocebit, ante omnia *mercuriale* aliquod *Purgans* exhibere, *Venamq;* ſi videbitur opus eſſe, *ſecare*, ac denique *ſudorificum* quoddam remedium ad eliciendum ſudorem largum exhibere. *Extus* verò pro rei exigentiâ, quadruplex remedium proponi poteſt, indeque illud ſeligi, quod minimam Ægræ moleſtiam creabit. Si ergo Cauda ex tenui radice, nec profundius intra Vaginam latente propullulârit, facilè ſive equinâ ſetâ, ſive funiculo ſericeo ligari, ſtringique illa adeo poterit, ut hinc ſenſim ob nutrimenti defectum mortua per ſe ac ſponte decidat. Si verò tale quid ſperari nequit, tum tentanda erit Caudæ propè radicem ſuam exuſtio, vel ejusdem exciſio, acutiſſimâ forfice præſtanda, quo facto ſtatim radici inſpergendus erit *Pulvis ſtegnoticus*, Hæmorrhagiam, inſimulque novam Caudæ generationem impediens; quam verò præcavebimus, ſi *Pulveri* dicto tantillum *Vitrioli* permiſcere non obliviſcemur. Quartus denique curandi modus eſt per *abſumtionem paulatinam* Caudæ, inſperſione *blandiorum cathæreticorum* inſtituendam, quale quid præſtat *Pulvis* compoſitus è *Calce vivâ*, *Vitriolo*, *Euphorbio*, *Radice Imperatoriæ*, *Garyophyllis aromaticis*, *Mercurio præcipitato rubro* & ſimilibus, cum *Melle* permiſcendus, applicandusque, ſed non ſine vicinarum partium munitione.

MATRICIS TENTIGO eſt Mentulæ ſive Clitoridis in nimiam molem vel longitudinem excretio, ſive intumeſcentia & erectio, quæ promiſcuè nunc cum nunc ſine Veneris appetitu Fœminas affligit. Si cum libidine exceſſivâ fuerit juncta, *Salacitatem*, vel *Oeſtrum veneris* appellare conſueverunt. *Matricis tentigo.*

Afficitur hic maximè glandiforme illud, atque firmum Corpusculum in muliebris ſinûs parte ſuperiore ſitum, atque à Nymphis, ſive rugis nymphicis duabus cuſtoditum. *Clitoridem* Anatomici plerique, *Virgam* alii quoque *muliebrem* appellârunt, illam Amoris dulcedinem, Veneris Oeſtrum, Libidinis ſedem atque irritamentum. Pars hæc pudenda ſubſtantiam habet Peni virili non abſimilem, ut ſimiliter extendi atque relaxari *Pars affecta.*

xari queat; habere quoque videtur glandem, ſeptum & corpora nervoſa, teſtibus Anatomicis; unde non mirum, ſi in Venereo congreſſu hæc pars præ aliis ſenſu delectationis afficiatur, ipſaque etiam fricatrices Fœminas omnium maximè ad libidinem veneremque excitet.

gno- Affectus hic oculari inſpectione patefit, & ſi tumor Clitoridis major fuerit, continueque promineat, ſæpius ad congreſſum ſtimulat, fortè & in coitu doloris ſubinde moleſtiam parit. Aliquando autem latere poteſt hæc Tentigo ſub Pudendorum tunicis, nec niſi venerei Oeſtri tempore aut fricatione adhibitâ ſeſe exerere. Ad digiti craſſitiem intumuiſſe Clitoridem in *Henricâ Schuriâ Tulpius* refert ſuis in *Obſervationibus*, quæ proin ſuo minus contenta Marito, cum Viduâ quadam ſæpius inſtar Maris coiverit, ſuamque libidinem exercuerit, donec tandem Virgis cæſa inque exilium miſſa fuerit. Aliquando dolor adeſt ferè continuus, ſi Clitoris ab humoribus viſcido-acribus intumuerit, vel inflammata ſit, & extra ſinum pudoris promineat; tum autem venereo Fœminæ oeſtro vix percientur.

ſa. A variis proin *cauſis* Tentiginem oriri credimus: nonnunquam ſerum viſcidum ſalinum plus minus acre in tubulos Clitoridis, ſive per Balnea, ſive per Gonorrhœam veneream ac virulentam, aut Fluorem album nimis laxatos & emollitos, copioſius influit, & partem ſenſim in tumorem attollit. Interdum Sanguis ipſe auſtero-acris in anguſtioribus glandularum clitoridearum vaſculis accumulatus & ſtagnans Inflammationem parit, eamque non prurientem & indolentem, ſed ardore, doloreque pulſante, cum rubore conjuncto, moleſtam. Non rarò quoque per frequentem coitum, atque frictionem ſive titillationem libidinoſam ſpiritus animales copioſè ad tubulos Clitoridis inflandos alliciuntur, ita ut tandem poros ejus nimis dilatando, atque laxando, non ſolùm nimio humorum affluxui, ſed eorundem quoque ibidem ſtagnationi, imò nutritii ſimul ſucci copioſiori admiſſioni occaſionem præbeant, unde vel Tumor ſcirrhoſus continuè prominens, vel certè Tumor facili occaſione ſemper recurrens producitur.

Quæ proin Tentigo recens eſt, minor, mollis, minimè dura, non niſi à titillatione crebrâ originem ducens, ea diu durare non ſolet, ſed promtè diſcutitur, modò debita ſtatim remedia in uſum vocentur. Inflammatoria quoque Tentigo feliciter diſcutitur adhibitâ rectâ medendi ratione, niſi ab acri ſale venereo provenerit. Si minor fuerit Tentigo, utcunque calami ſcriptorii craſſitie tantillum prominens, dolorem, aut moleſtiam in coitu nullam afferens, neq; creſcens ulterius, tum intacta relinquitur, utpote diſcrimen nullam portendens. Quæ autem inveterata, ſcirrhoſa, dura, magna evaſit, diſſipari remediis diſcutientibus nequit, ſed aliam extirpandi methodum requirit. Poteſt & inflammatorius Clitoridis Tumor in Abſceſſum & Ulcus, ſi non Progno-ſis.

 in

in Gangrænam ac Sphacelum mutari. Imò ſi venerea fuerit Inflammatio, in Ulcus phagedænicum ſive exedens converti multoties poteſt.

Curatio.

In *Curatione* proin ad diverſum Clitoridis intumefactæ ſtatum, diverſamque cauſam probè eſt attendendum, quoniam circumſtantiarum varietas medendi rationem immutat. Quæ itaque Tentigo ortum trahit ab inflammatione ſimplici, illa etiam ſimpliciter ſicut Inflammatio in genere curatur. Si autem Inflammatio Clitoridis ab humore acri per concubitum cum Perſonâ Morbo gallico infectâ provenerit, tunc curatio Luis venereæ inſtituenda eſt, ſimul tamen extus *Linteum Spiritu Vini camphorato ebrium* ſæpius calidè applicandum, vel *Oleum Lilior. alb. Violar. Roſar.* cum *Axungiâ hœdinâ* inungendum, vel *Albumen Ovorum* cum *Aquâ ſpermat. Ranar. Solan. Roſar. alb. Plantag. Chelidon. major. Scabioſ.* &c. *Lapid. calamin. ppt.* & *Croco* frequenter cum *Stupâ* imponendum.

à Pituitâ viſcidâ.

Quando autem Tentigo ortum duxit ab affluxu nimio & ſtagnatione humoris ſeroſo-pituitoſi, tum *intus* quidem *purgans mercuriale* aliquoties dabitur, v. gr.

℞. *Maſſ. Pilul. aloephang. gr.* xxij.
Mercur. dulc. opt. gr. xij.
Reſin. Jalapp. gr. ij.
Ol. ſtillat. Succin. q. ſ.
M. f. Pilulæ num. 12. 13. *aut plures unâ vice ſumendæ.*

Vel *Vinum medicatum purgans & alterans* ordinabitur; poſt cujus uſum *Sal volatile oleoſum*, vel *Spirit. Salis armon. fœnic. Tinctura* ♁ *n.* ♂ *t. aperit.* aut ſimilis m. ac veſp. ad 25. guttas cum hauſtu *Aqu. Ulmar. Verben. Naſturt. Fumar. Taraxac.* aut *Decocto Radic. Scrophular. Vincetox. Virg. aur. Ruſci, Herb. Agrimon. Scab.* &c. propinabitur. Vel Pulvis ex ♁ *n. diaph. Diaph.* ♂ *t.* ♃ *vial. Spod. ppt. C. C. phil. ppt. Radic. Scrophular. Chelidon. major. Sigill. Salom. Calam. arom. Semin. Aniſ. Naſturt. Urtic. Thlaſpios*, &c. concinnatus dabitur. *Extus* verò proſunt ad diſcuſſionem *Epithemata* ex *Vino*, vel *Aquâ* & *Aceto*, cum incoctione *Radicum* 5. *aperient.* item *Scrophular. Alth. Vincetox. Galang. Angelic. Petaſit. Pyrethr. Herbar. Malv. Mercurial. Card. bened. Abſynth. Abrot. Meliſſ. Salv. Origan. Lavend. Sabin. Geranior. Baccar. Laur. Juniper. Flor. Geniſt. Calend. Semin. Lin. Fœnic.* parata & calidè ſæpius cum linteis vel ſpongiis applicata. Vel *Balnea Aquæ dulcis*, aut *Semicupia*, cui modò dictæ Plantæ fuerunt incoctæ, quotidie in uſum vocentur.

Ab acri humore venereo.

Tentigo ab acri humore in Gonorrhœâ virulentâ aut Lue venereâ producta intus requirit medicamina antivenerea, prout in Curâ Luis venereæ indigitatum: extus verò *Semicupia* quotidie commendantur ex decocto *Herbar. Solani, Plantag. Geranior. Lapath. Ariſtoloch. Malv. Alth. Numular. Portulac. Lactuc. Sanicul. Pyrol. Branc. urſin. Scabioſ. Flor Verbaſc. Linar. Sambuc. Melilot. Tuſſilag. Geniſt. Semin. Lactuc. Vitic. Lin. Cannab. Papav. alb.* parata. Vel lintea ejuſmo-

ejuſmodi Decocto immerſa calidè ſæpius applicentur, ſimulque ejus in Vaginam inſperſiones diligenter fiant, quando præprimis commiſtum fuit *Mel roſaceum* cum *Roob Dianuc.* & *Mucilag. Semin. Pſyll. Aquâ Sperm. Ranar. extr.*

tigo. Ulcus tata.

Quæ in *Abſceſſum* & *Ulcus* abiit Tentigo inflammatoria more horum Affectuum ſuis locis deſcriptorum in genere tractari & perſanari poteſt.

titil- one nda.

A titillatione & frictione libidinosâ frequenti oriunda Tentigo per ſe ſenſim diſparebit, modò cauſa ejus planè intermittatur, vel conjugium inſtituatur; vel pars crebrò foveatur *Epithemate* calente ex *Aceto* & *Aquâ* parato, quibus antea *Solanum, Ruta, Plantago, Lactuca* &c. incocta fuerint.

ntigo igna ſcir- ſa.

Si Clitoris nimium excreverit, atque ſcirrhoſa evaſerit, ita ut coitum vel maximè dolorificum, vel planè impoſſibilem reddat, tum vel exurenda vel exedenda, vel immiſſo vinculo liganda & auferanda, vel uno ſtatim actu reſcindenda eſt illius portio ſuperflua. Omnes hi modi Affectum extirpandi *Ægyptiis*, aliisque Populis orientalibus, & Ethnicis, apud quos ille frequentior longè, quàm apud Chriſtianos occurrere ſolet, uſitati & conſueti fuerunt. *Exeſio* inſtituitur per ordinaria *cathæretica*, ſed cùm hic modus extirpationis lentè procedat, atque doloroſus præterea admodum ſit, fortè etiam Cancrum allicere poſſit, ſi ſcirrhoſa Clitoris ad eum leviter etiam inclinet, mirum nemini videatur, quòd rarius adhibeatur. Exuſtio aut reſectio in Virginibus nupturis contingit apud Africanos & Ægyptios, nec difficilis hæc videtur operatio, ubi poſt factam uſtionem pars ſtatim fovenda *Butyro recenti non ſalito*, cui vel *folia Hederæ arbor. Geran. Plantag. Solan. Flores Hyperici, Linar. Verbaſc.* vel *Cœpæ contuſæ* ſimul fuerint incoctæ; & poſtquam Eſchara exciderit, relictum Ulcus conſueto more conſolidandum. Quando autem exciſio eſt facta, tum *Aqua* cum *Albumine Ovorum* & *Lapid. Hæmat. ppt. Bol. Armenat.* ac *Terr. ſigillat.* pulveriſat. calidè ad ſiſtendam Hæmorrhagiam applicetur, deſuperque ulterius *Epithema* ex *Vino*, cui *Lardum, Betonica, Salvia, Scabioſa* atque *Sanicula* incocta ſunt, imponatur. Poſtmodum verò Ulcus more conſueto deligabitur, & ad Cicatricem promovebitur.

Ligaturam ſi injicere velis, parabis funiculum ex ſerico validum, atque Clitoridis ſpiſſitudini proportionatum, hic dein Cerâ rubrâ vel viridi probè obductus parti injicitur, ejusque debita portio fortiter conſtringitur, ſicque ſtricta relinquitur, donec ſponte decidat; interim ad Inflammationem præcavendam fomentanda ſunt pudenda calefacto ſæpius *Vino*, cui *Anethum, Salvia, Marrubium, Abrotonum, Calamintha, Fumaria, Scabioſa, Betonisa, Alliaria, Scordium, Myrrha, Olibanum*, ac ſimilia incocta erunt.

Monſtroſarum talium Excreſcentiarum Clitoridis ſubinde Practici meminerunt Medici, ut etiam ad virilis Penis longitudinem & craſſitiem prope-

propemodum acceſſiſſe, vel eum prorſus exæquâſſe aut ſuperâſſe notaverint. Veteres hinc Orientales Populi ejusmodi Fœminas appellaverunt *Tribades*, quas certè ſubſequentibus ſeculis multi pro *Hermaphroditis* habuerunt, præprimis, quando, notante *Cœlio Aureliano*, utramque Venerem exercebant. Ex *Leonis Africani* autem *Hiſtoriâ Africæ* diſcimus, Vitium hoc illic ſatis eſſe frequens, procul dubio quòd Viduæ aut Virgines ejus partis Telluris, ſub Climate ſatis calido ſitæ, libidinoſiores exiſtant, Clitoridemque ſuam laſcivè ſæpius contrectent atque titillent, unde ſpongioſa illius ſubſtantia majorem nutritii ſucci quantitatem ſenſim adipiſcatur, ac ita paulatim magis increſcat.

Matricis Hæmorrhoides.

MATRICIS HÆMORRHOIDES ſunt vaſa ſanguinea ſive Venæ ab hypogaſtrico ramo in Collum Uteri diſtributæ, quæ non ſecus atque Hæmorrhoides ani ſuis laborant vitiis, dum vel nimius ex illis quomodocunque ruptis contingit effluxus, vel varicoſæ illæ ob difficilem ſanguinis tranſeuntis circuitum redduntur, hincque dolent plus minus, ac moleſtum ſæpè Fœminis inceſſum conciliant. Sanguinis per vaſa talia circuitus impeditur maximè ab Uteri, Fœtum in ſe unum alterumve continentis, atque Collum Uteri prementis mole, unde, ſi ſanguis aliâs apud ejusmodi Mulierem craſſus & fœculentus ſit, ſique ipſa ſedentariam vitam quotidie agat ac plethorica exiſtat, Venæ dictæ haud difficulter ob ſanguinem tardius transfluentem expanduntur magis, moleſtiasque ſolitas inſtar Hæmorrhoidum Ani cœcarum producunt. Adeoque malum hoc vix aliis, quàm gravidis obtingere ſolet Fœminis, inque his præcaveri poteſt, ſi aliquoties tempore impraegnationis Venam ſibi curent incidi; ſi eo Cibo & Potu delectabuntur, ubi craſſitiem atque fœculentiam ſanguinis corrigere valent; ſi blando quotidie motu corpus ſuum exercebunt. Extus ea adhibentur remedia, quæ in cœcis Hæmorrhoidibus ſuo loco commendata fuerunt. Cùm autem tales Hæmorrhoides magnæ tumidæ ac doloroſæ ipſum ſuo tempore Partum maximè difficilem reddunt, tum per ſupinum decubitū ad aliquot dies ante Partum durantem, per epithematum reſolventium ac diſcutientium applicationem, per inſtitutam quoque Venæſectionem, per Clysma deniq; unum alterumve injectum emolliens ac detergens, eô eſt ſtudioſè adnitendum, ut Vaſa illa, quantum poſſibile, depleantur. Huc quoque faciet Balnei Aquæ dulcis cum incoctione Plantarum emollientium uſus, cui ter vel pluries ejusmodi Fœminas ante Partum optimo cum ſucceſſu immittes, quia ſemper dein felicius pariunt.

Matricis Hæmorrhoidum ſuppreſſio nulla obſervari poteſt, quoniam ordinarius earum fluxus nunquam, quod ſciam, contingere ſolet. *Menſium* appellatur, non Hæmorrhoidum fluxus, ſi quid accidit ſimile. *Matricis* autem *Hæmorrhoidum* dolor & ardor

ardor eodem modo, quo cœcarum Hæmorrhoidum ardor atque dolor produci & curari ſolet.

MELANCHOLIA ἀπὸ τῆς μελαινας χολῆς, ab *atrâ bile* derivato nomine, aliâs quoque *Affectus melancholicus* ſive *atrabilarius*, *Delirium* item *melancholicum*, eo quòd veteres Medici crediderint, Morbum hunc ab atrâ bile ſuam originem ducere, *in genere* quidem aut *vulgariter* Triſtitiam animi diutius protractam & continuatam denotat, qualicunque demum à causâ, ſive manifeſtâ, v.gr. infortunio quodam, ſive occultâ provenientem. In *ſpecie* verò mœſtitia dicitur fere perpetua, ſine causâ manifeſtâ & evidente Hominis mentem occupans, adeoque *Delirium* eſt cum timore & metu, ſine *Furore ac Febri* affligens. Delirium inquam ſive imaginationis depravatio cum timore conjuncta, quoniam timent melancholici, mœſtoque vultu multa animo cogitant & ruminant, quorum tamen cauſas vel ignorare ſe aſſerunt, vel falſas certè atque imaginarias, ſubinde abſurdas aut ridiculas afferunt.

Affligitur itaque hic propriè Anima, quando triſtis continuè præter rationem eſt; cùm verò triſtitiæ huic occaſionem præbeat certa quædam ac præternaturalis ſpirituum animalium atque fibrarum Cerebri medullarium agitatio, neceſſariò hinc concluditur, Cerebri quoque ſubſtantiam medullarem præcipuè quoad partem anteriorem, unâ cum ſpiritibus in ipsâ hoſpitantibus affligi & vitiatam eſſe. Quamvis & aliæ Partes ſecundariò ſimul interdum afficiantur, veluti Cor, Hypochondria, Colon, Uterus &c.

Triſtitiam proin ejusmodi profundam atque diuturnam ab imaginatione perversâ ac depravatâ deducimus, cui præternaturalis quædam & determinata fibrarum Cerebri medullarium, à pravo ipſarum incolarum motu producta, agitatio anſam præbet. Cauſa.

Cùm enim Animæ noſtræ ſedes in Cerebro exiſtat, vinculumque inter has duas ſubſtantias aliud hactenus nullum concipi melius potuerit, quàm quòd ad certum fibrarum dictarum motum certæ in Animâ cogitationes oriantur, & viciſſim ad certas iterum cogitationes decretaq; mentis, ſpiritus animales modò hos modò illos partiū muſculos & nervos magis irradient, motumq; membris inde dependentibꝰ concilient, vel etiam quietem ſubinde aliquam inducant: neceſſe erit hinc concludere, cogitationes mentis lætas atque hilares produci, ſicubi fibræ medullares blando admodum motu agitentur, & à ſpirituum naturalem craſin habentium blando motu veluti titillentur; triſtes verò evadere, ſi eædem gravius nonnihil pulſentur atque tendantur, quàm naturaliter fieri deberet; unde propter diverſum iſtum præternaturalis agitationis modum diverſæ quoque perverſarum imaginationum ſpecies, diverſa phantasmata, & ea quidem triſtia atque meticuloſa producuntur. Præternaturaliter ſive agitantur, ſive tendun-

tenduntur fibræ prædictæ à ſuis Incolis ſpirituoſis, quando hi vitium quoddam ex ſanguine circulante acidiore, vel auſteriore contraxerunt, atque craſſioris nonnihil conſiſtentiæ, minus agiles, mobiles aut lucidi evaſerunt, quemadmodum id fuſius ſub titulo de *Affectione hypochondriacâ* expoſitum fuit. Quum dein vel crebrò nimis, vel diutius eodem modo percelluntur fibræ medullares, tum adeo fortis evadit perverſa objecti unius imaginatio, ut pertinaciſſimè Mens ei inhæreat, neque ab eâdem ſeſe abduci ullâ ratione patiatur. Quando itaque cauſa antecedens ejuſmodi phænomeni ſubminiſtratur ex hypochondriis, primiſque corporis viis; quando ſimul varia per vices Symptomata, in hypochondriis maximè radicata, Homines excruciant, tum *Melancholia hypochondriaca* appellari ſolet. Quum autem à triſtibus frequenter objectis externis, ab infortunio quodam perditorum Parentum, Conjugum, Liberorum, Bonorum ſive Facultatum, à Captivitate diuturnâ, & ſimilibus aliis infelicitatum ſpeciebus, cogitationes Mentis continuè triſtes aut meticuloſæ evaſerunt, tum verò ſenſim metus habitualis excitari, futura nunc hæc nunc illa mala, etiam minimè acceſſura, timeri, aut velut jam præſentia ſiſti, ſicque ſpiritibus animalibus obſcuris ac tenebricoſis redditis, Imaginatio ſeu Phantaſia corrumpi, ipſaque hinc Ratiocinatio depravari ſolet, etiam ſine Hypochondriorum notabili læſione: atque talis Affectus dein ſimpliciter *Melancholia*, ſive *Affectio melancholica* vocatur, ab *hypochondriacâ* illâ *Paſſione* non niſi quoad modum fiendi & originem differens.

Ut adeo haud ſine ratione Melancholiam dividere poſſimus in *idiopathicam*, cujus cauſa præcipuè in Cerebro hæret vitiato, ſine partium aliarum labe, & *ſympathicam* v. gr. *hypochondriacam*, *hyſtericam*, quando cauſa ei producendæ ex hypochondriis, vel ex Utero ſubminiſtratur. De Melancholiâ hypochondriacâ ſub titulo *Affectionis hypochondriacæ*, de hyſtericâ autem ſub nomine *Furoris uterini* egimus. *Differentia.*

Sed & differt Melancholia quoque *idiopathica* gradualiter, atque reſpectu *temporis*, quando nunc *recens* eſt, nuper demum in Homine nata, nunc *radicata* vel *inveterata*, quæ per plures jam annos duravit; quando itidem imaginatio nunc gravius, nunc levius perverſa eſt, ſubinde etiam vix ejuſdem depravatio in Melancholicis perceptibilis. Imò & reſpectu *formæ* ſive varietatis imaginationum pravarum diverſiſſima eſt Melancholia, dum hi quidem ſe Reges aut Principes, illi ſe Canes, Lupos, Feles, alii ſe vitreos, teſtas fragiles, &c. eſſe putant, alii denique alia abſurda ſibi imaginantur. Exempla horum qui deſiderat, in *Schenckii*, *Plateri*, *Foreſti*, aliorumque *Obſervationibus* ſufficientia habere poterit.

Graduales hæ differentiæ ſuos proximè natales debent Sanguinis vario acori, in ſalino-fixis particulis maximè conſiſtenti, hincque dependenti

denti Spirituum vitio, quod non eſt niſi craſſities quædam, atque obſcuritas, ſive ſplendidæ aut lucidæ volatilitatis imminutio, unde Cerebri fibrillæ non ita amplius percelluntur, ſicut in hilaritatis pleno contingere animo conſuevit. Spiritus autem in ſtatu ſano aliquâ luce vel ſplendore gaudere, non ipſorum duntaxat nativitas ab æthereo & aëreo principio deducenda, ſed inſuper varii ejus effectus probant; ita enim cùm digitis oculum juxta angulum fortiter comprimimus, lumen etiam obſcuro in loco quoddam emanare ſolet; aut ſi vehementiore ictu percutitur oculus, inde ſcintillæ velut ſilicis ad chalybem attritu copioſæ exſiliunt. De *Cajo Mario* illo memoriæ proditum eſt, quòd fulgore oculorum ſuorum Satellites ad ſeſe trucidandum miſſos deterruerit. *Tiberium* quoque ſimili Oculorum lumine cuncta noctu vidiſſe *Suetonius Tranquillus* narrat. Patri ſuo *Julio Cæſari*, ſibique ad annum usque viceſimum tertium ætatis ſimilem lucem ex oculis fluxiſſe teſtatur *Joſephus Scaliger*. Ut plura alia exempla ſicco pede nunc præteream.

Quando itaque acor Maſſæ ſanguineæ plus minusve augetur, etiam ſpiritus magis minusque obſcuri redduntur, ſicque modò intenſior modò remiſſior gradus Melancholiæ producetur. Ulterius tamen ad excitandum hunc Affectum præter varios in Diætâ commiſſos errores, contribuunt frequentes Alvi, Menſium ac Hæmorrhoidum ſuppreſſiones, Flatuum in Inteſtinis collectiones, & cumulationes, Metus atque Triſtitia longa, Amor item ingens, Odium, Curæ & Sollicitudines quotidianæ anxiæ, Mentis cogitationes intentæ, meditationes crebræ ac profundæ, contemplationes ac ruminationes continuæ vel injuriarum ſibi illatarum, vel ſcelerum fortè commiſſorum, unde conſcientia fuit magnopere læſa. Tandem & ex ſemine Parentum melancholicorum fundamentum hujus Mali Infantibus communicatur, indeque *hæreditaria Melancholia* gignitur.

In *Diagnoſi* primò ſigna notanda, quibus *Melancholia idiopathica* à *ſympathicâ* ſive *hypochondriacâ* & *uterinâ* diſcerni ſolet; etenim in *Idiopathicâ* de nullis corporis ſymptomatibus conqueruntur Homines, ſicut in *Hypochondriacâ*, in quâ nullus eſt querelarum finis, ac ulterius deliria ſunt interpolata. In *Uterinâ* verò paſſiones atque imaginationes venereæ ſermonesque laſcivi maximè familiares exiſtunt. Præſentem dein Melancholiam idiopathicam indicant, tanquam pathognomica & ſemper comitantia ſigna, metus atque triſtitia diu Ægrum vexantes, tandemque Delirium inducentes. Sed præter hæc Melancholici propter continuum metum, corruptamque imaginationis & ratiocinationis rectæ facultatem, ridiculis ſuſpicionibus & phantasmatibus torquentur, quaſi v. gr. adſtantes vitæ illorum inſidiarentur, aut opibus inhiarent, vel aliam etiam injuriam illaturi eſſent, quos dein Va- *Diagnoſis.*

tiniano ad rogum usque odio proſequuntur. Dein ſimul inquieti deprehenduntur, alta crebrò ſuſpiria ducentes, quòd anima per phantasmatum diverſitatem ab aliis functionibus avocata, reſpirationem ſubinde quodammodo intermittat, ac ita natura cogatur magnam pro ratione neceſſitatis reſpirationem moliri: inſuper Melancholici noctes interdum multas inſomnes ducunt propter turbatam à phantasmatibus mentem; cùm enim in ſomnum labuntur, turbulentis utplurimum inſomniis, ſpectris rerum nigrarum horrendis discruciantur. Tandem lucem fugiunt, abſurda modò hæc modò illa ſibi imaginantur, ac eapropter hominum conſortia vitant, ſolitudinem amantes, ne in ſpeculationibus ſuis deliris ab hominibus aliis impediantur. Præterea continua hæc eſt Affectio ſine intermiſſione, nec alius morbus ſimul præſens ordinariò aut per ſe eſt, aut ſi adeſt, cum Melancholiâ tamen communionem nullam habet. Æger fixis omnia oculis intuetur, macilentus plerunque eſt.

Prognoſis. Quod *Prognoſin* concernit, Melancholia per ſe lethalis non eſt, niſi, ut *Hippocrates* monuit *Libr. I. de Morb. Sect.* 8. *quid ipſi accedat.* Inveterata, altis infixa radicibus, ac velut in naturam propriam converſa curationem utplurimum reſpuit, recens autem illam admittit. Si *Melancholicis Hæmorrhoides* accedunt, *bonum eſt*, teſte etiam *Hippocrate Sect. VI. Aphor. II.* Nonnunquam in Maniam ac Deſperationem tranſit hoc Malum, præprimis ſi cholericus fuerit Æger, unde non raro ſibimet ipſe vel aliis violentas ac deleterias manus infert; quamobrem, ſi tale quid Æger meditari obſervetur, nunquam fidendum ipſi, quantumcunque ſibi mente probè conſtare videatur. Interdum etiam, licet rarius, Apoplexia, Epilepſia, aut alia Symptomata graviora accedunt, & Hominem è medio tollunt.

Curatio. In *Curatione* ad cauſas maximè reſpiciendum, pro quarum diverſitate diverſa quoq; methodus medendi inſtituetur. Temporis quoque habenda ratio, quo quidem Affectus jam duravit: ſi enim inveteratus & radicatus planè fuerit, fruſtra qualemcunque curationem ſuſcipies, quia Malum prorſus incurabile. Quando autem Homo ob perpeſſam quandam gravem injuriam, ob amiſſas temporales facultates, honores, ob perditam in Judicio forenſi cauſam, aliudve gravioris infortunii genus melancholicus eſt factus, nec melancholia diu adhuc duravit, tum omni curâ ſtomachi bona digeſtio eſt reſtauranda atque conſervanda, naturalis liquoris gaſtrici activitas reſuſcitanda, chylique diſtributio & ſanguinis optima circulatio concilianda, ejusque aciditas præternaturalis corrigenda, tandem & laticis ſpirituum adquiſita obſcuritas vel craſſities tollenda, debitaque luciditas, ſplendor, atque mobilitas reſtauranda.

Diæta. In hunc finem ante omnia pro communi reſpiratione *Aër* eligendus eſt temperatus, ſerenus, purus, tenuis, ſubtilis, nequaquam craſſus, tenebrico-

nebricoſus, obſcurus aut fœtidus; qualis enim aër, tales quoque ſunt ſpiritus. *Cibi* dein neque quantitate, neque qualitate, neque ordine aſſumtionis inconveniente peccent, craſſi, terreſtres, flatulenti, δύσπεπτοι & κακόχυμοι vitandi, atque tales eligendi, qui chylum laudabilem, ſpiritusque ſummè lucidos & agiles reddunt, quemadmodum exiſtunt *Panis* optimus, probè fermentatus, *Carnes juniorum animalium, vitulina, agnina, pullorum gallinac. caponum, perdicum, alaudarum, coturnicum* &c. quæ elixæ potius quàm aſſatæ conceduntur. Inter *Piſces* raro comedendos proſunt v.g. *Lucii, Percæ recentes, Truttæ, Carpii, Thymalli, Salmunculi*, &c. quibus condimenti loco *Cappares* quàm utiliſſimè adduntur. *Ova ſorbilia* recentia, & *Juſcula Borragine, Bugloſſâ, Endiviâ, Cichorio, Lupulo, Naſturtio, Cherefolio, Apio Macedonico, Lactuca, Agrimoniâ*, & ſimilibus *alterata* ad humectandum & attenuandum apprimè conducunt. Verno tempore *Lupulorum, Aſparagorum, Petroſelini, Chelidonii minoris, Cichorii*, &c. uſus maximè ſalubris eſt, magis ſi coquantur, quàm ſi cruda comedantur. Fructus horæi omnes nocivi ſunt, pituitam quippe nimiam, viſcidamque exhibentes; licebit tamen heic excipere *Poma* Borſthofiana, curtipendula, vel Pyra aromatico odore ſaporeve prædita, utpote quæ ſucco adhuc ſalubriore gaudent. Pro *Potu* concedi poteſt vel *Cereviſia* tenuis, benè lupulata; optimè cocta atque defœcata; vel *Vinum* bonum, tenue, clarum, ſpirituoſum, minimè aceſcens, ὀλιγόφορον, diureticum, probè defœcatum, haud multo ſulphure imbutum; vel *Ptiſana* ex decocto *Radicum Sarſæparill. Chinæ, Graminis, Caryophyllat. Ligni Saſſafr. Herbar. Scolopendr. Hepatic. nobilis, Agrimon. Seminum Aniſ. Fœnic.* in *Aquâ* parato facta. *Somnus* ſufficiens eſt neceſſarius, reficiens quippe Spiritus ac Mentem, hinc Arte quærendus, ſi ſponte non ſuccedat. Prodeſt & moderatum corporis *exercitium*, quotidie inſtituendum, ſi tempeſtas permittat, in locis maximè amœnis, editioribus, ubi purior eſt leviorque aër, non autem depreſſioribus, in quibus aër ſemper eſt craſſior, ponderoſior. *Alvus* quotidie reſpondere debet, & medicamentis quoque ſollicitari, ſicubi ſegnior extiterit. Imò & reliquæ excretiones, per nares, aures, &c. fieri commodè debent, aut promoveri. Hæmorrhoidum, Menſiumque fluxus ſubſiſtens in adſuetis eſt provocandus. Inprimis autem Metus, Triſtitia, Curæ anxiæ, Sollicitudines, profundæ Meditationes ac lucubrationes, Odia, Iracundia, Jurgia, Lites, ſingulæque Mentis perturbationes quàm maximè fugiendæ, animusque in quovis etiam infortunii multiplicati genere erigendus, atque ad hilaritatem qualemcunque componendus; quem in finem continuè per plures menſes lætorum ſemper hominum conſortium eſt frequentandum, apud quos lepida, & hilaris canoris quoque Muſicæ recreationibus

nibus

nibus exornata, nunquam verò triſtis converſatio invenitur.

Præter hanc autem Diætæ obſervationem exactam etiam remedia ſunt neceſſaria ad radices Mali extirpandas, hunc in finem ſubinde corpus *laxante remedio* evacuandum, aut *Clysmate* extergendum frequenti, quod mirum quantum triſtes exhilarare aut refocillare ſpiritus valet. Sequentia hactenus magno cum fructu in nonnullis commendavimus:

℞. *Radic. Polypod.* ℥ß.
Lil. alb.
Vincetox. ana ʒiij.
Herb. Malv.
Parietar.
Naſturt. vel Beccab. rec.
Cuſcut.
Ceterach. ana Mj.
Flor. Geniſt.
Linariæ ana Mß.
Semin. Lin. ℥ß.
Aniſ. ʒij.

Inciſ. & contuſ. coqu. in ſ. q. Aqu. font. Colaturæ ℥x. *vel* xij. *adde*
Mellis violac.
anthoſat. ana ʒvj.
Elect. lenitiv. vel diacathol. ℥j.
Olei Olivar. ℥iß.
Salis Gemm. ℈ij.

M. f. Clyſter tepidè injiciendus.

℞. *Radic. Polypod.*
Scorzoner.
Rhab. elect. ana ʒj.
Fol. Sen. opt. mund. ʒiij.
Beton. Meliſſ. ana Pj.
Crem. ♀*ri* ℈iiij.
Semin. Fœnic. ʒj.

Inciſ. contuſis atq; in nodulo ligatis affunde Aqu. Borrag. Gramin. ana q. ſ. Stent per noctem in loco tepido, poſtridie mane bulliant parum; Colaturæ ℥iiiß. *adde*
Syrup. Capill. ♀*r.* ℥ß.

Detur ad Vitrum pro doſi matutinâ.

Inter hæc crebrò Melancholicus noctu horâ ſomni cyathum exhauriat *Aquâ Borrag. Scolopendr. Beccabung. Fumar. Naſturt. aquat.* repletum, ſi placet, cum *Spiritûs Cochleariæ guttulis* 20. *vel* 30. Conducunt etiam *Tinctura* ♂*tis aperitiva* Zwelf. vel ♂*tis helleborata* Wedel. *Tinctura* ♁*nii*, *Corallor. Aquilegiæ*, *Eſſentiæ Trifol. fibrin. Betonic. Succin. Abſynth. Ambr.* de quibus ad 20. 25. *guttas* dari m. ac v. cum *Aquâ Borrag.* poteſt. *Salia* quoque *volatilia puriora C. C. Eboris, Viperar. Succin. Fuligin. ad gr.* 10. *vel* 12. pro doſi exhiberi ſolent. Verno & autumnali tempore ſequens Vinum medicatum prodeſt:

℞. *Radic. Carlin.*
Calam. arom.
Apii.
Polypod. ana ʒiiß.
Cortic. Tamar. Cappar. ana ʒiß.
Herb. Agrimon.
Beton.
Card. bened.
Hepat. nob. ana Mj.
Summit. Centaur. min. Mß.
Fol. Sen. opt. mund. ℥j.
Rhabarb. elect.
Agaric. trochiſcat. ana ʒiij.
Radic. Helleb. nigr. ʒij.
Semin. Aniſ.
Fœnic. ana ʒiß.
Salis Tamaric. ʒj.

Inciſ.

Inciſ. contuſis & in nodulo ligatis affunde

Vini alb. veter. ℔iiiß.

Aqu. Borrag. ℔iß.

Stent per primam noctem in cineribus calidis, poſtea quotidie mane Cyathus ℥iiij *plus minus exhauriatur.*

Finito hoc Infuſo medicato *Venæſectio* in Brachio inſtituatur; deinceps ſequentia alterantia, Sanguinis & Spirituum naturalem craſin atque motum reſtituentia in uſum vocanda ſunt; v. gr.

℞. *Conſerv. Flor. Borrag.*
Beton.
Bugloſſ.
Tunic. ana ℥ß.
Condit. Cortic. Citr. ʒij.
Confect. Alk. compl. ʒj.
Diaph. martial.
lunar. ana ℈ij.
Salis volat. Viperar. vel
C. C. purior. ℈j.
Syrup. Capill. ♀r. *q. ſ.*

M. f. Electuar. d. ad Oll. Quotidie ter vel quater cuſpis Cultri plenus capiatur.

Vel ℞. *Specier. lætif. Gal.*
diamarg. calid.
Spod. ex Ebor. ppt.
Specif. ſtomach. Poter.
Corall. rubr. ppt. ana ʒj.
Confect. Alk. compl. ʒiß.
Sacch. alb. Aqu. Bugloſſ. ac Cinamom. ſolut. ℥iiiß.

M. f. l. a. Rotulæ d. ad Scatul. ac ſæpius lambantur.

Fonticulus in Brachio ſiniſtro excitetur: ſingulis ſex vel octo Hebdomadis *Cucurbitulæ cum Scarificatione* dorſo applicentur. Æſtivo tempore pro variâ conditione toni ſtomachici firmioris aut tenerioris modò *Acidulæ* v. gr. *Spadanæ*, *Sualbacenſes*, *Egranæ*, *Mauritianæ*, aliæ, modò *Thermæ Embſenſes*, *Plumbarienſes*, *Fabarienſes*, *Leucenſes*, *Carolinæ*, vel aliæ debito cum regimine Diætæ bibantur. Imò pro re natâ Ægri etiam *Balneis Aquæ dulcis*, vel cum incoctione *Herbarum emollientium* immittantur.

MELICERIS, Μελικηρὶς, ex μέλι, *mel*, & κηρὸς, *cera* compoſito nomine, eſt tumor mollis, indolens, cuti concolor, proprio folliculo incluſus, ſuccum mellagineum in ſe continens, ac diutiſſimè citra magnas moleſtias durans. Invadit diverſas corporis partes, frequentius autem Collum, Nucham, atque Genua, eorum præprimis, qui crebrò in genua procumbunt. *Meliceris.* *Pars affecta.*

Tumorem verò hunc proximè fovet ſucculenta materia ſenſim collecta, propriâ membranâ concluſa, atque in materiam mellagineam concreta, conſiſtentiâ nimirum atque colore Mel propemodum referens. Quâ quidem re â ſimilibus cyſticis Tumoribus, *Steatomate* nimirum atque *Atheromate* diſtinguitur, neque enim hi tres Tumores per externa alia ſigna facilè admodum à ſe invicem diſcerni poſſunt, niſi Steatomatis majorem quàm reliquorum ſoliditatem conſiderare velimus. Pro diverſâ interim conditione materiæ ejuſmodi Tumores fortè multiplicari poſſent, aliaque adhuc nomina accipere. Etenim ſucci talibus *Cauſa.* *Differentia ab aliis ſimilibus tumoribus*

talibus folliculis congregati nonnunquam quoad aliquas ſui partes in materiam pilis, paleis, ovorum putaminibus, membranis aliiſque rebus quodammodo ſimilem concreſcit, ut credula hinc plebs talia ex illis prodeuntia videns protinus ſibi imaginetur, incantationis alicujus effectui Morbum eſſe adſcribendum.

Cauſa. Occaſionem verò præbet Meliceridi vel extenſio nimia & frequens, vel dilaceratio aut eroſio membranarum, unde fibrillæ ad ſe invicem redire aut perſanari nequientes nutritium membranarum ſuccum copioſius admittunt, ſulphureis quandoque & aliis ſanguineæ maſſæ corpuſculis permiſtum, è quo dein ex parte concreto fibrillæ dilaceratæ elongantur, tandem & circum circa reliquam materiam coagulantur, ita ut Folliculum membranaceum tali modo effingant, qui auctâ materiæ contentæ quantitate etiam magis expanditur. Quanquam autem non dilaceretur membrana, poteſt tamen ex ejus nimioperè extenſæ poris ſuccus vel lymphicus, vel nutritius tanquam ex ſpongiâ exprimi, qui dein paulatim majori copiâ collectus, ac inter membranas concluſus, inſpiſſatusque propter aquoſas multas particulas alíorſum avolantes, Tumorem ſimilem producit.

Certum autem hoc eſt, humorem confluentem in principio tenuem eſſe, ſed incraſſari poſtmodum, non autem penitus indurari, quoniam aquoſæ quamplurimæ, hinc inde in porulos recipiuntur particulæ, ſed multæ tamen adhuc reliquis ramoſis ac terreſtribus implicitæ, quæ dein per poros tranſire neſcientes ſubſiſtunt, retro manent, atque ita mollem illam Tumoris materiam exhibent.

Melli autem hæc eapropter ſimilis eſt quoad conſiſtentiam, quoniam mixtura particularum extravaſati humoris ob rationem antea dictam taliter eſt relicta. Imò quoad colorem non abſimilis quoque reddita, eo quòd ſulphureæ ramoſæ particulæ intermixtæ ejusmodi tincturam obſcurè flaveſcentem exhibeant. Indolens eſt Tumor, quoniam materia in ipſo contenta acris non exiſtit, utpote è gelatinoſo, balſamicove membranarum nutrimento quoad potiſſimam ſui partem compoſita.

Durat diutiſſimè ſine notabili moleſtiâ, quoniam idem ipſe humor extravaſatus ſibi ſimilis manet, nullamq; deleteriam qualitatem aſſumit. Nunc major, nunc minor pro diverſâ quantitate humoris exſudantis. In principio levis eſt, & exiguus, quoniam parum adhuc affluxit humoris, ſenſim verò augetur, ſi ſimul quantitas materiæ extravaſatæ major evadat. Tandem verò augmentum ejus ſubſiſtit, quando nihil amplius è ſanguinis maſſâ in Folliculum, propter conſtrictas, aut coadunatas in radice ejus fibrillas exſudat. Notandum enim, ejusmodi cyſticos Tumores plerunque è radice, quâ fibræ nimium expanſæ vel dilaceratæ aut eroſæ ſunt, propullulare. Dilaceratio autem fibrillarum à nimiâ expanſione, ſicut Eroſio earundem ab acri quadam humoris

moris particulâ inibi ſubſiſtente contingit. Frequens proin genuum flexio, aliave ratione inſtitutæ membranarum violentæ nimiæque expanſiones, huc contribuere multum poſſunt.

Quantumvis igitur Tumor ejusmodi per plurimos annos citra notabile incommodum circumferri queat, nec præterea facilè in pejorem Affectum degeneret; nihilominus tamen, ſi major, atque in locis, ubi vel deformitatem viſibilem, vel moleſtiam in veſtibus induendis pariat, excitatus fuerit, curandus imò radicitus extirpandus venit. Hoc autem ſi per ſuppurationem aut diſſipationem remediorum applicatorum ope tentare velis, vel nihil vel parum proficies, Ægrumque diu ſatis fruſtraque excruciabis. Diſcuſſionem nihiloſecius citra incommodum experiri poterimus, magis quàm malè fidam ſuppurationem, ſequenti methodo: ante omnia dabimus *purgans mercuriale*, idque etiam ter vel quater ad minimum repetemus, octiduano ſemper intervallo. Intermedio tempore *decoctum* propinabimus *diſcutiens*; v. g.

℞. *Radic. Ariſtol. long. vel Vincetox.*
Pimpinell. vel Ruſci aa. ʒiij.
Herbar. Veronic. vel Anſerin.
Heder. terr. Rut. murar.
Meliſſ. ana Mj.
Summit. Lavendul. Thym. vel
Flor. Calendul. Geniſt. ana Mß.
Bacc. Laur. ʒij.
Semin. Fœnic. Aquileg. ana ʒiß.
Inciſ. & contuſ. coque in Aqu. fontan. ℔viij. *ad quartæ partis conſumtionem; de Colaturâ, Albumine Ovi ſi placet clarificatâ, atq; inſuper Aqua Cinamomi, vel crudo Cinamomo aromatiſatâ, Cyathus unciarum quatuor mane ac veſperi ante cœnam propinetur.*

Extus dein ſequens *Emplaſtrum tenax diſcutiensq;* imponatur, ac per aliquot menſes continuetur:

℞. *Picis navalis* ℥ß.
Gumm. Galban.
Sagapen.
Sandarach. ana ʒij.
Storac. Calamit.
Radic. Scrophular.
Galang.
Lapid. calamin. ppt.
Lithargyr. aur. ana ʒj.
Cinnab. factit. ℥ß.
Terebinth. ac Ceræ ana q. ſ.
M. f. l. a. Emplaſtrum, ſingulis 24. *horis renovandum.*

Vel ℞. *Picis Naval.* ℥ß.
Gumm. Tacamahac. ʒij.
Sagapen. ʒiß.
Semin. Naſturt.
Eruc. ana ʒij.
Cinnab. factit. ℥j.
Ceræ & Reſin. q. ſ.
M. f. Emplaſtrum.

Linimentis, Unguentis, ac *Fomentationibus* heic nihil efficies, quin talibus ſubinde occaſionem præbebis, ut emollitus magis Tumor plus nutrimenti admittat, ſicque in majorem molem ſuccreſcat.

Exciſio Tumoris.

Quando autem, velut plerunque contingit, diſcuſſio talis non ſuccedit, protinus ad Tumoris exciſionem eſt deveniendum; peragitur hæc ita, ut cutis, intacto Tumoris folliculo,

 culo,

culo, cruciatim incidatur, hincque folliculus tenui pendens à radice undiquaque à cute ſeparetur, tandem ſive digitis ſive inſtrumentis ſeparatus, in radice ipsâ ſcalpelli ope reſecetur; quo facto, ſi Hæmorrhagia præter ſpem ſubſequatur, *ſtupa* vel *carpta fila Albumini Ovorum intincta, pulvereq; ſtegnotico* conſperſa imponantur, ac poſtea Vulnus, Ulcusque factum conſueto more conſolidetur; Radicem Tumoris frequenter *Elixiri Aloës, Myrrh. Maſtich. Radicum Ariſtoloch. Tormentill. Angelic.* atque *Imperator.* fovendo; vel etiam pulverem talium rerum cum *Lapid. calaminari* atque tantillo *Aluminis* permiſcendum aliquoties inſpergendo, vel *digeſtivo Unguento* etiam ſubigendo.

MELON vel MILON, vide *Oculorum Uveæ affectus.*

Memoria defectus. MEMORIÆ DEBILITAS & ABLATIO eſt ſenſûs illius interni, quem *Memoriam* vocant, à cauſis, cerebri fibrarum tonum poroſque ipſos mutantibus, producta vel imminutio, vel omnimoda deſtructio.

Memoria quid. Videlicet *Memoria* ille eſt ſenſus internus, quo objecta qualiacunque ſemel iterumve percepta, cerebri poris ita impreſſa tenentur, ut occaſione datâ Mens ſibi eadem velut denuò præſentia ſiſtere, ſicque eorundem recordari vel reminiſci queat. Dicunt hodierni Phyſici, illa Objecta per Spirituum animalium determinatam undulationem veſtigia quædam in medullarem Cerebri ſubſtantiam imprimere, hincque vel objecta eadem, vel ſimilia alio tempore occurrentia, ſpirituum agitationem per dicta veſtigia inſtituere, ac ita Reminiſcentiæ ſenſum producere; imò ipſam quoque Voluntatem Animæ, objectis illis minimè occurrentibus, ſpiritus animales in eadem veſtigia adigere, ſicque rerum antea viſarum vel actarum recordari poſſe.

Conveniunt porrò Jatro-Phyſici in hoc, ad Memoriam requiri certum quendam tonum, ſive blandam rigiditatem fibrillarum medullaris Cerebri ſubſtantiæ, aptam ad recipienda ejusmodi veſtigia ſuperius nominata, quæ velut flexuræ certæve pororum configurationes diu manentes exiſtant, per quas ſi animales transeant ſpiritus, certoque modo fibrillas concutiant, idque ſæpius eadem ratione contingat, ideæ earundem rerum in mente exoriuntur, ſicque *Memoria* excitatur. Unde patet, pro tono illarum Cerebri fibrillarum diverſo, Memoriam apud Homines nunc *feliciorem* & *firmiorem*, nunc *minus felicem* & *infirmiorem* exiſtere.

Quòd ſi ergo contingat, ut in Hominibus memoriâ plus minus felici pollentibus, illæ Cerebri fibrillæ in ſuo tono naturali mutentur, atque molliores flaccidioresque reddantur, tunc objecta recens percepta non poſſunt firma amplius veſtigia Cerebro imprimere, hincque Memoria debilitatur; imò in hoc ſtatu non ſolùm Homo rerum noviter actarum perceptarumve difficulter recordatur, ſed & multa eorum, quæ olim acta fuerunt,

runt, Memoriæque firmiter impreſſa, oblivioni tradit; pluribus tamen adhuc antiquis rebus memoriâ retentis. Quod ſi porrò fibræ Cerebri medullares prorſus flacceſcant, ac ita veſtigia omnium rerum anté perceptarum ſimul deleantur, tunc *Oblivio totalis* producitur, in quâ Homines ne quidem verborum proferendorum, nominumque propriorum aliorumve recordari valent; cujus rei exemplum egregium, ſed triſte obſervavimus in quinquagenario Viro, qui omnem ex apoplectico inſultu, Memoriam ita perdidit, ut ne quidem proprii ſui nominis reminiſci, nullas amplius literas cognoſcere, multo minus legere ſcribereque potuerit; quique hinc per triennium adhuc vivens paulatim inſtar Pueri literas, loquelamque utcunque rurſus addiſcere neceſſe habuit. Plures verò eorum deprehendimus, quibus partim à Catarrhis apoplecticis, partim à Febri malignâ, Epilepſiâ, Caſu ex alto, Seroſiſque defluxionibus Cerebri medulla humidior ac flaccidior reddita, facilitasque imprimendorum veſtigiorum adeo debilitata fuit, ut nihil amplius memoriæ mandare poſtliminiò potuerint. Idque familiarius illis eſt malum, qui vel ſtudio Litterarum operam dederunt, vel ſcripturæ frequenti, cum meditatione profundâ, indulſerunt. Familiare & Senibus, ſi per ætatem ſuam Veneri & Baccho ſtrenuè litârunt. Deprehendimus porrò & illos qui phlegmatico præditi ſunt temperamento, infelici Memoriâ pollere; feliciore autem gaudere, qui cholerico, melancholico ſunt inſtructi. *Henricus ab Heer* meminit alicujus Juvenis docti, inſigniſque Poëtæ, qui à nimiâ hæmorrhagiâ memoriam omnem ita amiſerit, ut poſtliminiò literas de novo planè addiſcere coactus fuerit.

Quando igitur Memoriæ debilitas atque oblivio flaccidiori conſtitutioni fibrarum cerebri medullarium adſcribenda venit, undecunque demum enatæ, facilè comprehendimus, vel incurabile prorſus, vel difficulter admodum ſanabile eſſe hoc malum. Nimirum opus eſt, ut qualicunque remediorum ope fibræ illæ ſicciores aut firmiores evadant, ac reddantur; ſi quidem memoria ſit revocanda vel confortanda. Accidit hoc aliquando per ſupervenientem Morbum ſiccantem; ſic enim *Ariſtotel. 30. Problem. 2.* exemplum adduxit alicujus *Marci Syracuſani*, qui cùm aliquandiu maniacus vel mente captus extitiſſet, poſtea longè melior evaſerit Poëta, quàm antea fuerit, Memoriâ ſcilicet per vim morbi phrenici exiccantem confortatâ. *Prognoſis.*

Ad memoriam itaque confortandam vel revocandam plura ſubinde requiruntur, & à Medicis etiam præſcribuntur remedia, quæ tamen raro expectationi & deſiderio Ægrotantium ſatisfaciunt. Methodus interim medendi in hoc caſu optima ferè hæc eſt: ante omnia *Vinum* præſcribendum eſt *medicatum purgans* & *ſiccans*, è *cephalicis* & *nervinis* maximè compoſitum; v. gr. *Curatio.*

 ℞. *Radic.*

℞. *Radic. Angelic.*
Cyper.
Coſti ver. ana ℨiij.
Herb. Chamædr. Majoran.
Chamæpith. ana Mj.
Beton.
Origan.
Meliſſ. ana Mß.
Cortic. Lign. Guajac.
Ligni Saſſaphr. ana ℥ß.
Baccar. Laur. ℨij.
Fol. Sen. opt. mund. ℥j.
Rhabarb. elect.
Radic. Helleb. nigr. ana ℥ß.
Spic. Indic.
Lign. Aloës ver.
Salis Rutæ ana ℨj.

Inciſ. & cont. inſuantur Nodulo ex ſindon. alb. cui ſuperfundantur Vini albi veteris libræ quinq; & Aquæ ferventis libra una cum dimidiâ ponderis civilis; ſtent per noctem in loco tepido, poſtea in cellam reponantur, ac ſingulis mane hauriatur cyathus; ſi mediam Æger partem hauſit, affunde iterum Nodulo portionem Vini, & poſtmodum ſenſim totum exhauri. Horâ autem poſt ſumtum potum detur *Juſculum Carnis, Majoranâ & Mace probè alteratum.* Abſoluto *Vini* talis uſu, ſingulis hebdomadis doſin ſeqq. *Pilularum laxantium* Æger ante cœnam, vel mane capiat; v. gr.

℞. *Maſſ. Pilul. Emanuel.*
Marocoſtin. ana ℨj.
Succin. alb. ppt.
Maſtich. elect.
Cinnab. ♄ *n. opt. ana* ℈ij.
Reſin. Jalapp. ℈iiß.
Ol. ſtillat. ſpic. q. ſ.

M. f. l. a. Pilulæ num. 130. *Inaur. ac Pulv. Cinam. conſperſ. d. ad ſcatul. Doſ.* 10. 12. *usq;* ad 15. *cum Syrupo de Betonicâ.*

Interea extus & intus *medicamina confortantia* diligenter, atque per longum tempus in uſum trahantur; quem in finem *Foreſtus* ſequentem probavit opiàtam:

℞. *Conſerv. Roriſmarin.*
Betonic. ana ℥j.
Chamæpith. ℥ß.
Condit. rad. Calam. arom. ℥j.
Cubebar.
Cinam. elect.
Nuc. moſchat. ana ℨj.
Syrup. de Stoechad. q. ſ.

M. f. Electuar. d. ad Ollam. Singulis hinc matutinis horis caſtaneæ magnitudinem aſſume.

Vel ℞. *Conſerv. Roſ. rubr.*
Amarac.
Flor. Primul. ver.
Tunic. ana ℥ß.
Confect. Anacard. ℨiij.
Conditur. Cynosbat.
Nuc. indic.
Zingiber. ana ℨij.
Spod. ppt. ℨiß.
Maſtich. elect.
Succin. alb. ppt. ana ℈ij.
Syrup. de Cinam. q. ſ.

M. f. Electuarium d. ad Oll. ac inde veſperi & mane nucis magnitudo capiatur.

Prodeſt & quotidianus *Infuſi herbacei* ac *aromatici* potus; v. gr. ſequentis:

℞. *Folior. Thée* ℥iij.
Ligni Saſſaphr. & Guaj. ana ℥j.

Fol.

Fol. Chamædr.
Betonic.
Serpilli.
Chamæpith. ana ℥iß.
Flor. Roſ. rubr. ʒvj.
Primul. ver. ℥ß.
Cinam. elect. ʒij.
Cubebar.
Mac. ana ʒiß.

Inciſa miſce ad Scatulam. De hâc mane ac veſperi ſume ʒj. *vel* ʒiß. *Superaffunde Aquæ ferventis* ℥vj. *vel plures, & cum aliquandiu cooperta in calente loco ſteterint, v.g. per quadrantem horæ, tunc Infuſum ſaccharo edulcoratum bibe.*

Quod ſi talia medicamina per aliquot tempus uſurpata fuerint, tunc ſubſtituenda veniunt alia ad eundem ſcopum collimantia; v. gr.

℞. *Extract. Meliſſ.*
Amarac.
Beton.
Salv. ana ℈ij.
Corall. rubr. ppt. ʒj.
Succin. alb. ppt.
Gumm. guajac.
Styrac. calamit.
Maſtich. elect.
Lign. aloës.
Cubebar. ana ʒß.
Ol. deſt. Thym. q. ſ.

M f. l. a. Pilulæ piſi minor. magnitud. Inaur. d. ad ſcatul. ac inde m. & v. decem cum Infuſo Thée vel Syrup. de Betonic. ſumantur.

Vel ℞. *Eſſent. Betonic.*
Anth.
Succin. ana ʒij.
Aqu. Cinam. cum Vin. ʒiß.
Spirit. Flor. til.
Meliſſ. ana ʒj.

M. d. ad Vitr. & hinc capiantur man. ac veſp. gutt. 20. cum Aquâ Betonic.

Extus vertex & occiput capitis per longum quoque tempus m. ac veſperi diligenter inungatur *Oleo deſtillato Baccarum Juniperi*, item *Succini, Lavendul. Major. Roriſm. Chamæpith. Salv. Thym. Caryophyll. arom. Piper.* &c. Imò ſimul *Cucupha* perpetim geſtetur; v. gr.

℞. *Radic. Cyper.*
Galang.
Flor. Beton.
Roſ. rubr.
Salv.
Lil. convall.
Summit. Majoran.
Roriſmarin.
Abroton. ana ʒj.
Styrac. Calamit.
Santal. citrin. ana ʒiß.
Succin. flav.
Maſtich. elect.
Thuris maſcul.
Macis.
Cardamom. ana ʒß.

Inciſ. & contuſ. tenuiter inſuantur cucullo ex ſindon. rubr.

Uſus frequens *Laconicorum, Balneorum*, ſubinde etiam cum *ſcarificatione*, commendabitur. Imò tempore æſtivo *Thermæ* debito cum regimine præſcribantur, ſed ſulphureæ illæ ac naturâ calentes. Inque ipſis *Thermis Embrocatio* inſtituatur in vertice capitis frequens. Bonæ quoque *Frictiones* illius & dorſi cum linteis calidis crebrò fiant. Bona ſunt

Corporis exercitia, etiam interdum vehementiora. *Fonticulus* in utroque brachio inſtitutus non eſt contemnendus. *Cibi* porrigantur ſemper magis ſiccantes, quàm humectantes. Pro *potu ordinario Vinum* concedatur rubicundum. A crapulis & comeſſationibus abſtineatur. Denique Memoria exerceatur quotidie variis rebus addiſcendis, hincque recitandis, & crebrò repetendis: quemadmodum nonnulli quoque ex hâc Arte gymnaſticâ remedium excogitârunt pro firmandâ & roborandâ Memoriâ.

Aliquando Memoriæ debilitas ex nimiâ fibrarum cerebri rigiditate ac ſiccitate oritur, tum verò mollior illis conſtitutio eſt imprimenda, per uſum emollientium, refrigerantium, Olerum hortenſium, lacticiniorum, Acidularum mineralium, *Venæſectiones*, & ſimilia.

Menſium fluxus nimius.

MENSIVM FLVXVS NIMIVS eſt juſto copioſior ſanguinis menſtrui per pudenda excretio, ordinario Menſium tempore contingens, atque varia ſymptomata ſimul poſt ſe trahens. Diſtinguitur ab *Hæmorrhagiâ Uteri*, quæ non præciſè menſtruo tempore, ſed quovis alio contingere ſolet, in quâ etiam ſanguis ex Uteri cavo magis, quàm ejus Vaginâ profluit, cùm in Fluxu nimio vix niſi è Vaginæ vaſis excernatur.

Cauſa

Producitur nimius ille ac præternaturalis Fluxus à rupturâ vel aperturâ plurium, aut etiam majuſculorum vaſorum, imò ſubinde ab eroſione arteriolarum in Vaginâ patentiorum ac minorum. Quantumvis autem plerunque vaſa tantùm uterini colli ſive Vaginæ in hoc malo lædantur, non tamen refragabimur multum, ſi quis dixerit, etiam interdum Matricis ipſius vaſa rumpi menſtruo hoc tempore, indeque copioſum ſanguinem profluere, quæ affectio, ſi frequenter eodem modo contingeret, etiam *Hæmorrhagia Uteri menſtrua* appellari mereretur.

Rumpuntur vel aperiuntur Vaſa tempore hoc menſtruo magis quàm alio, eo quòd tum ſanguinis maſſa naturaliter ad orgaſmum aliquẽ ſive turgeſcentiam perveniat, ſub quâ nimiopere contingente Vaſa maximè diſtenduntur, & ita, quæ in Vaginam expanſa ſunt uterinam, facilè diſſiliunt, atq; aperta ſanguinem copioſum fundunt. Quòd ſi acrimonia ſalſa cum ſanguinis lentore & quantitate ſimul juncta fuerit, tum propter tardiorem humorum per vaſa uterina circuitum, aut ejuſdem quoque ſtagnationem & orgaſmum tubi ſanguiferi nimium diſtenſi haud difficulter rumpuntur, vel etiam ab acrimoniâ eroduntur. Hinc illæ Fœminæ huic Fluxui magis ſunt obnoxiæ, quæ & multum habent ſanguinis, & fluidoſalſam acrem, vel ſcorbuticam ſimul intemperiem junctam; quæ item cholerico-ſanguineæ exiſtunt, quæ largioribus Vinorum hauſtibus indulgent; quæ tandem Carnium copioſarum Ciborumque aromaticorum eſu delectantur. Facit huc hæreditaria quoque Diſpoſitio, quando ſcilicet vel Patres Hæmorrhoidum fluxu crebro

crebro moleſtati, aut Matres ſimili exuperante Fluxu menſtruo laborârunt, ac ita acriorem ſalſam maſſæ humoralis Diatheſin in ſuas Filias propagârunt.

Dignoſcitur facilè hic Affectus, ſi menſtruo tempore Fœminis contingat; utut non ſingulis menſibus affligat, ſed tum demum, quando major in ſanguine turgeſcentia exiſtit, ſive ob iram intervenientem aut proximè præcedentem nimiam, ſive ob cibos acriores valdeque aromaticos copioſè ingeſtos, ſive ob potum Vini, corporisque exercitium nimium, ſive denique ob uſum Balneorum, Laconicorum, aut Pediluviorum. Quippe ab ejusmodi cauſis inteſtinus humorum motus valdè augeri, & turgeſcentia nimia facilè excitari poteſt. Subinde præcedunt talem Fluxum cruciatus & dolores tenſivi, vel etiam æſtuantes Lumborum, nonnunquam per Abdomen divagantes, cum laſſitudine Artuum.

Frequenter contingens hic Fluxus incommodat non tantùm Fœminas, ut ſæpè per aliquot dies lectum tenere cogantur, ſed & ſteriles quandoque reddit illas, vel etiamſi concipiant, nihilominus poſt ſecundum tertiumve ingravidationis menſem plerunqne abortiunt. Præterea facilè tales Fœminæ cachecticæ, ſcorbuticæ, tandemque hydropicæ evadunt, niſi debitâ medendi methodo, florem Sanguinis reſtituente, ejusmodi mala impediantur.

In *Curatione* proin credimus reſpiciendum eſſe tum ad quantitatem ſanguinis nimiam, tum ad ejusdem acrimoniam ſalſam vel ſcorbuticam, tum denique ad diſſolutionem ſeu fluiditatem & ſeroſitatem illius nimiam. Ut autem vitia ejusmodi probè corrigantur, remedia quidem alia *in Paroxyſmo* præſcribentur, talia nimirum, quæ in *Hæmorrhagiâ Uteri* ſuo loco commendavimus; alia *extra Paroxyſmum*. Videlicet heic ſubinde Corpus purgari poterit *Rhabarbari electi* ʒj. cum *Cremoris* ♀*ri* ℈j. Dein *Electuarium* ſequens per plures hebdomadas uſurpabitur, ad conſiſtentiam debitam & dulcedinem ſanguini reddendam:

℞. *Conſerv. Roſ. rubr.*
Plantag.
Flor. Papav. rhead. aa.
Condit. Cydon. (ʒvj.
Nuc. moſch. ana ʒiß.
Pulv. Fol. Saniculæ.
Corall. rubr. ppt.
Bol. Armen. ppt. ana ℈ij.
Syrup. Fl. Tunic. q. ſ.
M. f. Electuarium, de quo m. ac v. Nuciſtæ magnitudo capiatur.

Vel ℞. *Conſ. Fl. Tunic.* ʒvj.
Fol. Piloſell.
Myrt. ana ℥ß.
Cond. Bacc. Cynosb. ʒij.
Rad. Symph. ℥ß.
Unicorn. foſſil.
Ebor. uſt. ppt.
Ocul. ♋. *ppt. ana* ʒß.
Syrup. Cydon. q. ſ.
M. f. Elect. d. ad Oll. quotidie mane ac veſp. Caſtaneæ magnitudo lambatur.

Vel ℞. *Unic. foſſil.*
C. C. uſt. ppt. ana ʒj.

Terr.

Terr. ſigillat.
Corall. rubr. ppt.
Pulv. Flor. Tunic.
Roſ. rubr. ana ʒß.
Sacch. roſ. tab. ℥ß.
Nuc. moſchat. ℈j.
M. f. Pulv. ſubtil. detur ad ſcatul. m. ac v. ʒß. *vel* ℈ij. *capiantur cum Aquâ Plantag. vel Burſ. Paſt.*

Vel ℞. *Extract. Torm.*
Plant.
Trifol. fibr. ana ℈j.
Sangu. Drac. ver.
Diaph. ♂ *ial.*
Corall. rubr. ppt. ana ʒß.
Eſſent. Myrrh. q. ſ.
M. f. l. a. Pilulæ num. 80. *conſperſ. Pulv. Liquir. d. ad Scat. Doſ. man. ac veſp.* 10.

Poteſt etiam m. ac veſp. *Tinctura* ♄ *n.* vel ♂ *tis adſtr.* aut *Corallor.* cum *Eſſent. Trifol. fibr.* vel *traumaticâ* qualicunque ad *gutt.* 20. 25. 30. per aliquot hebdomadas in Julepo ſequ. aut ſimili dari:

℞. *Aqu. fol. tener. Querc.*
Burſ. Paſt. ana ℥iß.
è Succ. Cyd. ℥j.
Syrup. Fl. Tunic. ʒvj.
Corall. ʒiij.
M. d. ad Vitr.

Singulis trimeſtribus *Vena ſecetur*; crebrò etiam *Cucurbitulæ cum ſcarificatione* in uſum vocentur. Æſtate vel *Acidularum potus* cum regimine diætæ ſcorbutico-plethoricis concedatur; vel uſus *Thermarum aluminoſo*-aut *vitriolico-martialium* præſcribatur, ubi *Helvetico-Badenſes* in hoc Affectu jam ſæpè mira præſtiterunt. Largior Vini potus damnandus: Vinum rubrum planè fugiendum. Salita & aromatica ſimul noxia. Hordeum, Oryza, Juſcula avenacea, farinacea & lactea quàm optima.

Menſium fluxus inordinatus. MENSIUM FLUXUS INORDINATUS eſt excretio parcioris vel copioſioris ſanguinis ex Uteri vaginâ, haud menſtruo tempore ordinario, ſed ſine ordine extra illud tempus, nunc citius nunc tardius, nunc frequentius, nunc rarius Fœminis, inprimis Virginibus, Mulieribusque ſterilibus obtingens, *Cauſa.* ſicubi pejori Diætæ indulgendo dyscraſiam Maſſæ ſanguineæ acquiſiverint, in quâ nimirum particulæ multæ crudiores, craſſiores, atque ſalino-acido-viſcidæ collectæ, pro variâ occaſione, ſive è corporis refrigeratione, inprimis frequenti, ſive ex Animi paſſionibus, ſive ex impeditâ tranſpiratione, ſive ex enormi alio Diætæ errore enatâ, turgeſcentiam inordinato tempore excitant, atque hinc vaſcula Matricis colli rumpendo, aut dilatando Fluxui Menſium inordinato portas aperiunt.

Prognoſis. Haud contemnendum certè hoc Malum, quoniam ſubinde non tantùm moleſta atque gravia ſymptomata poſt ſe trahit, ſed etiam vehementiores tandem Morbos, ſi fuerit diu neglectum, producere valet, Cachexiam nimirum, Hydropem, Hecticam, Scorbutum & alios. *Symptomata comitantia.* Symptomata autem, quæ talem Fluxum inordinatum comitantur, ſunt dolor lumborum, laſſitudo, interdum Reſpirandi

ſpirandi difficultas, Dyſorexia, Febricula ephemera frequens, Sitis, Cephalalgia, aliaque, plura pauciorave ſimul affligentia. Sub tali Fluxu dein modò copioſior, modò parcior ſanguis excernitur. Fluit autem nunc ſingulis alternis hebdomadis, nunc apparet tantillum poſt aliquot intermiſſionis dies, & iterum ceſſat: aliquando poſt ſextam vel ſeptimam hebdomadam recurrit, ac inde iterum per unam ſeptimanam, vel duas ſubſiſtit, citiusque denuò accedit; adeo ut nullam omninò periodum ordinatam obſervet.

nio, Etſi autem cum ejusmodi Fluxu inordinato diu Fœminæ, utcunque ſanæ, manere queant, præprimis ſi interea ſubinde Narium patiantur Hæmorrhagiam; nihilominus tamen ingruentibus tandem variis moleſtis Symptomatibus ad Medicos accedunt, ſibique Fluxum Menſium ordinatum & regularem conciliari cupiunt. Medicus itaque Affectum ab inordinatâ ac vitioſâ diætâ maximè provenire deprehendens, ante omnia melioris vitæ regiminis obſervationem ſeverè inculcabit, hinc verò ad cruditates primarum viarum, non ſecus atque evacuandas ſanguinis particulas heterogeneas *Vinum* ſtatim *medicatum purgans* ordinabit, quod ſimul incidere & alterare queat; v. g.

℞. *Radic. Apii* ℥ß.
Vincetox.
Cichor.
Meu. ana ʒiij.
Cortic. Cappar. ʒij.
Herb. Artemiſ.
Betonic.
Marrub. alb. ana Mj.
Summit. Abſynth.
Flor. Calend. ana Mß.
Semin. Dauc.
Fœnic. ann ʒj.
Baccar. Laur. ʒij.
Fol. Sen. mund. ℥j.
Rhabarb. elect.
Rad. Helleb. nigr. ana ʒiij.
Cortic. Winter.
Salis polychreſt. ana ʒiß.
Limatur. Chalyb. in nodulo ligatæ ʒvj.
Inciſis, contuſis atq; ſacculo ex Sindone rubrâ immiſſis affunde
Vini albi veteris ℔iiij.
Aquæ fontanæ prius calefactæ ℔ij.
Hinc citra ulteriorem coctionem quotidie mane exhauriatur cyathus unciarum quinque, atque horâ elapsâ Juſculum capiatur.

Poſt uſum *Vini* ejusmodi *medicati Vena brachii* vel *pedis ſecetur*, & ſanguis ad octo uncias præter-propter extrahatur, interea per 15. pluresve dies de uno alterove ſequentium *Remediorum* quotidie mane ac veſperi aliquot horis ante paſtum ſumat: v.g.

℞. *Tinctur.* ♂ *t. aperit.*
♁ *nii ana* ʒij.
Aqu. Cinam. cum Vin. ʒiß.
M. d. ad Vitr. Doſ. 20. vel 30. guttæ cum Vino, aut Aquâ Meliſſæ, Card. bened. &c.

Vel ℞. *Elix. propriet. dulc.* ℥ß.
Eſſent. Zedoar.
Aqu. Cinam. cum Vin, ana ʒj.

M. ad Vitr. Doſis ut ſupra.

Vel ℞. *Salis volatil. oleoſ. Sylv. vel*
Spirit. Sal. arm. aniſat. ʒiij.
Eſſent. Croc.
Tinctur. Corall. ana ʒj.
Aqu. Cinam. cum Vin. ʒiß.

M. d. ad Vitr. Doſ. ut ſupra.

Vel ℞. *Eſſent. Succin.*
Croc.
Artemiſ.
Marrub. alb. ana ʒj.
Garyophyll. ℈iiij.

M. d. ad Vitr. Doſ. gutt. 20. ad 25.

Vel ℞. *Croc.* ♂ *t. aperit.*
♁*n. diaphor.*
Fæcul. Bryon. ana ℈iiß.
Cinam. elect. ʒß.
Ocul. ♋. *ppt.* ʒj.
Salis Abſynth. ʒß.
Sacch. alb. ℥ß.

M. f. Pulv. ſubt. d. ad ch. Doſ. ℈ij. *cum Aqu. Beton. Borrag.* &c.

Vel ℞. *Diaph.* ♂ *ial.*
Radic. Aron. pulv.
Ebor. ppt.
C. C. phil. ppt. ana ʒj.
Cubebar. ℈j.
Salis Artemiſ. gr. xv.
Sacchar. alb. ʒij.

M. f. Pulv. ſubt. d. ad Scat. Doſ. ʒß. *m. ac veſp.*

Juxta hæc æſtivo tempore cholericis atque plethoricis Fœminis *Acidularum potus* commendari poteſt, cum debito regimine diætæ; vel ſimul poſt uſum earum *Balnei* uſus per aliquot dies concedi. Aliis Fœminis commendabitur ſolus Thermarum potus, à quo Sanguinis maſſa ad æquabilem craſin, turgeſcentiam menſtruam, fluxumque ordinatum revocari poteſt. Sub ejusmodi curâ autem, vel extra eam quoque proſunt *Tragemata*, quale v. g. ſequens exempli loco inſervire poterit:

℞. *Spec. Diatr. Santal.*
Imperat.
Dianth. ana ʒij.
Diaph. ♂*ial.*
Lact. Lunæ.
Corall. rubr. ppt. ana ʒiß.
Flor. Calendul. pulveriſ. ʒj.
Sacchar. alb. ℥vj.

M. f. Pulv. ſubt. d. ad Scatul. Doſis ʒij. *circiter, cum fruſto panis toſto, vinoq; emollito.*

MENSIVM SVPPRESSIO, *Emanſio, Conſtipatio*, eſt *Fluxus* ſanguinis fœminino Sexui, menſtruo quovis tempore naturaliter obtingentis, ceſſatio, varia ſymptomata moleſta poſt ſe trahens. *Menſium ſuppreſſio.*

Plures autem cauſæ ſunt, quæ hunc Fluxum ordinarium impediunt atque ſupprimunt. *Cauſæ.* In ſtatu naturali ſingulis menſibus ſanguis Fœminarum auctus turgeſcit blandè, ſub hâc turgeſcentiâ Vaginæ uterinæ vaſcula quædam patentia, atque eminentia venoſa nimis expanduntur, leviter dehiſcunt, ac ſanguinis guttulas plures paucioresque emittunt, Fluxum illum menſtruum conſtituentes. Quòd ſi proin emanet talis Fluxus, cauſa vel in Vaginæ tubulis, vel in ipsâ ſanguinis Maſſa quærenda erit. Et quidem non apparent Menſes vitio vaſculorum, quando hæc vel nimis flaccida, ac ſine ruptionis metu diſtenſibilia evaſe-

evaſerunt; vel quando nimio obſita muco exiſtunt, ut facilè dehiſcere nequeant; vel denique, quando tonus fibrarum in tubulis dictis nimis robuſtus eſt, quàm ut à turgeſcente ſanguine disrumpi queant. Vitio autem ſanguinis menſtruus ſupprimitur Fluxus, ſi ille ob admiſſas heterogeneas particulas, acido-inprimis viſcoſas, atque pituitoſas craſſas, ita ſpiſſus, lentus ac viſcidus eſt redditus, ut blandam illam turgeſcentiam periodicam adipiſci vel ſubire nequeat, ſed potius ad obſtructiones glandularum varias generandas, vel turgeſcentias quoque febriles excitandas inclinet, in quibus rarò taliter ebulliens ſanguis ad minima Vaginæ vaſcula, ob ſui craſſitiem nimiam decurrit; vel etiamſi decurrat, fibræ tamen vaſculorum vel nimis flaccidæ, aut muco externo valdè obſitæ non hiſcunt, vel irritatæ magis propter ſanguinis fervorem, ſpiritus animales copioſiores in ſubſidium vocant, à quibus rigidiores & fortiores factæ turgeſcenti ſanguini, rupturam molienti, validè reſiſtunt. Sanguinem malè diſponunt tum Chylus è primis viis crudus, lentus, pituitoſus aut viſcidus ſæpè affluens, tum forſan ſubitaneus terror, ſpiritus adeo turbans, ut hinc illa blanda turgeſcentia quandoq; in momento ceſſet, ſanguisque vel craſſior redditus, vel in ſuo motu inteſtino debilior factus per Colli uterini vaſcula utcunque hiantia exſudare amplius nequeat. Unde ſi menſtruatis Fœminis talis animi Paſſio ſubitò accedat, fluentia Menſtrua plerunque confeſtim ſubſiſtunt, nec ſemper proximo menſe ſequente naturaliter & perfectè redeunt. Ira tamen pro diverſâ in ſanguinem, & ſpiritus animales actione modò Fluxum illum minuit, modò eundem auget, prout iratæ Fœminæ ſanguis fuerit conſtitutus. Quoad victûs rationem contribuunt ad hanc ſuppreſſionem Cibi viſcoſi, pituitoſi, crudi, chylum craſſum atque pituitoſum præbentes: contribuunt etiam acidi, dyspepti, frigidi, horæi Fructus, & ſimiles. Contribuunt potus acidi, Vinorum aut Cereviſiarum craſſarum, acetoſarum, ut & Aquarum gelidarum. Contribuunt ſaccharata ac mellita, Paſtæ quoque farinaceæ jugiter commeſtæ. Contribuunt membrorum frequentes infrigidationes, dum vel in aëre frigido & humido, vel in aquis gelidis ſæpè multum verſari coguntur Fœmellæ. Contribuunt denique Somni, Quietis, ac Triſtitiæ indulgentia. Præterea tamen Hæmorrhagiæ majores prægreſſæ, Cachexiæ, Hecticæ, aliusve Morbi præſentia utplurimum quoque Fluxûs illius ſuppreſſionem comitem habent. In gravidis ac lactantibus Fœminis Menſes utplurimum non fluunt, utpote Sanguinis ſuperfluisportionibus alium in uſum tractis.

Haud difficile eſt hunc Morbum detegere: patet enim ex ſolâ Ægrotantium relatione; verùm potius animadvertendum, quanta mala ex hâc Fluxûs naturalis intermiſſione provenire queant: nimirum laſſitudines artuum magis augeſcentes, Cephalalgiæ, *Diagnoſis.*

lalgiæ, tenſivi Lumborum dolores & cruciatus, cum ardore quodam per Abdomen divagante; Triſtitia mentis, Anxietas Pectoris, atque Dyſpnœa, Calores volatici, Horrores febriles, unde paulatim naturalis color faciei perit, & pallidus cachecticus ſuccedit. Si fortè gravida eſt Fœmina, & ſtatum ſuum celare vult, ex variis id ſignis impraegnationis hariolari debet Medicus. Subinde Menſes per Hæmorrhagiam narium, aut per Hæmoptoen, aut Hæmorrhoides erumpunt, ac tum reliqua ſymptomata longè mitiora ſunt. Hæc verò omnia vehementius Ægram menſtruo, quàm alio tempore torquent.

Progno-ſis. Si diutius ac per plures menſes retardetur Fluxus, tunc vel continuæ & plus minus ardentes Febres, vel Cachexia, Leucophlegmatia, Hydrops Pectoris, ipſaque Phthiſis aut Febris lenta inde produci poteſt, uti obſervari ſolet.

Curatio. *Curatio* proin hujus Menſium defectûs minimè eſt procraſtinanda; indicationes autem à mucoſitate, flacciditate, aut rigiditate quoque nimiâ Fibrarum deſumtæ non niſi *Balneorum* ſive *Thermarum* qualiumcunque debitum uſum poſtulant: ab ipſo verò ſanguinis lentore & viſciditate petitæ volunt, ut illud maximè vitium corrigatur per *remedia volatiliſantia*, atque *acidum auſterum deſtruentia*. Quamobrem ante omnia primæ viæ, in quibus antecedens ferè mali cauſa hæret, à cruditatibus liberandæ veniunt, quod non melius obtinebimus, quàm vel per uſum alicujus *emetici*, ſi ſtomachus ſaburrâ viſcoſorum humorum ſcateat; vel per pilulas aut potiones catharticas; vel denique per uſum *Vini medicati*, v. gr.

℞. *Gutt. Gamandr. gr.* viij.
Crem. ♀*r. gr.* vj.
Cinam. elect. gr. j.
Sacch. alb. gr. vj.
M. f. Pulv. ſubt. d. ad ch. & ſumatur unâ vice mane.

Vel ℞. *Pulv. rad. Ipecacuanh.* ʒß.
Crem. ♀*ri gr.* iiij.
M. f. Pulv. ſumendus pro doſi.

Vel ℞. *Maſſ. Pilul. maroc.* ʒß.
♀*rear.* ℈ij.
Reſin. Jalapp. gr. xv.
Cinnab. ♁*n. corr.* ℈ij.
Salis volat. C. C. pur. ℈j.
Eſſent. Myrrh. q. ſ.
M. f. l. a. Pilulæ numer. 110. *Conſp. pulv. Cinam. d. ad Scatul. Decem ſumantur pro doſi ſingulis alternis diebus cum vehiculo conveniente.*

Vel ℞. *Spirit. Meliſſ. aut Anth. aut Aqu. Vit. Matth.* ʒiß.
Reſin. Jalapp. gr. viij. *vel* ix.
Solutis leni igni adde
Syrup. de Artemiſ. ʒij.
Aqu. Cinam. cum Vin. deſt. ʒj.
M. d. ad Vitr. pro doſi matutinâ, ſi opus videbitur, repetendâ.

℞. *Radic. Meu.*
Ariſtoloch. long. ana ℥ß.
Galang. ʒij.
Herb. Marrub.
Meliſſ.
Agrimon. ana Mj.
Artemiſ.

Summit.

Summit. Cent. min.
Abſynth.
Flor. Calendul. ana Mß.
Baccar. Laur. ʒiiß.
Cortic. Aurant.
Semin. Fœnic.
Naſturt. ana ʒj.
Fol. Sen. opt. mund. ℥j.
Rhabarb. elect. ℥ß.
Rad. Helleb. nigr. ʒiij.
Salis Abſynth. vel
Boracis venet. ʒj.
Croc. orient. ver. ℈ij.

Inciſis, contuſis, atque ſacculo immiſſis affunde

Vini alb. boni & defæcat. ℔iij.
Aquæ Gramin. ℔ij.

Stent per noctem in loco tepido, poſtea repone in Cellam, & quotidie mane Cyathum quatuor præter propter unciarum exhauriendum offer.

Vel ℞. *Radic. Gentian.* ʒvj.
Cyper.
Zedoar. ana ʒij.
Gladiol. ʒiß.
Fol. Abrot.
Calaminth.
Dictamn. Cret.
Matricar. ana Mj.
Flor. Cheir.
Stoech. Ar.
Summ. Cent. min. ana Pj.
Rhab. elect. ʒvj.
Agar. troch. ℥ß.
Lign. Aloes. ʒiß.
Semin. Ammeos.
Baſilic.
Pœon. ana ʒj.
Scoriar. Ferr. ℥ß.
Salis Abſynth. ℈iiß.

Inciſ. contuſ. & in nodulo ligatis affunde ut ſupra, & utere eodem modo.

Abſoluto *Vino medicato Venam* primùm ſecabis *Brachii*, atque dein etiam poſt intervallum aliquot dierum *Pedis*. Interea ad Sanguinis lentorem corrigendum uſurpabis vel *Juſcula Herbis* v. gr. *Artemiſ. Cochlear. Naſturt. aquatic. Beccabung. Apii ſelin. Cherefol. Borrag. Fumar. Florib. Calend.* &c. alterata, m. & veſperi ſumenda. Vel *Sal volatile oleoſum* qualecunque aut *Spirit. Salis armon. aniſ. Tinct. Caſtor. cum Spir. Salis arm. par. ad* 20. *guttas* m. ac v. cum *Vino rubro* minimè *auſtero* exhibebis. Prodeſt in hunc quoque finem *Tinct. ♂ t. aperit.* Tinctur. *♁n. Eſſentia Artemiſ. Elix. propr. ſ. acid. Eſſent. Galang. Sabin. Croc. Aqua Cinnam. cum Vino deſtillata.* Imò ſequens etiam *pulvis* ſuo non caret effectu; v. gr.

℞. *Sacch. alb.* ℥iij.
Spec. arom. roſ. ʒiß.
Imper. ʒj.
diagalang. ℈ij.
Pulv. fol. Sabin. ℈iiij.
cachect. Querc. ʒij.
Borac. venet.
Caſſiæ lign. ver. ana ℈iiß.
Croc. mart. abſynthiac. ʒß.
Sem. Fœn. ʒj.

M. f. Pulv. ſubt. d. ad Scat. Doſis m. ac veſp. ʒij. *cum Vino.*

℞. *Trochiſc. de Myrrh.*
Diaph. martial. ʒj.
Ocul. ♋. *ppt.* ℈ij.
Fœcul. rad. Bryon.
Aron.
Cinam. elect.

 Croc.

Croc. oriental. ana ʒß.
Sacch. alb. ℥ß.

M. f. Pulv. ſubtil. cujus doſis eſt ℈ij. *man. ac veſp. cum Vino, horâ unâ ante paſtum.*

Mulierculæ noſtrates euporiſton habent nodulum, cui *Scorias Ferri, Baccas Lauri, Radicem Galangæ, Cinamomum*, atque *Crocum* immittunt, eique affundunt *Vinum rubrum* minimè adſtringens; de quo dein ſingulis ferè paſtibus hauſtum ſumunt. Nobis verò hactenus magis ſatisfecit ſequens *Infuſum* aut ſimile:

℞. *Limat Chalyb. in nod. ligat.* ʒvj.
Radic. Meu. ℥ß.
Galang. ʒij.
Herb. Artemiſ.
Marrub. alb. ana Mß.
Flor. Geniſt. Pij.
Fol. Sabin. ʒiiß.
Cinam. elect. ʒiß.
Baccar. Laur. ʒij.
Croc. oriental. ʒj.
Borac. venet. vel
Salis Artemiſ. ʒj.
Sacchar. alb. ℥iiij.
Inciſ. & contuſ. affunde
Vini albi veteris ℔iiß.
Aqu. Artemiſ. ℔iß.

Stent in Vitr. per quatriduum infuſa in loco neque tepido neque frigido, ſubinde agitando. Poſt quatriduum coletur liquor, & inde mane ac veſperi uncia una hauriatur horâ ante paſtum, deſuper per horæ quadrantem, vel amplius deambulando.

Diæta. *Diæta* obſervetur exacta, cibi aromatibus conditi, atque calidi reliquis præferendi. Fructus nocent horæi, non ſecus atq; acida ac frigida omnia. Æſtivo tempore conducunt pituitoſis quidem *Balnea* vel *artificialia* cum incoctione *Herbarum Sabin. Artemiſ. Lavendul. Origan. Abſynth.* aliarumque *Plantar. hyſtericarum*; vel *naturalia*, ſive *mineralia* ac *Thermæ*: Cholericis verò *Acidularum potus*, quo abſoluto per unum vel alterum diem *Balneum* quoque uſurpandum. Alvus *Pilulis Francofurtenſibus* quandoque ſollicitetur, ante cœnam 15. pro doſi ſumtis. *Pediluvia* frequentia ſint. Circumſpectus denique ſit Medicus in *Emmenagogorum* præſcriptione, ne fortè Ancillis & Virginibus, vel Viduis gravidis talia præſcribat.

Si Vitium ſit in malâ Uteri vel Vaginæ conformatione, tum hæc probè examinanda, ſuisque modis emendanda.

A ſubitaneo terrore ſuppreſſi Menſes revocantur ℈j. *Croci* & *granis* vj. *Cinam.* cum *Juſculo* ſumtis; hauſtu quoque *Aqu. Calendul. Artemiſ. Cherefol. Card. bened. Naſturt. Cinamom.*

MENSIUM DIFFICULTAS & STILLICIDIUM,

Menſium Stillicidium. MENSIUM DIFFICULTAS & STILLICIDIUM, eſt Symptoma excretionis ſanguinis menſtrui, cum difficultate, lumborum cruciatu, laſſitudine, ſubinde & Febriculâ quadam prodeuntis, & interdum nonniſi guttatim ferè exſtillantis; unde etiam peculiare nomen *Stillicidii* obtinuit.

Subjectum. Affectus hic non paucis Mulierculis, etiam Virginibus familiaris, ſed illis præcipuè, quarum ſanguinea maſſa intemperiem pituitoſo acidam atque acrem contraxit. *Cauſa.* Hoc enim modo

modo utplurimum Difficultas illa producitur; videlicet, quando menſtruâ ſanguinis turgeſcentiâ accedente, craſſities atque viſciditas humoris impedimento eſt, quò minus uterini colli vaſcula, quæ aliâs in ſtatu naturali rumpi, & ſanguinis ſuperfluitates dimittere ſolent, aperiantur, dum tubulorum talium fibrillæ ſive muco tenaciore obſitæ, ſive aliâs ab acrimoniâ ſanguinis irritatæ, non tenduntur ſatis aut eroduntur, ſed potius ſpiritibus animalibus in ſubſidium vocatis fortius ſtringuntur, ſicque turgeſcentiæ illi, rupturam continuè molienti, aliquamdiu reſiſtunt, tandemque vel ita aperiuntur, ut fluxus contingat ordinarius cum Symptomatum mitigatione; vel tantillum duntaxat ac leviter aperta Sanguinem non niſi guttatim emittunt, cum tenſivo lumborum dolore, aliisque ſymptomatibus continuantibus.

Affectio hæc non niſi ex Ægrarum relatione cognoſcibilis, meretur quoque *Curationem* exactam, ne in graviora alia mala mutetur. Cùm enim ex Maſſæ ſanguineæ dyscraſiâ pituitoſo-acido-acri, ad ſcorbuticam Intemperiem declinante proveniat; facilè integram Menſium ſuppreſſionem, Febrim lentam, Cachexiam, album doloſorumque Fluorem, Chloroſin, aliave poſt ſe trahere mala poſſet, ut taceam nunc Symptomata admodum moleſta, cruciatusque vehementes, cum quibus hoc Malum Fœminas affligere, ac lecto per aliquot dies plerunque affigere ſolet.

Itaque in *Curatione* id omninò agendum, ut illa Humorum circulantium dyscraſia quantocyus corrigatur, quâ correctâ ipſe ſimul Morbus ceſſabit. Ante omnia ergo primæ viæ probè eluentur, idque *Vini medicati purgantis* propinatione, v. gr.

℞. *Radic. Apii, Scorzoner. Leviſtic.*
Polypod. quern. ana ℥ß.
Herb. Hepat. nobil.
Agrimon.
Anſerin.
Meliſſ. ana Mj.
Summit. Aneth.
Marrub. alb.
Abſynth.
Flor. Calendul.
Geniſt. ana Mß.
Baccar. Juniper.
Laur.
Semin. Dauc. ana ʒiß.
Lign. Aloës.
Cinam. opt. ana ʒj.
Fol. Sen. opt. mund. ʒx.
Radic. Hellebor. nigr. ℥ß.
Salis Artemiſ. ℈iiij.
Inciſis, contuſis atque ſacculo inſutis affunde Vini alb veter. ℔iiij. *pond. civ.*
Aqu. fontan. pur. ℔ij.
Stent primâ nocte in Cineribus calidis poſtea quotidie mane Cyathus ℥iv. *exhauriatur, atque horâ poſt Juſculum capiatur.*

Poſt uſum hujus *Vini Vena ſecetur*; atque interea ſingulis Menſibus *Cucurbitulæ cum ſcarificatione* applicentur. Verno & Autumnali tempore *Juſcula Herbis naſturcinis alterata* per 15. dies m. ac v ſumantur. Præterea ea quoque *Remedia* commendentur, quæ in *Menſium ſuppreſſione* commendata

data fuere. *Diæta* tandem eadem quæ ibi diligenter obſervetur.

Menſium Decoloratio.

MENSIVM DECOLORATIO, eſt menſtrui ſanguinis, qui floridè rubicundi coloris eſſe deberet, ad pallorem, albedinem, aquoſitatem, viriditatem, flavedinem, vel livorem inclinatio, non ſine ſymptomatibus moleſtis Fœminas affligens. Affectus, qui per ſe ex ægrotantium relatione cognoſci ſolet, ſed ubi ſimul interdum fœtor excretæ materiæ, fluxus inordinatus, Febres etiam erraticæ, vel acutæ aliquando, horror, ciborum faſtidium, Cardialgia, laſſitudo, Cephalalgia, & alia, modò hæc modò illa moleſtiam ſimul pariunt, juſtumque Fœmellis metum futurorum adhuc pejorum malorum incutiunt; dum non ita difficulter inde ſubſequi poſſunt Gonorrhœa fœda, Cachexia, Hydrops, Febris hectica, atque ſimilia.

Diagnoſis. *Prognoſis.*

Cauſæ. *Cauſa* verò mali omnis in Sanguinis circulantis dyſcraſiâ eſt conjicienda, quòd ſi enim in illo cumulatæ fuerint particulæ ſeroſæ, vel ſalino-aquoſæ admodum ſolutæ, Menſes prodibunt aquoſiores, pallidiores, albicantes; ſi pituitoſæ magis particulæ cum ſalino-vitriolicis adfuerint, menſes virideſcentes apparebunt; ſi deniq; pituitoſum ſanguinis ſerum ſalibus acido-acribus, aliûs figuræ, cum permiſtis etiam quibusdam ſulphureis nimis ſolutis, ad vaſa uterina hiantia præcipitetur, Menſes erunt flaveſcentes, lividi, mucoſi, imò & fœtentes. Quanquam autem diæta pejor, cibique & potus ſucci deterioris apud plebejos multum ad talem ſanguinis dyſcraſiam contribuere ſoleat, veritati tamen conſentaneum eſſe videtur, idemque Medicis Practicis notum, impuros ſubinde coitus, indeque enatam, atque qualitercunque curatam ſive Luem veneream, ſive Gonorrhœam virulentam talem poſt ſe Affectum relinquere; idque tanto magis, ſi interea Mulier vel iræ vel triſtitiæ, victusque rationi pejori multum indulſerit. Apud Virgines autem unicè & victûs ratio pejor, & animi Paſſiones, & hæreditaria forſan etiam ſanguinis dyſcraſia ad talem Affectionem contribuunt; tantoque id magis, ſi Suppreſſio menſium, ſi morbus alius, ſi inſeſſus in idem Balneum cum aliâ Fœminâ hoc morbo vel etiam Syphilide, aut virulentâ, aliave acri Gonorrhœâ laborante, ſemel vel aliquoties præceſſerint.

Curatio. In *Curatione* proin ſuademus ad ſanguinis purificationem heic maximè neceſſariam, ſequentem methodum medendi. Primò detur ſeqq.

℞. *Tinctur. ♁n. vel*
♂is aperit. ʒij.
Aqu. Cinam. cum Vin. ʒj.

M. d. ad Vitr. Sumatur ſex doſibus m. ac veſp. horâ ante paſtum cum Aqu. Beton. vel Fumar. Dein purgandum Corpus, v. gr. ſequentibus Pilulis:

℞. *Mercur. dulc. opt.*
Extract. cathol. ana ℈j.
Magiſt. Jalapp. gr. ij.
Ol. ſtillat. Succ. q. ſ.

M. f. Pilulæ num. 15. *Inaurat. ſumantur ſummo mane pro doſi, & ter vel quater*

quater ſingulis ſex diebus reiterentur. Interea ſequens *Pulvis* dabitur:

℞. *Spodii ppt.*
C. C. phil. calcinat.
Ocul. ♋. *ppt.*
Diaph. martial. ana ʒj.
Succ. alb. ppt. ℈ij.
Sacch. alb. ʒj.

M. f. Pulv. ſubt. in 10. *doſ. æqu. divid. ad ch. m. ac v. ſumatur doſis cum Decocto ſequenti, horis* 2. *ante paſtum.*

℞. *Radic. Ariſtoloch. long.*
Apii.
Ruſci ana ʒij.
Sarſ. parill. ʒvj.
Lign. Guajac.
Saſſaphr. ana ℥ß.
Herb. Agrimon.
Veron.
Meliſſ. ana Mß.
Semin. Fœnic. ʒiß.
Inciſ. & contuſ. coque in
Aqu. fontan. Mij. *ad quartæ partis conſumt. in vaſe nonnihil clauſo. Colatur. d. ad Vitr.*

Quibus abſolutis vel *Juſcula* propinentur *Herbis Fumar. Scabioſ. Borragin. Naſturt. Beccabung. Matriſylv. Cherefol. &c. alterata*; vel talium *Plantarum Succi expreſſi & filtrati ad* ℥ij. *pro doſi per* 20. *dies* m. ac veſp. ſumantur.

Si verò talia ad palatum non ſint; *Tinctura* ♁*n. Corallorum*, vel *Martis aperitiva* qualiſcunque cum *Aquâ Cinamom. Eſſentiâ Myrrhæ, Zedoar.* vel etiam *Elixir Propriet. dulc.* dabitur. Neque contemſerim facilè uſum *Salium volatilium oleoſorum*, præprimis, ſi *ſuccinata* ſimul fuerint. *Vinum medicatum alterans & purgans* quoque prodeſt ſæpè unicum, è ſequentibus v. gr. paratum;

℞. *Radic. Polypod. quern.*
Aſparag. ana ℥ß.
Sarſæparill.
Calam. arom. ana ʒij.
Cortic. Lign. Guajac. ℥j.
Herb. Meliſſ.
Marrub. alb.
Agrimon.
Summit. Abſynth. ana Mj.
Semin. Fœnic.
Cortic. Winter. ana ʒiß.
Limat. Chalyb. in nodulo lig. ℥ß.
Fol. Sen. opt. mund. ℥j.
Radic. Helleb. nigr. ℥ß.
Rhabarb. elect. ʒij.
Salis Cent. min. ʒj.

Inciſ. contuſis atque in ſacculo ligatis affunde
Vini albi veteris ℔iiij.
Aqu. fontan. ℔ij.

Stent per unam noctem in loco tepido, poſtea quotidie mane exhauriatur Cyathus cum regimine diætæ.

Si Febris aliqua lenis adfuerit cum Plethorâ, tum Vena poterit ſecari, & *Purgans* vix aliud, quàm ſequens dabitur:

℞. *Syrup. de Cichor. cum Rhab.* ℥ij.
Aqu. Agrimon.
Endiv. ana ʒvj.
Elect. è Succ. Roſ. ʒj. *vel* ℈iiij.
Mercur. dulc. ℈j.

M. d. ad Vitr. pro doſi.

Dein ſequens *Decoctum* propinabitur:

℞. *Herb. Agrimon. vel Scabioſ.*
Sanicul. vel Pyrol.
Card. bened.
Anſerin. vel
Capill. ♀. *ana* Mj.
Cortic. Lign. Guajac. ℥j.
Semin. Fœnic. ʒiß.
Radic. Apii.
Vincetox. ana ℥ß.
Crem. ♀*ri* ʒij.
Inciſ. & contuſ. coque in
Aqu. fontan. Mij. *ad quartæ*
partis conſumt.
De Colaturâ ℥iv. *m. ac v. ſumantur.*

Etiam *Pulvis* ſequens conducit, v. gr.

℞. *Specif. antihect. Pot.*
Pulv. Viper. ppt. ana ʒij.
Bezoard. min.
Bol. arm. ppt.
Spodii ppt. ana ʒj.
M. f. Pulv. ſubtil. divid. in 14. *part. æqu. ad ch. m. ac veſp. cum Juſculo capiendas.*

Juſcula Herbis, ut ſupra monitum, *alterata*, in hoc febrili caſu optima quoque notata fuerunt.

Diæta quæ conveniat, ex Ætoilogiâ ſuperiori concludi poteſt. Cavendum maximè à quotidiano potu Aquæ pejoris, vel Vini aut Cerevisiæ aceſcentis. Cavendum à Triſtitiâ, ab Irâ, à Venere impurâ, à Balneis cum perſonis Gonorrhœâ aut Fluore impurò laborantibus. Cavendum à Cibis continuè ſalſis, oleribus aquoſis; cavendum denique à frequenti corporis perfrigeratione.

Meſenterii obſtructio. MESENTERII OBSTRVCTIO, ac TVMOR, deſcribi poteſt Morbus auctæ magnitudinis in glandulis, vaſculisque Meſenterium occupantibus, cum variis ſymptomatibus contingens, atque ab humorum ſtagnatione proveniens. Sortitur nomina diverſa pro diverſâ causâ obſtruente, diverſisque conjunctis Symptomatibus. Etenim ſi vaſcula ſanguinea fuerint à ſtagnante ſanguine acido acri viſcoſoque infarcta, expanſa, atq; ardorem cum Febri continuâ excitent, tunc Affectus propriè vocabitur *Meſenterii inflammatio*. *Differentia.* Quòd ſi ſanguis ille ſtagnans expanſa nimis vaſa diſrumpat, ac ita cumulatus per extravaſationem ſanguis putreſcere incipiat pergatque, tunc morbus appellabitur *Meſenterii Apoſtema* vel *Abſceſſus*, qui ſi tandem rumpatur, & vel per Inteſtina, vel quacunque aliâ datâ portâ ſuum pus effundat, etiam in Abdominis cavum, tum dicetur *Meſenterii Ulcus*. Porrò ſi glandulæ Meſenterii à pituitoſo humore, ſive Lymphâ Chylove viſcoſo & mucoſo infarciantur, atque extumeſcant, ſimpliciter *Obſtructio Meſenterii* vocabitur, ſed quam *Cachexia* atque *Hydrops Aſcites* ſequitur, vel comitatur, in omnium enim Aſcite mortuorum cadaveribus glandulæ infarctæ, & muco gelatinoſo oblinitæ deprehendi ſolent. Si verò Lympha magis inſpiſſata atque exiccata Glandulas illas meſaraicas occupet, inque Tubercula dura convertat, cum manifeſtâ ſenſim conſumtione corporis, tum Affectus nuncupabitur *Meſenterii Glandularum Scirrhus*, vel à Symptomate urgentiore *Atrophia*. Denique ſi ipſa

lactea

lactea vaſcula à Chylo nimis viſcido infarciantur, *Obſtructio vaſorum lacteorum* dicetur, ſymptomaque hinc naſcens erit *cœliaca Paſſio*.

2. Unde patet jam, ad tales Meſenterii Affectus gignendos vel ſanguinem ipſum auſteriorem quomodocunque redditum, ſicut in Inflammatione explicatur, vel Lympham glutinoſiorem, quemadmodum in Hydrope aut Scirrho exponitur; vel Chylum denique crudiorem à perverſâ chylificatione, aut Cibis glutinoſo, craſſo, acido, auſterove ſucco præditis redditum contribuere.

Affectus autem tales non ita facilè ſemper cognoſcuntur, multumque adeo negotii Medico curanti faceſſunt. *Inflammatio* tamen dolorem ardentem in regione Meſenterii, pulſantemque producit, cum Febri continuâ, Siti, inquietudine, vigiliis; ex Abdominis etiam contactu dolor augetur. Quo autem major fuerit Inflammatio, eo etiam vehementiora erunt talia Symptomata. *Abſceſſus* ex Inflammatione oriundus cognoſcetur, ſi Inflammationis ſigna præceſſerunt, ac dein remiſerunt; ſi Tumor duriusculus ex attactu magis dolens in Abdominis cavo obſcurè deprehendatur; ſi purulenta denique, cruori etiam fortè permiſta materia per ſeceſſum cum levamine abierit; vel ſi veſtigia quædam animadvertimus materiæ purulentæ in Abdominis cavum dejectæ cum Febri lentâ hecticâve ſubſequente. E Meſenterio autem pus in Inteſtinorum canalem non devenit, niſi vel inter membranas rependo, vel per diſrupta vaſcula lactea aut venoſa, adeoque ſimul eroſam portionem inteſtinalium tunicarum penetraverit. *Scirrhus* Glandularum meſaraicarum dignoſcitur ex duritie Abdominis circa Meſenterium, ex Atrophiâ indolente, ac Febri hecticâ. *Infarctus* earundem pituitoſo-mucoſus cognoſcitur ex Cachexiâ vel Aſcite præſente, ex conſumtione quoque corporis paulatinâ, ex Urinâ parcius profluente ac lixiviosâ. Denique *Obſtructio* vaſorum lacteorum deprehenditur ex alvi dejectionibus cineritio-chyloſis, cum crebris ſed blandis ventris torminibus; adeoque ex ipsâ præſenti Affectione cœliacâ, ac prægreſſâ Gulæ indulgentiâ.

Si *Prognoſin* horum Affectuum inſpiciamus, varia dici poterunt; quoniam promiſcuè illi ſunt vel evadunt magis minusque periculoſi. Magna Inflammatio cum malignâ Febri plerunque funeſta. Abſceſſus Meſenterii, qui per Inteſtina purgari nequit, vel Hecticam ac Tabem paulatinam poſt ſe trahit, vel Gangrænam ac Sphacelum citò Hominem interimentem excitat. Scirrhus atque Infarctus glandularum pituitoſus, utplurimum Ægros emaciat, lentâque morte extinguit, & Scirrhus quidem plerunque citra tumorem Abdominis; Infarctus autem, ſub quo lymphatica plura vaſa rumpuntur, ſuumq; in Abdominis cavitatem ſerum effundunt, cum Aſcite ac pedum Oedemate. Simplex tandem lacteorum obſtructio innocentiſſima eſt, ac facilius curabilis. *Prognoſis.*

Curatio. In *Curatione* Inflammationis Meſenterii eadem medendi methodus inſtituenda eſt, quæ commendatur in Inflammatione in genere, vel Febri malignâ. Extus tamen quotidie bis Abdomen inungatur *Oleo Chamomillæ*, *Roſarum*, *Hyoſcyami*, vel *Scorpionum*. In *Scirrho* Meſenterii curatio inſtituetur, ſicut in *Atrophiâ* ſuo loco deſcriptâ. *Abſceſſus* Meſenterii requirit interna *diaphoretica* primùm, hinc & *traumatica decocta*, in *Ulcerum* curatione propoſita. Extus verò Abdomen *Scorpionum* atque *Hyperici Oleo* diligenter illinatur calidè. *Infarctus mucoſus* glandularum expoſcit ea remedia, quæ in Anaſarcâ, Cachexiâ atque Aſcite commendata fuerunt. Denique *Lacteorum vaſorum Infarctus* iis curabitur, quæ in Affectione cœliacâ præſcripſimus; non negligendo *Balnea* quoque *Aquæ dulcis* cum incoctione *Herbarum emollientium, incidentium, aperientium, reſolventium.*

Mictio involuntaria.

MICTIO INVOLUNTARIA INCONTINENTIA URINÆ

eſt Symptoma Veſicæ, ſive excretionis Urinæ læſæ, quo invitis Hominibus ſive præter voluntatem effluit, idque nunc continuè, nunc tantùm in ſomno. *Differentia.* Unde Symptoma hoc dupliciter conſiderari poteſt, vel quatenus denotat Urinæ profluvium involuntarium, dormientibus ſolùm & non vigilantibus contingens; quale quid Infantibus, ac Pueris familiare eſt; vel quum vigilantibus, æquè ac ſomno deditis Urina aſſiduè profluit, & tam Adultis, quàm Pueris evenire ſuis è cauſis poteſt: propriè hic Affectus vocari meretur *Incontinentia Urinæ*, dum Homines, quantumcunque velint, illius effluvium retinere neſciunt. Alter verò Affectus, *Mictio nocturna* magis nuncupabitur. Utraque interim Mictio involuntaria exiſtit.

Incontinentia Urinæ provenit à ſphincteris Veſicæ tali læſione, ſub quâ ille Orificium hujus partis claudere, clauſumque tenere minimè valet: itaque Paralyſis ſphincteris, licèt rariſſima illa, & ejusdem dilaceratio, vel diſciſſio talis, quæ exiſtit frequentior, aſſidui iſtius profluvii Cauſæ erunt & veræ, & proximæ. *Cauſa.* Ad dilacerationem Sphincteris contribuunt Partus difficiles, in quibus pudenda nimium quantum expanduntur. Contribuit & Ulcus in Orificio Veſicæ ab Urinâ acri, aut Calculis aſperioribus excitatum, unde paulatim Sphincteris Fibræ exeduntur, & totaliter, ni medela juſta interveniat atque impediat, dilacerantur. Contribuit denique Calculus undiquaque aſper in orificium Veſicæ illapſus, atque ob continuam mingendi ſtimulationem ita in muſculum ſphincterem per mingendi conatum adactus, ut illum tandem dilaceret. Vel in Lithotomiæ operatione Calculus juſto major atq; aſperior, ſub extractione ſui ſimiliter ſphincterem, jam ex parte forſan à Lithotomo inciſum, totaliter dilaniare poteſt. Diſcinditur autem ſphincter ſubinde in ipſâ Lithotomiâ, vel in Vulneribus aliis Veſicæ. Quando autem ab Urinæ acrimoniâ

vel

vel à Calculo & Arenulis Veſicæ, in Nephriticis, à Veſicæ itidem compreſſione in Prægnantibus, à Copiâ Urinæ in Diabete, ſimilibusque aliis à cauſis Homo frequenter ad mingendum ſtimulatur, ut diu hinc Urinam retinere nequeat, ſed eam crebrius emittere cogatur, tum non *Incontinentia* vocabitur *Urinæ*, neque *involuntarium* ejus *profluvium*, ſed vel *Dyſuria*, vel *Stanguria* &c. dicetur.

iclo- mi- is urna.

Mictio nocturna Pueris ac Puellis frequens originem habet à laxâ fibrarum Sphincteris conſtitutione, ob quam facilè in ſomno, dum ſufficiens Urina veſicam replevit, diducuntur, ſicque aperto orificio Urinam involuntariè profluere ſinunt. Notabile circa hoc Symptoma eſt, quod Pueri jam octennes, adultioresve mihi retulerunt, ſibi etiam in ſomno quandoque voluntariè Urinam profluxiſſe, dum ad mingendum ſtimulati per inſomnia credere ſe vel latrinæ inſidere, vel loco ad Urinam emittendam licito commodoque verſari. Laxiorem verò ac debiliorem fibrarum Sphincteris tonum reddunt, præter pituitoſam humorum intemperiem, mollioremque & delicatiorem corporis texturam, tum Cibi admodum refrigerantes, Fructus horæi frigidi multum devorati, tum Aquæ frigidæ affatim & quotidie potæ; tum etiam extremorum perfrigerationes crebræ, quibus ætas hæc vel eapropter indulget, quòd Pueri frequentius in aëre libero, quantumcunque frigido humidove convenientes ſibi ludos exerceant.

Progno- ſis.

Urinæ Incontinentiam à Paralyſi Muſculi Sphincteris oriundam curabilem eſſe credimus, niſi Paralyſis illa fuerit univerſalior, atque contumacior. Curabilem, inquam, remediis nervos obſtructos reſerantibus, eorumque tonum roborantibus; qualia in Paralyſis curâ prolixius commendata videre licet. Inprimis autem heic poſt *mercuriales Pilulas purgantes* convenire credimus uſum *Thermarum ſulphureo-aluminoſarum*, *vitriolicarum*, debito cum regimine inſtitutum. Quæ verò Incontinentia originem ducit à dilaceratione vel diſciſſione Sphincteris, immedicabilis exiſtit, nec aliud requirit, quàm alligatam ſemper pudendis matulam, ita conſtructam, ut portare quis ſecum facilè, effluentemque eâ Urinam excipere queat. Quod ſi verò nondum planè eroſus ſit, dilaceratusve Sphincter, ſed tale quid tamen metuatur, tum verò *traumatica* atque *conſolidantia remedia* intus extusque uſurpabuntur; intus quidem *Balſamus 🜍ris terebinthinatus*, *Balſamus de Copaiba*, vel *Peruanum*, *Oleum Terebinthinæ*, *Tincturæ traumaticæ* &c. cum *Decocto vulnerario* quotidie ad 10. 12. 15. 20. *guttas* propinanda. Commendamus & *Farinam radicis Althææ*, vel *Conſolidæ maj. Pulverem Folior. Ariſtoloch. rotund.* vel *Lichen. petræi*, *Florum Saniculæ*, *Roſar. rubr.* cum *Succ. alb. ppt. Corall. rubr. ppt. ♁n. diaph. Terr. ſigillat.* atque *Unicornu foſſil.* Nec formidandus ſimul uſus *Thermarum 🜍earum*, *Argillâ vitriolicâ*, vel *aluminoſâ alcalinâ* pollentium.

 Mictio

Mictionis nocturnæ curatio.

Mictio Puerorum *nocturna* ab imbecillitate & laxitudine Sphincteris, hinc & Corporis perfrigeratione nimiâ proveniens, requirit ante omnia *Purgans* è *Pulvere Rhabarbari* cum *Cremor.* 🜿*ri*, & *Ol. deſtill. Macis* paratum. Vel *Infuſum Decoctumve Myrobalanorum* cum *Rhabarb. Crem.* 🜿*ri, Cinamom. Semin. Aniſ.* & *Fol. Alchymill.* in mediâ *Vini*, & *Aquæ* parte paratum. Deinceps verò quotidie aliquid *Vini rubri* cum *Aquâ* ordinariâ, vel *Decocto radicis Biſtortæ* in paſtu concedatur. *Pulvis* ſimul *nervinus, roborans*, atque *adſtringens* exhibebitur, ex *Terrâ ſigillat. Diaphoret.* ♂*ial. Bol. armen. Semin. Perfoliat. Hyperic. Unicorn. foſſil. Radic. Biſtort. Corall. rubr. ppt. Nuce moſchat. C. C. uſto, Maſtich. Cinnab. nativ. opt. Ventricul. gallinac. ppt. Macis, Cubebis*, & ſimilibus parandus. Pro ſpecifico habent *Pulverem Erinacei combuſti*, ſed in aliquibus hisce caſibus nullum præſtitiſſe effectum memini. Item *Veſicæ caprill. Capitis leporini combuſti, Murium recens penè nator. & combuſtorum, Croci Martis adſtringentis, Veſicæ ſuillæ*, vel *Ovillæ exiccatæ pulvis* ſimiliter juvare poſſet, præprimis ſi ſuperioribus aliis permixtus, ac *Sacchαro* edulcoratus fuerit. In *Potu ordinario ignitus Chalybs* aliquoties extinguatur. *Thermæ* atque *Balnea mineralia* ne contemnantur. Extrema calida teneantur, à Cibis nimis ſalitis non ſecus atque à Fructibus horæis, Oleribus hortenſibus, acetariis; ab Aëre humido-frigido, caveatur. Lumborum denique Pubisque Regio *Oleis Hyperici, Scorpionum, Anethi, Myrrh. Cydonior. Nuc. moſchat. myrtin.* calidè bis vel ter quotidie inungatur. Addere licet *Olea* quoque *deſtillata*, v. g. *Majoran. Lavend. Anth. Macis, Succin. Bacc. Juniper. Unguent. Comitiſſæ*, cum *Croco Martis adſtringente* & *Oleo Cydonior, Maſtich.* vel *myrtino* miſta, atque Oſſi ſacro applicata, quæ in nonnullis profuerunt maximè.

MICTIO NIMIA, vid. *Diabetes*.

MICTIO DIFFICILIS & ARDENS, vid. *Dyſuria*.

MICTIO ABOLITA, vid. *Iſchuria*.

Mictio cruenta.

MICTIO CRVENTA ſive *Hæmorrhagia* aut *Dyſenteria renalis, veſicalis*, eſt Symptoma excretionis Urinæ depravatæ, quo hæc ſæpè cruenta, ſive cruore ſanguineo permiſta, majore minoreve quantitate, plerunque cum aliquo dolore vel ardore excernitur. Mictio hæc *nunc* eſt ſanguinis puri, unde *Hæmorrhagia renalis* aut *veſicalis* appellari poſſet; *nunc* eſt Urinæ ſanguini permiſtæ; idque vel cum pure, unde *Ulcus* quoddam *Renum* aut *Veſicæ* deſignat: vel cum pituitâ aut ſabulo, ceu Nephritidis, Calculive indicio. Ut ita vitium in Renibus, Ureteribus, Veſicâ aut Urethrâ hæreat. *Differentia.*

Cauſa.

Urinam ergo cruentam producit 1. Calculus major minorve in Renibus genitus, ſuoque motu vaſcula dilacerans, è quibus guttulæ ſanguinis profluentes, ac Urinæ permixtæ eam

eam rubicundam ſive cruentam reddunt, à lixivioſo rubrâ Urinâ facilè dignoſcibilem. Quod ſi calculus Renum major inſignia eorum vaſa dilacerârit, tum copia ſanguinis emanabit, hicque ſincerus & purus, vel cum tantillâ Urinæ portione emingetur, idque etiam frequentius, niſi vaſa illa dilacerata quomodocunque iterum clauſa fuerint. Excretionem hanc copioſam ceu renalem Hæmorrhagiam, Cordis imbecillitates, Spirituumque animalium depauperatio ſubſequuntur. 2. Cruenta producitur Urina ab arenulis aſperioribus vaſcula ſanguinea Renum, Ureterum, ipſiusque Sphincteris aut Urethræ dilacerantibus, ac ita paucas ſanguinis guttulas Urinæ liquori permiſcentibus; quod iterum cognoſces ex rubore Urinæ ſanguineo, ex dolore lumborum verſus inguina tendente, ex ardore Urinæ, ex particulis ſanguinis Urinæ innatantibus; denique ex ſabulo vel arenulis in Urinâ ſubſidentibus. 3. Urina cruenta evadit, quando Calculus vel unus vel plures in Veſicâ hærentes ſuâ aſperitate Sphincterem atterunt, atque dilacerant, ut hinc è vaſculis apertis ſanguineæ guttulæ emanent. 4. Mictionem cruentam reddunt eroſiones vaſorum ſive renalium, ſive Ureterum, Veſicæ aut Urethræ, ab humoribus acido-corroſivis productæ, quos vel Sanguis arterioſus ad tales demittit, vel coitus impurus cum Lue venereâ infecto ſuppeditat. 5. Mictionem purulentam efficiunt Ulcera dictarum partium nunc à calculis, nunc ab humoribus acribus, acidis, facta; ubi pus modò copioſius, modò parcius cum Urinâ profluet, illiusque fundum petet, ſub formâ ſedimenti albi mucoſi.

Hypoſtaſis hæc ſi à Renibus proveniat, dolores aderunt Lumborum fermè continui; ſi autem prodeat è veſicâ, tum nulli in lumbis ſentientur dolores, ſed intra veſicam, hujusque orificium magis cruciabunt, idque plerunque cum Stranguriâ, vel Dyſuriâ. Si ab ipſâ deſcendat Urethrâ in Viris, credibile eſt Gonorrhœam plus minus virulentam Proſtatas, vel ipſam quoque internam Urethræ ſuperficiem exulcerâſſe.

Pro varietate igitur contingentis mali, varia *Prognoſis*, varia etiam Cura venit inſtituenda. Hæmorrhagia renalis, in quâ per frequentes ejectiones, ultra tres pluresve libras Homines excreviſſe obſervati ſunt, non tantùm Anæmiam producit, ſed & Cachexiam, Hydropem, Spirituum maximam penuriam citò interimentem, vel Ulcera denique Renum cum Hecticâ poſt ſe trahunt, niſi & ſiſti poſſit citò ſanguinis fluxus, & conſolidatio vaſorum perfici. Ita quoque Urina purulento-cruenta ex Ulcere Renum prodiens Hecticam excitat, niſi Ulcus illud probè detergere, & ad cicatricem perducere potueris. Mictio cruenta à Calculo Renum majore producta ſanatur, ſi quietem Calculo dederis. Si verò Calculus Veſicæ Hæmorrhagiam ſubinde producat, tum medelam afferes, ſi vel per Lithotomiam exemeris Calculum, vel

Prognoſis.

vel eidem quietem conciliaveris. Tandem ab Ulcere Proſtatarum, Veſicularum ſeminalium, vel Urethræ excoriatione proveniens cruenta Mictio curabitur, ſi illis medelam Affectibus tutam attuleris.

Curatio. In *Curatione* autem Hæmorrhagia Renum ſive à Calculo majore dilacerante, ſive ab Humore acri corroſivo inducta, poſtulat remedia demulcentia, blandeque adſtringentia atque traumatica. Quamobrem ſequentia præſcribi poſſunt; v. gr.

℞. *Aqu. Plantag. Polygon.*
Burſ. paſtor. ana ℥j.
Syrup. de Roſ. ſicc. ℥ß.
Confect. Hyacinth. ℈ij.
Tinct. ♂*tis adſtring. vel antiphthiſ.* ʒj.
Lapid. Hæmat. ppt.
Unicorn. foſſil. ana ℈ij.

M. d. ad Vitr. ac inde bihoriis ſingulis duo cochlearia plena hauriantur. Mane ac veſperi etiam ſequens *Pulvis* ſumatur:

℞. *Semin. Hyperic.* ʒij.
Flor. Sanic.
Roſar. rubr. ana ʒiß.
Lapid. Hæmat. ppt.
Bol. armen. ppt.
Sanguin. Drac. ver. ana ʒj.
Sacch. cand. alb. ℥j.

M. f. Pulv. ſubt. cujus doſis erit ℈iiij. *in Juſculo hordeaceo vel farinaceo.*

Vel ℞. *Fungor. Cynosbat.* ʒiij.
Croc. Mart. adſtr.
Semin. Urtic.
Plantag. ana ʒj.
Sacch. cand. alb. ʒvj.

M. f. Pulv. ſubtil. de quo mane ac veſp. ʒj. *capiatur.*

Vel ℞. *Sangu. Drac. ver.* ℈iiiß.
Unic. foſſil.
Terr. ſigill.
Succin. alb. ppt. ana ʒj.
Terr. Catechu ℈j.
Fol. Piloſell. ʒß.

M. f. Pulv. ſubt. div. in 10. *doſ. æqu. ad ch. quæ m. ac veſp. capiantur cum Aqu. Polygon. & Syrupo Corallor. vel myrtino.*

Vel *Tinctura* aliqua *ſtyptica* loco Pulveris ad doſin 15. pluriumve guttularum, cum *Aquâ Urticæ* ſæpius exhiberi poterit. Loco Mixturæ autem ſuperioris *Electuarium* quoddam præſcribere licet; v. gr.

℞. *Conſerv. Roſ. rubr.*
Plantag.
Flor. Hyperic. ana ʒvj.
Condit. Rad. Symphyt. ʒij.
Nuc. moſch. ℈ij.
Confect. Hyac. ʒj.
Corall. rubr. ppt.
Terr. ſigillat. ana ℈ij.
Eſſent. Opii liquid. ℈j.
Syrup. myrtin. vel
Cydon. q. ſ.

F. Mixtur. ad Form. Opiat. d. ad Fictile, & inde ſingulis trihoriis nucis magnitudo capiatur.

Pro potu ordinario concedatur *Emulſio Amygd. dulc.* cum *Decocto radicis Urtic.* ac *Hordeo* parata. In Cibis *Cremor Hordei* prolixè dabitur; à ſalitis, & aromaticis, non ſecus atque à Vino abſtinendum. Motus corporis fugiendus. Alvus *lenientibus* teneatur aperta, etiam *Clyſmatibus*.

Si

Si non multum adhuc ſanguinis profluxit, ſed metuatur tamen, *Venæſectio* quoque proderit. Si verò gravior fuerit Hæmorrhagia, etiam *Bolus Armenas* cum *Aceto* permiſtus frigidè lumbis applicetur, vel *Unguentum Comitiſſæ* inungentur. In *Juſculis* ſubinde *Ichtyocolla ad* ℥j. ſoluta concedetur.

Mictio cruenta Gonorrhœæ ſuperveniens ceſſabit, ſi hunc probè ſanaveris Affectum, prout ſuo loco expoſuimus.

Mictio eadem à Calculis Renum aut Veſicæ oriunda ſiſtetur quoque, ſi talibus morbis ex arte medeberis.

Mictio ſimilis ex Ulcere Renum curabitur denique, ſi tale Ulcus perfectè ſanaveris, de quo vide ſuo loco.

io MICTIO LACTEA vel CHY-
ſa. LOSA, eſt Urinæ craſſæ, ad lacteum vel chyloſum colorem accedentis frequens excretio, ſubinde cum aliquo labore, dolore & difficultate; quando nimirum craſſior evaſit, ſpiculisque nonnullis ſalino-auſteris dotata ſphincteris muſculos conſtrinxit.

Familiaris eſt hæc Urina Pueris, qui Lumbricorum copiâ laborant, quique ſingulis ferè horis ſeſe cibis omnivariis ſaginant. Apud Adultos rariùs talis Urina obſervatur, niſi fortè excernatur ab illis, qui cum Veſicæ grandiore Calculo, mucum tunicarum abſtergente, conflictantur; vel Renum aut Veſicæ laborant Ulcere, copioſum pus reddente. Obſervavimus etiam aliquando ſimilem Urinam per aliquot hebdomadas à Fœminâ excretam cum magno levamine, quæ pectoris Abſceſſu è Pleuritide enato, ſed in Empyema tamen non converſo laboravit; ut aliter ratiocinari haud potuerimus, quàm pus illud omne à vaſis qualibuscunque eroſis hiantibusque ſenſim abſorbtum, in ſanguinem circulantem traductum, atque hinc ad vias Urinæ præcipitarum fuiſſe.

Gignitur talis Urina, quando vel Chylus crudus, copioſus ac viſcidus ad ſanguinem transmiſſus tardè admodum mutatur in ſanguinis formam, atque hinc in Urinæ liquorem faceſſit; vel copioſi inteſtinorum Vermes ſuccum Pancreatis abſorbentes, dilutionem chyli impediunt, ac ita crudiorem illum ad ſanguinem transfluere permittunt. Subinde etiam pus, aut pituita copioſa Urinæ liquori permiſta talem Mictionem producit. A Leproſis, fœdaque Scabie laborantibus ſæpius ejusmodi Urina ob copiam ſalium atq; crudorum humorum prodire notatur. Denique penuria acidarum particularum efficit, ut alcalino-ſalino-volatiles cum ſpirituoſo-ſulphureis, atque pituitoſis multis Urinæ commiſtis craſſitiem lacteam concilient, difficulter admodum per urethram penetrabilem. Cauſa.

Mictio lactea Puerorum, Lumbricos præſentes denotans facilè curatur, ſi Lumbrici necentur atque expellantur, ſicut id ſuo loco explicatum. Mictio chyloſo-pituitoſa difficilis, adeoque Dyſuriam excitans, in quâ conatum excretionis in Hypogaſtrio admodum doloroſum adhibere Homi- Curatio.

nes coguntur, tandemque parum craſſæ albæ Urinæ emittunt, curatur haud difficulter, primò quidem per *Clyſmata emollientia* atque *detergentia*, in quibus *Terebinthina* ſimul *Vitello Ovi ſoluta* fuerit permiſta: deinceps verò exhibendo per vices bis vel ter de die guttulas 4. aut 5. *Spiritus Salis* vel *Nitri* cum *Aquâ Fragorum*, *Ononidis*, *Alkekengi*, ac *Syrupo violaceo*. Cumque ſic Dyſuria fuerit mitigata, dabimus *Pulverem Gummi Arabic*. & *Succini flavi ppt*. cum *Lacte*, vel ſequentem nephriticum cum alio vehiculo:

℞. *Radic. Ononid.*
Semin. Fœnic.
Dauci.
Cumini.
Geniſtæ ana ʒj.
Salis Fabar. ℈ij.
Sacch. cand. alb. ʒij.
M. f. Pulv. ſubtil. cujus doſ. eſt ʒj.

cum *Juſculo* vel *Aquâ Fragorum*. Purgabimus etiam corpus ſequenti *Emulſione nephrocatharticâ* in Puero 6. vel 8. annor.

℞. *Nucl. Perſic.* ʒj.
Semin. Violar. ʒiiß.
Cucum. ℈ij.
Aqu. Malv.
Portulac.
Fœnicul. ana ℥j.
F. l. a. Emulſio, cui adde
Syrup. flor. Perſic. ℥ß.
D. ad Vitr. pro doſi.

Æger denique *Semicupio* per aliquot dies imponatur, ex decocto *Herbarum emollientium* & *anodynarum* parato. Regio pubis quoque *Oleo Scorpionum*, vel *Chamomill. Melilot. Hyoſcyam.* &c. inungatur.

Mictio lacteo-purulenta ſubinde tabem poſt ſe trahit, ſi interna Ulcera fuerint fiſtuloſa reddita. Curabitur verò ſicut *Ulcus Renum*, ſuo loco expoſitum.

Mictio tandem *mucoſo-lactea*, Veſicæ calculum ſubſequens, immedicabilis, niſi Calculum per Lithotomiam extraxeris, de quâ vide Titulum de *Calculo Veſicæ*.

MILPHOSIS, vel MILTOSIS, vid. *Madaroſis*.

MISERERE MEI, vid. *Ileus*.

MOLA VTERINA, vid. *Matricis Mola*.

Morbilli. MORBILLI ſunt maculæ rubicundæ, ſiccæ, nonnihil tumidæ & latæ, per totam corporis ſuperficiem citra ſuppurationem efflorescentes, cum Febri plus minus acutâ, & pruriente nonnihil ardore Ægros affligentes.

Diagnoſis. Verno utplurimum tempore graſſantur, inprimis poſt Hyemem auſtrinam, quæ Atmoſphæram ad producendũ hoc malum diſponere ac determinare valet. Iminentium verò Morbillorum indicia ſunt, ſi alii jam Infantes iis laborent, ſi Æger iisdem nondũ laboravit; ſi febricitare incipit, ac de laſſitudine, cephalalgiâ, ventris torminibus conqueratur, ſi genæ rubeant, ac per vices palleant, ſi oculi redantur aquoſi, palpebræque nonnihil tumentes; ſi nauſeâ aut vomitibus torque-

torqueantur Ægri. Tandem etiam, ſed rarò, Convulſiones & Anxietates pectoris, vel ſimul Palpitationes cordis Morbillorum eruptionem præcedunt.

Præſentium autem Morbillorum *ſigna* exiſtunt apparitio exanthematum, ſive macularum rubicundarum, modò minorum ac pauciorum, modò majorum ac plurium, quod ſecundo, tertio, quartove, rarius inſequentibus hinc diebus contingere ſolet. Febris adeſt primò fortior, apparentibus verò probeque per univerſam Cutim efflorеſcentibus Morbillis, remiſſior, tum enim ſymptomata febrilia, ſi benè cum Ægro agitur, paulatim ceſſant. Maculæ ipſæ inſigniter rubent, nonnihil tument, cutim exaſperant, prurientem ardorem excitant: ſubinde etiam quælibet macula in medio tantillam Puſtulam cineritiam obtinet, brevi iterum diſparentem: Pruriunt quandoque & Nares cum ſternutatione, ac ubi Morbus ſimul Fauces occupat, Raucedo naſcitur: Salivam interim multam toto Morbi decurſu paulo Adultiores exſpuunt: Urina exiſtit rubicunda, plus minus tenuis & perſpicua: pulſus naturali citatior, ſitis magna: durant Maculæ per duos, tres, rarius per plures dies, antequam diſſipentur, comparent autem atque evaneſcunt citius, quando Ægri in decenti calore lecti, atque conclavis detinentur. Differunt tandem à *Variolis*, quod in his maculæ non acervatim ſtatim erumpant, ſad paulatim ſolùm effloreſcant, & dein ſenſim in Puſtulas majores minoresve albicantes excreſcant.

fe- à iolis.

Cauſa. Generantur Morbilli ex ſanguinis ſero-acido-viſcoſo, ſub certâ Aëris diatheſi in Maſsâ humorali primò efferveſcentiam febrilem ſubeunte, dein & in extremis tubulis cutaneis obhærente, ſtagnante, ſicque ſimul guttulas ſanguineas ita comprimente, ut ſubſiſtentes ſub colore rubicundo transpareant. Si dein ſimul contingat, ut guttula Lymphæ exprimatur, illa quoque cogitur in formam Puſtulæ gryſeæ, prurientem ſæpè dolorem ſuâ ſalſedine excitantis.

Prognoſis. Rarò evenit, ut Pueri ex Morbillis moriantur, modò benè curentur, & Medico circumſpecto obediant. Si tamen maligna Febris ſimul jungatur, induit hæc naturam Febreos petechialis admodum periculoſæ, quæ ſubinde Ægrum, excitatâ ſanguinis circa Cor ſtagnatione ſicque impeditâ circulatione, è medio tollit.

Curatio. In *Curatione* primâ morbi die, ſi Medicus vocetur, ſtudeat primas eluere apud Ægrum vias, idque planè ſicut in Variolis, *Purgante* aliquo *mercuriali*, ubi Inſultus febrilis nondum fortis extiterit; vel hoc jam præſente ſolum *Clyſma* aliquod injiciatur. Sequentibus verò Morbi diebus *diaphoretica* in uſum vocentur, *alexipharmacis* etiam ſpecioſioribus, ubi opus videbitur, ſociata, atque hunc in finem proſunt *Mixturæ*, *Pulveres*, *Aquæ deſtillatæ*, *Decocta* pro potu ordinario: quibus *Diæta* quoq; adcurata jungatur. Si Infantes adhuc lactentes ſunt, remediorumque uſum reſpuant, tum neceſſe eſt lactantibus Matribus eadem commendare & exhibere,

bere, quandoquidem per lac Nutricis æquè commodè Infans ſanari poſſit. Formulæ dictorum remediorum ſeqq. eſſe poterunt:

℞. *Aqu. Scabioſ. Fumar. ana* ℥iß.
Syrup. Citr. ℥ß.
Ebor. ppt.
Ocul. ♋. *ppt. ana* ℈j.
Rotul. Man. Chriſt. ſ. ʒj.
M. ad Vitr. Detur per cochlearia.

Vel ℞. *Aqu. Card. bened.*
Ulmar. Succiſ. ana ℥j.
Syrup. Violar. purpur. ʒvj.
♁*nii diaph.*
C. C. phil. ppt.
Terr. ſigillat. ana gr. xv.
M. ad Vitrum.

℞. *C. C. phil. ppt.*
Pulv. bezoard. 5.
♁*n. diaph. ana* ʒj.
M. f. Pulv. ſubtil. d. ad ch. Doſ. gr. xv. *ad* ℈j. *m. ac v.*

Vel ℞. *Ebor. ppt.*
Unicorn. foſſil.
Bezoard. min. ana ℈ij.
Lapid. bezoard. occid. ver. ℈j.
Sacch. alb. ʒj.
M. f. Pulv. ſubt. d. ad ſcat.

Vel ℞. ♁*nii diaph.*
Pulv. Pannon. rubr. ana ʒß.
M. f. Pulv. ſubt. in 6. *doſ. æqu. div. ad ch. pro Infant.* 3. *annorum.*

Vel ℞. *Ebor. ppt.*
♁*n. diaph. ana* ℈ß.
Lapid. bezoard. orient. vel occident. gr. iv. *vel* vj.
M. f. Pulv. ſubt. div. in 2. *doſ. æqu. ad ch. pro Puero* 3. *ad* 6. *ann.*

℞. *Terr. ſigillat.*
Bezoard. min.
Ocul. ♋. *ppt. ana* ʒß.
Cinnab. nat. opt.
Salis prunell. ana gr. xv.
Sacch. alb. ʒj.
M. f. Pulv ſubt. div. in 6. *doſ. æqu. ad ch. Præbeatur cum potu ordinario.*

℞. *Aqu. Scabioſ* vel *Fumar.* vel *Card. bened.* vel *Cherefol. q. pl.*
Detur cum Potu ordinario bibenda.

Pro *Potu ordinario* autem inſerviat *Decoctum Raſur. C. C.* cum *Radic. Gramin. Acetoſ. Liquirit. Semin. Aniſ. Fœnic.* & *Paſſulis.* Vel *Decoct. Liquirit. Hordei, Semin. Coriandr.* & *Paſſul.* vel *Radic. Gramin. Irid. florent. Fol. Agrimon. Scabioſ. Succiſ.*

In *Diætâ* præbeantur *Juſcula carnea*, *hordeacea*, imò ſi velis, *lactea*; abſtineatur ab acidis, ſalitis; ab aëris frigidi admiſſione. Si ſudet Æger, linteis calidis ſudor probè abſtergatur. Ira terrorve omnis arceantur. Diæta.

Si *Tuſſis* accedat, ſequens *Eclegma* præbeatur per cochlearia, aut cum *baculo Liquiritiæ* lambendum:

℞. *Aqu. Hyſſop.*
Tuſſilag.
Syrup. Bellid. min.
Papav. alb. ana ʒvj.
M. ad Vitr. detur cochleatim.

In Alvi conſtipatione fiant *Suppoſitoria* ſive ex *Melle* cum *Sale* & *Muſcerdis*, ſive ex *Butyro ſalito* cum *Croco* & *Sacchario* &c. & alvo intrudantur. Ubi autem Anxietas præcordia tentat, ſequens *Clyſma* injiciatur audacter:

℞. *Radic. Ir. flor. Ariſtol. rot.*
Lil. alb. ana ʒiiß.

Herb.

Herb. Malv. Mercurial. Meliſſ. ana Mj.
Salv. Majoran. ana Mß.
Semin. Aniſ. ʒiß.
Bacc. Juniper. ʒij.
Inciſ. & contuſ. coqu. in q. ſ. Juſculi carnium ſaliti. Colaturæ ℥vj. *pro Puero ſexenni, adde*
Ol. Olivarum.
Mell. roſac. ana ℥ß.
M. f. Clyſter tepidè injiciendus.

Urgente ſimul cum Anxietate Febris vehementiâ, *Mixtura cardiaco-alexipharmaca* parari & propinari cochleatim debet:

℞. *Aqu. cardiac. offic.* ℥iß.
Card. bened. ʒvj.
Syrup. acetoſ. Citr. ℥ß.
Confect. Alk. incompl. ʒß.
Spirit. Sal. arm. urinoſ. ℈j.
♁n. diaph.
Matr. Perl. ppt. ana gr. xv.
Cinnab. nat. opt. ℈ß.
Julep. roſac. ʒij.
M. ad Vitr.

Vel ſequens etiam *Pulvis* ſemel aut bis dabitur:

℞. *Pulv. pannon. rubr. gr.* vj.
Lapid. bezoard. orient.
Pulv. Ægagropil. ana gr. ij.
Sacch. alb. gr. iv.
M. f. Pulv. ſubt. d. ad ch. pro doſi.

Pectori interea applicabitur ſeqq. *Epithema:*

℞. *Spirit. Vin. camphor.* ℥iß.
Meliſſ.
Roriſmarin. ana ʒvj.
Volat. C. C. ʒij.
Aqu. flor. Acac. ℥j.
Confect. Alk. compl. ʒj.
M. ad Vitr. Subinde calefiat, ac Linteum vel Pannus ſcarlatinus ei intinctus applicetur. Pauperes applicent *Spirit. Ceraſ. nigr.* aut *Lilior. convall.* cum *Theriac. Ruſticor.*

Declinante tandem finitove Morbo, Æger laxandus eſt, ut reliquiæ ſive Morbi, ſive remediorum expurgentur. Quem in finem prodeſt *Syrupus* aliquis *purgans*, v. g. *Flor. acac. Roſ. ſ. ſ. de Cich. cum Rhab.* &c. vel etiam *Infuſ. fol. Senæ* cum *Semin. Aniſ. Crem. 🜿ri*, ac *Prun. damaſc.*

MORBUS GALLICUS, vide *Lues venerea.*

MORBUS HUNGARICUS, vid. *Febris maligna* & *petechialis.*

MORBUS REGIUS, vide *Icterus flavus.*

MORSUS CANIS RABIDI & ALIORUM ANIMALIUM, vide *Canis rabidi Morſus, ut & Venena.*

MORUM, vid. *Terminthus.*

MUTITAS, vid. *Linguæ Aphonia.*

MYDRIASIS à μυδάω *præ nimiâ humiditate putreſco*, eſt Morbus oculorum, quando horum Pupillæ præternaturaliter ita dilatantur, ut Viſus inde maximè debilitetur, atque Ægri ſub meridiem, lucente admodum Sole, nihil prorſus, in diluculo vel crepuſculo parum, noctu autem benè ſatis, ac diſtinctè videant. Affectus oppidò rarus, ſed quem tamen ante decennium in Juvene quodam Molitore, poſtmodum & in alio obſervare contigit. *Mydriaſis.*

Afficitur in hoc malo ſola Pupilla, quam *Pars affecta.*

quam tales Homines circumgerunt inſtar Avium lucifugarum, v. g. Veſpertilionum, Ulularum, Bubonum & ſimilium. Pupilla autem nimis dilatata exiſtit, unde objecta à Solis radiis illuminata quamplurima ſimul radios ſuos viſivos transmittere, ſicque viſionem non turbare ſolùm, ſed & diſtinctam omnem adimere debent. Dilatata verò eſt & manet ſemper Pupilla propter Iridem oculi vitiatam, cujus proceſſus ciliares, fibrillæque annulares obſtructæ & laxiores redditæ, vel prorſus ruptæ, dilaceratæ aut eroſæ fuerunt, ita ut eapropter conſtringi amplius vel dilatari pro diverſitate radiorum luminoſorum extus incurrentium, & aliqualiter irritantium, nequeant. Accidit etiam in hâc Pupillæ dilatatione, ut humores Oculorum nonnihil verſus Iridem magis promineant, unde viſivi rerum illuminatarum radii in Oculum immiſſi ad latera mox deflectuntur, ſicque Retinam illam & albicantem tunicam de die quidem minimè, noctu autem quàm optimè ferire poſſint, quippe nullo eminentiore lumine impediti.

Cauſa. Quod ſi rem altius repetamus, deprehendemus malum hoc vel à Catarrho apoplectico præcedaneo produci, in quo ſpecialiter fibrillæ ciliares ſupra deſcriptæ Paralyſin aliqualem adipiſcuntur: vel ab eroſione in Variolis; vel à dilaceratione in Vulneribus proceſſus illos ciliares Iridis prorſus dividi, ut poſtea conſtringere Pupillam amplius nequeant.

Prognoſis. Quomodocunque ergo malum contigerit, curatu difficile, ſi non prorſus impoſſibile erit. Et quidem fruſtra tentabis curationem, ſi à dilaceratione provenerit. A Paralyſi autem contingens malum requirit ante omnia *Purgans*, v. g. ſequens:

℞. *Extract. panchymag.*
Maſſ. pilul. è Succ. Crat.
Mercur. dulc. opt. ana ℈ß.
Reſin. Jalapp. gr. ij. *vel* iij.
Ol. ſtillatit. Fœnic. q. ſ.

M. f. l. a. Pilulæ num. 15. *Inaur. ſumantur mane pro doſi, cum regimine diætæ. Quatriduo poſt repetantur, & ita ter vel quater intra tres hebdomadas capiantur.*

Poſtea *Veſicatorium* Nuchæ applicetur, & ſi hoc nihil operetur, vel levamen nullum afferat, *Setaceum* prorſus in Nuchâ excitetur, per anni ſpacium geſtandum. Vel ſaltem *Fonticulus* Brachio imponatur. Oculus ſubinde *Spiritu Liliorum convall. Aniſi, Anthos, matricali,* aut *cephalico* qualicunque, cum *Aquâ Fœniculi* permiſto calidè foveatur. *Errhinus* quoque *pulvis* naribus mane ac veſperi attrahatur. *Nodulus* ex *Radic. Valerianæ, Rutæ, Imperatoriæ* ac *Fœniculi*, de Collo ſuſpenſus inter ſcapulas geſtetur. *Cucurbitulæ cum ſcarificatione* etiam ſingulis menſibus adhibeantur. Denique intus per longum tempus ſequens *Tragema* capiatur:

℞. *Specier. Dianth.* ℥ij.
Semin. Fœnic.
Herb. Euphraſ. ana ℥iß.
Radic. Pœon.
Valerian.
Ocul. ♋. *ppt.*

Diaph.

Diaph. ♃ *vial.*
Cinnab. nativ. opt.
Salis volatil. Succin. ana ʒj.
Sacchar. optim. ℥ viij.
M. f. Pulv. ſubt. d. ad ſcatul. Doſis m. ac veſper. ʒij.

Etiam *Tinctura* ſequens in uſum trahi poteſt:

℞. *Tinct.* ♂ *tis aperit.* ʒij.
Succin.
Salis volatil. oleoſ. ana ʒj.
M. d. ad Vitr. Doſ. guttæ 20. *ad* 30. *in ſingulis paſtibus.*

Cibi dyspepti, flatulenti, admodum ſalſi &c. fugiantur. *Vino* ordinarii potûs immerſa ſemper habeatur *Herba Euphraſiæ*, cum *Radice Ariſtoloch. long. Chelidon. majoris*, & *Pimpinellæ.*

Myopia. MYOPIA, à *μύωψ*, *claudens oculos, connivens*, eſt Symptoma Viſûs, quo Homines non niſi propius admota objecta diſtinctè cernunt, remotiora autem vel prorſus non vident, vel certè à ſe invicem minus dignoſcunt. Affectus, in quo limis tantùm, ſive conniventibus & ſemiclauſis oculis res naſo proximè applicare ſolent; imò ſi gravior fuerit, noctu parum profectò videre, minusque legere aut ſcribere poſſunt.

Subjectum. Malo huic plures, vel ab incunabulis Homines obnoxii exiſtunt; aliis verò idem in frequentibus Ophthalmiis pueritiæ contingit. Reperies etiam, qui minutiſſimas res oculis appropinquatas optimè vident, alios verò, qui minutiores tales res difficulter diſcernunt, & ſi diutius iis conſpiciendis immorentur, dolorem quoque Oculorum ſibi conciliant. Ut adeo Pars primariò affecta Oculus ſit quoad ſitum Humorum ſuorum naturalem mutatus. *Pars affecta.*

Cauſa. Producitur verò Affectus ab Humoris cryſtallini ſitu verſus poſteriora inclinato, & nonnihil retropulſo, unde fit, ut radii objectorum remotorum viſivi centrum illius humoris non attingentes, in ſuo tranſitu ad latera Uveæ divergant, Retinamque tunicam, ceu primarium viſionis organum non attingant. Si autem propius admota Oculis fuerint objecta, tunc eorum radii felicius cryſtallinum humorem ſubeunt, atque refractim transeundo in Retinâ tunicâ ſe ſiſtunt, ſicque rerum imagines inibi tanquam in obſcuræ cameræ albâ tabulâ repræſentant. Ex quo ſimul concludere licet, quòd Myopia nunc *levior*, nunc *gravior* evadat, quo Humor ille cryſtallinus modò magis, modò minus verſus interiora retroceſſit. Quomodo autem retrocedere in alio Morbo poſſit iſte Humor, nondum adeo adcuratè liquet. Probabile verò eſt, in Pueris frequenti Ophthalmiâ laborantibus, tunicas Oculorum externas nonnihil incraſſatas, aqueumque Humorem forſitan auctum, Cryſtallinum illum retropellere, hinc enim fit, ut tales quoque Homines pupillam nonnihil latiorem, ab humore aqueo magis expanſam obtineant. Si verò à nativitate illud obtigerit malum, vel hæreditarium erit, vel à formatione peculiari ita natum. *Differentia.*

Prognoſis. Quomodocunque autem provenerit, immedicabile exiſtit, neque hactenus

hactenus inventa remedia, quæ Humorem cryſtallinum anteriora verſus ſive propellere, ſive allicere potuerint. Niſi fortè quis acu perforare Oculum, & Humorem aqueum ſic extrahere voluerit, ſicuti in Catarrhactæ depoſitione contingit; atque ita per effluxum Humoris aquei ſperare ſuſtineat, cryſtallinum Humorem tum verſus anteriora ſive Pupillam nonnihil prolapſurum. Interim Myopes in exacto *Diætæ* regimine à copiâ Ciborum ſalſorum, crudorum, lentorum, atque dyspeptorum, non ſecus atque à frequenti crapulâ, à lucubrationibus aſſiduis, & à continuis operibus minutis ſibi cavebunt. Quanquam enim vulgò dicatur, & à multis credatur, Myopum Viſum durabiliorem eſſe aliorum Hominum meliore viſu, experientia tamen contrarium teſtatur, quâ quidem didicimus, ejusmodi Myopes per Diætam deteriorem ſibi Amauroſin ſubinde acceleráſſe, difficilius poſtliminiò emendabilem.

Curatio. Cura dein etiam palliativa in hoc incommodo Oculorum exercetur; ſubveniunt enim ſibi Myopes ope *Conſpiciliorum concavorum*, atque è Cryſtallo puriſſimo fabricatorum, quorum quidem adminiculo remotas à ſe invicem diſcernere atque cognoſcere res poſſunt. Tandem notabile hoc eſt, quod Myopes, ſi operibus incumbant, nutante ſemper capite exercendis, tandem cum ætate provectâ meliorem atque longinqua etiam dignoſcentem viſum non rarò adipiſcantur, quemadmodum id *Felici Platero*, velut in ſuâ teſtatur Praxi, aliisq; pluribus contigiſſe novimus. Interim Myopibus ſuadere licet uſum *Tragematis* noſtri Viſum acuentis, atque ab obſcuratione validè præcaventis, cujus hæc eſt deſcriptio:

℞. *Semin. Fœnic. Roman. recent.* ℥ß.
Aniſi ſtell.
Radic. Pœon. mar. Chelidon. maj.
Herb. Euphraſ. ana ʒij.
Dent. apr. ppt.
Succin. alb. ppt. ana ʒj.
Spod. ppt.
Ocul. ♋. *ppt.*
Cinnab. nativ. vel ♁*n. opt. aa.* ℈ij.
Sacchar. cand. alb. ℥iij.
M. f. Pulv. ſubt. d. ad ſcatul. cujus doſis ſingulis noctibus ʒij.

Capillitia dein geſtent ejusmodi Homines, atque *Spiritu Ceraſ. nigr.* vel *Lil. Convall.* cum *Aqu. Fœnicul.* & *Chelid.* diluto quotidie Oculos calidiusculè lavent.

NÆVI MATERNI ſunt Maculæ vel etiam Tubercula diverſæ figuræ, magnitudinis & coloris, in his illisve corporis partibus vel in ipsâ formatione Fœtûs progenita, atque utplurimum Matrum imaginationi forti & perverſæ attribui ſolita. *Nævus maternus.*

Vix autem poſſibile eſt, exactam ejusmodi Nævorum deſcriptionem exhibere, in quibus adeo multiplices differentiæ occurrunt. Ita enim vidimus in Fronte, Temporibus, Genis, Pectore, Dorſo aliisque partibus natas maculas fuſcas, rubicundas, violaceas, plerunque cum aſperitate cutis conjunctas: vidimus Tubercula ſimilium colorum majora, minora, *Differentia.*

quæ

quæ nunc Ceraſa, nunc Fraga, nunc Mora, nunc Araneas, nunc Mures, nunc Veſpertiliones, aliaque quadantenus repræſentabant. Quin ad Nævos quoque tales ratione originis referri poſſunt diverſæ figurarum & conformationum in partibus mutationes; v. g. Labia leporina, Digiti manuum aut pedum pauciores pluresve ſolito, defectus Brachiorum, ſimiliaque alia vitia, quæ ad Partus quoque monſtroſos referri ſolent.

ſa. Originem debent omnes hi Nævi gravidarum Matrum imaginationi, quæ ſive à Terrore ſubitaneo, ſive ab Irâ nimiâ, ſive à Gaudio exceſſivo, ſive à re quâdam magnâ cum attentione conſpectâ, atque conſideratâ fuerit mutata, ſpiritus animales in ſuo motu ita determinare valet, ut hinc ad Fœtum ejusque partes plus fortiter defluentes ac ruentes, figuram earundem mutare, ſicque deformitatem quandam in illis producere valeant. Creditur autem, eas maximè partes Fœtûs deformari, quas Mater in ſubitaneâ & enormi paſſione animi forſan durius etiam inſcia tetigerit; vel quas in occurrentibus ſubitoque obvenientibus Hominibus partes mutilatas, aliove quodam modo valdè deformes redditas cum horrore aliquo intuita ſit.

gno- & ratio. Qualescunque autem fuerint Nævi, difficiles exiſtunt curatu; & ſanè neque *actualia* neque *potentialia Cauteria* in illis tollendis ſemper aliquid præſtitiſſe hactenus comperimus. Deficiens etiam à nativitate quædam pars reſtitui nequit Arte. Superabundans verò, velut ſextus digitus & ſimilis, novaculâ reſcinditur, hincque Vulnus ſolito more ſanatur. *Nævi cutanei* ſimiliter vix niſi ſectione, quâ cutis illa portio Nævum ſuſtinens ſimul aufertur, extirpantur. Si verò *potentiali Cauterio* extirpationem prius tentare velis, circumſpectè procedas oportet, ut partim vicinæ partes nervoſo-tendinoſæ inprimis probè muniantur, partim radices Nævi adcuratè corrodantur, quò minus poſtea repullulare queant. In toto verò hoc negotio uti ſimul oportet tali *Unguento digeſtivo*, quod magis ſiccare, quàm emollire, emolliendoque copioſum ſuccum nutritium allicere queat. Vel uti hodie obſervari ſolet, poſt levem excitatæ cruſtæ attenuationem, *Butyro* etiam cum *Melle roſaceo* per aliquot deligationes tentandam, ſola linteola carpta, atque *Tincturæ aloëtico-myrrhatæ*, *Melli roſaceo permiſtæ*, intincta quandoque & *digeſtivum Unguentum* addendo, usque ad Ulceris conſolidationem applicabis, ſuperimpoſito *Emplaſtro diapalma* vel *ſtictico Crollii*. Corroſivi loco uſurpetur primò quidem *Pyrapyrum* noſtrum *indolens*, è *Sapone*, *Calce vivâ*, *Cinnabari* & *Minio* confectum, quod ſi ſæpius applicatum inſufficiens deprehendatur, tum ſubſtituetur acrius longè remedium, quemadmodum ſunt *Mercurius ſublimatus*, *Butyrum antimonii*, & *Lapis infernalis*: ſed hæc non diu ſuper Nævum linquenda ſunt, ne fortè profundius ſuam eroſionem exerceant. Horæ enim dimidiæ vel integræ

tegræ ſpatio ejusmodi acriora corroſiva ſufficientem eroſionem, & quidem non ſine dolore acerbo præſtant. Quod ſi autem obſervemus, nondum magnam ſatis è primâ applicatione factam fuiſſe, tum denuò corrodens imponimus, ſicque per vices & quidem tutius ad ſcopum perveniemus, quàm ſi ſimul & ſemel vitium illud auferre ſuſtineremus.

NARIVM HÆMORRHAGIA, vide *Hæmorrhagia*.

Narium Ozæna. NARIVM OZÆNA, vel ULCVS eſt Morbus unitatis Narium ſolutæ, in quo continuè propemodum materia purulenta magis minusve ſanioſa, acris & fœtida cum vel ſine notabili pruritu aut dolore è Naribus promanat. Nidulatur primùm in ipsâ Nares ſuccingente tunicâ glanduloſo-nervoſâ, cumque inde pus album, ſincerum, minusve acre effluit, citra notabilem dolorem, *Ulcus Narium* ſimpliciter vocabitur. Quod ſi verò idem Ulcus vel malè curatum, vel ab affluentibus è Sanguine particulis acido-corroſivis, & exedentibus fuerit ſordidum ſerpensque redditum, cum prodeunte pure magis livido, tenui & acri, nec minus fœtente, membranasque tandem & oſſicula ſpongioſa cum doloris plus minus intenſi ſenſu corrumpente, tunc appellari ſolet *Ozæna*; quæ ſi ulterius ſerpens, atque Oſſicula non minus, quam ſuperinjectam carnem exedens facta fuerit, cum livido colore, *Carcinoma Narium* vocabitur, cujus major dein gradus, in quo partes ſenſim vicinæ exeduntur, atque depaſcuntur, *Tentigo prava*, *Lupus*, vel *Noli me tangere* à nonnullis dicitur. In quo quidem dolores tamdiu graves adſunt, quamdiu membranæ ſenſibiles adhuc præſtò ſunt corrodendæ, illis verò ablatis, ſerpit Carcinoma etiam citra notabilem dolorem, ac paulatim non internas ſolùm Nares, ſed integrum quoque Naſum, Genas, Maxillam ſuperiorem, Labia, Oculos depaſcit, ut tandem conſumtis talibus partibus Faucium rictus pateat, non ſine horrido aſpectu.

Atque cùm ſic videamus, gradualem inter illas exulcerationes differentiam occurrere, protinus dicendum erit, *Cauſam* quoque illas *producentem* eſſe diverſam. Proin ſimplex illud minusque malignum Ulcus, leviculam Tunicæ Narium Inflammationem, in Apoſtema, quod pro loci conditione magnum eſſe nequit, converſam ſubſequetur; vel è Muco Narium tantillum acriore per eroſionem naſcitur, inprimis ſi Coryza præceſſerit. Sic etiam extus in Nares admiſſa acriora ſive errhina, ſive ſternutatoria ſimilem excoriationem ulceroſam producere valent. Sed & Variolæ aliæque Puſtulæ, non ſecus atque Polypus Narium, ſi malè vel intempeſtivè curentur; imò tandem & Lues venerea atque Elephantiaſis occaſionem ſimplici, malignoque Ulceri, Ozænæve præbere poteſt. Quod ſi enim è corruptâ, acribusque corroſivis particulis undecunque inquinatâ Maſſâ ſanguinis Serum corroſivum *Cauſa.* acido-

acido-auſterum in venereâ Lue, in Leprâ, in Scorbuto, & hypochondriacâ Paſſione, in Scabie tandem fœdâ, ſimilibusque Cacochymiis ad Tunicam Narium glanduloſam vel leviter tantùm prius exulceratam jugiter devolvatur, atque interea Sanguinis dyscraſia nullis emendari remediis potuit, tum certè per auctam quotidie illam exulcerationem, ac incipientem progredientemque exeſionem Ozæna primùm, dein &, ni felix curatio intervenerit, Carcinoma, Noli me tangere, atque Lupus exedens oborientur.

ogno-

Ante *Curationem* itaque prognoſtici loco tenendum, Ulcera Narium, ſi *benigna* fuerint, nullisque humoribus corroſivis fomentata, facilius curari; maligna autem & cum humorum è ſanguine affluentium acrimoniâ conjuncta difficilius tardiusq; ſanari. Ut adeo Ozænæ curationem polliceri tum demum poſſimus, quando inſignem nullam in Maſſâ ſanguineâ intemperiem corroſivam deprehendimus. Quod ſi autem in *Lupum* continuè partes depaſcentem Ozæna degeneraverit, tum verò ne quidem tanges ipſum, quicquid enim applicueris, plus incommodi quàm levaminis afferre obſervabitur. Ulcus proin non inſanabile tantùm, ſed etiam prorſus intractabile exiſtens, Homines lentâ morte tandem enecabit, niſi fortè acceſſerit fortunatior aliquis ſibi viſus Medicus, qui citra omnem remediornm ſive internorum, ſive externorum exhibitionem, vel ſolâ quotidianâ ſimplici aut multiplici Urinæ Ægrotantis ſympatheticâ coctione, indeq; ſequente crebro ſudore vel purgatione leni Ægri paulatinâ deterſionem atq; conſolidationem Ulceris efficere potuerit, quemadmodum fama talis Medici nomine *Georgii Henrici Reddewitz, è Franconiâ* oriundi, ac poſt impetratum in Medicinâ *Zutphanii* in Geldriâ Doctoris titulum Artem illam ſympatheticrm in Belgio aliquandiu ante aliquot annos exercentis, ad nos percrebuit, cujus tamen praxin diu haud duraviſſe audivimus.

Curatio Ulceris ſimplicis.

Et *Ulcus* quidem *Narium* quod attinet *ſimplex*, requirit illud *intus* quidem primò *purgans* aliquod cum *Mercurio dulci* mixtum; dein *pulveres* quosdam *diaphoreticos* mane ac veſperi exhibendos cum *Decocto Lignorum*. *Extus* verò *Oleum Hyperici* ſolum, vel cum *Melle roſaceo*, *Tutiâ*, *Antimonio diaphoretico* ac *Myrrhâ* permiſtum, inungendumque diligenter, vel *Tincturam Myrrhæ* & *Aloës* cum *Melle rutaceo* Naribus ulceroſis frequenter immittendam, unde deterſum paulatim Ulcus feliciter poſtliminiò conſolidabitur. Quod ſi tamen cruſta quædam gignatur, quemadmodum id ſæpius fit, non illa venit digitis amovenda, quando forſitan pruriente dolore eſt moleſta, continuè enim nova ſuccreſcet, tandem etiam in malignum Ulcus faceſſere poſſibilis; ſed cruſtam potius *Hyperici*, *Verbaſci* aut *Nucum Oleo* perunges, vel *Butyro* illines, ut ſponte emollita abſcedat ſuccreſcente verâ cicatrice.

Ulceris diuturni, maligni.

In *Ulcere diuturno* & aliqualiter *maligno*, ſive Ozænâ ſimiliter *Pilulis mercurialibus* corpus aliquoties purgabis, ac intermedio tempor *Deecoctum traumaticum* cum *Lignis* per plures hebdomadas bibendum dabis, *Tincturâ* ſi placet ♄ *nii*, vel *Traumaticâ*, vel *Eſſentiâ Lignorum*, *Trifol. fibr.* vel *Elixiri Vulnerario* ſequenti efficacius reddendum; v. g.

℞. *Radic. Filic.*
Ariſtol. rot. ver. ana ℥ij.
Lign. colubrin. ℥ß.
Herb. Alchymill.
Sanicul.
Numular. ana Mj.
Pyrol.
Grat. Dei.
Summit. Hyperic.
Flor. Roſar. rubr. ana Pij.
Inciſ. & contuſ. tenuiter affunde Vini Malvatic. vel Hiſpanici opt. q. ſ.

Stent in digeſtione per aliquot dies, Colatura poſtmodum clara aſſervetur uſui, doſis cochleare unum vel duo mane ac veſperi. *Tincturæ vulnerariæ* ſub Titulo de *Ulcere* habentur. *Antiſcorbutica* quoque omnia heic non contemnenda.

Extus autem Ozæna frequenter eluatur cum *Succo Foliorum Ariſtoloch. rot. ver. Rutæ, Apii, Plantag. Aqu. Fænic. Majoranæ*; vel cum *Decocto Myrrh. Oliban. Abſynth. Hyperic. Gratiolæ, Rhabarbari, Tormentill. Ariſtoloch. Piloſell.* *Grat. Dei, Vinc. pervincæ, Majoran. Virg.* ☉*reæ, Card. bened. Lavendul.* &c. in *Vino* & *Aquâ* facto, admiſcendo dein *Mel roſaceum, Eſſentiam Myrrhæ, Aloës, Mercurium dulcem, Spirit. Vini camphorat.* &c. Poſſunt & hæc *Aquæ Calcis viv.* incoqui, cui poſtmodum *Aquam Plantaginis*, in quâ *Mercurius ſublimatus* fuerit ſolutus, permiſcebimus, & quidem ad ℥vj. Decocti addemus cochleare plenum circiter *ſolutionis Mercurii ſublim.* vel plus minusve pro re natâ. Poſt elotionem Naribus immittemus vel *Candelas* è *Cerâ flavâ*, ac *Melle roſaceo* factas, cum permiſtione pulverum *Gratiæ Dei, Ariſtoloch.* ♄ *n. diaphor. Myrrh. Oliban. Maſtich.* & ſimil. Vel iidem Pulveres *Melle roſaceo, rutaceo*, vel *mercuriali* excepti cum plumaceolis Naribus intrudantur. *Aquam viridem Hartmanni*, vel *Plateri* etiam commendamus, quâ ſæpè eluatur Ozæna, ſed deſuper imponendo *ſuccum Hyperici, Verbaſci, Telephii* &c. tandemque plumaceola intrudendo cum *Melle roſaceo, Balſam. Peruv.* aut *Vulnerar.* ac *pulveribus* ſupra dictis, vel *Elixiri Aloës, Myrrh. Rhabarb.* &c. Ad majorem tandem exiccationem *Fumus* aliquis ex *Ladano, Olibano, Gumm. Anim. Maſtich. Sandarach. Cinnabar.* Naribus ſubinde excipiatur. Nonnulli *Unguentum Ægyptiacum Succo Ariſtoloch. Calaminth. Heder. terreſtr. Apii, Plantag.* &c. ſolutum Naribus pro exterſione immittunt frequenter, ac poſtmodum exiccantia atque conſolidantia adhibent; v. gr. *Tutiam, Cinnabarim, Lithargyr. Myrrham, Thus, Colophoniam, Pulverem Rhabarbar. Sanicul. Ariſtol. rotund. Semin.*

Perſo-

Perfoliat. Bezoardic. mineral. &c. Quod ſi Oſſicula fuerint eroſa, pro inſperſione adhibebimus quidem *Decoctum Myrrhæ, Aloës, Radic. Ariſtoloch.* cum *Herb. vulnerar.* & *Mercur. dulc.* in *Aquâ Calcis viv.* Poſt illam verò ſicca tantùm fila linea carpta Naribus intrudemus, vel *Pulv. Radic. Ariſtol. rot. Myrrh.* & *Bol. armenat.* conſperſa, addito etiam ſi velis tantillo *Mellis roſacei*, & ita ſenſim perſanabitur.

Quod ſi *Ulcus ab Elephantiaſi* provenerit, hactenus dicta quidem uſurpabuntur, ſed parum juvabunt. In *Ulcere venereo* curatio per *Salivationem* inſtituetur, ſicuti de *Lue venereâ* dictum. In *Scorbutico* methodus curandi antiſcorbutica obſervabitur, juxta uſum externorum. In *Phagedænico* prorſus Ulcere atque Lupo exedente palliativam curam inſtitues, extus non niſi *Unguentum baſilicum* cum *Melle rutaceo, Plumbo uſto* ac *loto, Succo Verbaſci*, & *Pulv. Flor. Sanicul.* ac *Roſ. rubr.* permixtum inungendo. Intus ſæpè *Cardiaca* cum *Decocto vulnerario* exhibenda.

NARIVM OBSTRVCTIO eſt Ductuum naſalium ſive interiorum ſive exteriorum à materiâ qualicunque occluſio, cum anhelitûs per Nares difficultate vel ablatione, imò & ſonoræ vocis immutatione, quâ Homines dicuntur vulgò loqui per Nares.

Varia autem ſunt, quæ Nares obſtruere ſolent, & quidem primò Mucus copioſus inſpiſſatus, tenax atque viſcidus, è glanduloſâ Narium tunicâ ſecretus, & hinc demum particulis ſuis acido-auſteris, minus acribus fibrillis adhæreſcens: dum interea vel per ſe evaporârunt, vel per aërem in inſpiratione jugiter transeuntem ablatæ ſunt particulæ aquoſæ. Mucus autem ille copioſus viſcidum ſuum characterem cum ramoſo-auſteris particulis ex ipsâ Maſſâ ſanguinis affert; in quâ quidem cumulatur, quotiescunque Homines vel immodicè vel intempeſtivè cibos omnivarios, præprimis ſucci lenti, viſcoſi, atque crudioris ingerunt. Hactenus tamen à nullâ re magis collectam fuiſſe mucoſam talem materiam obſervavimus, quàm à comeſtione Fructuum horæorum, præcipuè Pomorum ac Pyrorum; unde Pueri hisce admodum indulgentes malo iſti valdè obnoxii ſunt. Vidimusque etiam Infantes luci recens datos hoc laborâſſe incommodo, indeque in lacte ſugendo valdè impeditos fuiſſe; quando ſcilicet Matres ante puerperium Fructibus horæis maximè veſcebantur. Cùm autem ex hoc vitio neglecto varia alia mala oriri poſſint, veluti Narium fœtor intolerabilis, ſi mucum illum ſive pituitam diutius morantem putreſcere ſinamus; aut Olfactus imminutio & ablatio, ſi obſtructi maneant inde ductus naſales, vel Nervi olfactorii à pituitæ tenacitate obducantur, ut titillari amplius nequeant ab odoriferis corpuſculis; vel denique Loquelæ, Suctionis apud Infantes, Somnique aperto tum ore ducendi, aliave incommoda; eapropter medelam

delam emendandæ ejusmodi obſtructionis gratiâ neceſſariam arbitrantur, tantoque id magis, ſi ſimul è muco cunctante acriorique reddito Ulcera metuenda ſint.

Curatio. Medebimur Obſtructioni, ſi primò pituitam ſive mucum tenacem emolliamus inſperſione *Lactis bubuli calidi* ejusque modò *ſimplicis*, modò per incoctionem *Radic. Malv. Alth. Betæ, Mercurialis* plus emollientis redditi; in quem finem aliquando ſolum *Succum Betæ, Malvæ, Parietariæ, Althææ, Mercurialis, Violariæ, Naſturtii* &c. calidè ſæpius inſpergere poſſumus; vel tales *Herbas Butyro* incoquimus, & *Butyrum* dein hoc Naribus intrudimus, extusque Naſo inungimus. Præterea corpus Ægri leniter purgamus, atque præſervationis loco ſubinde *Errhinum pulverem* naribus attrahendum concedimus; denique à fructuum horæorum nimio uſu, aliisque lentum chylum producentibus Cibis abſtinendum ſedulò eſſe credimus.

Secundò ſordes quoque ad Obſtructionem Narium contribuere notant Practici, ſed illas ipſas ſordes ſub Muci nomine comprehendere licebit.

Tertiò non infrequens Obſtructionis cauſa eſt ſanguis extravaſatus, atque coagulatus, quemadmodum talis in Hæmorrhagiâ Narium nimiâ remedii loco per aliquot dies intra Nares relinqui ſolet. Cumque idem ſanguis grumoſus tandem in Polypum faceſſere, vel ſuo, aut ſaltem particularum ſalino-acrium muci juxta ſanguinis grumum exudantium & titillantium, pruritu ſternutationem graviorem, hincque novam Hæmorrhagiam eamque etiam forſitan funeſtam excitare poſſet, eapropter remediis debitis grumus ille ſine fibrillarum aut vaſculorum dilaceratione è naribus eximendus eſt; quod obtinebimus, ſi vel *Amygdalarum*, vel *Roſarum Verbaſciq́ Oleo* frequenter illito ſenſim grumum emolliamus, donec vel per fruſtula, etiam forfice abſcindenda, excuſſus ſit; quem ſi Hæmorrhagia ſubſequatur aliqualis, *Spiritu Vini*, cui immerſa fuerint *Hypericum, Urtica, Marrubium, Piloſella, Polygonum, Gallæ, Folia Myrti, Quercûs, Plantaginis*, &c. ſubinde Nares eluantur. Intus interea ad æſtum ſanguinis, qui Hæmorrhagiam facilè excitaret, reſtinguendum, mane ac veſperi per aliquot dies *Aqua Urticæ, Plantaginis, Cichorii, Endiviæ, Lactucæ*, ad Cyathum unum bibatur.

Quartò ea, quæ ex incuriâ Naribus forſan intruduntur, ſimiliter obſtruere poſſunt; novimus ſic Infantes, qui Phaſeolum, qui oſſiculum Ceraſi, qui globulos lapideos, aliaque immiſerunt, indeque amplius extrahere, vel excutere nequiverunt. His ergo auxilium Chirurgicum adhiberi debet, & quidem, ſi, uti contingit, Nares inde ſimul leniter inflammentur, aut intumeſcant, tum *Spiritu Vini camphorato*, vel *Fomento ex Decoctione Herbarum emollientium* ac *cephalicarum* in *Vino* factâ primùm Naſus eſt calidè fovendus, dein frequenter *Oleum roſaceum* immittendum, cumque emollitio facta fuerit, atque inflam-

inflammatio diſcuſſa, tunc demum res intruſa quacunque arte meliore extrahenda venit.

Quintò Calculus fortè in Naribus genitus Obſtructionem parit; rarus quidem ille Affectus, ſed non ſemel tamen viſus, quando in glandulis tunicæ Narium collecta materia pituitoſo-viſcoſa-ac terreſtris, ſenſim in calculoſam ſubſtantiam concreſcit, moleque tandem auctâ canalem totum implet, involucro ſemper membranaceo incluſa. Cui quidem haud citius meliusque medeberis, quàm excuſſione Calculi facilè obtinendâ, ſi prius involucrum, cui fortè ineſt diſruptum fuerit. Excuſſo autem Calculo *Vulnus*, *Ulcusve* remanens pluries *Melle roſaceo* cum *Eſſentiâ Myrrhæ*, & *Vino rubro*, cui *Anſerina*, *Hypericum* ac *Virga aurea* incocta ſint, detergatur, ac denique *Peruviano Balſamo* cum *Pulvere Fol. Ariſtoloch. rotund.* permiſto conſolidetur.

NARIVM FOETOR, vid. *Anhelitus fœtens*.

NARIVM CORYZA, GRAVEDO, STILLICIDIVM, eſt frequens atque copioſus ſeri ſalino-acriusculi è Naribus effluxus, ſubinde cum Cephalalgia, Olfactu imminuto vel abolito, atque Narium excoriatione, vel aſperitate ac fiſſuris conjunctus. Cùm autem omnis excretio naturalis muci naſalis non, uti veteres crediderunt Medici, ex ipſo Cerebro ejusve Proceſſibus mammillaribus proveniat, ſed ſolùm è tunicâ glanduloſo-nervoſâ, quæ intus Nares ac duct⁹ naſales obtegit, promanet, credibile eſt & excretionē illam præternaturalem in Coryzâ non aliunde quàm ex ipsâ Tunicæ glanduloſæ texturâ procedere, originaliter autem humorem talem ſeroſo-ſalſum liquidiorem è Maſſâ ſanguinis per Arteriolas affluere: ut adeo, ſi Coryzâ Homines prehenduntur, ſanguis eorum tali ſero abundare, illudque vel ex aëre nimis humido frigidove, vel ex cibis ſalino-aquoſo principio multum præditis, vel è potu nimio crebroque Cereviſiæ Vinive deterioris, cumulâſſe notabitur. *Ætiologia.* Quod ſi enim duo pluresve invicem hyberno v.g. tempore, ſub aëre nivoſo-frigido iter faciant, atq; unus inter eos Coryzâ prehendatur, reliqui autem ſani maneant, protinus dicendum erit, in illo jam ante iter cumulatum fuiſſe tale ſerum ſalſum, quod dein occaſione aëris frigido-humidi, Narium glandulas ſuâ rigiditate irritantis, illud Stillicidium excitarit; in reliquis verò talem ad hunc Affectum prædiſpoſitionem non adfuiſſe. Nimirum protinus animadvertimus, in prædiſpoſitis Hominibus Coryzam facilè excitari, ſi vel aëris frigido-humidi particulæ rigidiores, vel errhinorum aut ſternutatoriorum remediorum corpuscula ſubacria fibrillas tunicæ naſalis vellicent, ac ita humorem ex illius porulis, reciprocè magis hiantibus, copioſè eliciant, aut velut continuè emulgeant. Verùm ſubinde etiam evenit, ut nullâ externâ præſente atque vellicante cauſâ, ipſe mucus naſalis tenuior & acrior

eaſdem

eaſdem Narium fibrillas ſimiliter ita irritet, ut hinc ſenſim lympha copioſè per earundem poros effluat.

Diagnoſis. Etſi autem Affectus hic adeo frequens notusque ſit, quippe ipſo ſeri effluxu per ſe cognoſcibilis; ſunt tamen nonnulla ſymptomata, quæ vel antecedunt, vel etiam comitantur eundem. Antecedunt plerunque Dolor capitis circa frontem ac ſupra naſum tenſivus, plus minus acerbus, cum vigiliis nimiis, ſæpè etiam cum aliquali leviculâ Febri ephemerâ, ac Laſſitudine corporis ſpontaneâ, Appetitu nonnihil languente, Faſtidio potûs, Oculorum dolore, & aliis: quæ quidem ſymptomata originem unicè trahere videntur à tunicæ naſalis obſtructis tantiſper glandulis ſive poris, non ſecus atque ab humore copioſo tranſitum moliente, ſed ob particularum ſuarum irregularem figuram conſtringentem, vel quarundem craſſitiem ac viſciditatem poros infarcientem, non ſtatim inveniente. Hinc à tenſis præternaturaliter fibrillis membranaceis, per conſenſum ſimul frontis involucra criſpantibus, *Dolor* ille produci ſolet, quem Veteres omnes, multique Recentiores adſcribere voluerunt Proceſſuum mammillarium obſtructioni, Meningumque laborioſæ expanſioni; quanquam & per conſenſum membranæ Palpebrarum atque Oculorum nimis tenſæ obſcurum illum dolorem excitent. Quamprimum autem per Nares ſerum copioſè fluere incipit, Symptomata ſtatim ſingula remittunt, aut mitigantur, phlogoſis ſanguinis præcedens ceſſat, & ita levamen per omnia ſentit Æger, imò per continuatum hunc ad aliquot dies fluxum ſanguine ſufficienter purificato, à gravioribus aliis malis præſervatur. Notabis tamen, quo acrior fuerit humor effluens, eo graviora vel præcedere vel comitari Gravedinem Symptomata; quæ inter referimus inprimis obtuſum adhuc Frontis, Oculorumque Dolorem, ſive tenſivum ſive gravantem, ob quem apud nonnullos *Gravedinis* appellationem meruit. Hinc & particularum ſeri effluentis acrimonia Nares, quâ alluit, exaſperat, ſubinde findit, excoriat, vel planè exulcerat, aut etiam vaſcula erodendo Hæmorrhagiam excitat.

Quod ſi in medio ſui curſu Affectus fortè ſubitò ſiſtatur, tum & Symptomata confeſtim exacerbantur, ſæpè & turbatio ſanguinis febrilis, atque Glandularum pectoralium vel pneumonicarum infarctus cum plexuum nervoſorum ſpasmodicâ quaſi conſtrictione, indeque inductâ Anxietate ac Dyspnœâ ſubſequitur, minimè contemnendâ, utpote quòd ſic ſanguinis circulatio debilitari, ac niſi ſtudioſè præcaveamus, prorſus ſiſti vitæque finem inducere poſſet. Prognoſis.

Curatio. In *Curatione* proin non melius procedimus, quàm ſi talem, utcunque præternaturalem, ſanguinis purificationem promoveamus, præterea ſimul humoris effluentis acrimoniam corrigamus, atque tandem ſymptomatibus urgentioribus occurramus. Proderit hinc ſtatim in principio lene aliquod

aliquod *Catarthicum*, v.g. ex *Syrupo de Cichor. cum Rhabarb.* vel *Roſar. ſol. compoſ. cum Rhab. Agar. & Sen.* vel *Maſſ.Pilul. è Succ. Craton.* aut *Hydrop. Bont.* cum *Cinnab. ♄ n.* vel *Nativ. opt.* vel *Clyſma emolliens* ac *detergens*, cum incoctione *Herbar. cephalic.*

℞. *Syrup. Roſ. ſol. comp.* ℥iß.
Conf. Hamech. ʒiß. *vel*
Diacydon. luc. ʒij.
Aqu. Cinam. bugl. ℈iiij.
Beton. ℥iß.
M. f. Potio d. ad Vitr. pro doſi matutinâ. Vel

℞. *Maſſ. Pilul. maroc. vel*
è Succ. Crat.
Extract. cathol.
Cinnab. ♄ n. corr. ana ℈ß.
Reſin. Jalapp. gr. iij.
Ol. ſtillat. Roriſm. q. ſ.
M. f. Pilul. num. 15. *Inaur. ſumantur unâ vice.*

℞. *Decoct. Herbar emollient. cum*
Beton. Salv. & Meliſſ. ℔j.
Ol. Rutacei.
Violar.
Elect. catholic. ana ℥j.
Salis gemm. ʒß.
M. f. Clyſma tepidè injiciendum, cùm Alvus ſegnior fuerit.

Dein m. ac v. *Infuſum Fol. Thée, Betonic. Salv. Meliſſ.* & *Chamædr.* cum *gutt.* 15. aut 20. *Eſſent. Succin. Lignor. Betonic.* & *Roriſmarin.* hauriatur. Extus Nares *Butyro cocto* vel *recenti* non ſalito frequenter inungantur; aut *Oleo roſaceo* cum *Adipe cervino* permixto illinantur. Vel *Unguentum roſatum* aut *pomatum* in hunc finem adhibeatur. Supra frontem autem imponatur calidè *Epithema ex Salviâ, Rutâ, Meliſſâ, Malvâ, Parietariâ, Hederâ terreſtr. Verbenâ, Micâ panis,* & ſimilib. cum *Lacte* & *Aqu. Roſar.* aut *Verbenæ* coctis. Si Plethoricus fuerit Homo, etiam *Venæſectio* erit in brachio adminiſtranda. Fugiat interim, quantum poſſit, Aërem frigido-humidum, ac in reliquâ Diætâ regimen inſtituat ſanguinis acrimoniæ corrigendæ aut avertendæ aptiſſimum.

NARIVM SANGVIS AD FAVCES DELABENS eſt ſpecies Obſtructionis Narium iis valdè moleſta, qui Hæmorrhagiâ pollentes ſanguinem vel in Naribus cohibent, vel grumeſcere faciunt, unde ſubſequens è rupto vaſe ſanguis effluere nequit, qui dein retrocurrens in ductus naſales pervenit, ſicque ad Fauces non ſine reſpirandi, & frequenter excreandi incommodo depluit. Accidit tum maximè, quando forſan in interiore Narium canali ſanguivehum rumpitur vaſculũ, ſanguisque hinc in extremis tantùm Naribus grumeſcit, aperto hianteque poſterius relicto vaſe rupto, è quo proin ſanguis ſtillare pergit, &, cùm per nares effluere amplius nequeat, tandem in fauces per naſalem ductum deſcendit. *Narium ſanguis in fauces delabens.*

Ad tollendum proin hoc incommodum Sanguinis per Nares fluxus extracto grumo, eſt permittendus tantiſper, donec ſponte iterum ceſſet; ſic enim grumus nullus producetur, aut *Curatio.*

aut exiguus tantùm, qui dein rupturæ vaſis obducetur, cum cicatricis generatione citra Narium obſtructionem. Si autem Fluxus ſanguinis ceſſare nolit, in uſum trahentur Remedia Hæmorrhagiam ſiſtentia, quemadmodum ſuo illa loco fuſius deſcripta invenies.

Narium Polypus & Sarcoma. NARIUM POLYPUS & SARCOMA ſunt Excreſcentiæ carnoſæ in Narium cavitate è laceratis Tunicæ fibrillis vaſculoſis enaſcentes, atque Narium canalem ita ſæpè opplentes, ut Reſpiratio per illum fieri nequeat.

Diagnoſis. Quod ſi Excreſcentia iſta magis hæreat in extremis Naribus, ſi ex uno lato eodemq; pullulârit, atq; deinceps pendeat fundamento, ſi globoſa ſit, in nullos diviſa cirros vel pedes, tum *Sarcoma.* *Sarcoma* magis appellatur. Si autem è pluribus radiculis in ſuperiore Narium parte nata fuerit, indeque ceu ex totidem pedibus paulatim in longum & latum ſeſe extendendo dependens Nares oppleat, imò non rarò ex illis promineat modò albicans, modò rubens inſtar concreti ſanguinis, modò etiam livens vel nigricans, atque ita figuram Polypi Piſcis quadantenus referat, tum verò *Polypum* *Polypus.* nuncupare conſueverunt. Excreſcentia hæc tempore Plenilunii atque Ventorum ab Auſtro ſpirantium longè plus turgere obſervatur, quàm tempore Novilunii ac flante Aquilone vel Zephyro; ſubinde etiam per ductum naſalem ad fauces usque propendet; atque ita Nares opplendo Reſpirationem ſimul & Sermonem offendit.

Ut autem Polypus vel Sarcoma *Cauſa.* naſcatur, neceſſe eſt aperiri quædam vaſcula capillaria, è quibus ſanguis gelatinoſo-viſcidus exſtillare, & continuâ guttularum accretione in carneam talem Excreſcentiam coagulâri queat; fit hoc tum maximè, quando fibrillæ vaſculorum atque membranularum Tunicæ narium molles nimis atq; laxæ, vel ſaltem, ob blandum aliquod corrodens acidum & cicatricem impediens, continuè apertæ relinquuntur, ſicque elongationem ſui per acceſſum atque concretionem particularum nutritiarum patiuntur. Vidimus aliquoties Sanguinem in nimiâ Hæmorrhagiâ intra nares concretum in Polypum abiiſſe, quando ſcilicet Homines ob novæ, ejusque forſan deleteriæ, Hæmorrhagiæ metum non auſi fuerunt grumum Sanguinis è naribus extrahere. Rubet Sarcoma vel Polypus, ſi Sanguinis grumi ſolidius concreti originem præbuerint. Livet etiam vel nigreſcit, ſi grumoſus idem ſanguis plus acidi intra ſe continuerit ſeri, ac præterea diutius in concretione aër externus fuerit excluſus. Ad albedinem denique magis, cineritiumve colorem accedit, ſi vaſcula lymphica, & excretorii tubuli exeſi nutritium copioſè ſuccum receperint.

Non facilè curatur Polypus vel *Prognoſis.* Sarcoma, præprimis ſi profundius intra Narium cavitatem ſuas habuerit radices. In Cacochymicis atque hypochondriaco-ſcorbuticis malè tractatus facilè in Ulcus phagedænicum,

in

inCancrum vel Carcinoma degenerat, illudq́ inſanabile. Ante decennium autem vidimus Polypum ſanguineũ ex Hæmorrhagiâ nimiâ profectum, jamque ultra viginti annos ſiniſtris è naribus tantillum prominentem, quem Vir quinquaginta jam annis major, dum fortè in Riſu nimio ſimul altum vi magnâ ſuſpirium duceret, fortiter retrò traxit, ita ut ruptis, unde pendebat, plerisque radicibus tenuibus per ductum naſalem in palatum delaberetur, moleque ſuâ fauces opplens, ipſamque Epiglortidem premens ſuffocationis diſcrimen induceret, eamque etiam intra pauca temporis momenta effectui dediſſet, niſi forcipe à me prehendi, ac reliquis à radicibus cum leviculâ ſubſequente, ſponteque iterum ceſſante hæmorrhagiâ avelli potuiſſet.

io. In *Curatione* Corpus ante omnia purgabis *Pilulis* qualibuscunque, modò *dulcis* ſimul fuerit permiſtus *Mercurius*; v. gr.

℞. *Extract. panchym. Croll.*
cathol. ana ℈ß.
Mercur. dulc. opt. gr. xij.
Reſin. Scammon. gr. ij.
Ol. ſtill. Fœnic. q. ſ.

M. f. l. a. Pilulæ num. 16. *Conſperſ. Pulvere Cinam. ſumantur pro doſi matutinâ.*

Hinc *Decoctum Lignorum* propinabis per plures hebdomadas. Extus verò Polypus fruſtillatim exſcindatur, ſi poſſibile, ſuper inſpergendo ſemper *Pulverem adſtringentem* & *exiccantem* ex *Cadmiâ*, *Colcothare* ⊖*li*, *Bolo armenate*, *Crepitu Lupi*, *Farinâ volatili*, *Gallis*, *Cortice granator.* &c. Tandem *Mel roſaceum* cum *Pulvere Fol. Saniculæ*, *Ariſtoloch. Naſturtii hortenſis*, atque *Geranii Robertian.* imponendo. Si exſcindi nequeat, cautè paulatim vel cum ⊖*lo albo*, vel cum *Lapide infernali*, *Butyro* ♁*nii*, *Mercurio præcipitato*, *Ferro candenti*, *Aquâ phagedænicâ*, ſive *Solutione Mercurii ſublimati Aquâ Calcis vivæ*, & *Spiritui Vini camphorato* permiſtâ. Vel *Spiritu Salis armon. urinoſ.* cum *Succo Naſturtii hortenſis*, aut *Raphani ruſticani*, & *Elix. proprietatis* exedatur & abſumatur. *Cruſta* inducta foveatur *Unguento Baſilicon.* cum *Eſſent. Myrrh.* & *Melle roſaceo.* Atque ſic Radicibus tandem extirpatis cura finienda. Omnium tutiſſimè autem eximitur Polypus, ſi commoda quadam forcipe prehenſus nonnihil circumrotetur, ita ut in radice ſuâ intortus vel conſtrictus nullum amplius nutrimentum adipiſci queat; ſic poſt aliquot dierum ſpatium, rotatione aliquoties repetitâ, facilè eximetur, etiam ſine regenerationis metu.

NARIUM PRURITUS, TITILLATIO, IRRITATIO & VELLICATIO eſt Symptoma tunicæ Narium mucoſæ, quo fibrillæ papillæve illius nerveæ ab humore quodam glandularum ſalino-acri, vel etiam à rebus extra in nares immiſſis præternaturaliter punguntur, & laceſſuntur, ut inde moleſtia quædam naſcatur, vel Hominem ad fricandum promovens, vel mucum ſeroſum cum *Narium pruritus & irritatio.*

gg 2 vel

vel ſine ſternutatione plus minus copioſum eliciens.

Cauſa. Res *externæ*, quæ pruritum atque titillationem excitant, vel ſub formâ Pulveris v. gr. errhini aut ſternutatorii, aut effluviorum in Aëre circumvoliatantium: vel ſub formâ rigido-frigidi aëris; vel ſub formâ radiorum ſolarium Nares ferientium, vel denique ſub formâ liquoris blando-acriuſculi naribus immiſſi exiſtere ſolent. *Internæ* verò ſunt Mucus acriuſculus plus minus copioſè è ſanguine per glandulas naſales exſudans; aut ſuccus purulentus ex Ulceribus Narium profluens, vicinaſque nerveas papillulas ſuâ acrimoniâ acidâ ſalinâ pungens; vel ipſi denique Lumbrici inteſtinales tunicam Inteſtinorum nerveam rodentes, per conſenſum quoque Tunicam Narium afficientes; aut talia ex ſeſe corpuſcula, ſordeſque emittentes, quæ cum Chylo in Sanguinem prolapſæ, tandem ad Glandulas Narium devenientes mucum acriuſculum & titillantẽ producere valent. Unde apud Infantes & Pueros frequens Narium titillatio ac fricatio ſignum Lumbricorum præbere ſolet. Præterea Vermiculi in Naribus ipſis geniti, non ſecus atque ſanguis in vaſculis Narium turgeſcens ejusmodi vellicationem rodendo pungendoque ſuſcitant. Denique Puſtulæ, Variolæque in Tunicâ naſali à ſero acido-acri ſulphureo effloreſcentes, particularum ſuarum figurâ irregulari fibrillas irritant, atque hinc Pruritum excitant, ſæpè ſternutationem inducentem.

Quod ſi ergo à *Coryza*, *Mucove* Narium *acri* moleſtia illa fuerit producta, *purgans* ante omnia præſcriptum minimè nocebit; Cura

℞. *Conſerv. Fumar.*
Fl. Tun. *ana* ʒß.
Radic. Jalapp. ℈j.
Cinnab. nat. opt. ℈ß.
Scamm. 🜍*rat. gr.* iij.
Crem. ♀*ri gr.* vj.
Ol. ſtill. Fœnic. q. ſ.
Cum Sacchar. miſc. f. Bolus pro doſi matutin.

Narium deinceps interna frequenter *Butyro recenti*, vel *Oleo Hyperici* aut *roſaceo* inungantur. *Lac* etiam *tepidum* ſubinde inſpergatur. Intus verò *Decoctum* aut *Infuſum Herbæ Thée*, *Betonicæ*, *Meliſſ.* ac *Veronicæ* bibatur. Si diutius perſeveret hoc Malum, etiam *Vinum medicatum purgans* in uſum trahendum erit.

Quando *Lumbricorum* ſuſpicio adeſt, ea uſurpabuntur, quæ contra Lumbricos ſuo fuerunt loco commendata.

Vermes Narium, quos credimus ex ovulis cum Muco Narium ſecretis, indeque blando calore vivificatis proficiſci, elicere oportet, primùm quidem tepido *Lacte Melli* permiſto, deinceps autem *Decoctum Tanaceti*, *Abſynthii*, atque *Rhabarbari* cum mediâ parte *Vini* & *Aquæ* factum Naribus inſpergendum venit. Denique *Spiritus Anthos* cui *Abſynthium* ac *Semen Santonicæ* fuerit immerſum frequenter Naribus attrahatur. Intus verò per plures hebdomadas *Vi-*

num

num bibatur *medicatum*, ſanguinis Maſſam à vermiculoſâ Cacochymiâ liberans; v. gr.

℞. *Radic. Gentian. Gramin. Filic.*
Rhabarb. Monach.
Ariſtol. long. ana ℥j.
Herb. Marrub. alb.
Tanacet.
Origan. ana Mij.
Salv.
Abroton.
Summit. Abſynth.
Centaur. min. ana Mj.
Semin. Santonic.
Plantag. ana ʒvj.

Inciſ. & contuſa indantur Sacculo, cui in Doliolo ſuperfundantur Vini albi veteris Menſuræ 18. vel 20. Poſtea quotidie in paſtu ſive meridiano, ſive veſpertino cyathus unciarum quatuor exhauriatur.

Pruritus à *Pulveribus acribus* in Nares admiſſis exortus, valdeque moleſtus requirit elotionem Narium frequentem cum *Lacte tepido*, vel *Aquâ calidâ*, in quâ *Malva*, *Althæa*, *Verbaſcum*, *Violaria* fuerint cocta. Vel *Oleum Roſar. Violar. Amygdal. dulc. rec. expr.* aut *Chamomillæ* Naribus inſpergatur. Plura vide ſub titulo de *Sternutatione*.

Ab *Ulcere* vel *Excoriatione* producta moleſtia requirit *Balſamica* blandè *abſorbentia* & *ſiccantia*; de quibus vide ſub titulo de *Narium Ulcere*.

Puſtulæ tandem Narium internæ *Butyro* recenti non ſalito vel *Oleo Nucum, Hyperic. Lil. alb. Melilot.* &c. *Tutiæ* permiſto inungantur.

NARIUM INFLAMMATIO eſt Tumor rubens, dolens atq; ardens in exteriore Narium parte à Sanguine, vel Lymphâ etiam acriore in tubulis ſtagnante, rodenteque, aut prorſus extravaſatâ, inque Abſceſſum abeunte oriundus. *Narium inflammatio.* Occaſionem hinc præbent non solùm ſalia auſtero-acida in maſſâ humorali collecta, ſed etiam extus aër frigidus ſubitò mutatus, aut quævis alia res irritans, & vaſcula humorum circulantium in Narium involucris conſtringens, unde circulatio in capillaribus impeditur. *Cauſſ.*

Curatio. Quanquam autem ejusmodi Malum non aliter ac Inflammatio quævis per diſcutientia vel maturantia tractari debere videatur, nihilominus tamen majore cum circumſpectione heic eſt procedendum, quoniam leviſſima humoris ſtagnantis acrimonia corroſiva in ſpongioſâ texturâ partium Naſi Ulcus exedens, ſive Carcinoma producere valet. Itaque heic poſt primarum viarum cum *Clyſmate emolliente* ac *detergente* elotionem *Venæſectio* ſuaderi poteſt; dein internè blanda *diaphoretica*, v. gr. ♁ *n. diaphoret. Spodium ppt. C. C. philoſ. ppt. Unicorn. foſſil. Bezoard. miner.* ad aliquot doſes cum *Aqu. Chelidon. major. Succiſ.* ac *Fumar.* dabuntur. Extus verò vel *Sacculus linteus Farinâ triticeâ* benè *ſiccatâ*, ac *Bolo armenat.* cum tantillo *Camphoræ* permixt. repletus Naſo applicabitur. Vel *Ceratum* è *Cerâ virgineâ*, &c. *Oleo Roſar.* aut *Butyro recenti non ſalito*, addito *Lithargyrio* compoſitum imponetur. Tentabitur etiam, ſi placet, *fomentatio calida* cum

Spiritu Vini camphorato, aut *Rore minerali*. Si ad maturationem & Abſceſſum tendat Inflammatio, tum maturans remedium melius non eſt, quàm *Emplaſtrum è Melle, Farinâ, Succo Ceparum*, *Croco* & *Lacte* concinnatum. Permittetur autem Abſceſſus ſponte rumpi, neq; arte aliâ aperiatur. Factum hinc Ulcus ſolo *Emplaſtro Norimbergenſi*, vel *Stictico Crollii* perſanabitur.

Narium puſtulæ. NARIVM PVSTVLÆ ſunt Exanthemata veſiculoſa, vel etiam cruſtoſa in Narium tunicâ effloreſcentia, atque originem à Lymphâ quadam auſtero - acri in extremis tubulis glandulosis ſtagnante, & Cuticulam, cujus anguſtiores poros tranſire nequit, in Tuberculum elevante, ducens.

Differentia. Puſtulæ tales pro materiæ diverſitate nunc tenuiores & molliores, nunc denſiores ac duriores exiſtunt; nunc majorem nunc minorem pruritum ac fricandi deſiderium excitant; denique nunc albicantes aut cinericeæ, nunc rubicundæ, lividæ aut nigricantes exiſtunt. Subinde in Narium Inflammatione etiam efflоreſcunt, non ſecus ad interdum in Eryſipelate puſtuloſo.

Curatio. Relinquuntur ſibi hæ Puſtulæ, ſi indolentes fuerint, ac ſponte tandem diſparent, idque utplurimum per tranſpirationem inſenſibilem, aut per exiccationem. Quòd ſi verò albæ, dolenteſque fuerint, piſum magnitudine non aſſequentes, humore limpido repletæ, tum acu ſubtiliter perforabis, & *Emplaſtrum diapalma* impones; vel *Eſſentiâ Myrrhæ* prius aliquantillum fovebis. Si verò extiterint *flavidiusculæ*, *acres*, non perforabis, ſed *Unguent. album camphoratum* cum *Mercurio dulci* & *Floribus* ♀*ris* permiſtum inunges. Si Puſtulæ fuerint *eryſipelatodes*, *cineritiæ* cum *rubore* circumſtantis Cutis, valdè ardentes, tunc *Balſamum Peruanum*, vel qualemcunque *vulnerarium*, cum *Aceto Lithargyrii* & tantillo *Spiritus Vini camphorati* permiſcebis, atque diligenter inunges, addito etiam *Antimonio diaphoretico*. Si *nigræ* tandem ſummè urentes, cruſtaceæ, quantumcunque minutæ, vel lividæ comparuerint, tunc cautiſſimè procedendum, minimeque fricandum, quia levi frictione exaſperatæ Puſtulæ, ceu Anthraces minuti, vicina exedunt, & ita necroſin ſerpentem poſt ſe trahunt, omni, quod in ſanguine delitеſcit, ſale corroſivo huc poſtea detruſo. Dabis igitur intus heic *Pulveres* & *Mixturas alexipharmaco - diaphoreticas*, ſicut in *Febri malignâ* dictum. Extus verò applicabis *Theriacam* cum *Roob Juniperi*, & *Spiritu Vini camphorato*: vel *Emplaſtrum ſticticum Crollii* cum *Cinnab. nativ. Semin. Rutæ*, *Radic. Rhabarbar. Lithargyr. Terebinth.* ac *Cerâ*. Vel *Emplaſtr. Norimbergenſe* cum tantillo *Theriacæ* aut *Mithridatii* admovebis; atque hinc ſi Puſtula vel Cruſtula nigricans abſcœſſerit, eodem *Emplaſtro*, vel *Emplaſtro ſtictico Crollii*, ſimul *Digeſtivum* ex *Melle roſaceo, Theriacâ* & *Myrrhâ* uſurpando, Ulcuſculum perſanabis.

NARIUM VERMES, vid. *Narium Pruritus.*

NARIUM CONTUSIO & VULNUS, eſt Morbus Naſi, quo vel à caſu & lapſu, vel à percuſſione, verberibus, aut ictibus quocunq; modo acceptis Naſus figuram ſuam naturalem amittit, vel prorſus in ſuâ texturâ dividitur. Accidens non infrequenter ſive Pueris facilè labentibus humi, ſive Adultis litigioſis, atque verbera ſubinde accipientibus contingens.

Difficile autem eſt omnes Contuſionum & Vulnerationum Naſi ſpecies recenſere, & adcuratè deſcribere; videre illas oportet in Chirurgicis diverſorum Auctorum obſervationibus. Hoc verò monendum, Contuſionem ſine Unitatis ſolutione, ab ictibus, vel lapſu in Naſum provenientem, plerunque Tumorem, vel Inflammationem, Sugillationemve poſt ſe trahere, facileque admodum vel ſolo *Spiritu* quodam, ♀reo ſi placet, etiam *camphorato*, tepidiuſculè ſæpius applicato, vel *Butyro non ſalito*, aut *Oleo roſaceo* cum *Axungiâ cervinâ*, aut *Adipe Murium alpinorum* cum *Spirit. Vini camphor.* permiſto, inunctoque diſcuti. Si Major fuerit Contuſio, cum inſigni intumeſcentiâ, tum *Sacculi è Plantis diſcutientibus* & *cephalicis* compoſiti, *Vinoq;* incocti ſunt imponendi. *Sacculis* indentur *Alliaria, Scabioſa, Marrub. alb. Origanum, Salvia, Abſynth. Majoran. Meliſſ. Sanicul. Geranium Robert. Gratiola, Flor. Sambuc. Melilot.* &c.

Subinde Naſus ab acceptâ contuſione formæ ſuæ mutationem ſubit, atq; vel ſimus redditur, vel alio modo deformatur, propter Vomeris ſui contritionem. In hoc ergo caſu ante omnia inflammatorius Tumor diſcutiendus venit, eo quo ſuprà diximus, modo. Poſtmodum *candelis* vel *ſuppoſitoriis* in nares immiſſis, externiſque aliis modis forma Naſo priſtina eſt reſtituenda. Prodeſt in hunc quoque finem *Emplaſtrum picatum, valdeq; tenax*, extus appoſitum, quod auſterâ vel adſtringente ſuâ tenacitate Tunicas Naſi velut attollit, ſimulque contrita Oſſiculorum fruſtula Tunicis adhærentia in planam magis figuram cogit. In principio hujus Contuſionis *Venæſectio* etiam eſt inſtituenda, & ſi opus fuerit, primæ viæ ſive *laxativo Syrupo*, ſive *Clyſtere leniente* expurgandæ, ac demum *vulnerarium Decoctum* per octo pluresve dies propinandum, quale multiplex deſcriptum invenies ſub Titulis de *Vulneribus* & *Ulceribus*.

Quòd ſi vulneratus fuerit quomodocunque per Inſtrumenta varia Naſus, nullam heic peculiarem curam inſtituemus, quàm quæ de *Vulneribus in genere* indigitata eſt. Hoc ſolùm notandum, ſi fortè ſpongioſa Narium oſſa fuerint denudata, nulla *unctuoſa* vel *balſamica acido-acriuſcula* eſſe imponenda, ſed *ſicca* tantum *fila* lintea carpta, donec fibræ carneæ oſſiculis iterum inductæ fuerint. Tectis verò oſſiculis, reliquæ vulneris parti applicabis *Unguentum digeſtivo Hildani*, cui

cui *Mel roſaceum* atque *Tincturam Myrrhæ* ac *Succini* ſimul permiſcere licebit.

Naſi Tumor.

NASI TVMOR absque cauſâ externâ eſt Morbus auctæ magnitudinis, à ſtagnatione copioſæ Lymphæ interdum & ſanguinis in capillaribus tubulis per totam Naſi peripheriam exoriens.

Ætiologia.

Scilicet multæ particulæ auſtero-acidiusculæ, ſi in ſanguine hæreant, atque nactâ qualicunque occaſione, ſive per aëris ſubitaneas mutationes, ſive per animi pathemata, aliosve diætæ errores, turbationem febrilem excitârunt, contingere poteſt, ſoletque non infrequenter, ut in Febri ejusmodi ephemerâ irregulares illæ particulæ motum ſanguinis ac lymphæ in tubulis Narium capillaribus impediant, unde affluente perpetim novo humore, tandem Naſus in Tumorem aſſurgere cogitur, expanſis nimirum continuè magis ipſis tubulis, per quos humor transire nequit. Vidimus ejusmodi Tumorem ſæpè intra paucas horas adeo auctum, ut duplo triplove major Naſus evaſerit. Pro varietate proin humoris Tumorem foventis, differentiæ quoque ipſius exſurgunt, ut alius ſit *inflammatorius*, alius *oedematoſus*, alius *ſcirrhoſus*, *gangrænoſus*, *cancroſus*, *Guttam roſaceam* referens: alius *ſubitò* cum Febri diariâ exortus, alius *paulatim* genitus; alius *ruber*, alius *lividus*, *cineritius*, *cœruleus*, *albicans*, &c.

Prognoſis.

Quanquam autem ex ejusmodi Affectu parum vel nihil ſit metuendum, ſi Æger in loco temperato, vel magis calido permaneat; dolor tamen, qui huic ſimul Tumori jungitur acerbus, facilè inflammationem deteriorem, Gangrænam, Eryſipelas ſphaceloſum, cancroſumve poſt ſe trahere poſſet, niſi citâ eaque debitâ medendi methodo Morbum tractaverimus. Obſervare enim contigit ante aliquot annos in Viro ſexagenario Tumorem ejusmodi inflammatorium, qui à Chirurgo naſutulo perverſè tractabatur, in gangrænoſum Eryſipelas mutatum eſſe, ac dein utrinq; in Genas ſerpendo Sphacelum lethalem induxiſſe, à quo Æger intra octidui ſpatium è medio ſublatus fuit.

Curat.

In *Curatione* proin ſtatim *Venæſectio* in brachio adminiſtrabitur; dumque alvus libera eſt, *intus* ſtatim *Pulveres* atque *Mixturæ diaphoreticæ* exhibebuntur, iisque Æger ad blandum ſudorem invitabitur, plane ſicut in *Febri ephemerâ*, *Synochoq;* explicatum fuit. *Extus* verò *Sacculus Farinâ avenaceâ ſiccâ*, *Bolo* qualicunque, & *Camphorâ* repletus ſiccè applicabitur. Vel etiam niſi Inflammatio major fuerit, ſola lintea *Maſtiche*, *Olibano*, ſimilibusque accenſis, probè fumigata imponentur. Si Tumor fuerit *eryſipelatodes* atque *puſtuloſus*, tum *Acetum ſaturninum Zwelferi* cum *Balſamo Peruviano* aliove *vulnerario* permiſtus inungetur, ac deſuper *Sacculus Floribus Sambuci* repletus, *Lacti incoctus*, probeque *expreſſus* calidè apponetur, inque uſu horum remediorum continuabitur, donec Tumor fuerit discuſſus.

NASI

NASI FISSVRÆ & EXCORIATIO, ſunt ſolutiones unitatis in cute Nares extremas cingente à variis cauſis productæ, atque dolorem ardentem, lancinantem, prurientem, & pungentem excitantes. Occaſionem frequentiſſimam præbet Coryza, de quâ paulo ſuperius actum: nonnunquam tamen & ab aëre externo rigidiore, ſicut *Labiorum Fiſſuræ*, de quibus ſuo loco egimus, originem trahunt, ac eodem prorſus modo cum illis curantur & ſanantur.

NASI CANCER eſt Tumor lividus, durus, maximè dolens, ſive exulceratus, ſive nondum exulceratus, à corroſivo quodam acido fibras cutaneas diſcindente oriundus; unde fit, ut ex ſucco nutritio corrupto jugiter elabente vaſcula, tubuli, fibræque in duram, compactam, vicinarum partium fibris intricatam maſſam transmutentur; & quando tandem fibræ nimium ab affluente ſucco tenſæ rumpuntur atque diſſiliunt, ſicque ſuccum ſanioſum, acrem effundunt, exulceratus, apertusque fit Cancer, Hominem ad mortem usque mirè torquens, præprimis cùm non reperiatur medicamentum, quod levamen ſanitatemque afferre certam queat. Vide ſupra de *Narium Ozænâ*.

NASI FISTVLA eſt Ulcus ſinuoſum iſtius partis ab humoris ſeroſi acrimoniâ plus minus corroſivâ, cuniculos intra membranas atque tunicas agente, ipſaq; oſſicula ſpongioſa corrumpente, originem ducens. Sanies hinc perpetim è tali fiſtuloſo Ulcere profluit aquoſa, flaveſcens, ſubinde etiam livida, nigricans, ac fœtens. Facilè hinc cognoſcitur hoc malum, cumque aliam geneſin non adipiſcatur, quàm *Fiſtula* quævis in genere, hinc ſimilem quoque curationem admittit. Vide proin titulum de *Fiſtulâ*, ut & de *Narium Ozænâ*.

NAVSEA eſt inanis frequensque Vomendi conatus, ab humoribus viſcidis ſtomachi fibras nerveas ad Oeſophagum pergentes ſpasmodicè ſed blandius vellicantibus, aliisque cauſis ortum ducens. Revera enim eam heic affici partem credendum eſt, quæ in ipſo affligi Vomitu ſolet, Tunica ſcil. Ventriculi aut Oeſophagi media è fibris motricibus contexta, atque intimæ Tunicæ ita cohærens, ut à Ventriculi contentis irritationem facilè queat accipere. Sive dein hæc irritatio *immediatè* contingat à præſentibus in Ventriculo rebus, ſive *mediatè* & *per conſenſum* à cauſis extra illum exiſtentibus. *Nauſea.* *Pars affecta.*

Frequentiſſima ergo *cauſa* Nauſeæ ſunt Cruditates Stomachi, utplurimum nidoroſæ, bilioſæ, phlegmaticæ, particulis quibusdam blando acribus auſteris vel unctuoſis putridisve nerveas Oeſophagi fibrillas irritantes, blandeque ad conatus vomendi ſtimulantes. Stimulus ſi acrior evaſerit, irritatioque major ad vicinos muſculos propagata extiterit, tum Vomitus ipſe naſcitur. Cruditates tales producuntur atque colliguntur ab intempeſtivâ & immodicâ Ciborum *Cauſa.*

ingeſtione; à crapulâ, à Cibis ſalitis, pinguibus, facilè in ſtomacho putreſcentibus; ab animi pathematibus, Irâ præprimis, Triſtitiâ ac Terrore chylificationem turbantibus atque impedientibus; unde bilioſo- aut phlegmatico-nidoroſæ cruditates exoriuntur, ſubinde in linguâ amarorem halitibus ſuis per gulam emiſſis efficientes, vel nauſeabundum phlegma in fauces eructantes, quod vernaculâ linguâ *daß Hertz-Waſſer* appellare ſolemus, quodque ipſum nervos Stomachi Gulæve ita afficit, ut inde ſpiritus animales veluti diſſipentur, aut ſaltem à ſufficiente in muſculum Cordis influxu præpediti Lipothymiam, vel Imbecillitates Cordis excitat. Quòd ſi verò tales cruditates ad ſanguinem delatæ turgeſcentiam produxerint, Febrim continuam excitant, in cujus principio, non ſecus atque in paroxyſmis Intermittentium, præſente ſtomachi cruditate Nauſea frequens deprehenditur. Nonnunquam mucus acris vel ſabulum ipſum in Renibus genitum, eorumque fibrillas rodens ac torquens, per conſenſum ſimul ſtomachi membranas ſpaſmodicè afficit, Nauſeamque parit. Simile contingit, ſi quis humor in ſubſtantiâ Uteri, vel in Inteſtinis talem nervorum irritationem ſpaſmodicam pariat. Bilis etiam vel Pancreatis ſuccus, ab Animi pathematibus ad turgeſcentiam evectus malum ejuſmodi non ſecus atque Colicam, Diarrhœam &c. facilè producit intra Inteſtina; magis verò adhuc, ſi, quod frequenter contingit, illi ſucci è Duodeno per inverſum motum periſtalticum in Ventriculi cavitatem regurgitaverint. Reperiuntur denique Homines, quibus papillæ nerveæ ſive in naribus, ſive in linguâ & palato adeo patentes ſunt redditæ, taliterque conformatæ, ut à variis hinc odoribus, vel ſaporibus nauſeabundam quandam irritationem accipiant, ſub quâ fibræ Oeſophagi laxatæ, reliquæ verò Stomachi magis conſtrictæ Vomitum irritum & inanem moliuntur. Unde hyſtericarum Fœminarum, atque Hypochondriacorum Nauſeæ ac Vomitiones exurgunt; imò & Faſtidia remediorum, diverſorumque ciborum. Inprimis autem purgantia remedia nauſeabundum ſaporem exerunt, vel in eorum quoque Linguâ, qui aliâs ſine faſtidio eadem guſtare ſolent. Exiſtunt verò plures ejuſmodi Homines tanto medicaminum faſtidio laborantes, ut, etiamſi nec odorârint, neque guſtaverint, vel ſolo illorum intuitu, aut ſermone de illis facto Nauſeam per irritatos ſpiritus adipiſcantur, indeque etiam prorſus vel vomere vel alvum frequenter exonerare cogantur.

Non contemnenda proin, neque negligenda eſt Nauſea, quæ à ſtomachi cruditatibus, facilè graves alios morbos inducentibus, provenit, eaque non citius, nec melius curatur, quàm exhibito *vomitorio*, cui ſalinus ſtimulus, cruditates incidens ſimul miſtus fuerit; v. gr. Curatio.

℞. *Salis* ⊖*li* ℈j.
Radic. Aſar. gr. vj.

Crem

Crem. ♀*ri* ℈ß.
Ol. ſtill. Mac. gutt. ij.
M. f. Pulv. ſubt. d. ad ch. pro doſi.

Vel ℞. *Crem.* ♀*ri* ℈ß.
Salis Abſynth.
Bezoard. min. ana gr. v.
♀*ri emet. gr.* ij.
Ol. ſtillat. Fœnic. gutt. ij.
M. f. Pulvis ſubtil. pro doſi.

Vel ℞. *Syrupi emet. Ang. Sal.* ℥ß.
Aqu. Borrag. ʒiij.
Cinam. bugl. ʒiß.
Syrup. de Abſynth. ʒj.
M. d. ad Vitr. pro doſi matutinâ.

Si Æger facilè vomere neſciat, dabis vel *Vinum medicatum* quotidie mane bibendum; vel ſequentes *Pulveres* detergentes:

℞. ♁ *n. diaph.*
Ocul. ♋. *ppt.*
Salis polychreſt. vel
Centaur. minor. ana ʒj.
M. f. Pulv. ſubt. in 6. doſ. æqual. ad chart. div. & m. ac v. ſumend.

Vel *Elixir Proprietatis Paracelſ. ſine acido*, aut *Clauderi ad* ℈j. aliquoties horâ dimidiâ ante paſtum ſumatur cum *Juſculo* aut *Vino*.

Extus prodeſt *Emplaſtrum ſtomachicum* qualecunque, ex *aromaticis* paratum & impoſitum. *Diæta* tenuis ſit, victus parcus, ac bonus, usque dum Nauſea evanuerit. Animi pathemata fortiora caveantur.

Nauſea Nephriticorum *antinephriticis*, Hyſtericarum, *antihyſtericis* remediis tollitur. In Colicâ ſimul præſens Nauſea doſi *Rhabarbari in ſubſtantiâ, ad* ʒj. v. gr. cum *Crem.* ♀*ri* ℈ß. & *Ol. ſtill. Carv. guttis ſex* expugnatur.

In Faſtidio Remediorum aſſumendorum Nauſeam prohibebis, ſi recentes *Citri Cortices*, vel *Conditu- ram Cydoniorum*, *Ribium*, aut *Rub. idæi* maſticandam præbueris, vel ſi *fruſtum Panis toſti Aceto roſaceo*, aut *aromatico* cuidam immerſum Naribus & Ori admoveris.

NEAPOLITANVS MORBVS, eſt *Lues gallica* ſeu *venerea*, de quâ ſuo loco.

Nebula vel Nubecula Oculorum.

NEBVLA vel NVBECVLA OCVLORVM eſt Symptoma Viſûs imminuti, quo Homo objecta externa non clarè & perſpicuè, ſed tanquam per nebulam cernit ac videt. De quo conſule *Oculorum Affectus* inferiùs.

NECROSIS, latinè *Mortificatio*, nihil eſt aliud quàm *Sphacelus*, de quo vide ſuo loco.

Nephralgia, Nephritis.

NEPHRALGIA, NEPHRITIS, NEPHRITICVS DOLOR, eſt triſtis ſenſatio Mentis, à Fibrarum nervoſarum criſpatione in Renibus per varias cauſas producta, ac varia ſimul alia ſymptomata poſt ſe trahens. Generaliter ergo hic Affectus in ſeſe plures Renum læſiones includit, ceu ſui cauſas productrices; cùm enim ſymptoma ſit ſenſûs Tactûs depravati, poteſt illud à diverſis Renum morbis excitari. Interea *Pars primariò* *Pars affecta.* quidem *affecta* ſunt Renes atque Ureterum principium, ſpecialiter verò nervoſæ, quas Natura in illis conſti-

tuit, Fibrillæ exiſtunt, quæ præternaturaliter commotæ Dolorem renalem inducunt. *Secundariò* dein afficiuntur quoque ſæpè Ventriculus atque Inteſtina, idque non niſi per conſenſum nervorum communium ad illas partes abeuntium. Etenim plexus quidam nervoſus meſenterii ſuperior, è pari intercoſtali enatus ſurculis quibusdam intermediis cum plexu meſenterii maximo, & ipſo quoque ſtomachico communicat, unde renalibus graviter affectis ſimul Stomachici & Meſenterici non rarò quoque læduntur.

Cauſa. Quando autem Nephriticus dolor proximè producitur à fibrillarum in Renibus nervoſarum criſpatione ſive præternaturali aliquâ, & gravi commotione, quam nonnulli haud ineptè ſpasmodicam conſtrictionem vel tenſionem appellant; videndum quoque erit, quænam talem commotionem, à quâ ſpiritus animales in ſuo regulari motu turbati triſtem in mente ſenſationem inducunt, excitare valeant *Cauſæ antecedentes.* Commotio certè iſta fit per qualemcunque irritationem, roſionem, vellicationem, exaſperationem, dilacerationem, extenſionem, punctionem, aut compreſſionem, à rebus præternaturaliter in affectâ Parte ſive genitis, ſive collectis & hærentibus inductam. Res ejusmodi ſunt variæ, & quidem 1. *Vermes* in renalibus glandulis vel tubulis è proprio ſuo ſemine ibidem obhærente atque vivificato generati, hincque tubulos circumſtantes, fibrillasque ſimul nervoſas per mordicationem ferè continuam torquentes. 2. *Calculi*, è materiâ ſalino-viſcoſo-lapidoſâ, ſenſim in tubulis iisdem collectâ & concretâ, producti, ſuaque aſperitudine tantùm non perpetim fibrillarum texturam irritantes & pungentes. 3. *Arenulæ* vel *Sabulum*, à maſſâ ſanguineâ in glandulas tubulosque renales depoſitum, quod ſuâ vel acrimoniâ ſalinâ, vel aſperitate acutâ nervulos jugiter rodit, vellicat, atque, ſi nimium colligatur, fortiter diſtendit. 4. *Mucago viſcido-tartarea*, tubulos Renum paulatim infarciens, & modò diſtenſionem, modò compreſſionem nervulorum dolorificam inducens; modò etiam ſalino-acidarum ſuarum molecularum acrimoniâ tubulos ſanguivehos adeo adducens, ut ſimul Inflammatio, propter circuitum humorum impeditum exoriatur, graves, acutosque dolores producens: qualis Inflammatio tamen etiam à Calculis, & ſabulo Renum frequenter excitatur, peculiarique hinc nomine hactenus *Nephritis* appellari conſuevit. 5. Denique *Abſceſſus Renum* ex Inflammatione, *Ulcusve* ex Abſceſſu, vel Calculis dilacerantibus, aut Humore aliquo corroſivo oriundum, ob materiæ ſuæ acrimoniam nervulos cruciantem dolores efficere nephriticos poteſt.

Ejusmodi verò cauſæ antecedentes è circulante Maſſâ, indeque ex ipſo Chylo, denique è Liquore gaſtrico Cibos aſſumtos ſpecificè ita diſſolvente deducendæ veniunt, ut hinc particulæ nocentes prædictæ non tantùm in maſſâ ſanguineâ cumulentur, ſed

& ulte-

& ulterius ad Renum tubulos deponantur; imò etiam interdum ad glandulas Articulorum præcipitentur, unde *Arthritis*, ſæpiſſimè Nephritidem antecedens, ortum ſuum habet. Quies dein corporis magna, vita ſedentaria, Somnus largus ad ejusmodi Affectum non parum contribuunt. Raros proin credo eſſe illos Arthriticos, qui cùm multum in lecto decumbere coguntur, non ſimul tandem Nephritici evadant, imò Calculos ſive renales, ſive veſicales ſibi conquirant, quemadmodum id pluribus in noſtrâ Praxi exemplis demonſtrare poſſumus. Facit denique huc Diſpoſitio hæreditaria; facit in *Diætâ* potus quotidianus Aquarum, ſabuloſas particulas copioſè vehentium; à quibus arenoſa corpuscula in maſſâ humorali collecta tandem in ſabulum Renum faceſſunt. Facit quoque potus Vinorum valdè tartareorum, licet aliâs generoſorum, quemadmodum apud nos exiſtunt Vina Alſatica, Lacotica, pluraque alia, ad Nephralgiam valdè contribuentia, ita ut ſi huic aliâs Morbo obnoxius vel unicnm duntaxat Vitrum illo repletum exhauſerit, Nephritidem ſtatim excitâſſe obſervatum ſit. Faciunt huc Cibi ſalſi, dyspepti, fumo indurati, acidi, ac ſimiles alii, Caſeus v. g. Ova frixa vel ad duritiem cocta, Piſa, Phaſeoli, Rapæ, Braſſica, aliaque muriâ condita. Facit Triſtitia diuturna, decubitus ſupinus creber, quies corporis continua, Venus immodica; Somnus longus, & plura ſimilia.

gno-

Præſentem Nephralgiam *indicant* principaliter Lumborum cruciatus & dolores, nunc in ſiniſtro, nunc in dextro, nunc in utroque latere affligentes; prout modò unus tantùm Ren, modò uterque læſus eſt. Dolores illi non vagi ſunt, ſicut in Colicâ flatulentâ, ſed fixi, ac ſtabiles, quamdiu ſcilicet cauſa morbifica præſens eſt. Interdum dolor juxta ductum Ureterum verſus inguina protenditur, quando inprimis ſabuloſa, vel calculoſa materia pelvim renalem offendit & exaſperat. Si acerbior fuerit dolor, etiam ad Iſchii articulum, ipſumque Crus totum, quod velut in ſtuporem adigitur, per membranarum communionem expanditur; imò ſuâ quoque ferociâ nervos ſtomachicos atque inteſtinales in conſenſum ita trahit, ut hinc Nauſea, Vomitus, Anorexia, atque Tormina ventris, ſub nomine Colicæ nephriticæ venientia, producantur. Per Vomitum autem ſæpius in principio tantùm phlegmata inſipida, acidave, dein & bilioſo-amari humores magno cum conatu ejiciuntur. Urina in Malo incipiente pauca, eaque tenuis ac ferè aquoſa emingitur, interdum ſi conſtrictio tubulorum renalium à Calculis aſperis, vel auſtero acri muco fortior reddita ſit, planè ſupprimitur: poſtmodum autem copioſa, craſſa, arenoſa aut mucoſa prodit, cum ſedimento *nunc* ſabuloſo-rubicundo, ubi ſæpè arenulæ aſperæ cinnabarinæ, flaveſcentes nitenteſque digitorum attritu non ſemper friabiles conſpiciuntur; *nunc* mucoſo-albicante, interdum etiam purulento;

nunc ſanguineo, quando videlicet Calculi majores vaſcula ſanguifera Renum dilacerârunt. Subinde loco arenularum, in fundo aliâs matulæ ſubſidentium, ſalina tantùm corpuſcula ſplendida ac rubentia, plus minus fixa, parietibus vaſis copioſè adhærent, ceu in cryſtallulos præcipitata, quæ ab arenulis maximè ſunt diſtinguenda; quanquam & ipſa hæc ſalina corpuſcula in renalibus tubulis obhærentia cauſa Nephritidis, ſub formâ muci craſſioris, quem facilè gignunt, aut aliter exiſtere poſſint. Si *Vermes* fuerint in culpâ excitatæ Nephralgiæ, tunc tantos ac tam acerbos Ægri cruciatus in lumbis non experiuntur; titillatoria magis erit vel lancinans, eaque ſubinde ceſſans, dum quieſcunt Vermes, rarò ſpasmodica roſio, tandemque forſan ipſi Vermiculi cum urinâ prodibunt. Si Malum à *Pituitâ acri*, viſcidâ & glutinosâ provenerit, tunc dolor lumborum magis eſt gravativus, ac tandem materia viſcoſo-cineritia cum urinâ aliqualiter ardente, frequentiusque ad mingendum ſtimulante prodit. *Calculi renalis* ſigna ſub titulo de *Calculo Renum* jam expoſita reperies. Inflamatio autem Renum, ceu frequentiſſima Nephralgiæ cauſa cognoſcitur è dolore Renum non ſolùm gravativo, ſed & ardente, pulſatorio ac tenſivo, cum conjunctâ ſimul Febri plus minus intenſâ, agrypniâ, ſiti, inquietudine, reliquiſque generalibus Mali ſignis: decubitus heic ſimul in locum affectum eſt difficilis, neque Æger ſine dolorum augmento ſeſe erigere, dorſumque flectere poterit. *Ulcera* denique Renum dignoſcuntur ex Inflammatione præcedaneâ, doloribus mitibus & placidioribus, gravativis, materiâ purulenta, plus minus craſſâ, ſæpius graveolente & ſanguineâ, cum Urinæ liquore prodeunte, hincque in matulâ fundum ſtatim petente; Urina quoque heic minus ita acris eſt, quàm ſi pus è Veſicæ ſubſtantiâ prodeat, ubi propter iſtius partis excoriationem ſtimulus ad mingendum fortior plerunque & crebrior evadit.

Quomodo à Lumbagine diſcerni poſſit.

Hinc non adeo difficulter Nephralgiam à *Lumbagine*, ſive *Dolore Lumborum rheumatico* vel *articulari*, à lymphâ in Articulis vertebrarum lumbarium ſtagnante ac lancinante oriundo, diſcernere licet, quòd in hoc Dolore cruciatus per corporis flexuram ſtatim augeantur, ac præterea Nauſea reliquaque Nephritidis ſigna non adſint; niſi forte Lumbago cum Nephralgiâ fuerit ſociata. Diſcernitur etiam facilè Nephritis à *Colicâ flatulentâ*, quatenus hæc ſecus ac illa, in omnem Abdominis Regionem, ſubinde cum aliquo murmure divagatur, atque rarius Homines ad vomendum ſolicitat, prætereaque Lumborum regionem non ita exercet, nec eas corporis vias quærit, quales vera Nephralgia permeat ſuo conſenſu. Quòd ſi autem Colica ſpasmodica & humoroſa ſedem ſuam in eâ Inteſtini Coli parte fixerit, quæ Renibus adjacet, tum Nephritidem mentitur, ac pro hâc facilè ſumi poſſet, niſi Urinæ clariores, abſentia Vomituum, aliaque Medico circumſpecto aliud quid dictitarent;

Ut & à Colicâ flatulentâ.

ctitarent; quanquam & in hâc ipsâ ſpasmodicâ Colicâ non rarò Vomitus evadant frequentes, imò ipſa quoque Paſſio iliaca ſuccedat.

Multum verò intereſt Practico Medico, ut decentem, atque certam aliquam *Prognoſin* in hoc tam frequenti Affectu inſtituat, atque ita tum ſuæ prudenter famæ conſulat, tum Ægris ea dicat, quæ ipſos ad tolerantiam ac patientiam invitare poſſunt. Quid boni malive poſt ſe trahant *Calculi*, ſuo dictum loco de Calculis Renum. A pituitoſo muco, ſabulove oriunda Nephralgia curabilis eſt, modò juxta debitam medendi methodum ſimul recta victûs ratio inſtituatur. Quod ſi autem Obſtructio Renum inveterata, magna, vel quotidie magis aucta evaſerit, tum facilè in Iſchuriam renalem, in Ulcus exedens, inque perpetuam fermè Nephritidem degenerare poteſt, difficilius extirpabilem. Vermiculi Renum, niſi prodierint citò, etiam criſpationem tubulorum vehementem, obſtructionem, Inflammationem, Abſceſſum atque Ulcus verminoſum cum hecticâ Febri inducere poſſunt. Inflammatio Renum ſæpè diſcutitur, ſi levior fuerit; gravior autem, & cum malignâ Febri conjuncta, vel Gangrænam & Sphacelum lethalem, vel Abſceſſum & Ulcus exedens, & ab humore ſalino-corroſivo fomentatum, poſt ſe Hecticam & Maraſmum relinquit. Quando autem ſymptomata in hoc Malo incipiunt mitigari, urinaque ſenſim craſſa, turbata, cum ſedimento vel ſabuloſo, vel mucoſo, purulentove quotidie reddi, appetitus redire, agrypnia & inquietudines cedere, dolores Renum remittere, tum verò Ægrum à morbo, vel ejus ſaltem Paroxyſmo liberari indicium eſt. Hæreditarius ſi fuerit morbus, aut ſi Senem jam hominem prehenderit, difficiliùs aut nullatenus planè eradicabitur. Mirum eſt, ſubinde Podagram in Nephritidem prorſus transmutari, ubi nimirum podagrica materia, in ſuâ texturâ vel craſi quomodocunque mutata, non amplius in glandulas Articulorum, ſed in Renes præcipitatur, cumque urinâ, quàm plus minus acrem reddit, è corpore prodit, ſub formâ muci viſcidi & glutinoſi, urinæ fundum petentis.

Curatio igitur Nephritidis alia erit *prophylactica*, alia *præſentis mali extirpatoria*. In *Curâ præſervatoriâ* commendamus uſum primò *Aëris* purioris, minus frigidi & humidi. Dein *Cibus* nec immodicè, nec intempeſtivè ſæpius ingeratur, isque boni ſemper ſucci, facilisque digeſtionis exiſtat; *Panis* hinc probè *fermentatus* & *excoctus*, *modicè ſalitus*, è *tritici*, vel *ſiliginis* farinâ factus. Inter *Carnes* concedimus tam *aſſas*, quàm *elixas*, *vitulinas*, *vervecinas*, *hœdinas*, *agninas*, *Cuniculorum*, *Pullorum gallinaceorum*, *Perdicum*, *Coturnicum*, *Leporum juniorum*, *Caponum*, *Alaudarum*, *Turdorum*, *Boum* vel *Vitulorum teneriorum*, ſimiliumque è Junioribus animalibus petitorum, modò ne nimio ſale condiantur, vel fumo indurentur. In *Piſcium* claſſe exulare debent omnes *ſaliti*, atque *fumo ſiccati*; Curatio.

aſſati

aſſati verò atque cum aromatibus elixi melioris ſunt notæ, inprimis ſaxatiles v. gr. *Lucius*, *Carpius*, *Perca*, *Truttæ*, *Funduli* &c. quò etiam licet *fluviatiles* referre *Cancros*. *Ova* qualiacunque, inprimis *cocta ad duritiem*, *Lac*, *Lacticinia* omnia, *Caſeus* qualiſcunque valdè nocent. Inter *Herbas*, *Olera*, & *Fructus* admittimus *Malvam*, *Betam*, *Petroſelinum*, *Apium ſelinum*, *ſ. Paludapium*, *Cherefolium*, *Aſparagum*, *Lupulum*, *Pimpinellam*, *Radices Raporum optimè coctorum*, *Raphani ruſticani*, *Paſtinacæ*, *Siſari*, *Scorzoneræ*, *Petroſelini*, *Raphani minoris*, inprimis *nigri*, *Naſturtium aquaticum*, *Cochleariam*, *Taraxacum*, *Piperitidem*, *Cichorium*, *Endiviam*, *Lactucam agninam*, *Rapunculum eſculentum* & ſimilia. *Nuces avellanas minores* tectas *membranâ rubicundâ* quotidie in prandio, numero novem, decem vel duodecim, cum tantillo *Mellis* comeſtas, quidam pro *arcano* habent *antinephritico*. *Nuces* dein *Pineæ*, *Amygdalæ dulces*, *Piſtacia excoriata*, *Poma* qualiacunque *dulcia aromatica*, & in ſe fermentata, præcipuè *curtipendula*, *Borſtorffiana*, *Grunacenſia* &c. conducunt. Tandem & *Cinaræ*, *Allium*, *Cepæ*, *Fraga*, *Baccæ juniperinæ*, *Oryza*, *Piſa*, *Phaſeoli*, *Fabæ minores*, *Hordeum*, probè cocta proſunt, niſi immodicè ingeſſeris. Pro *Potu* inſerviat vel *Cerevifia bona*, *tenuis*, atque *optimè fermentata*, *minimè acida*; vel *Vinum album*, *valdè tenue*, *bonum*, *probè defæcatum*, ac *diureticum*, vel *Decoctum Raſur. Lign. Saſſaphr. Quajac. Radic. Chinæ*, *Sarſæparill. Gramin. Filicis*, *Liquirit*. Condemnamus hinc ſupra allegata *Vina tartarea Alſatica*, *Lacotico-Bernenſia*, *Auſtriaca*, *Franconica*, pluraque etiam *Rhenana*. Poſt paſtum ſi ſubinde aliquot *Cochlearia Vini optimi Malvatici*, *Cretici*, *Hiſpanici*, *Frontiniaci*, ſimiliſque potaveris, inſigne creditur *prophylacticum*. Juxta hæc *Aqua fontis*, vel *pluvialis* probè mundata, nullis *heterogeneis particulis* ſcatens, prodeſt. *Infuſum fol. Thée*, *Virgæ aureæ*, *Veronicæ*, *Trifol. fibrin. Heder. terreſtr. Anſerin.* vel *Decoctum Granorum Coffée* aut *Phaſeolorum toſtorum*, *Decoctum* item *Radicum Saxifragiæ*, *Pimpinell. Graminis*, *Liquirit. Filicis*, *Ononidis*, *Aſclepiadis*, ac ſimilium quotidie potum ſimiliter conducit. Si quis dein robuſto fibrarum ſtomachi tono gaudeat; ſi acidum enormiter prædominetur in liquore gaſtrico, totoque etiam ſanguine, tum ſingulis, vel alternis quibusque annis *Acidulas* ex ipſis, modò poſſibile, fontibus hauriat, idque cum *regimine Diætæ exacto*. Inter *Acidulas* eminent *Macro-Sualbacenſes*, *Spadanæ*, *Egranæ*, *Tonningſteinenſes*, *Mauritianæ*. Sed & cum ipſo hoc potu *Aquarum*, vel poſt eum etiam *Balneum minerale* ad aliquot dies uſurpandum eſt, ut ita Renum tubuli emolliantur, vel deobſtruantur tanto felicius. Si quis *Acidulas* frigidè neſciat bibere, paululum ante potum tepefaciat. Vel *Thermas* potet *Embſenſes* in Naſſovico Germaniæ tractu, aut *Plumbarias Lotharingiæ*, aut *Fabarienſes Rhætiæ*, aut denique *Carolinas Bohemiæ*.

Sed hæc omnia parum prodeſunt, niſi Animus ſimul ſit hilaris, imperterritus, atque curis, ſollicitudinibus, iracundiâ, triſtitiaque nimiâ vacuus. *Otioſa* porrò, ac *ſedentaria* vita valdè nociva eſt, contrà exercitia motusque corporis, ſubinde etiam vehementiores, proſunt magis. Vitandus eſt etiam *Somnus* largus, fugienda *Venus exceſſiva* & *quotidiana*. *Balneis* denique *Aquæ dulcis*, cum incoctione *Herbarum emollientium* ac *nervinarum*, non infrequenter inſidendum.

canar briti-

Præter ejusmodi *Diætam* ſunt, qui *Arcana* ſua laudent *antinephritica præſervativa*, quibus ſe & ſanguinis nephriticam emendare craſin, & Renum eluere vias poſſe jactitant. Neque talia promiſcuè ſemper contemnenda ſunt, modò juxta ipſorum uſum non negligatur obſervatio præſcriptæ *Diætæ*. In hunc autem finem utile erit Homini nephritico, ſi ſingulis annis vel bienniis, ſemel aut etiam pro re natâ pluries, *lene* capiet *emeticum*, cujus vi non ſolùm Stomachi menſtruum nimis acidum, cum omni ſaburrâ crudâ & pituitoſâ excutitur, deinceps convenientibus remediis meliori in ſtatu reſarciendum; ſed & ipſi Renum tubuli validè concuſſi, quicquid pituitoſæ in ſe continent materiæ morboſæ, exprimunt. Quòd ſi Vomitoria ſuadere neſcias, tum ſingulis ad minimum trimeſtribus *lenitiva* vel *nephrocathartica* præſcribes *Remedia*, v. gr. ex *Seminibus Violar. Nucleis Perſicorum*, *Avellanarum*, *Ceraſorum*, *Caſſiâ recent. extract. Rhabarb. Terebinth. Vitell. Ovor. ſolut.* & ſimilibus. Deinceps verò *diuretica blanda*, *lithontriptica*, *incidentia* & *abſorbentia* ſingulis Hebdomadis, vel ſaltem Menſibus ſemel aut aliquoties in uſum vocabis. Poteris ergo vel *Terebinthinâ*, ad Nuciſtæ magnitudinem inter *Violarum Syrupum* abſconditâ, ſubinde uti, corpus hinc equitando, vel Rhedâ vehendo, aut aliter per horas aliquot exercere. Vel *Pulveris antinephritici* doſin unam aut alteram capies; cujusmodi *Pulveres* varios illi *Arcanorum venditores* ex ſequentibus ferè ingredientibus concinnant: v. g. *Radicibus Chelidonii major. Aquileg. Gentian. Rhab. Rhuſci*, *Ononid. Eryng. Saxifrag. Liquirit. Ariſtoloch. Vincetox. Virg. aureæ*, *Herbis Virg. aureæ*, *Rutæ murar. Hyperic. Card. bened. Seminib. Dauc. Petroſel. Lithoſpermi*, *Geniſt. Raphani*, *Naſturtii*, *Thlaſp. Fœnicul. Erucæ*, *Sinapi*, *Rapar. Hyperic. Cumin. Baccis Alkekengi*, *Lauri*, *Juniperi*, *Lapillis Percarum*, *Ocul.* ♋. *Teſtis Ovorum calcinat. Cochleis unâ cum teſtis ſuis calcin. Lapid. Meſpilor. Putaminibns Nucum avellan. Milleped. ppt. Lapide Judaico*, *Lapid. Lyncis*, *Corall. alb. ppt. Nitro vitriolat. Salibus Plantar. lixivioſis*, præſertim *Ononid. Fabar. Geniſt. Cent. min. Tamaric. Card. bened. Junip.* &c. *Sal. volat. Urin. Succin. Fulig. Viperar. Eboris.* Quibus etiam *Aromata* quandoque addunt *blanda*, v. gr. *Cinamom. Cardamom. Cubeb. Lign. Aloës* &c. aut *Gummata*, v. g. *Arabic. ammoniacum*, *juniperinum* &c. Vel ex iisdem ſpeciebus variè inter ſe mixtis ac *Vino Malvatico*, *Cretico*, *Hiſpanicove*

optimo per aliquot dies infuſis, *Elixiria* componunt, de quibus ſubinde aliquot cochlearia duabus horis ante vel poſt paſtum capi poſſunt. Imò affuſo iisdem per aliquot dies *Vini Spiritu tartariſato Tincturas* eliciunt *antinephriticas*, ſub doſi guttar. 20. ad 30. non infrequenter cum *Aquâ Fragor.* aut *Malvæ hauriendas.* Sunt qui ſolas *Juniperi Baccas*, vel *Roob Ebuli, Sambuci* aut *Juniperi* ſæpius ſumenda ſuadent. *Helmontius* ſuum extollit *Succum Betulæ*, ſingulis Vernis temporibus per octo pluresve dies, ad duas vel tres quotidie uncias bibendum. *Timæus à Guldenklee* arcanum quoque habet è *Succo folior. Anſerinæ* atque *Secalis* Majo menſe, ſerenâ tempeſtate, mane cùm rore madent, collectarum, paratum, cum *Vino rubro tenui miſtum*, atque per triduum doſi 5. vel 6. unciarum potum.

Curatio in Paroxyſmo. In ipſo autem Nephralgiæ *paroxyſmo*, ſi Homo plethoricus fuerit, atque gravior Renum inflammatio metuenda veniat, *Venæſectionem* admittere poſſumus. Præterea autem ſequentia *Clyſmata*, vel ſimilia in uſum ſtatim trahantur:

℞. *Lactis Bubul.* ℥x.
Olei Violar. vel Melil. vel Chamom. vel Roſar. vel Olivar.
Butyri rec. non ſalit. ana ℥ij.
Sacch. alb ʒij.
M. f. Clyſter ſtatim injiciendus tepidè.

Vel ℞. *Radic. Virg. aureæ.*
Liquirit. ana ʒiiß.
Herb. 5. Emoll.
Flor. Chamom. ana Mj.
Semin. Fœnic. Dauc.
Bacc. Junip. ana ʒiß.
Inciſ. & contuſ. coqu. in ſ. q. Aqu. fontan. vel mediæ partis Lactis. In Colatur. ℔j. *diſſolve*
Terebinth. vitell. Ov. ſol. ʒvj.
Olei Olivar. ℥ij. *vel Melil.* ℥j.
M. f. Clyſt. ſtatim injiciendus.

Poſt Clysma, ſi opus ſit, devenire poſſumus ad uſum *Semicupiorum* cum incoctione *Plantarum emollientium* atque *diureticarum.* Deinceps internè *Eclegmata* vel *Emulſiones* dabimus, vias Urinæ lubricantes, atque irritationem fibrarum nimiam ſimul vi anodynâ demulcentes:

℞. *Syrup. de Alth. Fernel.* ℥j.
Violar. purpur.
anodyn. ana ℥ß.
Aqu. Malv.
Fragor. ana ʒvj.
Ol. Amygd. dulc. rec. expr. ℥j.
Ocul. ♋. *ppt.* ʒj.
M. f. Eclegma d. ad Fictile, de quo ſæpè cochleare plenum ſumatur.

Vel ℞. *Nucl. Perſic.*
Pinear.
Semin. Cucum.
Cucurb.
Melon. ana ʒij.
Papav. alb. ʒiiß.
Aqu. Portulac. ℥iij.
Nymph.
Ononid.
Flor. Sambuc. ana ℥iiß.
F. l. a. Emulſio, cui adde
Sacch. roſat. ʒvj.
Ocul. ♋. *ppt.* ʒiß.
M. d. ad Vitr. ſumatur tribus vel quatuor

quatuor doſibus intra ſpatium 24. horarum.

Vel ℞. *Florum Chamomill.* Miß.
Radic. Gramin. Filic.
Liquir. ana ℥ij.
Inciſa coque in Vini albi & Aqu. fontan. ana ℔ij. *De Colaturâ m. ac veſp. Cyathus plenus exhauriatur.*

Vel ℞. *Nucl. Perſicor.*
Pinear.
Amygdal. dulc. rec. excort. ana ℥iß.
Semin. Violar. purpur. ℥ß.
Pepon.
Cucum. ana ℥j.
Aqu. Endiv. ℥iij.
Plantag.
Urtic. ana ℥iiß.
F. l. a. Emulſ. cui adde
Syrup. de Nymph.
Portulac. ana ʒvj.
Ocul. ♋. *ppt.* ℈iiij.
M. d. ad Vitr. ſumatur tribus doſibus intra 12. *horas.*

Laxans etiam dari poteſt, ni Calculus adfuerit; v. gr.

℞. *Caſſiæ rec. extract. & Aqu. Fragor. ſolut.* ℥ij.
Syrup. Flor. Perſic. ℥j.
Aqu. Cinam. bugloſſ. ℥ij.
M. f. Potio d. ad Vitr. pro doſi.

Vel ℞. *Tereb. Vitell. Ovor. ſolut.*
Syrup. Flor. Perſ.
Viol. purp. ana ℥ß.
Aqu. Flor. Acac.
Ononid. ana ʒvj.
M. f. Coloſtrum una doſi ſumendum.

Ad *Coagulum* dein *pituitoſum* vel etiam *ſabuloſum* meliùs reſolvendum atque extergendum dari poſſunt ſeqq. v. gr.

℞. *Ocul.* ♋. *ppt.*
Lapid. Percar. ppt.
Radic. Ononid.
Milleped. ppt. ana ℈ij.
Salis volat. Succin. ℈j.
Sacch. alb. ℥iß.
M. f. Pulv. ſubt. in 6. doſ. æqu. ad ch. divid. quarum doſin quotidie mane aſſumat cum Aqu. Cherefol.

Vel capiat *Elixiris* cujusdam *nephritici*, veluti *noſtrum* eſt *anodyno-nephriticum*, quædam cochlearia; vel de *Vino medicato nephritico* bibat ſubinde Cyathum, ſi Inflammatio nulla adſit; v. gr. *Vinum antinephriticum.*

℞. *Radic. Sarſ. parill.*
Apii, Rhabarb. monach.
Ruſci.
Rubiæ Tinct.
Virg. aureæ ana ℥j.
Lign. Saſſaphr.
Nephritic. ana ℥iß.
Juniperin. ℥j.
Herb. Anſerin.
Marrub. alb.
Artemiſ.
Chamædr.
Abſynth. ana Mij.
Bacc. Alkekeng.
Laur. ana ℥j.
Juniper. ℥iij.
Semin. Naſturt.
Aquileg.
Fœnic.
Dauc. ana ℥ß.
Cinam. & Cubebar. ana ʒvj.
Inciſa & contuſ. inde doliolo, ac ſuperfunde

Vin. alb. veteris.

Vini rubri veteris aa. Menſ. xij.

Stent per Octiduum, poſtea in uſum trahe.

De *Eſſentia diureticâ*, v. g. *Hyperic. Succin. Bacc. Junip. Alk. Anſerin. Ononid. Virg. aureæ* cum *Spiritu Vini* 🜿*riſato* paratâ, ſubinde quoque 20. vel 30. guttæ cum *Aqu. Veronic. Ononid.* ſimilive propinari poſſunt. Huc refer & *Balſamum* 🜍*ris terebinthinatum*, *Spirit. Bacc. Juniperi*, *Spirit.* vel *Oleum Terebinth.* aut *Succini probè deſtillatum*; vel etiam *Balſamum de Copaibâ ad* 12. *vel* 20. *guttas* interdum cum *Juſculo* vel *Emulſione Seminum frigidorum majorum* datum. Pro *ſpecificis* nonnulli extollunt *Semina Raphani*, *Lycopodii*, *Thlaſpios ad* ʒß. in *Juſculo* datum; vel cum *Oleo Amygdalar.* aut *Emulſione* prædictâ. *Infuſum Folior. Thée* cum *decocto Radic. Liquirit. Graminis* & *Saxifragiæ* paratum, ac ſine *Saccharo* potum frequenter Renes mirè quoque exterget. Idem facit *Decoctum Liquiritiæ* & *granorum Coffée toſtor.* ſine *Saccharo* pocillatum quotidie. Denique ſi dolor ferè intolerabilis ſit, ſi vomitus enormes, ad *Pilulas* confugies *terebinthinatas*, m. ac veſp. ſumendas cum *Emulſione Amygdal.* vel *Decocto Radic. Filic. Liquirit.* & *Saxifrag.* v. gr.

℞. *Terebinth. Venet* ʒij.
Extract. Liquirit. ʒj.
Ononid.
Gumm. Guajac.
Maſſ. pilul. è Styrac. ana ʒß.

Cum Ol. deſtill. Succ. f. l. a. Pilulæ Piſi minoris magnitud. Doſis 8. *vel* 10.

Vel *anodynæ Pilulæ* concedi poſſunt, ſed neque Hyſtericis, neque Hypochondriacis, neque Cholericis, neque Renum acerba Inflammatione laborantibus, in quibus ſæpè Cardialgiam, atque convulſivos motus excitant. *Pilulæ anodynæ* erunt v. gr.

℞. *Theriac. cœleſt. gr.* v.
Extract. Liquirit.
Caſtor. ana gr. iij.

Cum Terebinth. f. l. a. Pilulæ num. vij. *Inaur. d. ad ch. pro doſi.*

Vel ℞. *Extract. Liquirit.*
Flor. Hyperic. aa. gr. vj.
Laud. opiat. gr. j. vel iß.

Cum Oleo ſtillat. Succin. vel Balſamo de Copaibâ f. l. a. Pilulæ num. vij. *Inaur. d. ad ch. pro doſi.*

Quòd ſi autem *Inflammatio Renum* fuerit cauſa Nephritidis, tum ferè procedendum, ſicut in *Febri continuâ*, *Clyſma* infundetur *emolliens* ac *detergens*: hinc *Vena* ſecabitur; *intus* verò dabitur m. ac v. *Pulvis diaphoreticus* ſequens: *In Inflammatione Renum quomodo procedendum?*

℞. ♁*n. diaph.*
Dent. aprin. ppt.
Pulv. Viperar. ppt.
Ebor. ppt. ana ʒß.
Nitr. ppt. ℈j.
Camphoræ gr. viij.
Sacch. roſat. ℈j.

M. f. Pulv. ſubtil. in 4. *doſ. æqu. ad ch. Dentur cum Aqu. Malv. vel Nymph. vel Emulſione ſeqq.*

℞. *Nucl. Perſic.* ʒij.
Semin. 4. *frigid. maj. ana* ʒiß.
Card. bened. ʒj.

Aqu.

Aqu. Scabioſ. ℥iij.

Nymph.

Portulac. ana ℥iiß.

F. l. a. Emulſio, cui adde

Syrup. de Alth. Fernel. ℥j.

D. ad Vitr. hauriatur tribus vel 4. doſibus ſpatio 16. vel 18. horarum.

Mixtura dein cardiaco-diaphoretica ſequens detur:

℞. *Aqu. Papav. rhead.*

Nymph.

Flor. Sambuc.

Succiſ.

Syrup. Violar. purpur. ana ℥j.

Confect. Alk. inc. ℈iiß.

Spod. ppt.

Ocul. ♋. *ppt. ana* ʒß.

M. d. ad Vitr.

Pro ordinario Potu bibatur diutiſſimè *decoctum Raſuræ Ligni Saſſafr. Radicis Onon. Saxifr. Sarſæparill. Filic. Gramin. Liquirit.* & *Hord.* Sanctè heic teſtari poſſum, me jam per ſexennium à nephriticis arthriticiſque inſultibus liberum DEO benedicente vixiſſe, ope mei potûs ordinarii, qui nil eſt aliud, quàm Aqua, in quâ parum *Ligni Saſſafr. Radic. Filic. Chin.* & *Gramin.* decoqui curo. Extus Lumborum regio inungatur bis quotidie *Oleo Roſar. Lil. alb. Verbaſc. Hyperic. Violar. Nymph.* vel *Unguento infrigidante Galen.* cum ♁ *n. diaphor.* & *Camphor.*

Extra Inflammationem, vel hâc leniore exiſtente, *Oleum* ſuademus *Chamomill. Lumbric. terreſtr. Spic. Rutæ, Lauri, Meliloti hort. Sem. Papav. alb.* vel *Hyoſcyam. Scorpionum Matth. Hyper.* Vel *Unguentũ anodynum Mynſicht.* aut *de Althæâ*, cum modò laudatis *Oleis* permixtum; additâ quoque, ſi placet, *Axungiâ caninâ* aut *anſerinâ. Terebinthinam* alii linteo inunctam, ſuperpoſitâ chartâ; vel *Emplaſtrum Oxycroceum, de Cicutâ*, aut *Norimbergenſe camphoratum* alutæ inductum applicant. *Succulus Arenâ*, vel *Cineribus*, vel *Avenâ repletus* & *calefactus*, cum levamine dolorum quoque apponitur. Vel *Flores Sambuc. Chamom. Verbaſc. Melilot. Herbæ rec. Malv. Petroſelin. Dauc. Cherefol. Naſturt. invicem inciſ. & contuſ. ſacculoq; inditæ*, atque in *Lacte decoctæ* lumbis applicari cum fructu poſſunt. Imò *Cataplasma* ex *Fimo vaccino* recenti inter lintea appoſitum calidè mira præſtare valet.

Si *Vermiculi* credantur in Renibus eſſe, è *Pulvere Semin. Santon. Radic. Rhab. Filic. Liquirit. Corallin. ppt.* & *Sacch. alb.* anaticâ doſi permiſtis, concinnato, ac m. & veſp. ad ʒß. exhibito pellentur. Vel *Eſſent. Abſynth. Card. bened.* aut *Elixir proprietat.* dabitur. *In Vermibus.*

Si *Abſceſſus, Ulcusve* Renum fuerit excitatum, *detergentia* atque *conſolidantia* interna dabuntur; v. g. *In Abſceſſu, vel Ulcere Renum.*

℞. *Pulver. Lichen. Petr.* ʒij.

Bol. Armen. ppt.

Unicorn. foſſil.

Semin. Hyperic. Perfoliat.

Flor. Sanicul. ana ʒj.

Sacch. alb. ʒvj.

M. f. Pulv. ſubtil. d. ad ſcat. Doſis ʒß. *ad* ℈ij. *vel tres mane ac veſper. cum Aquâ Plantagin.*

Decoctum quoque *traumaticum* quàm diutiſſimè uſurpetur; v. gr.

℞. *Radic.*

℞. *Radic. Filic.* ℥vj.
Herb. Sanic.
Numular.
Pyrol.
Alchymill.
Ophiogloſſ.
Fol. Lichen. petr.
Flor. Bellid. min.
Roſ. rubr. ana Mj.

Inciſ. & contuſ. d. ad ch. De hisce ſpeciebus ſemper manipulus coquatur per horæ quadrantem in *Vini albi veteris* & *Aquæ fontan. aa. Menſurâ dimidiâ*, hinc *Colaturæ* ℥iij. *vel* iv. bibantur m. ac v. non adeo frigidè. Si ſimul ſumat Æger *Eſſentiam* vel *Tincturam* qualemcunque *traumaticam*, tanto felicius ſanabitur. Extus *Emplaſtrum Norimbergenſe* optimum *Lumbis* applicatum ſemper geſtetur. Vel *Olea Lumbricorum* & *Chamomill.* diligenter inungantur.

NERVORVM VVLNVS; vid. *Vulnus in genere.*

Noctambulatio. NOCTAMBVLATIO, SOMNAMBVLATIO eſt Affectio quædam corporis præternaturalis, quâ Homines ſomno ſopiti, vel inter dormiendum ſurgunt, clauſisque oculis circumambulant, vel etiam munia quædam vigilantium exercent. Ita Ancillæ interdum valdè ſollicitæ, Famuli anxii, Juvenes in rem ſuam intenti, in ſomno ſurgere, atque ſic interdum obambulare notantur. Imò, quod mirandum, periculoſiſſimè, vel ſolo veſtiti induſio, ſæpius per tecta ædium feruntur; ignes in foco ſuccendunt, cibos præparaturi. Novimus quoque Mercatoris cujusdam Famulum, qui conſpectâ in vicino horto Arbore, Pyris optimis, & maturis ornatâ, noctu in ſomno ſurrexit, atque ſeminudus, per tecta ædium transiens, in vicinum hortum ſe demiſit, Arborem conſcendit, Pyra duodecim, plurave decerpta Induſio ſuo involvit, hinc eâdem viâ per tectum ſemper ad huc dormiens rediivit, atque in lectum ſe recepit, maneque evigilans neſcivit prorſus, unde Pyra, quæ ſuo in lecto abſconderat, provenerint? Sunt, qui ſingulis ferè noctibus ſurgunt, dormienteſque angulos ædium pervagantur; imò ſæpius periculoſiſſimè extra feneſtras ſeſe demittunt, ſed, quod mirum, rarò tamen præcipites ruunt, niſi fortè altâ eos compellatione quis expergefecerit, tum enim facilè labuntur, humique cadentes noxam plus minus gravem adipiſcuntur, aut lapſu graviore concuſſi prorſus intereunt.

Si de modo quæramus, quo hæc contingat Affectio, difficile eſt illum explicare. Quando autem ſæpè obſervamus, Homines in Templis, converſationibus, aut vigiliis diutius protractis ita laſſari, ut nutante capite in ſomnum cadant, ſed talem, in quo motus membrorum voluntarii cum pleriſque ſenſibus quieſcunt, Organo Auditûs nihilominus ſpiritibus repleto manente, hincque ſonos in aëre factos excipiente; concludere licebit, ſpiritus animales vel in medio ſomno, ſi non profundior fuerit, in hos illosve nervos facilè irruere, aut illos etiam *Cauſa.* inflatos

inflatos tenere poſſe, dum interea aliorum nervorum tubuli minus inflati ſubſideant. Atque talem ſomnum aliqui *imperfectum* vocant, vel gradum quendam inter Somnum perfectum atque Vigilias, cui plures Homines obnoxii ſunt, cùm omnes æqualem ſomni gradum obtineant. Videas, qui alto profundoque ſomno indulgeant, ut difficulter etiam graves ſonos, tumultusve circa ſe contingentes audire, indeq; evigilare queant. Dicas etiam, apud hos exiſtere vel Spirituum magnam penuriam, vel Spiritus admodum craſſos & torpidos. Videas præterea, quorum ſomnus ſit exilis, adeo ut vel leviſſimum ſtrepitum vicinum audiant, & inde expergefiant; moxque credas, in hisce ſpiritus animales vel copioſos, vel ſummè agiles & elaſticos exiſtere.

Quibus ſingulis probè ad animum revocatis, probabile eſſe arbitramur, Noctambulones tali Spirituum vigore gaudere, ſub quo influere poſſint valdè etiam in Nervos eorum muſculorum, quibus totius corporis moles circumferri queat. Credimus inquam, in iisdem Hominibus imaginationem tam efficacem, & rei cujusque ideam ſui veſtigium in cerebri poris adeo firmiter impreſſiſſe, ut non ſolùm inſomnia excitet varia, ſed & voluntatis propenſionem fortiter dirigat, ob quā animales ſpiritus in muſculorum potius, quàm ſenſuum, organa validè influant, machinamque corporis eo promoveant, quocunque voluntas Animæ dirigit.

Dumque ſic Homines ſibi relinquuntur, rarò admodum in pericula conjiciuntur. Sed ſi fortè ſubitò expergefacias, quemadmodum inſtar aliorum dormientium expergefieri poſſunt, tum verò facilè terreri, atque, ſi in periculoſo loco, v. g. ædium tecto, verſantur, graviter labi poſſunt, inque mortis diſcrimen præcipitari. Reperies etiam Noctambulones, qui reſpondebunt plus minus appoſitè ad interrogata, ſi blandâ ipſos voce allocutus fueris.

Curatio. *Curatio* Noctambulationis prolixa non eſt: dabis nimirum *purgans*, quo non primæ ſolùm viæ, ſed tota inſuper ſanguinis maſſa expurgetur. Hinc *venam ſecabis*, ac demum Hominem in ſomno ſurgentem obſervabis, quem in tuto hinc loco correptum Virgis graviter cædes, hâcque ratione in lectum ſuum repelles. Interea feneſtras omnes Noctambulone inſcio Funiculis ita ſtringes claudesve, quò minus illos Homo aperire queat. Atq; ſic cogitationes Noctambulonis penitus mutabuntur, ipſeque morem hunc prorſus negliget, quod ſi enim fortè de novo inceperit in ſomno obambulare, Spiritus animales prius per verbera Homini tali data alíorſum directi turbatique, ſimilia veſtigia legent, ac ita Hominem in lectum ſponte repellent.

NODUS, vid. *Ganglion*.

NOLI ME TANGERE, vid. *Cancer*.

NUBECULA OCULORUM, vid. *Oculorum Nebula*.

NYCTA-

Nyctalopia.

NYCTALOPIA, ſ. NOCTURNA COECITAS, ea eſt Viſûs imbecillitas, quâ Homines de die benè vident, in diluculo & crepuſculo obſcurè & tanquam per Nebulam, noctu autem parum vel nihil prorſus diſtinctè, accensâ licet candelâ, cernunt & cognoſcunt. Affectus in Pupillâ Oculorum occurrens, oppidò rarus, *Mydriaſi* oppoſitus, quem proin Practici plures prætererunt, alii obiter ſolùm explicuerunt, & neſcio quas ineptas illius cauſas adduxerunt.

Cauſa.

Dum autem in uno alterove per viginti annos occurrente illius exemplo rem exactè ruſpati eſſemus, deprehendimus, nullam illius cauſam aliam eſſe, quàm præternaturalem Pupillæ conſtrictionem, à quacunque demum occaſione productam. Etenim ſi Hominis oculi naturaliter ſe habent, Pupilla pro majore minoreve Solis orbem illuſtrantis Lumine nunc conſtringitur, de die ſcilicet, nunc de nocte dilatatur. Interdiu proin illuminata valdè objecta extra Oculos noſtros viſum turbarent, ſi Pupilla nimis dilatata quamplurimos ſimul radios diverſiſſimorum objectorum admitteret. Unde natura Pupillæ fibrillas dedit nerveas plures, quæ à luminis fortis diurni efficacibus radiis irritatâ ſeſe contrahunt, atque ita Pupillam anguſtiorem reddunt: ut eadem proin anguſtiſſima evadat, ſub Sole meridiano, cœlo exiſtente ſereno, radiiſque ſolaribus maximè illuminato: hoc enim tempore cogimur palpebras nonnihil claudere, ſi objectum adcuratius dignoſcere cupiamꝰ. Quando igitur Pupilla corpuſculo quodam irregulari, intra fibrillas ac tubulos illius ſubſiſtente, continuè tenditur ac ſtimulatur, ita ut eapropter aſſiduè conſtricta aut contracta maneat, fit ut Objecta nocturno tempore parum illuſtrata ſuis radiis Pupillam ſubintrare, ac ſeſe in Retinâ tunicâ ſiſtere & repræſentare nequeant. Poteſt autem vel occaſione Aëris frigido humidi, aut rerum nimis lucentium, continuè oculis tractatarum, vel per Ophthalmiam frequentem, ſtagnatio quædam irregularis humoris in tubulis Uveæ verſus Iridem contingere, ut ejus dein fibrillæ continuè criſpatæ, & à ſpiritibus animalibus perpetim inflatæ, foramen Pupillæ ſemper ſtrictum & anguſtatum teneant.

Progn[o]ſis & Curati[o].

Hæc igitur debilitas viſionis tolli nequit, niſi illam Pupillæ criſpaturam ſubmoveris; quod quidem difficulter adeo contingit, ut tales Homines in periculo verſentur totalis cœcitatis, per affluxum pituitoſorum humorum, Tunicam corneam, imò fortè ſimul aqueum Humorem obſcurantium & incraſſantium. Methodum nihilominus ſequentem medendi in ejuſmodi caſu juviſſe meminimus, Hominique viſûs integritatem reſtituiſſe. Ante omnia infudimus tale *Clyſma*:

℞. *Radic. Valerian.*
Angelic.
Chelid. maj.
Lil. alb. ana ℥ij.

Herb.

Herb. Cherefol.
Malv. Rutæ ana Mj.
Parietar.
Ocym.
Euphraſ.
Flor. Chamomill.
Calendul. ana Mß.
Semin. Fœnicul. ℨiij.
Bacc. Juniper. ℨij.
Inciſ. & contuſ. coque in ſ. q. Aqu. font. Colatur. ℔j. *adde*
Mellis rutac. ℥j.
Olei Amygd. dulc. ℥ij.
Salis gemm. ℈iiß.
M. f. Clyſma tepidè cum ſyringâ injiciendum.

Poſtmodum ſequentes *Pilulas purgantes* exhibuimus:

℞. *Maſſ. pilul. è Succ. Crat.*
Hydrop. Bont. aa. ℈ß.
Mercur. dulc. opt. gr. viij.
Reſin. Jalapp. gr. iij.
Ol. ſtillat. Fœnicul. q. ſ.
M. f. l. a. Pilulæ num. XIV. Inaur. d. ad ch. Sumantur mane jejuno ſtomacho pro doſi, eædemque poſteà ſingulis ſeptimanis repetantur, donec tertiâ vice Æger ſumpſerit.

Operatione Pilularum primarum finitâ *Veſicatorium* Nuchæ applicuimus, ac interea ſequens *Tragema* ordinavimus:

℞. *Radic. Chelid. major.*
Caryophyllat. ana ℨj.
Herb. Euphraſ. ℨiß.
Semin. Fœnic. ℨiij.
Pœon. mar. ℈ij.
Spod. ppt.
Ocul. ♋. *ppt.*
Cinnab. ♁ *n. correct. ana* ℨj.
Sacch. roſat. ℥j.
M. f. Pulv. ſubt. d. ad ſcatul. ac inde m. ac veſper. ℈ij. *vel* ℈iij. *capiantur cum Aqu. Chelid. aut Fœnic.*

In potu *Vini* ordinario, quod album, bonum, tenue, ſed non exceſſivè bibendum conceſſimus, *Baccas Juniperi, Herbas Euphraſiæ, Chondrillæ*, ac *Radic. Chelidon. maj.* infuſa habuit.

Extus raſo Capiti *Cucupham* ordinariam *Officinalem* imponi curavimus, hincque mane ac veſperi *Succum Fol. Verbaſci, Sempervivi, Hieracii*, atque *Malvæ* recenter expreſſum ſubinde Oculis calidè immiſimus, linteisq; eidem *ſucco* calenti immerſis Oculos fovimus. Atque ita tandem intra Menſis ſpatium, quo adcuratam Diætam ſimul obſervavit, Viſumque non multum exercuit, ab hoc malo feliciter liberavimus.

Obauditio. OBAVDITIO eſt Symptôma Auditûs depravati, quo diverſi admodum ſonitus in aëre non contingentes, nihilominus continuè propemodum cum moleſtiâ auribus percipiuntur; nunc ſub formâ fluctuationis aut ſtrepitûs aquarum; nunc ſub formâ tinnitûs, pulſûs, ſibilûs, aliorumve ſonorum. Cùm autem geneſis & cura ejuſmodi depravati Auditûs cum *Aurium Tinnitu* conveniat, non opus erit ea, quæ ſub illo attulimus titulo, heic fuſius repetere.

OBLIVIO, vid. *Memoriæ debilitas.*

Obſeſſio dæmoniaca. OBSESSIO DÆMONIACA, eſt ea Delirii vel Maniæ etiam ſpecies,

in quâ Homines non abſurda tantùm ſæpè agunt, ſed & tales etiam ſtupendas monſtroſasve actiones, velut ſcientes, interdum committunt, quas in ſano antea ſtatu vel committere haud potuerunt, vel nunquam comiſerunt.

Diagnoſis.

Videas tales Obſeſſos quandoque per pluſculum tempus mutos, ſubinde etiam diu citra corporis aliam læſionem jejunantes. Videas, in quibus Lingua ſæpius iterum ſolvitur, & ſermone inconſueto, quemque ſanus Homo minimè callet, loquentes. Novimus aliquem, qui, quoties Paroxyſmo tali maniaco-dæmoniaco prehenſus erat, Gallicam optimè linguam fari ſolebat, cujus tamen ſano in mentis ſtatu exiſtens nullam cognitionem habebat. Cernas, qui ſuum corpus adeo mirificè torquere ſciant, inflectere atque curvare, citra ullam læſionem, ut tale quid naturaliter absque luxatione vel fracturâ membrorum fieri minimè poſſet. Videas porrò alios vaticinando, hariolando, res aliquas, cœterùm ignotas, abſtruſæque indaginis, divinantes, referentes, aut prædicantes, Dæmone per ipſorum os forſan loquente. Sunt denique, qui præter varias Mentis alienatæ aut depravatæ actiones alias, etiam mirabiliter aliis Hominibus illudere, aut ſimul eos faſcinare deprehenduntur. Atque Obſeſſio talis in aliquibus diu durat ſine intermiſſione, in aliis per periodos tantùm accedit, Hominesque nunc ridiculos, nunc furibundos, atq; etiam convulſos, nunc loquaces aut mutos, nunc voraces aut jejunantes, nunc lenes & mentis ſanæ impotes, nunc aliis Hominibus infenſos reddit. Multi in hoc malo ſuccumbunt, atque intereunt. Aliis verò Divini Numinis gratia iterum affulget, ut ad ſanam perfectè & conſtantem redeant mentem.

An Obſe vera tur.

Quæritur autem heic à nonnullis, utrum talis Obſeſſio dæmoniaca detur, vel dari poſſit? Qui Sacræ Scripturæ auctoritatem aliquo loco habet, neutiquam hâc de re dubitabit. Quod ſi olim inter Judæos, & Iſraëlitas tales extiterunt, exiſtent procul dubio hodie etiam inter eos, qui Chriſtianum nomen profitentur, ſed qui vitam maximè ſceleſtam, impiamque degunt. Actiones enim talium, Maniâ dæmoniacâ laborantium, qui probè examinabit, deprehendet ſtatim, illas à naturalibus neutiquam provenire poſſe cauſis, ſed à Dæmone, malignove Spiritu corpoream ejusmodi Hominis machinam dirigi, atque ad perpetrandas divinæ legi adverſantes res, locutionesque adigi; quando videlicet miſer ejusmodi Homo ex juſtiſſimi DEI decreto aut permiſſione in Satanæ poteſtatem delapſus fuit. Quomodo autem ipſe Cacodæmon actiones antea deſcriptas in humano corpore producere valeat, quomodo mens Obſeſſi Hominis faſcinata teneri queat, ut externa objecta cum ratione diſcernere amplius dijudicareve commodè neſciat, id verò noſtri heic fori minimè credimus eſſe, ut explicemus.

Quomo do cura di Ob- ſeſſi.

An & quomodo Obſeſſi à Cacodæmone liberari queant, difficile quoque eſt explanare. Ad Medicum enim

enim hæc Curatio pertinere haud videtur; ſed Theologica heic medendi methodus inſtituenda, Dæmonque jejuniis ac precibus piorum ad Dei miſericordiam in nomine Servatoris noſtri fuſis expelli debet. Si verò ſponte nonnunquam per cerimonias quasdam, aut certas hominum voces, vel etiam per amuleta, per herbas aliquas in uſum tractas cedit, atque fugit, id verò non facit, niſi ut hominibus illudat, eorumque animos in ſuperſtitione foveat, aut illos etiam ſenſim in ſuas partes trahat.

OBESITAS NIMIA, vid. *Corpulentia nimia.*

OBSTRVCTIO Morbus dicitur meatuum, quo hi ab humore aliquo craſſo viſcido, aliave materiâ ita infarciuntur, ut naturalis hinc tranſitus liquoribus, vel in totum, vel in tantum denegetur. Generalis eſt hic Morbus, qui omnibus corporis partibus contingere variaque Symptomata excitare poteſt, de quibus Homines apud Medicos magis, quàm de Obſtructione ipſâ conqueri, ac ſuis quæque nominibus inſignita, Medentibus variis curanda offerre ſolent. Producuntur autem Obſtructiones nunc à ſanguine, nunc à lymphâ, nunc à pituitâ, nunc à bile, nunc à ſemine, lacte, &c. ſtagnantibus; nunc à flatibus, Calculis, Vermibus aut Vermiculis, à Fœcibus; nunc denique à rebus corpori ab extus illatis. Et cùm hæc omnia variis in Partibus contingant, ideo quoque earundem læſiones, ſub diverſis appellationibus ac titulis hinc inde per noſtram hanc Praxin deſcriptæ, conſuli poterunt.

OBSTRVCTIO & ANGVSTIA GVLÆ, aut OESOPHAGI, eſt Morbus conformationis, in quo meatus Gulæ vel etiam Oeſophagi, nunc à Rebus per Os immiſſis ac obhærentibus, nunc à Tumore inibi per internas cauſas exorto obſtruitur, vel ita anguſtatur, ut cibi potusque per eos in Ventriculum deglutiri nequeant, aut ſaltem cum magno dolore & difficultate Reſpirationis plus mipeditæ transmitti debeant. *Obſtructio & Anguſtia Gulæ, & Oeſophagi.*

Contingit ſæpè ut boli ciborum grandiores, vel oſſium fruſta, vel ſpinæ piſcium in Faucibus & Gulâ obhæreſcant; ſicque meatum partim occludendo, partim ejus fibras pungendo & criſpando occludant, doloremque ſimul plus minus grandem & acutum excitent. Sed & exempla novimus eorum, in quibus Oeſophagi Inflammatio, aut ejusdem Glandularum ſcirrhoſitas talem anguſtiam Gulæ produxerunt; ut hinc deglutire cibos in Ventriculum vel planè nequiverint, vel cum dolore & labore magno aliquid duntaxat in cavitatem ejus detrudere potuerint, tandemque ſic emaciari, Tabeque conſumi prorſus ac interire neceſſe habuerint. Tales Ægri verò ſæpè comedendo gulæ canalem replebant, & cùm dein cibi Ventriculum non ſubibant, eveniebat ut iidem cum impetu brevî per vomitum rejicerentur. Scirrhus Glandularum Oeſophagi apud iſtos Ægrotantes videbatur ab ingurgitato *Ætiologia.*

gitato quotidie glaciato potu originem ducere, dum per rigidas gelidi liquoris particulas glandularum fibrillæ ita coarctabantur, ut illæ plus ſæpius hinc conſtrictæ Lympham in Glandulis velut congelarent, ac ita tandem Tubercula ſcirrhoſa inducerent.

Curatio. Quæ itaq; extus Gulæ imiſſa ſunt & obhærent, ea vel eximi vel prorſus in ſtomachum inſtrumentis detrudi debent; & ſi quæ per hanc operationem excoriatio facta fuerit, facilè per *Mellis roſacei* deglutitionem iterum ſanatur, præprimis ſi *Armenas Bolus*, aut *Succus* recens *Sempervivi* atque ♁ *ninm diaphoreticum* permixta fuerint.

Si verò ſcirrhoſa Tubercula Oeſophagi in culpâ exiſtunt, Affectus periculoſus eſt, atque in Atrophiam lethalem Homines detrudit, quâ quidem etiam cum fame conſumi & extabeſcere ſolent. Scirrhoſitatem tamen hanc curare poſſumus primùm exhibendo *Pilulas laxantes* cum *Mercurio dulci*, dein *Decocta traumatico-aperientia* ter quotidie per longum tempus propinando calidè; ac demum Lunâ decreſcente *Pulverem pro Strumis* præſcribendo, quem quidem cum *Melle roſaceo* vel *mercuriali* lambere poterunt. Extus Stomachi regio continuè inungetur *Oleo Chamomill. Later. Scorp. Matth. Lumbr. terreſtr. Camphoræ*. *Sacculus* etiam *diſcutiens* & *reſolvens* deſuper applicabitur, *Vino albo*, vel *Aquæ* & *Lacti* incoctus. A potu interea frigido & acido-auſtero, non ſecus atque à Cibis ſalſis & acidis abſtinebitur.

OCVLORVM CALIGO, NEBVLA, vel NVBECVLA eſt Symptoma viſûs imminuti, quo Homo res externas, veluti per nebulam cernit, adeoque minus clarè ac diſtinctè videt. Affectus, qui non ſubitò, ſed paulatim exoritur, ſi diutius durare debeat; quòd ſi autem citò producatur, tum etiam diſpellitur citius inſtar Nebulæ vel Nubis tranſeuntis. Occupat autem Tunicas crebrius quàm Humores Oculorum. *Oculor. Caligo, vel Nebula.* *Pars affecta.*

Cauſa hujus mali eſt modò conſtans, modò tranſiens; *conſtans* erit, quando vel Cornea tunica incraſſatur, aut pelliculâ tenui obducitur, aut cicatrice defœdatur; aut etiam ſæpius Adnata tunica, ob lymphæ ſanguiniſque ſtagnationem ſpiſſior redditur: vel quando aqueus Humor à particulis viſcidioribus per ductus aquoſos accedentibus incraſſatur; aut reliqui Humores in ſitu ſuo per cauſas quaſdam violentas mutantur. Rarum verò eſt, cryſtallinum, vitreumve Humorem obſcurari. Forſan & partialis obſtructio Nervi optici, ſufficientem ſpirituum influxum denegans, huic Caligini, ſive obſcuræ Viſioni anſam præbet. Unde patet, Ophthalmias, Pterygia, Epiphoram, Cicatrices, Albugines &c. Oculorum Viſionis ſenſum imminuere atque obſcurare poſſe. *Tranſiens* cauſa Caliginis eſt, quæ Temulentis ſ. vino obrutis &c. contingit, quoniam hæc ſponte ceſſat, quamprimum crapula diſcuſſa fuerit. Produci autem hæc Ebriorum Caligo videtur tum à ſpirituum animalium in Nervum opticum *Cauſa.*

cum

cum influentium penuriâ aut craſſitie; tum verò maximè à ſanguinis ſeroſioris, per Oculorum tubulos circulantis, curſu tardiore, unde vaſcula humoribus magis turgentia, in Oculorum Tunicis, inprimis Adnatâ, transitum radiis minùs promtum concedunt.

gno- Itaque pro cauſarum varietate de Caliginis eventu diverſimodè ſtatuendum eſt. Facilè autem ex Ægri examine atque relatione Diætæ anteactæ pateſcere poteſt, quanam à cauſâ Malum provenerit. Quòd ſi ſerum ſpiſſius, è ſanguinis latice excusſum, vel aqueum occupaverit Humorem, vel Adnatæ Corneæve tunicæ membranaceas fibrillas oppleverit, atque velut in novam membranulam concreverit, tum Affectus diutius durare poterit. Imò vitia illa aquei Humoris planè Suffuſionem poſt ſe trahunt, niſi debitâ ratione illa emendaveris. Imperfecta Nervi optici obſtructio, totalem poſt ſe trahere valet, ſi principiis non rectè obſtiterit Medicus.

ratio. In *Curatione* feliciter inſtituendâ ad cauſas probè attendendũ. Si Cicatrix, Ophthalmia, Pannus aut Unguis, Epiphora, Albugo tandem ſive Glaucoma in culpâ eſſe deprehenderis, curandi methodum ſuis locis videbis. A Crapulâ proveniens Nubecula ſobrietate perſanatur, hacque ipſa ſimul Oculorum Mentisque cœcitas præcavetur. Quòd ſi in aqueo Humore craſſities, quæ interdum cum Muſcis, Aranearum telis, ſimilibusve rebus velut ante oculos obverſantibus, contingit, aut ipſe Nervus opticus ex parte ſit obſtructus, tum ſequens ſine morâ purgans præſcribito:

℞. *Maſſæ Pilul. è Succin. Crat.*
Emanuel. ana ℈ß.
Mercur. dulc. opt. gr. xij.
Reſin. Jalapp. gr. ij. *vel* iij.
Ol. ſtillat. Fœnic. q. ſ.
M. f. l. a. Pilulæ num. XVI. Inauratæ capiantur pro doſi.

Dein ſingulis horis matutinis ac veſpertinis decem vel duodecim matura *Juniperi grana*, vel drachma dimidia, integrave *Seminis Fœniculi Romani* maſticetur & deglutiatur. Nuchæ etiam *Veſicatorium* applicetur. In Victu ab acido-acrib⁹, nimium ſalitis, dyspeptis, Leguminibus valdè flatulentis & ſimilibus, non ſecus atque à crebro, intempeſtivoq; Vini ac Veneris uſu abſtineatur. Quod ſi hisce Malum non cedat, majusque metuatur, protinus capitis pili deradantur, & vel *Setaceum* in Nuchâ, vel *Fonticulus* in Brachio alterutro, utrove excitetur; ſequensque *Tragema ophthalmicum* diligenter in uſum vocetur:

℞. *Radic. Chelid. major.*
Valerian.
Pœon.
Ocul. ♋ *ppt.*
Pulv. Viper. ppt. ana ℥ij.
Succin. alb. ppt.
Spod. ppt.
Cinnab. ♁ *n. corr. ana* ℈iiij.
Confect. Semin. Fœnic. ℥iiij.
M. f. Pulv. ſubt. d. ad ſcatul. De quo deinceps quotidie bis vel ter aliquot drachmæ deglutiantur. *Pilulæ* etiam *mercuriales* ſuperius ordinatæ ali-

aliquoties repetentur. *Cucurbitulæ cum Scarificatione* ſubinde applicabuntur. Denique in *Vino* ordinarii potûs, quod album, bonum ac tenue eſſe debet, infuſæ ſemper teneantur *Radices Caryophyllatæ*, *Chelidon. major. Apii*, *Valerianæ*, cum *Herbis Euphraſ. Agrimon. Anagallid. Sanicul.* &c.

Oculorum Cicatrix.

OCVLORVM CICATRIX eſt tunicarum illius vulneratarum aut exulceratarum coaleſcentia, viſionem offendens. Non autem omnis Cicatrix Oculorum in Medici conſiderationem cadit, ſed ea tantùm, quæ Adnatam Corneamve tunicam in loco Pupillæ incraſſat, ſicque impedit, quo minus radii viſivi tranſire, actumque iſtius ſensûs commodè præſtare valeant. Ortum ergo ducit ejusmodi Cicatrix nunc à Vulnere, nunc ab Ulcere, quod vel in Ophthalmiâ ex puſtulâ aut veſiculâ quâdam ſero acri repletâ, vel in variolis Oculi Bulbum occupantibus contigit, per Medicamenta conſolidato; ut hinc unita ſolutæ membranæ labia craſſiuſculam minusque tranſparentem calloſitatem exhibeant. Cicatrix ejusmodi plerunque albicantis, aliquando etiam glauci, aliusve coloris exiſtit. Interdum Albuginem ſive Leucoma aut Glaucoma refert.

Ætiologia.

Differentia.

Prognoſis & Curatio.

Quomodocunque autem obortum ſit malum, non videmus, quâ ratione Viſui inde læſo mederi queamus? Aperiemusne denuò Cicatricem, ſub ſpe obtinendæ melioris atque tranſparentis reunionis? Et experiemur, Cicatricem hinc non niſi grandiorem reddi; vel pejus etiam quid excitari, Ophthalmiam ſcilicet valdè acerbam, vel Ulcus etiam diuturnius, ſi non planè fiſtuloſum. Linquamus verò Cicatricem, ob quam Homo vel cœcus planè evadit, vel non niſi per tranſennam videt, vel res à latere aliove modo minus commodè conſpicit? Æger ſic certè non erit contentus. Quicquid ergo fieri poteſt hoc in Malo, illud erit, ut Cicatricem, quantum poſſibile, attenuemus, ſi planè tollere, & tunicas in priſtinum perſpicuitatis ſtatum reducere nequeamus. In hunc finem neceſſe eſt ante omnia Corpus purgare, idque *Remedio panchymagogo* ſicut, pluribus aliis in locis deſcriptum. Dein *Cucurbitulæ cum Scarificatione* dorſo applicentur. Tandem verò ſequens *Unguentum ophthalmicum* in uſum quotidie trahatur:

℞. *Butyr. recent. non ſaliti, Aquâ Chelidon. & Succo Rutæ pluries loti* ℥ß.
Fellis Lucii piſcis.
Axung. ſerpent. ana ʒj.
Mercur. præcipit. alb. ℈iiß.
Lapid. Calamin. ppt.
Bezoard. miner. ana ʒß.
M. f. Unguentum, de quo mane ac veſperi piſi magnitudo cum penicillo Cicatrici inungatur.

Vel *Collyrium* ſequens aut ſimile in uſum vocetur:

℞. *Aqu. Plantag.* ℥iß.
Chelidon. major.
Fœnicul.
Flor. Verbaſci vel Cyan.
Succi Rutæ rec. expr. ana ʒvj.

Tut.

Tut. ppt.
Ocul. ♋. *ppt.*
Florum Zinci ana ℈j.
Mercur. dulc. ter ſublimat. ℈ij.
Sacch. cand. alb. ʒß.
M. d. ad Vitr. Et cicatrix cum penicillo, huic Mixturæ intincto, ſæpius calidè tangatur.

Oculorum Cæcitas. OCVLORVM COECITAS eſt Symptoma viſûs planè ablati, quacunque demum à causâ provenerit. *Differentia. Amauroſis, ſ. Gutta ſerena.* Quod ſi Nervus opticus planè obſtructus occaſionem dederit, *Amauroſis* vel *Gutta ſerena* dicitur, de quâ ſuo loco. *Catarrhacta, ſ. Suffuſio.* Si autem Humoris aquei craſſities, atque in eodem nata pellicula Viſum abſtulerit, *Catarrhacta*, vel *Suffuſio* nuncupatur, quæ ſuo itidem loco explicata eſt.

Cauſa. Præter has tamen cauſas & aliæ plures exiſtunt, quæ viſum auferre poſſunt; & quidem primò *Unguis* ſive *Pterygium*, de quo infra agemus, oculi bulbo ſupernatum. 2. *Vulnera* eundem Bulbum evertentia, Humoresque ſuo ſitu excutientia, vel eorum continuitatem penitus ſolventia. 3. *Ulcera* oculorum texturam erodentia. 4. *Fungi* oculorum. 5. *Contuſiones* eorundem validæ. 6. *Cicatrices* Pupillam totam occupantes, de quibus præcedenti ſub titulo egimus. 7. *Coaleſcentia Palpebrarum* in Variolis, Lippitudine, & Ulceribus. 8. *Procidentia Uveæ* ſitum humorum naturalem mutans aut invertens. In omnibus autem ejusmodi caſibus ſtructura oculorum adeo mutatur, ut viſivi objectorum radii vel penetrare Pupillam nequeant, vel penetrantes licèt, ob interiorum tamen partium atq; humorum vitium in Retinâ tunicâ imagines objectorum ſiſtere ac repræſentare minimè valeant.

Diagnoſis. Haud difficile autem eſt cognoſcere, quacunque à causâ Viſûs ablatio provenerit. *Prognoſis.* Optandum eſſet, ut æquè facilè idem reſtitui poſſet. Si Humores oculorum vel per Vulnera excuſſi, vel per Ulcera eroſi, vel per Scirrhos eorundem fungoſos aut cancroſos indurati maximè fuerint, tunc Cœcitas eſt immedicabilis. Cùm Anno 1694. Norimbergâ tranſirem, vocatus ad Baronem quendam jam ab Anno penitus excœcatum, ejus Oculorum bulbos adeo duros deprehendi, ut vel ad tactum inſtar globulorum lapideorum exiſterent; ſicque omnem ſpem recuperandi Viſûs adimerent. Si Pterygium Pupillæ obtenſum in culpâ extiterit, curabilius Malum erit. Coalitus Palpebrarum in Variolis, Ophthalmiis, Ulceribusque orbortus emendari quoq; poteſt. A Contuſionibus, vel lapſu ex alto in caput oriunda Cœcitas ſubinde etiam tollitur, niſi humores è ſuo valdè ſitu decuſſi fuerint. Si Oculus, vel Uvea illius tunica prociderit, malum curatu difficile, quin & erit Atrophia ferè inſanabilis conjuncta notabitur.

Curatio. Pro diverſâ proin causâ diverſa eſt inſtituenda ſanandi ratio; quæ ab obſtructo Nervo optico, à Pterygio, à Procidentiâ, ab Atrophiâ, à Suffuſione, Fungis, Cicatricibus, & Palpebrarum coaleſcentiâ provenit Cœcitas, ſuis curanda locis demonſtratur.

A Con-

A Contuſione, acceptoque in Oculum ictu, indeque factâ Sugillatione orta Viſûs ablatio poſcit ante omnia *Venæſectionem*, dein *Vulnerarii decocti* v. g. ſequentis præſcriptionem:

℞. *Radic. Chelid. maj.* ℥ß.
Herb. Sanicul. Pyrol.
Euphraſ. Succiſ.
Betonic. ana Mß.

Inciſ. & contuſ. coque per horæ quadrantem in Vini albi veteris & Aquæ fontanæ ana ℔ij. *De Colaturâ poſtmodum mane ac veſperi hauriatur Cyathus plenus.* Etiam per duos vel tres dies dies ſemel aut bis *Pulvis diaphoreticus*, ſicut in Febri ephemerâ deſcriptos dedimus, cum *Aqu. Scabioſ. Card. bened.* vel *Fumar.* exhibeatur. *Externè* verò applicetur *Fomentum* ſæpius calidè, quemadmodum inſervire ſequens poterit:

℞. *Herb. Betonic.*
Salviæ ana Mj.
Euphraſ.
Sanicul.
Scabioſ.
Meliſſ.
Agrimon.
Marrub. alb.
Brunell. ana Mß.
Baccar. Juniper. ℥ß.
Myrrh. ʒij.
Flor. Sambuc. Mj.

Inciſ. & contuſ. ſacculoq; indita coqu. in ſ. q. Vini albi veteris, hinc lintea huic Decocto immerſa, expreſſaq; iterum calidè ſæpius applicentur. Poterit & linteis ante applicationem inſpergi *Spiritus Vini camphoratus.* Quòd ſi ita Tumor fuerit diſcuſſus, hincque dolor adhuc cum Viſionis imbecillitate vel ablatione adſit, Pupillâ ſimul nigricante vel ſugillatâ exiſtente, tum *Balſamum* requiritur *ophthalmicum diſcutiens*; v. gr.

℞. *Butyr. rec. non ſalit. Vino albo pluries loti* ʒvj.
Pingued. ſerpent. Aqu. Plantag. aliquot. lot. ʒij.
Magiſter. ♃ *n. diaphor.*
Tutiæ ppt.
Mercur. præcipit. alb. ana ℈ij.
Camphor. gr. ij.

M. f. Unguentum ter vel quater de die piſi magnitudine Oculo indendum. Simul etiam *Sacculus Floribus Sambuci, Betonic.* & *Meliloti* tenuiſſimè inciſis repletus, lacti incoctus, & expreſſus calidè applicetur. Hacque ratione pergatur, donec *Sugillatio* diſcuſſa, dolor omnis ablatus, atque Viſus, quantum poſſibile, reſtitutus fuerit. Intus verò *Decoctum Betonic. Chamædr. Fol. Thée, Euphraſ. Semin. Fœnic.* in *Aquâ* factum, per aliquot hebdomadas mane ac veſperi bibatur, atque ſimul ʒj. *Seminis Fœniculi crudi,* comedatur. Hâc methodo ante triennium Uxori Sutoris cujuſdam in ſiniſtro Oculo gravem ab ictu baculi contuſionem, cum cœcitate, dolore immani, & ſugillatione paſſæ, viſum reſtitui, ſymptomataque reliqua diſcuſſi, ſed quod notabile, Oculus ferè totus manſit niger in Pupillâ, cum alter glauci eſſet coloris.

OCULORUM ATROPHIA, eſt ſymptoma Nutritionis in Oculo vel *Oculorum Atrophia.*

vel

vel ablatæ, vel multum imminutæ, quo partim humores, partim muſculi & membranæ unâ cum pinguedine ſuâ ſenſim non ſine aliquali dolore extenuantur & tabeſcunt, tandemque Viſionem vel prorſus auferunt, vel obſcuriſſimam reddunt. Non memini, me vel legiſſe, vel vidiſſe exemplum, in quo Oculus fuerit penitus arefactus & conſumtus; quin ſemper vaſcula quædam in ejusmodi parte remanent, aliqualem ſuccum advehentia nutritium, ſi non ſufficientem. Ut adeo per *Atrophiam* vix alius heic Affectus indigitetur, quàm ubi Oculus unus vel uterque plus minus cum Viſionis imminutione aut ablatione tabeſcit, minorque redditur, quàm in ſtatu fuit naturali.

Atque hæc quidem Ægritudo proximè ſuum debet ortum Nutrimenti, quod accedere deberet, penuriæ; quam quidem vel eroſiones tubulorum atque veſicularum membranacearum, in quas ſuccus nutritius deponi ſolet, ab acribus & exulcerantibus humoribus productæ; vel obſtructiones tubulorum plurium nervoſorum; vel infarctus porulorum; vel Lippitudo, & lachrymarum continua ſtillatio, ob aliqualem acrimoniam ſimul fibrillas membranaceas conſtringens, ac in recipiendo ſucco nutritio impediens; vel denique Ophthalmia frequens, atque ad glandulas tubulosve Oculorum jugiter affluens lympha acris, ad nutriendum inepta, ſimulque pingue aut gelatinoſum alimentum, in parte exiſtens, inciſione quadam auferens, excitare ſolent. Unde in Febribus malignis, Variolis, Catarrhis apoplecticis, Epiphorâ, Ophthalmiis, & Ulceribus, ſubinde Oculum hunc illumve extabeſcere obſervatum eſt. Aufertur autem ſimul Viſio, quoniam in hâc contabeſcentia, vel incraſſantur membranæ, ac humores, vel hi etiam contracti, minores redditi, aut in ſuo etiam ſitu mutati tranſitum radiis viſivis ad viſionem excitandam debitum non amplius concedunt; vel tandem Nervus quoque opticus contrahitur, obſtruiturve, aut Retinæ tunicæ expanſio immutatur.

Liquet hinc, Affectum huncce, quantumvis rarum, curatu nihilominus difficilem exiſtere; tantoque id magis, ſi ex alio morbo fuerit oriundus. Quicquid heic agere licet, eſt, ut *Pilulis mercurialibus* ſubinde corpus expurgemus; v. gr. *Curatio.*

℞. *Maſſ. Pilul. è Succ. Craton. Emanuel.*
Mercur. dulc. opt. ana ℈ß.
Reſin. Scammon. gr. ij.
Ol. ſtillat. Fœnic. q. ſ.
M. f. Pilulæ num. XIV. Inauratæ ſumantur pro doſi.

Deinceps quotidie aliquoties ʒj. *vel* ʒij. ſequentis *Tragematis ophthalmici* capiantur:

℞. *Semin. Fœnicul.* ℥j.
Radic. Chelid. major.
Herb. Rut. murar.
Euphraſ. ana ʒiß.
Sacch. roſat. ℥ij.
Ocul. ♋. *ppt.* ʒij.
M. f. Pulv. ſubt. d. ad ſcatul.

Extus vel *Setaceum* in Nuchâ, vel *Fonticulus* in Brachio lateris, in quo Oculus eſt affectus, excitetur; Capilli Capitis deradantur, *Capillamentum* geſtetur, imò ſimul *Cucupha* in uſum trahatur, v. g. ſequens:

℞. *Radic. Ireos florent.* ℥iß.
Santal. rubr. ℥ij.
Flor. Primul. ver.
Salviæ.
Lil. convall.
Beton.
Stoechad.
Summit. Rorismar.
Thymi.
Amarac.
Storac. calamit.
Benzoin.
Succin. flav.
Nuc. moſch.
Cinam. ana ʒj.
M. f. Pulvis groſſiusculus Cucullo pro Cucuphâ inſuendus, & ſub Capillitio geſtandus.

Oculis immittatur bis quotidie ſequens *Balſamus ophthalmicus*:

℞. *Pinguedin. Serpent.*
Butyr. rec. non ſalit. ana Aqu. Roſar. lotor. ℥ß.
Specific. antihect. Poter. ʒj.
Lapid. calam. ppt.
Mercur. dulc. opt. ana ʒß.
Camphor. gr. ij.
M. f. Balſamus.

Poterit & *Emplaſtrum rubificans* aut *veſicam excitans* Temporibus juxta affectum Oculom imponi; v. gr.

℞. *Gumm. Tacamahac.*
Storac. calamit.
Maſtich. elect.
Cantharid. integror.
Semin. Sinap. ana ℈ij.
Terebinth. q. ſ.
M. f. Emplaſtrum tenaciſſimum, quod impoſitum non detrahitur, etiamſi veſicas excitet, ſed ſponte tandem decidere permittitur. Si velis *Gummata* cum *Cantharidibus* in pulverem redigere, hincque aliquid de *pulvere* ſuper Linteolum inſpergere, illudque calido ſatis Mortarii piſtillo fundere, ſimiliter formam *Emplaſtri* conciliabis, quod dein ſuper candelam mollitum ac ferè ardens redditum temporibus applicetur. Denique *Amuleti* loco *Radices Valerianæ*, *Rutæ*, *Pœoniæ* atque *Angelicæ*, cum *Herbâ Rutæ*, Nodulo indi, hicque de collo ſuſpendi & continuè geſtari poteſt.

Oculorum Procidentia.

OCVLORUM PROCIDENTIA, eſt morbus compoſitionis, quo bulbus Oculi per varias cauſas ſuâ è ſede naturali excidit, & extra Palpebras prominet. Morbus rarus, ſubinde tamen à Medicis & Chirurgis obſervatus; cujus etiam Cauſam variam deprehenderunt. Nimirum ſi Oculi globus ab affluente & ſtagnante qualicunque humore collecto excreſcit; ſi Oculorum muſculi & Nervi valdè laxi reddantur atque molles nimium, tum Globus vel intra Orbitam non manet, ſponteque velut pendulus excidit, vel in ſuâ mole ita augetur, ut retineri intra ſuam cavitatem amplius nequeat. Imò in Convulſionibus, in validis Muſculorum exercitationibus, ſpiritus animales adeo ipſos quoque Oculos inflant, ut ſanguis & humores inibi ſubſiſtant,

Cauſa.

ſtant, Oculumque valdè excreſcere faciant. Denique in Variolis, Contuſionibus, Ulceribus, Vulneribusque Oculorum ſimiliter affluxus humorum nimius, ſicque tumidi Oculi procidentia contingere poteſt; tanto magis, ſi ab ictu gladii, baculi, vel pilæ luſoriæ, aliûsve inſtrumenti bulbus Oculi ſuâ è ſede excuſſus eſt, ita ut quandoque vix aliquibus adhuc fibris membranaceis affixus hæreat. In Fungo ſcirrhoſo atque cancroſo ejusdem res per ſe clara eſt.

utio. Non adeo facilè licet huic Affectui, quanquā per ſe ſatis cognoſcibili, mederi, quin plerunque, ſi inveterata ejus cauſa eſt, inſanabilis evadit. Quando globus Oculi maximè contuſus, & quoad interiores ſui partes dilaceratus ex aliquibus tantùm fibris adhuc hæret, ſuam in cavitatem retrudi quidem poteſt, ſi non fuerit nimium tumidus, ſed nutrimentum tamen nullum amplius recipiet, propter laceratas undique fibras, multo minus Viſionis ſenſum recuperabit. Usque adeo ut in hoc caſu Bulbum læſum vel in ſuo repoſitum loco, diſcutiente & nervino Epithemate calido fovere usque ad conſolidationem, vel illum planè corruptum prorſus exſcindere debeamus, & orbitam linteis carptis implere.

A Laxitate ſive Paralyſi totali proveniens malum iis curari debet *univerſalibus* & *internis Remediis*, externisque *ſpecialibus*, quibus oculorum Atrophiam curari poſſe ſuprà indigitavimus. Si à Vulnere, Ulcere, aut Fungis oriatur, tum ea medendi ratio adhibebitur, quæ ſub curâ talium morborum expoſita reperitur. A Convulſionibus oriundum malum antiſpasmodica requirit, de quibus ſub Titulo de Convulſionibus agitur. Quæ verò ab Ictu & Contuſione provenit, ejus curationem ſub *Oculorum Cæcitate* videre poteris. Verùm præter inibi commendata, ad Inflammationem præcavendam ac diſcutiendam *Albumen Ovi* cum *Aquâ Spermat. Ranar. Chelid. maj. Roſ. alb. Croco*, ♄ *n. diaph.* & *Tut. ppt.* cum ſtupâ calidè frequenter applicabimus. Hæmorrhagiam verò *Pulvere Maſtich. Gumm. Arab. Bol. Armen.* & *Sangu. Dracon.* adſperſo ſiſtemus, atque Ulcus poſtea ſicut infra exponetur, ſanabimus.

OCVLORVM VVLNVS eſt Morbus ſolutæ Unitatis in Oculo, à re ſcindente, pungente, dilacerante, aliave continuitatem ſolvente oriundus. Vulnus tale gravius leviusque eſt, prout læſio major minorque fuerit. Ita enim leviusculum Vulnus, quod neque Pupillam tetigit, neque tunicas, nervos aut muſculos Oculi oblæſit, neque illius Humores perforavit, rarò Viſum adimit & promptè utplurimum ſanatur, ſine gravibus accidentibus. Quod autem Pupillam dilacerat, muſculos, nervos, aut tunicas penitus perforat, ſimulque Humores perturbat, illud Cœcitatem inemendabilem poſt ſe trahit, dum nunc Bulbus oculi verſus alterutrum latus detorquetur; nunc ejus Paralyſis, aut Exulceratio ſubſequitur *Oculorum Vulnus.*

 maxi-

maximè moleſta. Quod profundius inflictum eſt Vulnus, ut ipſam Orbitam ad usque Cerebri membranas ac ſubſtantiam penetret, illud verò ſubitanea mmortem ex Convulſionibus inferre poteſt. Plerunque Vulnus eſt cum Inflammatione, atq; dolore plus minus acerbo, ut adeo cauta Medentis circumſpectio requiratur, diligensque cura, ſi pejora avertere mala velit. Quod ſæpius Arte infligitur in Catarrhactæ depoſitione, facilè intra aliquot dies curatur, nec dolorem adeo notabilem ſecum comitem habet, modò operatio rectè fuerit inſtituta & peracta.

Curatio. Omne Vulnus Oculi, ſi gravius fuerit, ad Inflammationem, dolores, aliaque hinc naſcentia funeſta ſymptomata præcavenda *Venæſectionem* ſtatim requirit, etiam iteratâ vice inſtituendam. Poſtmodum *Decoctum vulnerarium*, quemadmodum in præcedentibus Oculorum Affectibus deſcripſimus, m. ac veſp. exhibendum venit.

Extus ſi quid Oculi globo immiſſum hæret, tum commodo illud inſtrumento auferendum. Si minutum fuerit ſabuli alicujus corpuſculum, immiſſo inter Palpebram & Globum grano Hordei, vel Lapidi Cancri minori, Aqu. Roſar. calente madefacto adhæreſcet, & ſic extrahetur. Dein Vulneri qualicunque inflicto ſtatim immittimus vel calentem alicujus *Columbæ ſanguinem* ſub alis extractum, vel *Lac muliebre*. Poſtea autem vel *Balſamum ophthalmicum* frequens ter quotidie Oculo eſt indendum:

℞. *Butyr. recent. minimè ſaliti Vino rubro benè loti* ℥ß.
Lapid. Calamin. ppt. ʒj.
Magiſt. ♄ *n. diaph. probè edulcorat.* ℈ij.
Sacch. cand. alb. gr. xxv.
Mucilag. Gumm. Trag. Aqu. Plantag. extract. ℈ij.
M. d. ad Ollam.

Vel *Stupa Albumini Ovorum* intincta, cum *Pulvere Croci* & *Tut. ppt.* calidiusculè applicanda, *Aquam Roſar.* vel *Flor. Sambuc.* ſi lubet, permiſcendo. Quod ſi *Liquorem veſicularum Ulmi* habere poſſimus, ab eo brevî quoque Vulnus conſolidabitur. Alii ſumunt in hunc finem *Succum Sempervivi majoris*, vel *Telephii*, vel *Lichenis petræi*, atque *Flor. Verbaſci*, illumque nunc ſolum, nunc *Aquæ Flor. Cyani, Plantag. Chelidon. Hierac.* & *Roſar.* prius miſtum adhibent.

OCVLORVM VLCVS eſt ſolutio continui in partibus Oculi ab humore aliquo acri ſalſo, atque erodente producta. Ulcus hoc ſubinde puſtulâ unâ alterâve, Adgnatam tunicam pervagante, imò ipſam interdum Corneam penetrante, ſeſe monſtrat; ita quidem ut non rarò hinc etiam Uveæ tunicæ per Corneæ foramen procidentia ſubſequatur. Oculorum Ulcus.

Cùm itaque humor vel lympha ſalinó-acris undecunque demum accedens pro Causâ proximâ hujus Morbi adgnoſcatur, palam eſt, non tantùm externa remedia acria corroſiva, Cauſa.

ſiva, aliasve res huc contribuere poſſe; ſed & in Ophthalmiis, Variolis atque Epiphorâ ſæpiùs talia Ulcuſcula gigni ſolere, quando videlicet lympha acris ad Oculum, tanquam partem affectam delapſa, ſtagnansque, paulatim circumcirca rodit, ac unitatem diſſolvit. Quòd ſi verò talis humor extravaſatus ſub tunicâ Adnatâ in guttam unam atque alteram coactus ſubſiſtit, tum verò eandem in Tuberculum, Puſtulamve pruriginoſam elevat; quæ in angulo Oculi ſæpè incipit ac dein ſenſim usq; ad Iridem repit, hocq; toto tempore Viſûs obſcuritatem atq; oculorum dolorem cum luminis impatientiâ ac lachrymarum profluvio excitat. Quòd ſi verò talis Puſtula, quæ plerunque cineritia, rarius rubicunda vel aliûs coloris exiſtit, Iridem præterlabatur, & Pupillam invadat, erodatque, tum vel Cicatrix viſui admodum nociva, vel Pupillæ craſſities Viſum aut obſcurans aut planè intercipiens producitur. Ulceroſa porrò hæc Puſtula, quantumcunque Oculorum tunicas peragret, rarò tamen ſaniem fundit, niſi remediis, aut aliter aperta fuerit; utplurimum enim, ſi benè tractetur, ſenſim diſparet, liquore ſcilicet, quem continet, volatiliore reddito, & per Adgnatæ poros exſpirante. Familiares ſunt tales Puſtulæ Pueris catarrhoſis, ac ſalſo-ſcorbutico ſanguine, per Oculorum tubulos ægrè tranſeunte, præditis, in quibus proin frequens contingit Ophthalmia. Quòd ſi Ulcus fuerit apertum, grandioreque hinc laceratarum fibrarum, tubulorumque foramine per eroſionem facto, ſaniem ſeroſo-acrem plus minus craſſam, aut limpidam, liquidamve continuè fundat, tunc & fiſtuloſum facilè redditur, & ipſam humorum Oculi effuſionem cum Cœcitate totali tandem poſt ſe trahit. Denique monendum & hoc eſt, Vulnus oculi ſæpè in Ulcus converti. Ulcera Oculorum omnia, præterquam, quæ à Vulneribus proveniunt, curatu ſunt difficilia, atque magnâ cum circumſpectione tractanda.

In Medendi autem Methodo purgabis ante omnia corpus, non per ſuperiora, quoniam Vomitus in oculorum Morbis nocet maximè: ſed per inferiora, v. gr. *Curatio.*

℞. *Syrup. de Cich. cum Rhab.* ℥ij.
Aqu. Fœnic.
Flor. Sambuc. ana ℥ß.
Cinam. bugl. ʒij.
Elect. è Succ. roſ. ʒiß.
M. Fiat Potio d. ad Vitr. ſumatur pro doſi.

Vel ℞. *Extract. Pilul. marocoſt.* ℈j.
Mercur. dulc. opt. ℈ß.
Reſin. Jalapp. gr. ij. *vel* iij.
Ol. ſtillat. Fœnic. gutt. ij.
M. f. l. a. Pilulæ num. XIV. Inaur. d. pro doſi matut. cum regimine diætæ ſumendâ.

Dein ſequens *Decoctum Vulnerarium* m. ac veſp. bibatur:

℞. *Radic. Caryophyllat.* ℥ß.
Ulmariæ.
Virg. ☉*reæ ana* ʒij.
Ligni Saſſaphr.

Cortic. Lign. Guajac. ana ℥ß.
Herb. Sanicul. Pyrol. ana Mj.
Alchymill. Artemiſ.
ana Mß.
Semin. Fœnicul. ʒij.
Inciſ. & contuſ. div in 4. part. æqu. ad ch. Singulas partes, unam poſt alteram, coque per horæ quadrantem in
Vini albi veteris.
Aqu. fontan. ana ℔ij.
Colaturæ quatuor vel 5. unciæ pro doſi hauriantur bihorio ante paſtum.

Extus *Fonticulum* in latere affecto, vel *Setaceum* in Nuchâ formabis; Ulceri verò ipſi *Balſamum* noſtrum *ophthalmicum* ter quotidie immittes, quod ſequens eſt:

℞. *Butyr. rec. Vino rubr. aliquoties loti* ʒvj.
Tut. ppt. ʒiß.
Magiſt. ♄ *n. diaphor.*
Mercur. præcipit. alb. ana ʒß.
Sacch. cand. alb. ℈ij.
M. f. Unguentum d. ad Pyxid.

Subinde *Collyrii* uſus intermiſceatur, v. g. ſequentis:

℞. *Aqu. Plantagin.* ℥j.
Numular.
Flor. Cyan.
Hierac. ana ʒvj.
Succ. Flor. Verbaſc. ℥ß.
Lapid. calamin. ppt.
Corall. alb. ppt. ana ℈ij.
Sacch. Saturni ℈j.
M. d. ad Vitr. Inſtilletur calidiuſculè, ſimulq; linteolum immerſum calidè applicetur.

Vel ℞. *Aqu. Mellis in Baln. Mar. deſt.*
Plantag. Flor. Cyan. aa. ℥j.
Tutiæ ppt. ℈ij.
Myrrh. elect. ℈ß.
Sacch. cand. alb. ʒß.
M. d. ad Vitr.

Vel ℞. *Aqu. Hierac.* ℥iß.
Semperviv.
Euphraſ. ana ʒvj.
Mucilag. Gumm. Trag. Aqu. Plantag. fact. ʒiij.
Sarcocoll. Aqu. Roſ. nutrit.
Magiſt. ♄ *n. diaph. ana* ʒß.
Aloës lotæ.
Myrrh. elect. ana gr. vj.
Sacch. alb. ℈ij.
M. d. ad Vitr. pro Collyrio calidiuſculè uſurpando.

Quod ſi *Ovum* coctione induratum in medio diſſeces, hinc extracto vitello foveolas *Saccharo candido albo* & tantillo *Myrrhæ* pulveriſatæ repleas, dein invicem iterum adaptata liges, inque vinariam cellam recondas, extillabit tandem *liquor*, qui aptus eſt ad Oculorum Ulcera blandè detergenda & conſolidanda.

OCULORUM FICUS vel FUNGUS SCIRRHOSUS, eſt Tumor durus, ferè indolens, à naturali colore non recedens, in Oculo ab affluxu & coagulatione ſeroſo-pituitoſi humoris minùs acris productus, illiusque bulbum è ſuâ orbitâ exturbans, ſimulque omnem Viſionis ſenſum in parte læſâ tollens. *Oculorum Ficus ſcirrhoſus.*

OCULORUM FICUS vel FUNGUS CANCROSUS eſt Tumor itidem durus, inæqualis, rubens, venis lividis interſtinctus, maximè dolens, quan- *Oculorum Fungus cancroſus.*

quandoque exulceratus, ac fœtidam acrem ſaniem fundens, in principio autem nondum exulceratus; à ſero ſalino-acido volatili admodum corroſivo & velut arſenicali intra tubulos & poros Oculorum collecto, cumulato, ſtagnante, & circumquaque rodente, pungente, atque exedente proveniens, unde nutritio-gelatinoſus humor juſto copioſiùs exudans, inque fibroſam ſubſtantiam, laceratis vel eroſis adglutinatam tubulis, ſenſim concreſcens & adnaſcens, unde Tumor paulatim increſcit, & augetur.

Ambo hi Fungi, uti gradualiter inter ſe differunt, ita etiam non adeo difficulter cognoſcuntur, atque à ſe invicem diſcernuntur. Quando igitur in maſſâ humorali ſenſim per multos diætæ errores cumulatæ fuerunt particulæ ſalino-acido-viſcoſæ plus minus volatiles & corroſivæ, tunc illæ tandem occaſione datâ qualicunque ſive Ophthalmiæ, ſive Contuſionis & Sugillationis, ſive rerum in oculos illapſarum ac tubulorum fibras arctantium, ſive pulverum, ſive deniq; halituum & fuliginum ardentis candelæ oleoſarum lancinantium, in tunicis atque membranulis Oculorum ſubſiſtunt, ſtagnant, novique humoris affluxu cumulantur, coagulantur, & ita Oculum in Tumorem ſenſim majorem attollunt, duriuſculum eum, digitorum attactui remittentem, ac minimè dolentem, ſi materia morbifica lenta, viſcoſa atque in pituitam minus acrem concreta fuerit, utpote in quâ ſalia acido-corroſiva ita deliteſcunt, ut operationem vel læſionem quandam dolorificam, niſi ad motum fortiorem incitatæ producere nequeant. Dolens autem idem Tumor evadit, ſi copioſiora intra ſe fovebit ſalia acido-corroſiva, ſique hæc eadem volatiliora exiſtentia, ſuis ſpiculis jugiter in fibrillas circumſtantium membranarum nervoſas adacta fuerint; ſic enim dolor non tantùm ferè continuus, ſed inſuper etiam interdum acerbior redditur, prout illa ſpicula arſenicalia ſive ab Æthere transfluente calidiore, ſive à ſanguine transmeante fervidiore magis agitata fuerint. Quin hâc quidem ratione Fungus evadit maximè cancroſus, ſed nondum tamen exulceratus, niſi ſalia corroſiva punctione & inciſione ſemper fortiore fibrillarum unitatem diſſolverint, & ita ſenſim ac ſenſim erodendo, atque exedendo tandem extimam membranam rumpendo ſanioſum ſuum & arſenicalem liquorem effundere inceperint.

In Tumore ergo ſcirrhoſo obſervabitur Oculi major vel minor intumeſcentia, extra orbitam prominens; obſervabitur Oculus durus & tactui renitens, ſed duritie ad fungorum magis, quàm lapidum ſoliditatem accedente; obſervabitur ille idem, quaſi uberiore alimento accepto grandior, ſed & monſtroſus redditus, etiam ſine notabili dolore, imò cum ſenſûs tactûs in ejuſdem membranis hebetudine. Color aliquando parum à naturali recedit, aliquando fuſcus lividuſque evadit, obſcurè tamen venis tumentibus & varicoſis intermixtis. Tumor in principio exiguus ad- *Diagnoſis.*

paret,

paret, ſed dein paulatim, alimento novo accedente & coagulato, auctior, grandiorque redditur. Tumor eſt, qui facilè in cancrum degenerare poteſt, ſicubi medicamentis emollientibus ac diſſolventibus tractare inceperis, ab his enim non ſolùm latentia in Scirrho ſalia in motum ſuſcitari, ſed & inprimis laceræ partis affectæ Fibræ, ob copioſum ſuccum nutritium admiſſum undiquaque longiores & ſpiſſiores evadere ſolent. In hoc autem ſenſim magis increſcente Tumore cancroſo dolor inſuper acerbus adeſt, ſuperficies inæqualis, cum eminentibus hinc inde venis cœruleis, tumentibus ac varicoſis. Dolor etiam Capitis ſimul, inprimis in fronte circa Oculum affectum, Ægros torquet, cum Vigiliis perpetuis, languore appetitûs, colore Oculi tumentis variegato, plumbeo, rubente ac cœruleo, imò ipſius Faciei colore fuſco, aut nonnihil livente. Poſtquam autem diu jam duravit Tumor, tum tandem exulceratur, atque ex Ulcusculo uno, pluribusve emanabit ſanies acris, tenuis, nunc flaveſcens, nunc livida, nunc ſimul ſanguineis guttulis tincta. Ulcuscula talia cicatricem nullam admittunt, adeoque cum ipſo Tumore toto incurabilia ſunt, niſi per extirpationem Chirurgicam auxilium adferre conatus fueris. Quandoque bulbus Oculi ſolus hoc Tumore cancroſo affligitur, quandoque ſimul ipſæ Palpebræ in conſenſum trahuntur, dum ſanies è cancroſo Ulcere profluens eaſdem arroſerit.

Prognoſis.

Curatio.

In *Curatione* Fungus ſcirrhoſus, ſi obſcuro quodam dolore latentem Cancrum fuerit minitatus, tutius relinquitur intactus. Interim *Vinum medicatum* vel *Decoctum traumaticum* per aliquot menſes bibatur, ad præcavendum Mali augmentum; v. gr.

℞. *Radic. Caryophyllat.*
Dictamn. alb.
Ulmar.
Ariſtol. rot. ver. ana ℥ß.
Herb. Alchymill.
Sanicul.
Pyrol. ana Mj.
Marrub. alb.
Card. bened.
Summit. Abſynth. ana Mß.
Flor. Calendul.
Bellid. min. ana Miß.
Semin. Fœnic.
Aquileg. ana ʒiij.

Inciſ. & contuſ. tenuiter miſce ad ch. De his ſpeciebus pugillos duos ſemper coque in Vini albi veteris, & Aqu. fontan. ana Menſur. dimid. hinc cola, atque Colaturæ unciæ quatuor ſingulis paſtibus exhauriantur.

Vel quod in Ficu cancroſo quoque locum habet:

℞. *Radic. Scrophular.*
Vincetoxic.
Gentian. ana ʒvj.
Santali Citrin.
Lign. Guajac. ana ℥iß.
Cortic. Cappar. ℥ß.
Herb. Meliſſ.
Rutæ murar.
Agrimon.
Hepat. nobil.
Pimpinell.

Numu-

Numular.
Chamædr.
Chamæpith. ana Mj.
Summit. Centaur. min.
Marrub. alb.
Artemiſiæ ana Mß.
Semin. Hyperic.
Aquileg.
Plantag. ana ʒij.

Inciſ. & contuſ. tenuiter miſce ad ch. & uſurpa ſicut præteritum decoctum. Vel duo Manipuli harum ſpecierum in *Aquæ fontanæ* Libris quatuor vel quinque coquuntur ad ſextæ partis conſumtionem, colatusque humor bibendus traditur m. ac veſperi ad uncias quatuor.

Præterea in Ficu utroque ſingulis ferè octiduis dentur *Pilulæ laxantes*; v. gr.

℞. *Extract. Hellebor. nigr. gr.* xv.
Mercur. dulc. ℈ß.
Reſin. Scammon. gr. ij. *vel* iij.
Elix. propriet. ſin. acid. q. ſ.

M. f. l. a. Pilulæ num. xij. *Inauratæ ſumantur pro doſi, ſummo mane jejuno ſtomacho.*

In cancroſo Ficu præterea conducit ſequens *Pulvis*; v. gr.

℞. ♁*n. diaph.* ℥ß.
Ocul. ♋. *ppt.* ʒiij.
Radic. Scrophular.
Sigill. Salomon. ana ʒij.
Fol. Rutæ murar.
Chamædreos ana ʒiß.
Flor. Sanicul.
Diaph. ♂*ial ana* ʒj.
Confect. Semin. Fœnic. ℥ij.

M. f. Pulv. ſubt. d. ad ſcatul. de quo ſumantur ℈iiij. *m. ac veſper. pro doſi.*

Vel ex *Euphraſiâ*, *Rutâ murariâ*, *Hyperico*, *Fœniculo*, *Chamædry*, *Piloſellâ* & *Chelidonio majore* cum *Spirit. Vini Eſſentia* paretur, quæ *Tincturæ* ♁*nii* permixta, diutiſſimo tempore m. ac veſp. ſub doſi ʒß. vel ℈ij. cum *Decocto vulnerario* uſurpari & aſſumi poteſt.

Extus Ficus ſcirrhoſus cautiſſimè eſt tractandus, ne in Cancrum degeneret: in principio igitur nihil magis prodeſſe videtur, quàm ſeqq. *Collyrium*:

℞. *Aqu. Solan.* ℥ij.
Flor. Sambuc.
Aneth.
Succ. Fol. Solan.
Rutæ ana ℥j.
Spirit. Vini camphor. ʒij. *ad* ℥ß.
Eſſent. Myrrh. & Aloës ʒiiß.
Plumbi uſt. ac lot. ℥ß.
Sacch. Saturni ʒij.

M. d. ad Vitr. Sæpè calefiat, atq; Linteola ei intincta, expreſſaq; applicentur.

Commendant etiam *Emplaſtra de Gummatibus*, *de Cicutâ*, ac *de Ranis Vigon. cum Mercurio*, verùm ſæpè talia *Emplaſtra* dolorem atque malum ſtatim augent. Placeret nobis magis *Emplaſtrum è Succis Cicutæ, Rutæ, Hieracei, Chondrillæ, Abrotoni, Anethi, Fœniculi, Solani, Chelidoniæ majoris, Euphraſiæ*, & ſimilium inſpiſſatis, atque cum *Melle* nonnihil cocto in *Emplaſtrum* redactis, cui dein permiſcere licebit *Plumbum uſtum ac lotum*, *Magiſterium Saturni*, *Bezoardicum minerale*, *Pulverem Radic. Scrophular. Spongias præparatas*, *Mercur. dulc. Corallia alba præparata*, *Myrrham* & *Aloëm pulveriſatam*, ſimiliaque.

In Ficu cancroſo non exulcerato *Collyria* quoque proſunt, *palliativa* magis quàm *curativa*, è *Succis* & *Aquis* ſuperius indigitatis parata; inprimis autem è *Succis Cancror. fluviat. Cochlear. vivar. Flor. Verbaſci*, *Tragopogonis*, *Hieracei*, *Fumariæ*, *Conſolidæ mediæ* vel *majoris*, *Scabioſæ*, *Rutæ*, *Chelidoniæ*, *Virg. aureæ*, *Herniariæ*, *Geranii Robertian. Solani*, *Nicotianæ*, &c. cum *Sacch. Saturn. Plumbo uſto*, & *Mercur. dulc.* Quibus *Eſſentiam Myrrh. Aloës*, *Ariſtolochiæ*, cum *Spiritu Vini camphorato* addere poſſumus. Exulceratus autem Ficus vix aliter, quàm *linteolis ſiccis* tangatur, aut illa prius *Eſſentiæ Solani*, *Cicutæ*, *Nicotianæ*, *Myrrhæ*, & *Ariſtolochiæ* intingantur; vel *Pulvere* ſimul ♁*nii diaphoret. Plumbi uſti ac loti*, *Minii*, *Ceruſſ. Lithargyr. Bol. Armen. Terr. ſigill. Bufonum combuſtor. Ranar. calcinatar. Seminis Rutæ*, *Tutiæ*, *Magiſter. Saturni* & ſimil. conſpergantur.

Omnium verò optimum tales Ficus curandi Remedium eſt eorundem exciſio, poſt præparatum corpus inſtituenda, eâ ratione & modo, quem *Fabricius Hildanus* adhibut *Obſerv.* I. *Centur.* I. *Obſervationum ſuarum*.

Oculorum perforatio. OCVLORVM PERFORATIO, eſt Vulnus Oculi à re aliquâ pungente gravius leviusque inflictum; de quo vide ſub *Oculorum Vulnere*.

Oculi intumeſcentia. OCVLI INTVMESCENTIA eſt Morbus auctæ magnitudinis, contingens vel à ſanguine ſtagnante, unde *Ophthalmia*; vel à ſero aquoſo, & hinc *Oedema*; vel à pituitâ aut ſero ſalſo-mucoſo, unde Scirrhus vel Cancer producitur. De ſingulis conſule peculiares titulos.

OCVLI STRABISMVS eſt Bulbi alterutrius Oculi præternaturalis intorſio in hunc illumve angulum, ita ut pupilla iſtius Oculi ad alium viſionis angulum, quàm ſanus alter inclinet ac dirigatur, ſicque Homini ſæpius objecta fermè dupla compareant. Revera enim taliter affecti non poſſunt ea, quæ ſibi directè offeruntur, rectilineo intuitu, Pupilliſque verſus unum viſionis punctum directis, intueri, ſed obliquo & limo alterutrius, ſi non utriuſque intuitu id facere coguntur, *Strabones* hinc dicti. *Oculi Strabiſmus.*

Strabiſmum licet diſtinguere in brevius aut diutius, vel etiam continuè durantem. *Differentia.* *Breviorem* illum notamus eſſe vel *arbitrarium* pro lubitu ab Homine factum; vel *morboſum*, v. gr. à Convulſionibus, ſimul Oculi muſculos intorquentibus; vel à Paralyſi & Catarrho apoplectico provenientem: *Cauſa.* quale quid in Viduâ alicujus Præfecti ſeptuagenariâ contigiſſe vidimus, quæ propterea ſiniſtrum Oculum, qui afflictus erat, nonnihil verſus naſum præternaturaliter intortum habebat, atque ſic omnia objecta bina videbat, donec poſt aliquot dierum ſpacium muſculus Oculi abducens à paralyticâ ſuâ obſtructione, ceu Catarrhi apoplectici filiâ, liberatus eſſet: tum enim ſitu naturali Oculi reſtituto omnia iterum rectè intuebatur, atq; non

nonniſi unica ſimpliciaque Objecta videbat. *Diuturniorem* verò illum ſive continuum Strabiſmum in Pueris, vel à nativitate deducimus, quando nimirum *Cornea* tunica malè eſt conformata, & verſus alterutrum angulum Oculi, vel ſuperiora aut inferiora verſus intorta; vel derivamus à malâ conſuetudine à primo ætatis año contractâ; vel in Adultis à Spaſmo aut Obſtructione hujus vel illius Muſculi paralyticâ contingere arbitramur. Perverſus ſæpè mos eſt quarundam Muliercularum, ut Infantibus in Cunis, vel aliâs frequenter vagientibus varias ſubinde res continuè intuendas offerant, quas dein ſi propinquius ſemper adſpiciunt, ac ita muſculos Oculorum adducentes verſus Naſum torquent, neceſſe eſt, ut tandem illis manentibus intortis *Strabiſmus* oboriatur. In Adultis, ſi vel per ſpaſmum, vel per obſtructionem hujus aut illius muſculi & nervi duram atque pertinacem membrum intortum manet, Paralyſis diuturna oboritur, ac Strabiſmus ſimiliter continuus evadit.

...nco Quo recentior ergo Strabiſmus, quoque mutabiliore à Cauſâ fuerit ortus, eo etiam facilior curatu erit. Si verò conſuetudinem in Infantibus aut Spaſmum vel Paralyſin in Adultis firmas agere radices permiſeris, Affectus erit prorſus inemendabilis.

...atio. *Recentem* itaque *Strabiſmum* Infantum tolles, ſi Larvam Oculis impones, in qua ille teneatur per foramina directa res intueri, magis remotas, quàm propinquas, & in quâ ipſe Objecta propius oculis admota cernere nequeat; hâc ratione per inductam contrariam videndi conſuetudinem Oculorum muſculi in rectum magis ſitum, motumque convenientem torquebuntur; ipſæque Pupillæ tandem ad unum viſionis punctum ſive angulum rectâ magis lineâ conſpiciendum dirigentur. In hunc finem *Putamina Nucum*, vel ſimilia excavata corpora, in medio tantùm perforata, ſibique debitâ diſtantiâ aſſociata, oculis applicant & alligant; ut Infantes paulatim ſuorum oculorum Pupillas rectâ verſus illa foramina dirigere, perq; eadem ambobꝰ oculis videre aſſueſcant. Præcavebimus ejuſmodi Strabiſmum in Infantibus eo inclinantibus, ſi nunquam illis permittemus res oculis propè admotas conſpicere & intueri.

Strabiſmus poſt *Convulſiones* vel *Epilepſiam* manens, *antiſpaſmodicis* internis, externiſque *Remediis* curatur. Et ſi à Paralyſi leviori, Catarrhove apoplectico provenit, Corpus *Mercurialibus Pilulis* purgabis; *Veſicatorium* Nuchæ applicabis; atque *Tragema cephalicum* cum *Semine Fœnicul. Rutæ, Aquilegiæ*, atque *Herbâ Majoranæ* ordinabis; ſimulque *Tincturam Succini, Euphraſiæ, Betonic.* & ♄*nii* frequenter propinabis.

OCVLORVM HYPOSPHAGMA ſ. SVGILLATIO, eſt Macula quædam modò liveſcens, modò nigricans, major, minorve, è guttulis quibuſdam extravaſatis, atque inter Adnatam, Corneamque tunicas ſuffuſis originem ducens; hinc ſæpius diu durans, &, cùm difficulter eo Oculorum Sugillatio.

loci in Ulcus abeat, tandem quoque in pelliculoſam ſubſtantiam concreſcens. Sugillantur etiam ſubinde Palpebræ à ſtagnante ſanguine, per acceptam contuſionem, ictum, verbera, extravaſato, & inde primùm rubræ, mox lividæ, demum flavæ redduntur, donec priſtinum colorem denuò recipiant.

Cauſæ. Rarius hæc Affectio agnoſcit internam Cauſam, nimirum ſal aliquod erodens & aperiens vaſculum quoddam; frequentius autem ab externâ, vas rumpente causâ producitur; v. gr. ictu, contuſione, atque perforatione. Hinc indolens eſt hæc Macula, ſi ſanguinis extravaſati guttulæ nullum ſal acre in ſe obtinuerint. Neque etiam ſenſibilem Tumorem Adgnatæ tunicæ comitem habet, quoniam diffunduntur & expanduntur in viciniam illæ guttulæ. Primò autem rubicunda eſt Macula, quando ſuperficies guttularum ſanguinis ita configuratur, ut radii luminoſi, inde poſt aliqualem refractionem repercuſſi, ideam coloris rubicundi excitent: poſtea verò, cùm ſuperficies illa, propter mutatum particularum ſitum, ita conſtituitur, ut radii prædicti intra illarum poros, majores & uberiores per exſpirationem ſalino-alcalinarum volatilium redditos, velut abſorbeantur, minusque numeroſè reflectantur, Color ille floridè rubicundus paulatim in lividum, atque nigricantem mutatur; non ſecus atque id quoque videmus in ſanguine extravaſato, primùm ruborem coccineum acquirente, dein poſt aliquot dies prorſus nigricante, vel liveſcente.

Macula hæc, quoniam parum incommodi adfert, minusque dolet, plerunque à plebejis intacta relinquitur; & ita tandem poſt longum temporis intervallum, æſtivo inprimis tempore per ſe diſcutitur. Sed cùm nihilominus aliquando in corporibus impuris degenerare poſſit in Pelliculam, vel in Abſceſſum, Ulcus, aut quod pejus adhuc eſt, in Fungum, melius erit ipſam citò diſcutere. In quem finem præmittitur aliqua *Purgatio* corporis, per inferiora inſtituenda; qualiscunque demum illa fuerit, certè non ita vehemens. Subſequitur hinc *Venæſectio*, aut *Cucurbitulæ cum ſcarificatione* applicantur. Demum extus *Collyrium* ſequens in uſum trahitur:

℞. *Aqu. Fœnicul.*
Flor. Calcatripp. ana ℥iß.
Succi Rutæ.
Hieracii qualiſcunque ana ℥ß.
Mercur. præcip. alb.
Ocul. ♋. *ppt.*
♁ *n. diaph. probè edulcor. aa.* ʒß.
M. d. ad Vitr. & uſurpetur calidè in Oculum inſtillando.

Vel ℞. *Aqu. Flor. Sambuc.* ℥iß.
Scabioſ. Chelidon. maj.
Succi Sempervivi ana ℥ß.
Spirit. Vini camphor. ʒj.
Lapid. calamin. ppt.
Tut. ppt. ana ʒß.
M. f. Collyrium, ſicut ſuperius uſurpandum.

Idem

Idem etiam *Collyrium* pro *Epithemate* inſervit, ſi Linteum ei immerſum calidè Oculo ſæpiusculè applicueris. Vel ſequens *diſcutiens* clauſo Oculo admovebitur:

℞. *Spirit. Vin. camphor.* ℥ß.
Eſſent. Croc. ʒj.
Succi Herb. rec. Chelid. maj.
Hierac.
Fœnicul.
Tragopog. aa. ʒvj
M. d. ad Vitr. & linteola huic Mixturæ calefactæ ſæpius immerſa atque expreſſa applicentur.

Aliàs linteola molliora etiam ſicca ſæpiſſimè calefacta, Oculoque impoſita diſcutiunt. Alii *Sacculos* conficiunt ex *Herb. Anethi*, *Cherefolii*, *Rutæ*, *Fœnicul. Dauc. Salviæ*, *Radic. Sigill. Salomon. Bryon. Valerianæ*, *Semin. Fœnic.* invicem tenuiſſimè inciſis, eosq; *Lacti*, *Aquæ*, aut *Vino* incoquunt, ſicque poſt expreſſionem calidè admodum Oculo admovent.

Atque hæc medicamina proſunt ſimiliter in *Palpebrarum Sugillatione*.

[Oc]ulo[ru]m Oe[de]ma. OCULORUM OEDEMA eſt Tumor maximè Palpebrarum Oculi, utplurimum indolens, nonnihil rubens, mollis, ac ſæpè translucens, ab humoris lachrymalis vel lymphici intra tunicas Palpebrarum effuſi & ſtagnantis collectione oriundus.

Tumor ſubinde ad magnitudinem Ovi anſerini accedit, atque periculum infert alicujus Exulcerationis, vel Inflammationis, cum Lagophthalmiâ ſubſequente. Nunquam vidimus ipſum oculi Bulbum tali Oedemate laboráſſe; in Palpebris autem *Pars affecta.* ſæpius obſervavimus, & quidem non tantùm in Adoleſcentibus aut Pueris, ſed etiam in Adultis.

Gignitur interea hâc ratione; *Cauſa.* quando vel in Glandulis lachrymalibus, vel in aliis tubulis Palpebræ, inprimis ſuperioris, lympha copiosa è ſanguine effuſa ſtatim ſpiſſeſcit, ac deinceps è porulis, fortè ſimul conſtrictis, planè effluere, bulbumque Oculi irrigare nequit. Tum ergo ruptis ob nimiam diſtenſionem quibusdam tubulis effunditur inter tunicam interiorem & exteriorem Palpebræ, ſicque eandem in Tumorem Oedematoſum attollit: tamdiu durantem, donec aquæ illæ ſtagnantes alicubi fores vel ſibi aperuerint, vel apertos invenerint, per quos deinceps effluere potuerunt. Si Lympha illa aquoſa ſatis dulcis erit, tum dolorem ferè nullum, niſi aliqualem tenſivum infert; ubi autem ſalino-acris extiterit, & fibrillas membranaceas arroſerit, vel tunicas nimiopere expanderit, tum verò dolor magis intenſus, imò interdum ſimul Inflammatio inde producitur, in Abſceſſum etiam mutabilis, qui minus rectè tractatus in Ulcus diuturnum facilè convertitur.

In *Curatione* proin Oedematis *Curatio.* ante omnia *purgans* erit præſcribendum; v. gr. pro Adultis.

℞. *Syrup. de Cich. cum Rhab.*
Spin. cervin. ana ℥j.
Aqu. Fœnicul.
Flor. Sambuc. ana ℥ß.
Cinam. bugloſſ. ʒij.
Confect. Hamech. ʒj.
Mercur. dulc. opt. ℈j.

M. d. ad Vitr. & ſumatur pro doſi.

Vel ℞. *Radic. Pæon.*
Apii ana ʒj.
Vincetox. ℈iiij.
Fol. Sen. opt. mund. ʒiij.
Rhab. elect. ℈iiij.
Crem. ♀ri.
Seminis Fœnic. ana ʒj.
Inciſ. & contuſ. affunde
Aqu. Flor. Samb. q. ſ.

Stent per noctem in loco tepido, poſtridie mane bulliant parum, & Colaturæ nonnihil expreſſæ ℥iiiß. *adde*
Syrup. Flor. Perſic. ℥ß.

F. Potio d. ad Vitr. pro doſi matutinâ cum regimine diætæ haurienda.

Poſtmodum de ſequenti *Electuario* ſingulis trihoriis Æger ſumat magnitudinem nuciſtæ:

℞. *Conſerv. Beton.* ʒvj.
Roob. Ebul.
Juniper. ana ʒiij.
Ocul. ♋. ppt.
♁n. diaph.
Croc. ♂t. aperit. ana ℈ij.
Syrup. aperit. Mind. q. ſ.

M. f. Electuar. d. ad Ollam.

Extus Tumori ſæpius applicetur calidè ſequens *Epithema* cum linteis:

℞. *Aqu. Fœnicul.*
Calc. viv. ana ℥iij.
Spirit. Vin. camphor. ℥j.
Eſſent. Myrrh.
Aloës ana ʒij.
Croc. ʒj.

M. d. ad Vitr.

Vel ſequens *Cataplasma* calidè imponatur:

℞. *Farin. Seminis Fœnicul.*
Dauc. ana ʒiiß.
Herb. Agrimon.
Salv.
Betonic.
Artemiſ.
Rutæ ana Mß.
Radic. Vincetoxic.
Ariſtoloch. long. ana ʒij.

M. f. Pulv. groſſiusculus, qui cum mediâ parte Vini rubri & Aqu. Calcis vivæ in Cataplasma redigatur.

Si talia non ferat Oculus, tum *ſicca* potius *Epithemata* imponantur: cui ſcopo inſervit ſequens *Pulvis* calidè inter lintea imponendus:

℞. *Farinæ Fabar.* ℥iß.
radic. Liquirit. Bryon.
Ariſtoloch.
Semin. Dauc. ana ʒij.
Boli armenat. ℥j.
Myrrh. elect. ʒij.
Camphor. ʒj.

M. f. Pulv. ſubt. d. ad chartam.

Vel ℞. *Farin. Flor. Sambuc.*
Fabar.
Bol. armen.
Cretæ alb. Colonienſ. ana ℥ß.
Semin. Fœnic. ʒij.
Camphor. ʒß.

M. f. Pulv. ſubt. d. ad ch.

Oculorum Palpebrarum Trachoma.

OCVLORVM PALPEBRARVM TRACHOMA eſt Morbus ſuperficiei Palpebrarum internæ, quando illa præternaturaliter à Tuberculis quibusdam enatis exaſperatur, doloremque in Oculorum bulbis, vel gravitatem, imò & ruborem quendam excitat. Differentia in hoc Affectu quædam obſervatur reſpectu Tuber-

Differentia.

Tuberculorum Palpebram exaſperantium. Illa enim quando ad magnitudinem granorum Milii aut Ervi accedunt, tum Affectus ſimpliciter *Trachoma*, Τράχωμα, *Aſperitas* vocatur, nomine derivato à τραχὺς, *aſper*. Si verò Tubercula fuerint minora, quantumcunque ſimul rubentia & dolentia, appellare veteres ſoliti fuerunt *Daſymma*, Δάσυμμα, uti ex *Aëtio* diſcitur.

[Cau]ſa. Producitur hoc Incommodum ab humore quodam pituitoſo-acido-acri, in quo ſalinæ etiam quædam particulæ corroſivæ deliteſcunt. Humor verò talis è maſſâ ſanguinis ad glandulas tubuloſve Palpebrarum præcipitatur, in quibus dein ſubſiſtit & coagulatur, quando videlicet illi tubuli ab aëre externo qualicunque, vel etiam à particulis lacrymarum rigidis & auſteris conſtringuntur, ob quam conſtrictionem Sanguis in ſuo circuitu per vaſcula minima retardatus Parti affectæ ruborem conciliat: ſicut ſtagnantium particularum acrimonia pruritum, & aſperitas ſuperficiei inter Palpebræ commotionem in tunicâ Adnatâ dolorem efficit.

Progno-ſis. Unde ejuſmodi Trachoma minimè contemni debet, facilè enim in *Sycoſin*, ſive *Ficum ſcirrhoſo-cancroſum* procreſcere ac degenerare, vel *Tyloſin* ſive *Calloſitatem* indecentem atque incommodam poſt ſe trahere valet.

Curatio. In *Curatione* proin intus ante omnia *purgans mercuriale* præſcribatur, v. gr.

℞. *Extract. panchymag.* ℈j.
Mercur. dulc. gr. xv.
Reſin. Jalapp. gr. ij. *vel* iij.
Ol. ſtillat. Rut. q. ſ.
M. f. Pilulæ num. xv. *Inaur. d. ad ch. pro doſi matutinâ cum regimine diætæ ſumenda.*

Poſtmodum ſequens *Tragema ophthalmicum* diligenter uſurpandum ordinari poteſt.

℞. *Semin. Fœnicul.*
Herb. Euphraſ.
Radic. Caryophyll.
Corall. rubr. ppt.
♁ *n. diaphor. ana* ʒij.
Sacch. alb. ℥iß.
M. f. Pulv. ſubt. de quo m. ac veſp. drachm. j. *capiatur.*

Herbæ quoque *Euphraſiæ*, *Hieracii*, *Saniculæ* & *Pyrolæ Vino albo* pro ordinario potu ſint infuſæ, unâ cum *Radicibus Chelidon. Ulmariæ* & *Caryophyllatæ.*

Extus *Balſamum* ſequens *ophthalmicum* cum penicillo inverſæ Palpebræ ſæpius inungatur; v. gr.

℞. *Butyr. recent. Succ. Hieracei & Vin. rubr. benè loti* ʒvj.
Corall. alb. ppt.
♁ *n. diaphor.*
Mercur. præc. alb.
Sacch. cand. alb. ana ʒß.
Camphor. gr. ij.
M. f. Balſamus.

Linteola verò ſequenti *Collyrio* intincta & expreſſa Oculo applicentur clauſo; v. gr.

℞. *Decocti Herb. Hierac. Euphraſ. ac Flor. Sambuc.* ℥iij.
Lapid. calam. ppt.

Bol.

Bol. armen. ana ℨiß.
Croc. pulveriſ. ℈ß.
Spirit. Vin. camph. ℨß.
M. d. ad Vitrum.

Palpebrarum Emphyeſma.

OCVLORVM PALPEBRARVM EMPHYESMA, eſt Tumor earundem mollis, à collectione flatuoſi ſpiritûs inter Palpebræ membranas, oriundus, cum Inflammatione ſive rubore & dolore plerunque conjunctus.

Cauſa.

Rarò producitur à Causâ internâ, ſive particulis quibusdam acribus, fibrillas membranarum nerveas irritantibus, ac ita ſpirituum animalium copiam intra tubulos expanſos allicientibus. Frequentius autem res acres, ictus Aranearum, Veſparum, Erucarum, vel Apum, per irritationem dictam, atque puncturam fibrarum, tali Emphyſemati occaſionem præbent. Inflammatio plerunque adeſt, cum dolore & rubore, quoniam eâdem operâ ſimul capillaria vaſcula adſtringuntur, ſanguisque in illis quoque ſubſiſtit.

Curatio.

Cavendum ergo, ne ex Emphyemate ſequatur Abſceſſus, vel Gangræna; proin ſtatim applicabimus *Ovi albumen* cum *Aquâ* vel *Decocto Salviæ, Rutæ, Meliſſæ, Scordii, Chelidon. maj. Roſ. alb. Card. bened, Spiritu theriacali camphor. Eſſent. Croc. Tutiâ ppt. Bol. armenat.* & ſimil. Vel *Succum Rutæ, Salviæ, Hierac. Geran. Rob.* aut tales *Herbas contuſas* cum *Diaſcordio*, vel *Theriacâ, Bolo Armenat. Lapide calamin. ppt.* & *Croco* imponemus. Intus verò *Theriacam* vel aliud *diaphoreticum* ex *Roob Juniper. Bezoard. min. Ebor. ppt. Dente apr. ppt. Ocul.* ♋. *ppt.* cum *Aqu. Scabioſ. Fœnicul.* repetitis vicibus exhibebimus.

OCVLORVM PALPEBRARVM ECTROPIVM ſ. INVERSIO, vid. *Lagophthalmia* & *Ectropium.*

Palpebrarum Cancer.

OCVLORVM PALPEBRARVM CANCER, eſt Tumor illarum durus, inæqualis, lividis hinc inde Venis donatus, maximè dolens, primùm clauſus, necdum exulceratus; dein exulceratus, atque ſaniem lividam, acrem & corroſivam fundens; ortus à corpusculorum ſalino-acido-corroſivorum in tubulis Palpebrarum collectione & ſtagnatione. Cancer autem hic cùm nil peculiare habeat quoad geneſin, diagnoſin, prognoſin & curam præ Oculorum ipſorum *Fungo cancroſo*, Lectorem quoque eò remittimus.

Palpebrarum Hydatis.

OCVLORVM PALPEBRARVM HYDATIS ſ. AQVVLA, eſt Tumor laxus, mollis, velut oedematoſus, plerunque inæqualis, non admodum elevatus, indolens, cuti concolor, à ſeri vel lymphæ pinguioris aut gelatinoſo-nutritiæ nimiâ collectione, atque inſpiſſatione intra tubulos Palpebræ, inprimis ſuperioris, oriundus, ita ut eadem velut pondere preſſa perfectè aperiri deducique nequeat. Pueris magis quàm Adultis Morbus hic eſt familiaris. Aliarum partium Hydatides ſive Tubercula,

cula ; ſacculive aquoſi , tale ſerum craſſum quoque in ſe continent , ſed non ita ſpiſſum tamen , quemadmodum in Palpebrarum Hydatide ; de quâ plura ſub Titulo, *Hydatis Palpebrarum.*

lpe- rum litus.

OCVLORVM PALPEBRARVM COALITVS , ſ. ANCHYLOBLEPHARON eſt Affectio morboſa, in quâ Palpebrarum extremitates, vel interna ſuperficies & Adgnata Oculorum tunica per interfluentem lympham quandam viſcidoglutinoſam, nocturno præprimis vel ſomni tempore ita coaleſcunt, ut vix iterum aperiri queant. Imò ſubinde adeo Cilia cohæreſcunt, ut prius lympham glutinoſam induratam emollire neceſſe ſit, antequam Oculos aperire queas.

ubje- um.

Accidens illis maximè, ſive Adultis ſive Pueris contingens, quibus ſerum ejusmodi viſcidum ſanguinis copioſè per Glandulas lachrymales exudat & præcipitatur, inibique ob exhalantes particulas aquoſiores inſpiſſatur atque in palpebrarum extremitatibus, quas coadunat, induratur. In Epiphorâ & Catarrhis ophthalmicis Malum familiare, non ſecus atque in Variolis, Ophthalmiâ, Vulneribus, Ulceribus. In quibus Affectibus, ſi Palpebræ cum Adnatâ, Corneâve Oculorum tunicâ coaleſcant, gravis eſt difficiliusq; curabilis morbus: ſi autem Palpebræ ſibi invicem cohæreſcant ſine exulceratione, per interfluens tantùm, induratumque ſerum glutinoſum, curabitur facilè. Si denique Palpebræ in extremitatibus exulceratæ ſibi invicem cohæreſcant, difficilius itidem ab invicem ſeparari & ſanari poſſunt.

In *Curatione* proin cujuscunque Palpebrarum coalitûs ad præcavendum humorum affluxum dabimus ante omnia *Purgans*, per inferiora cruditates educens ; v. gr. Curatio.

℞. *Spirit. Anth.* ℈ij.
Caraſ nigr. vel Aniſ. ʒß.
Magiſt. Jalapp. gr. viij.
Solutis igne leni adde
Julepi roſacei ʒiiß.
D. ad Vitr. pro doſi matutinâ.

Vel in *Puero ſexenni* dabis v. g.

℞. *Syrup. de Cich. cum Rhab.* ℥j.
Aqu. Fœnicul.
Cichor. ana ℥ß.
Elect. è Succ. Roſ. ℈iiij.
Mercur. dulc. opt. ℈ß.
M. d. ad Vitr. pro doſi.

Poſtmodum ſi Palpebræ aut ſibi invicem, aut Oculi Tunicis, poſt exulcerationem aliquam, vel etiam ab ortu fuerint connatæ, ſcalpello cautiſſimè ſeparandæ veniunt; poſtea fila carpta interponi debent, ad conſolidationem promovendam, novamque coaleſcentiam impediendam; vel ejus loco *Collyrium detergens blandè*, atque *citò conſolidans* frequenter calidè applicabitur; v. gr.

℞. *Butyr. rec. Succ. Chelidon. &*
Vino rubr. lot. ℥ß.
Lapid. calam. ppt. ℈ij.
Succin. alb. ppt.
♁ *n. diaph. ana* ℈j.
M. d. ad Pyxid.

 Vel

Vel ℞. *Aqu. Fœnicul.*
Flor. Calcatr.
Succ. Veſicul. Ulm. vel
Fol. aut Flor. Verbaſc.
Herb. Hierac. vel Tragopog. ana ℥j.
Tutiæ ppt. ℈ij.
Bezoard. min. ℈j.
Succini albi vel flav. ppt. ℈ß.
M. d. ad Vitr. Subinde calefactum inſtilletur Oculo.

Coalitus à nativitate.

Si *à Nativitate* tamen malum ſit, videndum, an Cilia tantùm ſint connata, quod patefiet, ſi Palpebram ſuper Bulbum ſubtus latentem, velut immobilem, rotare ac movere poterimus. Vel obſervandum, utrum Palpebræ cum Oculi Tunicis cohæreant, nec ne. Quomodocunque autem malum ſit conſtitutum, ſcalpello certè ſeparatio tentari minimè poterit, niſi cavendo ſemper, ne vel Pupillam, vel reliquas Bulbi Tunicas vulneremus graviter; unde cœcitas perpetua metui deberet.

Coalitus à Lymphâ.

Ubi Coalitus à *Lymphâ glutinosâ* productus eſt, tum in *Infantibus* quidem & Pueris ſolum *Lac maternum* ſæpiùs calidè inſperſum, vel quodvis *Lac calidum* cum *Croco* & *Aquâ Chelidoniæ maj.* aut *Roſar.* permiſtum & applicatum prodeſt, emollit enim & deterget, ut ſic dein Palpebras diducere commodè liceat. De die ſæpius poſtea eodem remedio calidè abluendi ſunt Oculi. In *Adultis* vel idem *lacteum* adhibetur *remedium*, vel *Aqua* ſola *ophthalmica*, v. g. *Fœniculi, Chelidoniæ, Scabioſ. Euphraſ. Calcatripp. Fumar.* cum tantillo, ſi velis, *Spirit. Vini camphor.* addito etiam *Antimon. diaph.* & *Tutiâ.* Noctu quoque *Linteum* talibus *Liquoribus* calidis immerſum Oculis applicetur, ad Coalitum nocturnum præcavendum. Intus pro Lymphâ ſanguinis tenuiore reddendâ per aliquot dies m. ac veſp. doſin *Oculorum* ♋. C.C. *phil. ppt.* & ♁ *n. diaph.* dabimus cum *Aqu. Cichor. Fumar. Scab.* & *Plantag.* addito etiam, ſi lubet, *Roob Juniperi* vel *Sambuci.* Quotidie mane vel ʒj. *Semin. Fœniculi,* vel duodecim *grana Juniperi* comedantur. In Adultis *Venæſectio* quoque, vel *Cucurbitulæ* cum *ſcarificatioue* proderunt.

OCVLORVM ALBVGO, vid. *Albugo.*

OCVLORVM ÆGILOPS ET ANCHILOPS, vid. *Ægilops.*

OCVLORVM ENCANTHIS, vid. *Encanthis.*

Apoſtema in Globum & Orbitam.

OCVLORVM APOSTEMA *inter Globum & Orbitam Oculi*, eſt Tuberculum materiâ purulentâ, aliave repletum, atque dolorem plus minus acerbum excitans. *Cauſa.* Nimirum membranæ Oculi bulbum involventes nunc per modum fluxionis aut congeſtionis è tubulis ruptis laxatisve, ſanguinem aut ſimul lympham pituitoſam, plus minus lentam aut viſcidam; nunc per modum ſugillationis ex accepto ictu, contuſione, aut vulnere, ſanguinis lymphæque guttulas, poſtliminiò corruptas inque pus mutatas recipiunt, ſicque tuberculum plus minus grande efficiunt.

Quando

ro-

Quando Apoſtema gignitur per modum fluxionis & ſtagnationis humorum in vaſculis membranarum, inter Bulbum & Orbitam exiſtentium, tum Inflammatio ſupervenit, cum dolore vehementi pulſativo, in Orbitâ ad radicem usque Oculi percepto, ac toti anteriori capitis parti communicato. Febris ſimul adeſt cum Agrypniâ, Tuberculumque apparet inter globum Oculi atque Palpebram, imò extus quoque ſuper Palpebram verſus locum Apoſtematis. Quando autem Apoſtema multum increvit, tum bulbum Oculi è naturali ſuâ ſede in partem oppoſitam torquet, imò planè extra orbitam trudit; ita ut palpebrâ amplius tegi nequeat, utcunque bulbus ſuam magnitudinem naturalem non excedat. A ſanguine per vim quandam externam extravaſato oriundus Abſceſſus ex præcedentibus cognoſcitur, cum Ægro geſtis, ſi nullum contuſionis aut vulneris alicujus veſtigium adfuerit.

gno-

Itaque haud contemnendus eſt ejusmodi Abceſſus, pejora facilè mala poſt ſe trahens, niſi exiguus ſit, & in extremitate Orbitæ prorſus apparens. Metuendum enim, ne vel opticus valdè tendatur, comprimaturve Nervus, ſicque viſum tollat; vel rami Nervorum oculi motoriorum cum cœteris tubulis fibrisque putreſcant & corrumpantur, ſicque Paralyſis, Atrophia, vitiumque aliud ſubſequatur; aut Caries oſſicula Orbitæ tenera prehendat, cum ſeſequente Ulcere fiſtuloſo.

uratio.

In *Curatione* ad conditionem *Apoſtematis* attendendum; quod ſi enim hoc adhuc in principio exiſtat, discuſſio injectis *Clyſmatibus* frequentibus, *Venæſectione* repetitâ, *diaphoreticis* & *abſorbentibus pulveribus*, topicis quoque *reſolventibus* atque *diſcutientibus*, ſicut in curatione *Oculorum Inflammationis*, tentari poteſt. Imò ſtatim ab initio etiam laxans dabitur, quod primas expedire vias valet, & ita futuram Inflammationem atque Abſceſſum impedire; v. gr.

℞. *Mann. calabr.* ℥iiß.
Crem. ♀*ri* ℈j.
Diſſolve in Aqu. Fumar. aut Scab. q. ſ. Colatura hauriatur pro doſi.

Vel ℞. *Pulpæ Tamarind.* ℥ß.
Fol. Agrimon. Mß.
Senn. opt. mund. ʒiij.
Rhab. elect. ℈iiij.
Semin. Fœnic. ʒj.
Crem. ♀*ri* ʒß.
Inciſ. & contuſ. coqu. in ſ. q. Aqu. Gramin. Colatur. ℥iij. *adde*
Syrup. Fl. Tun. ℥ß.
Detur ad Vitr. & propinetur pro doſi.

Quando autem Abſceſſus jam formatur, tum *Cataplaſmate emolliente temperato* promtè maturandus, antequam bulbus Oculi læſionem accipiat; ejusmodi autem *Cataplaſma* non ita craſſum ac ponderoſum fieri debet, ne pondere ſuo comprimente circulationem liquorum in Oculi globo impedire, ſicque morbum deteriorem reddere queat; verùm ſequenti aut ſimili modo componatur; v. gr.

℞. *Radic. Alth.* ℥ß.

 Fol.

Fol. Branc. urſin.
Malv.
Alth.
Parietar.
Verbaſc.
Flor. Verbaſc.
Melilot. ana Mß.
Semin. Lini.
Pſyll. ana ℥j.
Croc. opt. ℈ij.

Inciſ. & contuſ. coque in ſ. q. Aqu. fontan. donec Decoctum mucilaginoſum fuerit redditum, in quo dein linteola compreſſa immerguntur, atque ſingulis trihoriis calida applicantur.

Vel cum hoc *Decocto* miſcetur prius *Pulvis* ſive *Farina Seminum Lini, Fœnigræci, Florum Melilot. Chamom.* & *Verbaſci*, in formam *Pulmenti*, quod dein ter quotidie ſuper linteolum calidè extenditur, & Oculo admovetur.

Maturatum ſic Apoſtema, ſi ſponte non rumpatur, aperiri debet cautè, neque ita profundè, & ubi pus effluxit, tum ad impediendam nimis citam conſolidationem foramini per biduum vel triduum induntur fila carpta *Emplaſtro diapalma* in *Oleo Ovor.* ac *Roſar. diſſoluto* obvoluta. Poſtea verò *injectio* pluribus vicibus ad detergendum probè Ulcuſculum inſtituitur, ex *Vino*, cui *Myrrha, Olibanum, Radices Chelidon. maj. Ariſtoloch. rotund. Rhabarb. Monach.* cum *Sacch. cand. alb.* incocta vel infuſa fuerint. Deſuper imponendo ſemper *Linteolum Aquæ Roſarum* cum *Albumin. Ovor. conquaſſatæ* immerſum & calefactum.

Evacuato pure Tumor ſtatim ſubſidet, Inflammatio diſſipatur, Oculique bulbus ſenſim in ſuam naturalem ſedem retrahitur, reſtante tamen adhuc aliquali *Tumore levi oedematoſo*, quem haud difficulter ſequenti aut ſimili *Collyrio*, frequenter calidè applicato, diſſipabis:

℞. *Aqu. Fœnic. Chelid. maj.*
Scab. Euphraſ. ana ℥j.
Spir. Vin. camph. ʒiß.
Lapid. calam. ppt. ʒj.
M. d. ad Vitr.

OCVLORVM LIPPITVDO, vid. *Epiphora.*

OCVLORVM FISTVLA, vid. *Ægilops.*

OCVLORVM LEVCOMA, vid. *Albugo.*

OCVLORVM GLAVCOMA, vid. *Glaucoma.*

Oculorum Muſculorum & Nervorum Affectus.

OCVLORVM MVSCVLI & NERVI ſubinde etiam, & quidem variis modis afficiuntur, eorumque Bulbis, vel Viſioni læſionem afferunt. Ita enim commune hoc eſt phænomenon, quod in Convulſionibus motibusque Corporis epilepticis maximè univerſalibus evenit, in quibus Muſculi nunc hi, nunc illi Oculorum verſus ſua principia retracti Bulbos intorquere, Viſionisque ſenſum adimere ſolent. Quod vitium per ſe corrigitur, ſicubi convulſivæ agitationes ceſſare incipiunt. Quando autem unus alterve Oculi muſculus, aut nervus motorius in Vulnere aliquo diſciſſus, ac dilacera-

tus, vel in Ulcere eroſus eſt, tum globus ejus in oppoſitam partem retrahitur; quod vitium cuivis quidem ſufficienter apparet, ſed incurabile prorſus eſt; etiamſi enim Vulnus, vel Ulcus ex arte ſanaveris, manebit tamen ſemper Oculi intorſio, Viſioniſque ſive depravatio, ſive ablatio.

Hippus.

Quando porrò fibræ muſculorum nerveæ, ob inordinatam ſpirituum ſuorum undulationem, & agitationem elaſticam valdè inæqualem, tremulo ſemper motu vibrantur, tum inſtabilis quoque evadit Oculi globus, ut firmiter teneri eodem in ſitu nequeat, ſed continuè de latere in latus volvatur, Affectus qui Græcis Ἵππος, *Hippus*, *Nictatio Oculorum* vocari ſolet; iſque vel *nativus* eſt, hincque incorrigibilis, vel *adventitius*, v. gr. ſubinde in Febribus ardentibus, & per ſe evaneſcit, quando profligata Febris erit.

Amauroſis. *Paralyſis.*

Interdum obſtructio contingit aut compreſſio in Nervo optico, unde *Cæcitas*, ſive *Amauroſis*, *Gutta ſerena* oboritur, de quâ ſuo loco. Quòd ſi verò eadem obſtructio in Nervis motoriis pluribus aut paucioribus oboritur, tunc muſculi eapropter laxi, immobileſque ob debilitatem redduntur, ſicque Oculus in *Paralyſin* delabitur, ob quam Bulbus illius ad *Procidentiam* inclinat, aut ad minimum ita debilis evadit, ut immobilis exiſtat, viſioniſque ſenſum vel ex parte, vel penitus amittat. Rarus verò eſt, à nobis tamen aliquando, ſicut alibi diximus, obſervatus ille caſus, in quo unius tantùm muſculus paralyticus redditus, id cauſatur, ut Oculi globo verſus ſanam ſive oppoſitam partem retracto, objecta dein omnia gemina ſeu dupla videantur, quando ambobus res intueri Oculis nituntur. Affectus curabilis, ſi à defluxione contingat, incurabilis verò, ſicubi muſculus planè diſciſſus, dilaceratus, aut eroſus extiterit.

Objectorum apparitio gemina.

Oculorum Synchyſis.

OCVLORVM SYNCHYSIS, ſive *Confuſio*, *Conturbatio* eſt morbus utplurimum ſolutæ unitatis, in quâ per acceptos ictus violentos, ſive contuſiones, vulneraque non ſolùm externè Cornea vel Uvea tunica graviter læditur, ſed etiam internæ Oculi partes rumpuntur, lacerantur, inque ſitu ſuo naturali prorſus immutatæ confuſionem & obſcuritatem Oculo conciliant. Rarius verò hic Affectus à pure & Ulcere interiorum Oculi partium provenit. Unde Pelliculæ Humorum vitrei & cryſtallini, imò Uvea, Cryſtallina, Retinaque tunicæ pro affectis Partibus adgnoſci debent.

Pars affecta. *Cauſa.*

Nimirum ſolet in ejuſmodi Confuſione nunc à cauſis externis violentis, nunc à lymphico quodam humore corroſivo, vel Vitreus Cryſtallinuſve humor dilacerari, diſcerpi, & cum aqueo humore confundi; vel Cryſtallinus ſuâ è ſede decuti, alterari & ſiccari; vel Retina loco moveri, aut vulnerari planè; vel Uvea, Corneave ulcerari, aut dilaniari, atque ita dictam Synchyſin parere, non ſine dolore, atque interdum Inflammatione.

Prognoſis & Curatio.

Curari proin nequit gravior ejuſmodi qualiſcunque *Confuſio*; levior autem

autem diſſipatur facilius, aut ſaltem in eâ adhuc recenti talia remedia præſcribuntur, quæ Inflammationem præcavere aut diſſipare, doloremque omnem mitigare, denique læſionem qualemcunque ſanare penitus valent. In quem finem ſtatim in principio poſt evacuatas primas vias *Venæſectio* adminiſtratur, etiam repetitâ pro viribus Ægrotantis vice. Oculo ipſi læſo autem immittitur vel *Collyrium* aliquod in Oculorum Inflammatione ſuo loco commendatum, vel *Sanguis Columbæ ſub alis extractus*: ſuperimponendo *Epithema* ex *Aquâ Plantag. Chelidon. major. Sanicul. cum Album. Ovor. & Croco*, addendo ſubinde aliquid *Spiritûs Vini camphorati*. Atque talia remedia uſurpantur usque dum ſanguis aliusve humor extravaſatus reſolvi atque diſſipari inceperit, & perrexerit. Tandem Fomentum calidè imponitur ex *Decocto Abrotoni, Alchymill. Betonic. Abſynth. Hyſſop. Fœnic. Flor. Sambuc. Melilot. Verbaſc.* in *Aqu. Plantag.* aut. *Scabioſ.* facto.

Pladarotis. OCVLORVM PALPEBRARVM PLADAROTIS, eſt Morbus Palauctæ magnitudinis in ſuperficie Palpebrarum internâ per elevationem Tuberculorum mollium, lævium, atque indolentium obortus. Occaſionem præbet Lympha nonnihil in tubulis incraſſata, minus acris vel aſpera, nec uti in *Trachomate* indurata. Hinc etiam citius faciliusque ſanabilis, neque in Scirrhos, Fungos, aut Cancros tranſiens.

Curatio. Curatur, dum primò exhibemus *purgans*, quod *Mercurius dulcis* intrabit. Dein *Semen Fœniculi*, vel *Baccas Juniperi*, vel *Tragema* quoddam *ophthalmicum* quotidie ſemel vel bis comedendo, qualia ſub *Trachomate*, aliiſque Oculorum Affectibus videre licet. Extus *Balſama ophthalmica*, vel *Collyria* quoque proſunt, in *Ophthalmiâ*, *Trachomate*, alibique commendata.

OCVLORVM PALPEBRARVM CALLVS, TYLOSIS, eſt aliqualis illarum intumeſcentia ſive Craſſities, heic inibive, à ſero vel lymphâ quadam pituitoſâ in tubulis nonnihil collectâ, ſtagnante, ac per interfluentes forte ſpiritûs acidi particulas incraſſatâ atque denſiore redditâ, proveniens. Palpebrarum Callus. Calloſitas talis aliquando etiam oritur è labiis inflicti Vulneris denſius ſibi iterum unitis, ſi fortè plus ſucci nutritii affluxerit, inibique coagulatum & in cicatricem ſpiſſam, deformem, calloſam mutatum fuerit. Geneſis

Quanquam autem ejusmodi Affectus nullo dolore incommodus ſit, moleſtusve, neque etiam inde quid pejus metui debeat, nihilominus tamen ſive ob deformitatem, ſive ob moleſtiorem Palpebrarum diductionem, Medicis vel Chirurgis quandoque curandus offertur. Prognoſis &

Nec ſupereſt heic melior *Curatio*, quàm ſi poſt *purgans* aliquod præmiſſum, vel potum *Vini medicati* purgantis per plures dies continuatum, *externè Emplaſtrum diaphoreticum* ac *diſcutiens*, vel *Cataplasma* ſeqq. calidè ſæpius imponatur: Curatio.

℞. Radic.

℞. *Radic. Scrophular.* ℥iij.
Vincetox.
Angelic. ℥j.
Herb. Chelid. maj.
Virg. ☉*reæ.*
Grat. Dei ana Mß.
Flor. Chamomill. Pij.
Semin. Fœnicul. ℥iij.

Inciſ. & contuſa tenuiter coque in Lactis & Aqu. Fœnic. ana part. æqual. pro *Cataplaſmate* frequenter repetendo. Vel *ſolæ Herbæ recentes Rutæ, Euphraſ. Sabinæ, Malv. Alth. Gratiolæ, Ariſtolochiæ, Chelidon. major. Hieracii,* &c. probè contuſæ, atque calefactæ ſæpiſſimè applicentur.

lpe-arum lculus. OCVLORVM PALPEBRARVM CALCVLVS, eſt Tuberculum unum vel multiplex in Palpebrarum tubulis præternaturaliter genitum, à lymphâ tartareâ magis, atque cum ſale volatili alcalino, per intercurrens acidum adſtrictivum coagulatâ oriundum. *eneſis.* Rarum hoc eſt Malum, ad quod producendum præcisè terreſtriores ſanguinis particulæ ad lachrymales Tubulos præcipitari debent, inibique obhæreſcendo in Calculos concreſcere. Obhæreſcunt autem heic facilius tales particulæ, quoniam ab externo aëre rigido tubuli magis fortè quàm alibi anguſtantur. Interim moleſtus eſt, dolorem excitans aliqualem, inprimis in Palpebrarum motu; imò faciliorem Palpebrarum diductionem impediens; aliâs verò nullam ulteriorem noxam inferens.

uratio. In *Curatione* eadem remedia præſcribere licet, quæ ſub præcedenti Titulo commendata fuere. Si emolliri, vel diſcuti calculoſa Concreſcentia nolit, atque ſub cute mobilis hæreat, ſuique augmentum minetur, tunc cutis incidatur, calculus eximatur, ac Vulnus ſolito more perſanetur.

OCVLORVM PALPEBRARVM GRANDO, eſt Tuberculum rotundum, indolens, duriusculum, cuti concolor, inter tunicas palpebræ Oculorum ſuperioris natum, mobile, atque piſi majoris magnitudinem rarò exedens. *Palpebrarum Grando.* Hoc ipſum tuberculum non ita rarum eſt, ſuamque originem debet humori pituitoſo & viſcoſo inter membranas Palpebræ effuſo, ac ſubſiſtente: quin forſan lachrymalis ſuccus, aliquas guttulas ob intercurrens ſal aliquod acidulum & irregulare viſcoſas redditas, in extremitate tubuli lachrymalis depoſuit, deinceps cum aſſumtis novis aliis ſimilibus moleculis ſenſim in Tuberculum ejusmodi concreſcentes. *Geneſis.* Mobile eſt, quoniam neque externæ nec internæ, aut ſaltem alterutri, aliâs ſimul facilè mobili, Palpebræ ſuperioris tunicæ adnatum exiſtit, tenuique à radice pendet. *Diagnoſis.* Inflammatorium non eſt, quoniam ex ſolâ pituitoſâ lymphâ, non verò ex ſanguine ſtagnante progignitur. Indolens præterea, quoniam nullo acri ſale præditum, aut ſi quod intervenit, blandum duntaxat eſt, nec niſi leviculâ irritatione pruritum moleſtulum excitans. Haud magnum evadit, ſi materia Morbifica careat acrimoniâ corroſivâ; quòd ſi verò quali-

Prognoſis. qualitate tali imbuatur, tunc circumrodendo, novique ſucci acrioris affluxum promovendo, ſenſim in majorem molem ſcirrhoſam, vel Fungum etiam cancroſum excreſcere poſſet; eventu quanquam rariſſimo. Quin ſi leviuſculum hoc Malum ſibi relinquatur, nulliſque emollientibus, aut inflammantibus Emplaſtris, aliiſque ſimilibus remediis tangatur, nullam pejorem labem poſt ſe trahit, atque, quod non ſemel obſervavimus, ſponte tandem cedit, & diſſipatur, licèt etiam per aliquot annos duraverit.

Curatio. Quòd ſi tamen citius inde liberatum ſe malit Homo, eidem ſequentem, vel noſtrâ haud unâ experientiâ confirmatam medendi rationem ſuaderemus: in principio damus *Pilulas* ſeqq. *mercuriales purgantes:*

℞. *Maſſ. Pil. Hydrop. Bont. gr.* xij.
Extract. Helleb. nigr. gr. vij.
Mercur. dulc. opt. gr. xv.
Reſin. Jalapp. gr. ij.
Ol. ſtillat. Fœnic. q. ſ.
M. f. l. a. Pilulæ num. xvj. *Inauratæ ſumantur man. pro doſi cum regimine diætæ.*

Octiduo poſt eædem *Pilulæ* reiterari poſſunt, imò ter vel quater. Intermedio tempore intus ſequens *Pulvis* ſingulis diebus ſemel cum *Juſculo* capiendus ordinabitur:

℞. *Pulv. radic. Scrophul.*
Sigill. Salom. aa. ʒj.
Semin. Fœnic. ʒiß.
Ocul. ♋. *ppt.* ℈iiij.
Diaph. ♂ *tial.* ℈ij.
Elæoſacch. Aniſ. ʒvj.
M. f. Pulv. ſubt. d. ad ſcat. Doſ. ʒj. cum *Vino albo*, vel *Aquâ Meliſſæ* aut ſimili; vel cum *Infuſo fol. Thée* & *Euphraſiæ.*

Extus ab omnibus emollientibus imponendis cavebimus: ſola autem *fomenta* ſub formâ vaporum calidorum quam optima deprehendimus. In hunc finem unâ cum *Ciceribus*, *Piſis*, aut *Granis Coffée* probè toſtis, inque pulverem redactis coquere jubemus *Pulverem groſſum Herbar. ſiccarum Meliſſæ, Ocymi, Solani, Origani, Majoranæ, Card. bened. Aneth. Semin. Fœnic. Aniſ. Carvi, Dauci, Bacc. Laur. Junip.* &c. Hujus poſtmodum *decocti Vapor admodum calidus* quotidie bis vel ter ad clauſum Oculum admittitur; ſicque tamdiu continuatur, donec Grando fuerit diſcuſſus. Interim caveat ſibi Æger à durâ crebraque Tuberculi frictione, utpote quâ magis confirmatur augeturque malum. In victûs tandem ratione aër frigido-humidus fugiendus; cibiſque dyspeptis, viſcoſis, chylum craſſum, lentum ac pituitoſum producentibus, præprimis etiam Fructibus horæis dica eſt mittenda.

OCULORUM PALPEBRARUM EXULCERATIO eſt ſoluta in his partibus unitas, à ſalſo-acribus plus minus corroſivis aut malignis humoribus oriunda; atque diverſas ſpecies, propriis quoque nominibus diſtinctas admittens. *Palpebrarum exulceratio.*

Etenim *primò* heic occurrit, conſideranda *Pſorophthalmia* Ψωροφθαλμία, à ψώρη, *Scabies*, & ὀφθαλμὸς *oculus*, compoſito nomine, aliâs etiam *Pſorophthalmia.*

Lippitudo

Lippitudo pruriginoſa, vel *Scabies Palpebrarum*, in quâ nimirum extremitates & anguli Palpebrarum rubore & leviculâ exulceratione pruriginoſâ afficiuntur, cum effluxu ſaniei glutinoſæ lacrymis permiſtæ, ſalſæ, ardorem cum rubore interdum toti Palbræ communicantis.

o- ia. *Secundò* heic occurrit *Xerophthalmia* à ξηρὸς *ſiccus*, & ὀφθαλμὸς, in quâ tantillum intumeſcunt Palpebræ, parum humidæ, imò ſiccæ ferè ac ponderoſæ ſunt, noctu inter dormiendum ab interveniente glutinoſo ſucco paulatim ſiccato coaleſcentes, ita ut Ægri dein multum incommodi patiantur, quando expergefacti oculos aperire, Palpebraſque diducere neſciunt, niſi prius humorem illum coagulatum attenuaverint atque reſolverint. *Aridam* quoque *Lippitudinem* alii latinâ expreſſione nuncupant.

oph- mia. *Tertia* ſpecies eſt *Sclerophthalmia*, Σκληροφθαλμία, ἀ σκληρὸς, *durus*, & ὀφθαλμία, in quâ Palpebræ, harumque inprimis extremitates præter ſolitum duræ ſunt, rubræ, dolentes, ac mane ſive poſt ſomnum non niſi cum difficultate ac dolore aperiri vel diduci poſſunt abſque humiditatis cujuſcunque effluxu, dum in extremitatibus & angulis tantùm illarum aliquid materiæ ſiccæ, duræque pituitoſæ hæret. Bulbus etiam Oculi in hoc malo ſubinde dolet ac rubet. Hinc *duram Lippitudinem* Medici nonnulli vocant.

Quarta ſpecies audit *Trachoma*, de quâ ſuperius p. 278. In hâc nimirum interna Palpebræ unius vel alterius ſuperficies inæqualis, aſpera, dura, ac ſubinde ſimul fiſſa redditur, non ſine rubore ac pruritu. Admittit verò tres differentias graduales, quarum prima *Daſites* vel *Daſymma*, *Denſitas Palpebrarum* vocatur, quoniam in eâ Palpebrarum interior ſuperficies denſa, rubicunda, aſpera, atque inæqualis cum pruriginoſo ardente dolore apparet. *Daſites.* Secunda *Sycoſis*, *Ficoſitas* appellatur, in quâ parvæ quædam eminentiæ, granis Ficuum ſimiles deprehenduntur, ſymptomataque reliqua vehementiora exiſtunt. *Sycoſis.* Tertia *Tyloſis*, *Calloſitas* vocatur, quando malum ita inveteratum eſt, ut ſuperficies Palpebræ interior ulcerata ſit, cum fiſſuris atque duritie calloſâ. *Tyloſis.*

Cauſa. Producuntur autem ſingula hæc Vitia proximè ab humore quodam ſalſo, acri, & mordente vel rodente, qui propter diverſam particularum aquoſarum, ſalino-acidarum aut alcalinarum, nec non ſulphurearum combinationem ac miſcelam diverſitates modò deſcriptas excitat.

Diagnoſis. Quanquam autem ex ipsâ deſcriptione ſufficienter cognoſci poſſint iſta Vitia; addere tamen adhuc oportet, quòd non ambas ſemper Palpebras affligant, ſed ſubinde unicam tantùm, vel ejus ſolùm portionem quandam. In principio autem Ægri pruritum in Palpebrâ ſentiunt, à quo ad fricandam crebrò partem ſollicitantur. In progreſſu extremitas Palpebræ tantillum intumeſcit, ita ut

Ægri difficultatem in eâ movendâ ac diducendâ perſentiant. Poſtmodum extremitas eadem paulatino rubore ſuffunditur, indureſcit, atque pituitæ tantillum effunditur. Quòd ſi microſcopio intuearis atque examines hoc Malum, obſervabis haud difficulter ſeriem quandam Ulcuſculorum ſuperficialium, quotidie magis increſcentium: unde patet, extremitates tubulorum excretoriorum, qui terminantur per longitudinem Ciliorum exulceratorum, hoc Malo laborare; quòd primam ferè originem trahat ab Inflammatione tantùm non omnium illarum Glandularum, è quibus tubuli prædicti prodeunt. Quando igitur humor vel ichor è talibus Ulcuſculis profluens acris eſt, tum facilè non tantùm internam Palpebrarum faciem rubificat, ſed & interdum conjunctivam tunicam inflammat, inque eâ Puſtulas vel Ulcuſcula ſimilia producit. Serum autem iſtud ſalſum acre è maſſâ ſanguineâ, in quâ ex commiſſis diætæ erroribus prius collectum fuit, in glandulas Palpebrarum demittitur, occaſione qualicunque externâ per irritationem arreptâ.

Prognoſis. Omnia verò hæc Ulcuſcula curatu ſunt difficilia, imò quandoque prorſus incurabilia propter impoſſibilem ferè remediorum ad radices eorum applicationem. Senes etiam ab ejuſmodi Affectu rarius perfectè liberantur. Quique ab infantiâ hoc malo jam laborârunt, utut ſanentur, recidivis tamen ipſius per totam vitam obnoxii ſunt; non ſecus atque illi, quorum Palpebræ Variolis, vel Combuſtione, aut ſimilibus Ulceroſis vitiis antea inquinatæ fuerunt.

In *Curatione* ad mali conditionem probè eſt attendendum: quòd Cur ſi enim illud non niſi extremitatem Palpebræ occupet, Inflammatio vel nulla vel exigua adſit, pruritus vix perceptibilis ſit, ſanies effluens pauca, bonæ notæ, haud acris; ſi Æger præterea defluxionibus ad Oculos minimè obnoxius fuerit, utpote euchymiâ præditus, tum primas amicè vias ante omnia purgabis; v. gr.

℞. *Mannæ Calabr. opt.* ℥iiß.
Crem. ♀ri ʒß.
Aqu. Fumar. Scabioſ.
Fœnic. *ana q. ſ.*
Solve leni igne, & Colaturam pro doſi matutinâ exhibe.

Vel ℞. *Conſerv. Beton.*
Amarac. *ana* ʒß.
Radic. Jalapp. ℈j.
Crem. ♀ri ℈ß.
Scammon. 🜍rat. gr. iij.
Cinnab. ♁n. opt. rectif. gr. ix.
M. cum Sacch. f. Bolus pro doſi.

Dein *Venæſectio* inſtituatur in Brachio lateris afflicti, vel *Cucurbitulæ cum ſcarificatione* in Nuchâ ac dorſo applicandæ veniunt. Pro ordinario potu bibendum conceditur *Decoctum radic. Gramin. Liquirit. Acetoſ. Filic. Chinæ, Sarſæparill. Herb. Agrimon. Anſerin. Scabioſ. Raſur. Lign. Saſſaphr. Paſſular. minor. Hordei, Semin. Aniſ. Fœnic. Coriandr.* Cibi eupepti & euchymi exhibentur, ab aëre rigido, humido, acri abſtinetur, candelarum ardentium exhalationes, aliaque externa

terna acria vitantur. Balneum Aquæ dulcis tepidè conceditur. Veſicatoria retro Aures, vel in Nuchâ applicantur: Fonticulus denique in Brachio aut pede excitatur.

Topica remedia ea eſſe debent, quæ emolliunt, humectant, detergent, humorum acrimoniam temperant, tandemque conſolidant; v. gr.

℞. *Fol. Alth.*
Malv.
Parietar.
Herb. Euphraſ. *ana* Mj.
Flor. Verbaſc.
Melilot.
Roſar. alb. *ana* Mß.
Semin. Lini ℥ß.
Fœnic. ʒiij.
Coque fortiter in Aqu. fontan. q. ſ.
Colaturæ ℔ß. *adde*
Sacch. Saturn. ʒß.
Tut. ppt. ʒij.
M. d. ad Vitr. Sæpius calefiat, linteolaq; immerſa tepidè applicentur ſæpius.

Vel ℞. *Aqu. Spermat. Ranar.*
Roſar. alb.
Chelid. maj.
Euphraſ. *ana* ℥j.
Mixtis immitte Semin. Pſyllii ʒij.
Stent in loco tepido, usque dum Aqua mucilaginoſa reddita ſit, cui dein per colum trajectæ adde
Lapid. Calamin. ppt. ℈ij.
Magiſt. ♄n. diaph. ʒß.
Sacch. Saturni ℈j.
M. d. ad Vitr. Applicetur cum Linteolis tepidè ſæpius.

Emollitâ ſic parte affectâ deterſiva in uſum vocari debent; v. gr.

℞. *Aqu. Fœnicul.*
Plantag. *ana* ℥ij.
Mellis deſtill. ℥j.
Tut. ppt. ℈ij.
♄nii crud. ʒß.
Aloës pulveriſ.
Myrrh. pulv. *ana* ℈j.
Camphor. gr. vj.
Croci opt. gr. iiij.
Miſce, ſtent per trihorium in digeſtione leni, colatus poſtea liquor, vel ſolus, vel adhuc ʒiß. *Sacchari cand. alb. & Vitrioli albi gr.* iiij. *acuatus, tepidè cum linteolis frequenter applicetur.*

Denique intus *Herbæ traumaticæ*, cum *Foliis Thée* ſub formâ *Infuſi* diutiſſimè uſurpentur.

OCULORUM CILIORUM TRICHIASIS eſt Affectus Oculorum, quo pili Ciliorum duriores, breviores, atque curvi enaſcuntur, qui introrſum porrecti jugiter Adnatam Oculi tunicam pungunt, atque ita dolorem excitant, ad fricandum ſtimulant, tandem & ruborem, Inflammationemque Oculorum producunt. Affectus non infrequens, valdeque Hominibus tam adultis, quàm adhuc junioribus moleſtus; quique vel ex ſolâ inſpectione pilorumque in Ciliis examinatione facilè cognoſcitur & deprehenditur. *Ciliorum Trichiaſis.* *Diagnoſis.*

Originem huic incommodo ferè præbet copioſioris ſucci nutritii ad hos illosve pilorum ciliarium poros, quomodocunque ampliores redditos, affluxus & admiſſio. Dilatant verò *Geneſis.*

poros illos párticulæ quædam ſalino-acriuſculæ, ſive extus ex aëre advenientes, ſive intus ex ſanguine eo delatæ; ac fortè Ciliorum partem prius exulcerantes, *Hordeola*, aliasve læſiones producentes, poſt quas facilè dein Pili duriores, curvique ob pororum defigurationem ſuccreſcunt.

Curatio. *Curatio* nulla certior, quàm ſi pili tales, *ſylveſtres* à Mulierculis appellatæ, ſubtili forcipe evellantur, ac ſtatim *Succo Flor. Verbaſc. Fol. Plantag. Tragopogonis*, *Rutæ*, *Fœniculi* &c. cum *Sanguine Columbarum*, vel *Aqu. Calc. viv. Aqu. Roſ. alb.* imò *Lacte* ipſo, & *Saccharo cand. alb.* permixtis locus calidè foveatur.

Ciliorum Phalangoſis. OCVLORVM CILIORVM PHALANGOSIS, eſt Affectus, quo duo vel tres pilorum ordines in extremitate Palpebrarum enaſcuntur, atque continuè pungendo dolorem, pruritum, aliasque in Oculis moleſtias excitant. Diagnoſis. Malum non adeo frequens, ſed ita tamen moleſtum, ut alia etiam Oculorum ſymptomata poſt ſe trahere valeat; inprimis notatur Ciliorum magnitudo heic ferè aucta.

Cauſa. Originem verò habet à levi quadam eroſione pororum in Ciliis exiſtentium per interfluentem lympham acrem & viſcidam, unde nutritius pilorum ſuccus non ſolùm in reliquorum pilorum poros abſumitur, ſed & ab aliis vicinis poris eroſis admittitur, ac ita inibi quoque in pilos concreſcit & mutatur; ſed illos tamen breviores atque exiliores, quàm ſunt cœteri ordinarii.

Trogn. ſis & Curati. Dum autem Pili tales præternaturales frequenter ipſum Bulbum oculi pungunt, indeque dolores, pruritusque pariunt, Viſuique exercendo valdè incommodi & moleſti evadunt, denique aliis quoque morbis occaſionem præbere valent, hinc citò illis mederi convenit; id quod præſtare haud melius poterimus, quàm ſi ſingulos tales Pilos evellamus, & ſtatim *demulcentia remedia* in uſum vocemus, quæ ſimul novorum pilorum ſuccretionem præcavere poſſunt. Faciunt hoc *inunctiones* Ciliorum cum *Butyro recenti non ſalito Vino rubr. benè loto*, cujus ſemunciæ admiſcebimus *drachmam unam Fellis Lucii piſcis*, *ſcrupulos duos Tutiæ præparat. drachmam dimidiam Mercur. præcipit. alb. ſcrupulum unum Calcis vivæ*, & *Camphoræ grana tria* vel *quatuor*. Quibus adde Remedia ſuperius in *Trichiaſi* commendata. Intus proderunt quoque *Tragemata ophthalmica*, in præcedentibus nonnullis Oculorum Affectibus deſcripta.

Ciliorum Phthiriaſis. OCVLORVM CILIORVM PHTHIRIASIS eſt Pediculorum minutorum inter pilos in Ciliis exiſtentes generatio, unde pruritus atque Oculos fricandi crebrum deſiderium enaſcitur, & hinc facilè occaſio aliis Affectibus plus incommodi adferentibus præbetur. Adfectus hic Infantibus magis eſt familiaris, quàm Adultis, apud quos tamen, ſi ſordidius vixerint, & leproſam ferè conſtitutionem ſibi acquiſiverint, ſubinde quoque obſervatur.

Geneſis

Geneſis horum Animalculorum non venit alicui putredini adſcribenda, ſed potius Ovulis Inſectorum minimis, è maſſâ ſanguineâ ferè in tubulos Ciliorum depoſitis, & cum lymphâ è poris exudante glutinoſâ excuſſis, tandemque blando calore vivificatis & excluſis. Ut adeo talium Animalculorum generatio prorſus coincidat cum Pediculorum Capitis productione, hi ipſi & etenim aliquando ſub cruſtâ capitis ſordidâ humidaque numeroſiſſimè generari, inſignique pruritu Tenellos excruciare ſolent.

[...]atio. Curabimus non ita difficulter hunc Affectum, ſi primò corpus leniter purgabimus per inferiora *Syrupo* quodam *Catarthico*, quemadmodum ſunt *Syrup. de Cichor. cum Rhabarb. Roſ. Sol. ſimpl. Flor. Perſic.* &c. addito *Mercurio dulc.* ac dein extus *Butyrum Vino*; vel *Decocto Abſynth.* & *Tanaceti* lotum cum *Mercurio præcipit. alb.* ac tantillo *Camphoræ* inungamus. Vel ſi *Succum Rutæ* cum *Aquâ Fœniculi*, & *Spirit. Vini camphorato* linteis calidè excipiamus, ſæpiusque Oculis applicemus.

[...]hyas. **OCVLORVM CARVNCVLÆ LACHRYMALIS RHYAS**, eſt paulatina illius, & tunicarum quandoque etiam circumjacentium conſumtio, cum perpetuâ fermè liquoris effluxione, atque pruriente etiam dolore conjuncta. Cauſa. Exeditur illa caruncula ab Humore acri corroſivo, quem vel medicamina in Pterygio diu uſurpata, vel ſanguis acrior in Ægylope, aliiſve talium partium Ulceribus, ſubminiſtravit. Atque primùm quidem heic ſola videtur abſumi Caruncula; poſtmodum verò ſic excavatur ipſe Canthus major Oculi, ut notabile foramen exhibeat, madidum ſemper, atque effluente è laceratis fibrillis ac tubulis humore plenum, quodque per canthi compreſſionem exprimitur. In Ophthalmiâ crebrâ, Epiphorâ, ac Defluxionibus ſalſis hoc Malum non infrequens. In quibus nimirum oſcula pororum ipſius Carunculæ exeduntur, ita ut diſciſſæ hinc fibrillæ eorundem humorem in Carunculâ lymphicum ſecretum retinere nequeant, ſed continuè effluere permittant. Effluens autem humor, cùm aliquâ parte ſubſiſtat ſæpè diu ſub Palpebrâ inferiore, acrior redditur ſui morâ, & hinc eroſionem illam continuat. Facit hoc idem externus aër continuè lambens excoriatam vel exulceratam Carunculam, adeoque variarum ſui particularum rigiditate, & ſalſedine eroſionem promovens, tantoque id magis, quòd ſimul acida corpuſcula in liquorem effluentem admiſſa, eundem promptè acido-corroſivum & phagedænicum reddunt. In Fiſtulâ proin lachrymali, in Variolis, in Epiphorâ &c. talis pars ſæpè ſimul exeditur atque conſumitur. Imò extra iſtos Affectus contingens *Rhyas*, ſi negligatur, vel minus probè curetur, poſt ſe Fiſtulam, & ſinuoſum Ulcuſculum trahere valet; diuturnum certè illud, & in Phagedænicum incurabile abituriens, ſi corroſiva ſalia Progno-ſis.

ſalia plura in ſe continuerit latex humorum circulans.

Curatio. In *Curatione* purgabimus ante omnia corpus; v. gr. *Syrup. de Cichor. cum Rhab.* aut *Roſ. ſolut. compoſ. cum Rhab. Agar.* & *Sen.* Dein *Decoctum Lignorum cum Herbis traumaticis* per longum tempus bibendum exhibebimus: intermiſcendo ſubinde vel ♁*nium diaph.* cum *Bol. armen. Coralliis* & ſimilibus abſorbentibus; vel *Tincturam* ♁*nii*, aliamve ex *Herbis traumaticis* concinnatam.

Extus verò *detergentia*, atque *conſolidantia ſicca* applicabimus: quem in finem proderit, ſi Ulcuſculum Carunculæ frequenter eluamus *Succo Herbar. Rutæ*, *Ariſtoloch. Geran. Robertian. Saniculæ*, aut ſimili cum *Tincturâ Aloës*, *Myrrhæ*, *Maſtichis* atque *Succini*. Dein fila lintea carpta applicemus, imbuta *Albumine ovorum*, permixto cum *Tutiâ ppt. Lapid. calam. ppt. Bezoard. miner. Succin. alb. ppt. Myrrh. pulveriſ. Spodio ppt. Sacch. cand. alb.* Alii *Urinam* vel *Lixivium non admodum acre* pro *abſterſivo Rhyadis* & ſimilium Ulcerum calidè ſæpius inſpergunt, & poſtea *Unguento* ſimul *deterſivo* & *conſolidante* utuntur; v. gr.

℞. *Aloës.*
Myrrh.
Tut. ppt.
Lapid. calam. ppt.
Mercur. præcipit. alb. ana ℥ß.
Mell. roſac. vel rutac. q. ſ.
Fellis Luc. piſc. ℈j.

M. f. Unguentum, cum filis carptis abſterſo Ulcuſculo applicandum.

Quòd ſi Ulcus fuerit qualicunque ratione abſterſum, tum *conſolidantia* ſola in uſum trahentur, quem in finem conducunt v. gr. *Plumbum uſtum ac lotum*, ♁*n. diaphoret. Tutia ppt. Lapis calam. ppt. Lapis Hæmat. ppt. Corall. alb. ppt. Sanguis Dracon. ver. Sarcocolla Vino rubr. diſſol. Ariſtoloch. rotund. pulvis, Spod. ppt. Mercur. præcipit. alb.* vel *ruber ſubtiliſſ. pulveriſ. Ærugo Æris alcooliſata*, &c. qualia cum *Melle roſaceo* vel *rutaceo* permixta, additâ, ſi placet, etiam *Reſinâ lariceâ*, ſub *Unguenti* vel *Balſami* formâ applicari poterunt. Vel ejuſmodi ſpecies in *Emplaſtri tenacioris* formam cum admixtâ etiam *Cerâ* rediguntur, atq; deinceps applicantur. Quando obſervamus, nihilominus ſub talium uſu ſordes in Rhyade progigni, protinus illas vel *Urinâ calidâ*; vel *Lixivio* & *Aquâ Fœniculi*, vel *Succo Apii*, *Rutæ*, *Chelidon.* &c. cum *Aquâ Plantaginis* eluemus, ac deinceps pergemus in *conſolidantium* uſu.

Dum verò his non obſtantibus Ulcuſculum manet, ac perpetim læſas partes conſumit, ad *cathæretica* potentiora eſt deveniendum; v. gr.

℞. *Mell. rutac.* ℥j.
Fellis bubul. ℥ß.
Spodii ppt.
Bezoard. min.
Mercur. præcip. rubr. ſubtiliſſ. pulv. ana ℈j.
Salis ⊖*li alb. gr.* ij. *vel* iij.

M. f. cum tantillo Ceræ Unguentum.

Vel ſequens *Pulvis* cum penicillo, *Melli roſaceo* intincto, ſubinde poſt elotionem applicetur.

℞. *Sacch.*

℞. *Sacch. cand. alb.* ℥iß.
Lapid. calam. ppt. ʒj.
Thuris maſcul.
Gallarum ſubtiliſſ. trit.
Nucum Cupreſſ.
Cupul. Glandium ana ℈ß.
Æruginis æris, vel 🜕*li alb.* *gr.* xij.

M. f. Pulvis ſubtiliſſimus.

Si nec ita Ulcus vel Rhyas ſanari poſſit, ſine morâ ad *Cauterium actuale* eſt progrediendum, ubi inſtrumento, in hanc rem probè configurato ferreo & candente Rhyas cautè, ſed benè tamen eſt tangendum; poſtea verò *Unguentum ophthalmicum*, v. gr. ſequens imponendum, donec facta cruſta abſceſſerit:

℞. *Butyri rec. Vin. rubr. lot.* ℥ß.
Tut. ppt.
Succ. alb. ppt. ℈ij.

M. d. ad Pyxidem.

Cruſtâ autem ſeparatâ hoc ipſum *Unguentum*, cum tantillo *Mellis roſac. Reſinæ lariceæ*, & *Myrrhæ pulveriſat.* permixtum applicatur. Si tamen opus adhuc ſit novâ cauteriſatione, nec illam diu differre oportebit.

Dum autem hæc fiunt extus, etiam intus ſubinde corpus novo *purgante* præſcripto eluetur; imò Æger quandoque ad ſudorem componetur poſt ſudoriferum aſſumtum; ac interea in Traumaticorum uſu diligenter perget.

Fiſtula lacrymalis. OCVLORVM CARVNCVLÆ LACHRYMALIS FISTVLA, eſt Ulcus in majore Oculorum cantho à ſero acri blandè corroſivo enaſcens, atque ſaniem plus minus ſeroſam fundens, cum oſſis, ad quod terminatur, jugalis incipiente carie, lenique vel nullo etiam dolore conjuncto.

Læſio hæc nec rara admodum, nec contemnenda, quippe quæ diutius neglecta, ſinuoſum majus, vixque amplius ſanabile Ulcus poſt ſe traheret, ſpongioſa Faciei, Naſique oſſa ſenſim corrumpens, conſumens, & ita Faciem denique ipſam exedens. *Prognoſis.*

Cùm autem inferior Palpebra, ſubjacentesque partes membranoſæ laxiorem habeant texturam, ipſumque os jugale tenerum & poroſum exiſtat, non mirum, quòd ex Ægilope, ſive Abſceſſu affecti Canthi majoris Oculi, ejusmodi fiſtuloſum Ulcus producatur; cùm talis Abſceſſus in ſe contineat materiam ſanioſam & acriusculam, quæ facilè ſub Palpebrâ magis inferiore nidulatur & rodit, quàm ſurſum per oſculum Ægilopis aperti prodeat. Quomodo autem Ægilops & Anchilops gignantur, ſuo jam loco indigitatum eſt. *Cauſa.*

Cognoſcitur Affectus hic, ſi continuè ſanies in Cantho oculi colligatur, atque inferiorem ibi Palpebram in tuberculum molle, indolens, rubicundumque elevet: ſi dein collecta ſanies per calloſum quoddam foramen, in ſummitate internâ magis quàm externâ Palpebræ ejusdem digitis exprimi queat. Stylo dein exploratum Ulcus tendere obſervabitur ad os nudum. Si diutius jam duraverit, etiam per nares roſione & penetratione factâ ſaniem ſuam diffundet, quam in *Diagnoſis.*

in principio Morbi per ordinarium canalem ab inferiore Palpebra ad Nares tranſeuntem demiſit. Affectus aliâs illis eſt magis familiaris, qui lachrymabundi exiſtunt, ac ſubinde Ophthalmiam patiuntur. Caruncula lachrymalis in principio illæſa, vel duntaxat juſtò rubicundior notabitur, in progreſſu mali autem paulatim conſumetur.

Curatio interna. Quod attinet *Curationem*, nulla nobis tutior, meliorque viſa fuit, quàm ſequenti modo inſtituta. Primùm nempe *Pilulæ purgantes* exhibendæ; v. gr.

℞. *Extract. pilul. Coch.*
Maſſ. pilul. è Succ. Craton. aa. ℈ß.
Mercur. dulc. opt. gr. xij.
Reſin. Jalapp. gr. ij.
Ol. ſtillat. Succ. q. ſ.

M. f. l. a. Pilulæ num. xv. *Inaurat. d. ad ſcat. & ſumantur jejuno ſtomacho pro doſi cum regimine diætæ.*

Has *Pilulas* poſt quinque vel ſex dies reiterare licet. Interea quotidie mane ac veſperi ſeqq. *decoctum traumaticum* ad ℥vj. propinabitur:

℞. *Radic. Chin. Sarſæparill. ana* ℥ß.
Raſur. Lign. Guajac. & Saſſaphraſ. ana ℥j.
Herb. Sanicul.
Alchymill.
Pyrol. ana Mj.
Semin. Fœnic. ʒij.

Inciſ. & contuſa coque per bihorium in Aquæ fontanæ Menſuris tribus, in vaſe clauſo. Colatura hinc d. ad Ampullas vitreas. Quod reſiduum eſt decoctæ materiæ, denuo in totidem menſuris *Aquæ* per quadrantem horæ coquatur pro potu ordinario. Mane ac veſperi hinc unâ cum decocto dabitur vel *Eſſentia Trifolii fibrini*, aliave *traumatica*, & acrioris ſanguinis correctiva; vel *Pulveris abſorbentis* alicujus ℈j. aut ʒß. v. gr. compoſiti ex *Ocul.* ♋. *ppt.* ♁ *n. diaph. Corall. rubr. ppt. Ebor. ppt. Bolo armenate, C. C. philoſ. ppt. Pulvere Lichenis petr.* aut *Veronic.* &c.

Exte *Extus* tumens maximè locus inferioris Palpebræ verſus canthum eſt incidendus, hinc foramen primò quidem *filis linteis carptis Albumine ovorum & Terræ ſigillatæ, Lapidis hæmatites, & Sanguinis Draconis pulvere* imbutis replendum, ut Hæmorrhagia ſiſtatur. Poſtmodum foramen eſt cum ſpongiâ præparatâ ampliandum, ut pars oſſis carioſa denudetur, quæ hinc ferro ignito ſemel vel aliquoties eſt inurenda, ut caries inde abſumatur, ulteriorque oſſis corruptio præcaveatur. *Ignitum ferrum* per tubum quendam adplicandum, ut ſic vicinis partibus nullum inde detrimentum ſimul accedat. Dum verò inuſta Oſſis pars paulatim à ſuccreſcente ſanâ portione ejuſdem excutitur & ſeparatur, Ulcus vel ſiccè cum *filis* ſolùm *linteis carptis Elixiri amaro*, ſi placet ex *Aloë, Myrrhâ* &c. *confecto intinctis*, eſt deligandum; vel *Mel roſaceum* cum *Pulvere Myrrhæ, Colophoniæ,* ♁ *n. diaphor. Aloës, Caryophyll. aromatic.* &c. permiſtum ſimul applicabitur, deſuper impoſito ſemper *Emplaſtro Diapalma, diaphoretico, Opoteldoch.* vel *diaſulphuris Ruland.*

In

In *Diætâ* ab Aëre humido frigido, vel fumoſo pulverulento, à Cibis acidis, ſalſis, acribus, dyspeptis, lentis, viſcidis, flatulentis, imò & ab immodico qualicunque victu; non ſecus atque à potu acido, auſtero, à Vino quolibet & Cerevisiâ fœculentâ, craſſâ, facileque acceſcente eſt abſtinendum. Lectio librorum, aliique labores, quibus viſionis acies deſideratur, ſunt fugiendi. Nocent quoque exercitia corporis vehementia, ſeveriores Animi paſſiones, Balnea ferventia, ipſaque tandem Venus.

OCVLORVM OPHTHALMIA ſ. INFLAMMATIO, eſt tunicæ oculorum Adnatæ tumor à ſanguinis & lymphæ acrimoniâ atque viſciditate, arteriolas venulasque per illam diſperſas obſtruente ac diſtendente exortus, atque cum exquiſito dolore, ardore ac rubore conjunctus.

Quanquam autem in hoc Malo præcipuè afficiatur tunica Adnata, ſubinde tamen etiam Cornea ſubjacens imò & Palpebræ ſimul affliguntur.

Diſtinguitur Ophthalmia à nonnullis in *humidam* ſive *Hygrophthalmiam*, *ſiccam* ſive *Xerophthalmiam*, & *ſcabioſam* ſive *Pſorophthalmiam*. *Hygrophthalmia* affligit cum lachrymarum ferè continuâ profuſione, dum lachrymales glandulæ jugiter ab acri ſalinâ materiâ irritantur. *Xerophthalmia* quæ etiam in Palpebris obſervatur, contingit ſine lachrymarum fluxu. *Pſorophthalmia* denique Palpebrarum eſt Vitium, in quo ſquamoſæ aut furfuraceæ particulæ è Palpebrarum tunicis ſecretæ decidere ſolent, de quâ vide ſuprà ſub Titulo Oculorum Palpebrarum Affectuum. His addunt curioſiores alii *Taraxin*, quæ eſt rubor tantùm Adnatæ, cum aliquali Viſûs obſcuritate & hebetudine, citra tumorem atque inſignem dolorem ardentem contingens.

Gignitur Ophthalmia omnis à ſanguinis ſerique ſalſo-acris ac viſcidi ſtagnatione & collectione in minimis Adnatæ tunicæ, partiumque vicinarum tubulis, qui per ſanguinis particulas auſteriores, vel etiam per aëris rigidiora corpuscula, aut exhalationes acriores v. gr. Candelarum fumigantium, fumorum excitatorum &c. vel denique per radios Solis, aut ignium culinarium, aliorumve in Oculorum tunicas nimium admiſſos, adſtrictionem vel criſpationem quandam admiſerunt, ut ſic anguſtiores redditi tranſitum atque circuitum facilem humori affluenti concedere nequeant, ſed pluribus particulis ſtagnandi ſubſiſtendique anſam præbeant. Quòd ſi itaque vel plures vel pauciores Tubuli hâc ratione obſtruantur, Ophthalmiam etiam modò *graviorem*, modò *leviorem*, imò pro ſymptomatum diverſitate hanc illamve ſpeciem producunt, ſuperius deſcriptam. Quòd autem hi Homines præ aliis, Infantes ſæpius præ Adultis, & qui grandioribus atque obeſioribus Oculis gaudent, præ cœteris hoc malo corripiantur, in culpâ ſolet eſſe nunc tunicarum ocularium teneritudo, illis maximè familiaris, quorum

Cauſa.

rum Cornea & Pupilla cœrulea exiſtit ; nunc ſpecialis maſſæ ſanguineæ diatheſis, in abundantiâ ſalium acido-irregularium , atque viſcoſorum conſiſtens, ob quam circulans humor ineptus ſubinde redditur per anguſtos Oculorum tubulos tranſire. Imò etiam particulæ acido-auſteræ quædam lymphaticæ in exilibus Adnatæ tubulis hærentes adſtrictionem talem præſtare valent , ob quam dein ſtagnare ſanguis , tubulos nonnihil diſtendere , & ita veram Ophthalmiam producere ſolet. Externæ verò cauſæ , Vapores nimirum , Fumi , Aëris æſtus vel rigiditas & ſimilia , leviter tantùm conſtringendo Adnatam viciniaſque tunicas , leviorem Ophthalmiæ gradum ſive *Taraxin* excitant. Æſtivo etiam tempore , cum Aëris ſiccitas major eſt , *ſicca* magis , quàm *humida* evadit Ophthalmia.

Diagnoſis & Prognoſis. Affectus itaque hic cùm ſenſûs nobiliſſimi Organum affligat, minimè eſt vilipendendus. Non enim communia tantùm ſymptomata pro comitibus ſemper habet , qualia ſunt dolor, rubor , pruritus , tumor , luminis externi impatientia, ejuſque intuitus cum ardente & pungitivo dolore ; interdum denique lachrymarum effluxus. Sed ſæpius etiam Cerebri membranæ in conſenſum trahuntur , indeque Cephalalgia , aut Hemicrania excitatur. Affligit quandoque cum Febri , v. gr. ephemerâ, ſæpius etiam ſine illâ tenellos Oculos prehendit. Si Infantes Achoribus & Favis laboraverunt , vel Scabie quadam univerſali , tum hiſce Affectibus ſanatis facilè Ophthalmia ſuccedit, diſparetque hæc iterum , quamprimum lympha ſalſo-acris per alia corporis emunctoria denuò ſeceſſerit. Reperiuntur etiam Homines , qui per plures annos frequenter Inflammatione hac corripiuntur , tandemque etiam cœci prorſus evadunt , ſicubi contigerit, vel Adnatam vel Corneam prorſus indurari , vel Humores ſuâ perſpicuitate privari , vel Tunicarum exulcerationes , Hypopya, atque Cicatrices indelebiles Pupillæ induci. Nonnulli quoque adquiſitâ per eroſionem oſculorum in vaſis lachrymalibus Epiphorâ Lippi evadunt. Pluribus ex crebrâ Ophthalmiâ viſûs hebetudo conciliatur , ut hinc Myopes reddantur , qui tales antea minimè fuerunt.

In *Curatione* proin ad ſequentes *Curatio.* indicationes maximè reſpiciendum : nimirum ut ante omnia ſalſæ cruditates è primis viis evacuentur ; dein ut tota maſſa ſanguinea à ſalibus copioſis , acido-auſteris liberetur ; ac denique ſtagnatio in tubulis Oculorum per blanda abſorbentia , diſcutientia tollatur, fibrillarumque in tubulis membranarum tonus firmetur. Itaque ante omnia in Ophthalmiâ verâ *emolliens Clyſter* eſt injiciendus , v. gr. in Adulto :

℞. *Radic. Chelidon.*
Valerian.
Lil. albor. ana ℥ß.
Herb. 5. emollient.
Euphraſ. ana Mj.
Semin. Fœnicul.
Bacc. Juniper. ana ℨij.

Inciſ.

Inciſ. & contuſ. coqu. in
Lactis caprilli vel vaccin.
Aqu. fontan. ana part. æqu.
Hinc Colatur. ℔j. *adde*
Mell. rutac. ℥j.
Elect. lenit.
Ol. roſac. ana ℥iß.
M. f. Clyſma tepidè mox injiciendum.

In Pueris dimidiata ſufficit doſis.

Poſtea *lene catharticum*, non autem *emeticum* eſt exhibendum, v. gr.

℞. *Syrup. de Cich. cum Rhab.* ℥ij.
Elect. è Succ. Roſar. vel
Confect. Hamech. ℈iiij.
Aqu. Fragar.
Euphraſ. ana ℥ß.
M. f. Potio d. ad Vitr. pro doſi in Adulto.

Vel ℞. *Syrup. Flor. Perſic.* ℥iij.
Aqu. Cichor. ℥j.
M. f. Potio pro doſi.

Vel ℞. *Maſſæ pilul. è Succ. Crat.*
Extract. catholic. ana ℈ß.
Mercur. dulc. opt. gr. xij.
Reſin. Scammon. gr. ij.
Ol. ſtillat. Succ. q. ſ.
M. f. Pilulæ num. xvj. *d. ad chart. pro doſi.*

Poſtridie *Vena* brachii aut pedis venit *ſecanda*; aut *Cucurbitulæ cum ſcarificatione* dorſo applicandæ, quod vel in Pueris quoque fieri debet.

Intus etiam ad acrimoniæ edulcorationem ſequentes Pulveres conducunt mane ac veſperi cum hauſtu *Aqu. Chelidon.* ſumendi v. gr.

℞. *Spod. ex Ebor. ppt.*
♁ *n. diaphor.*
C. C. phil. ppt.
Ocul. ♋. *ppt. ana* ʒij.
Rot. Man. Chr. ſimpl. ℥ß.
M. f. Pulv. ſubt. in 16. *doſ. æqu. divid. ad chart.*

Vel ℞. *Corall. rubr. ppt.*
Cryſtall. alb. ppt.
Lact. Lun.
Bezoard. min.
Cinnab. ♁ *n. corr. ana* ℈ij.
Semin. Fœnicul. ℈j.
Sacch. alb. ʒij.
M. f. Pulv. ſubt. d. ad ch. Doſis m. ac veſp. ℈ij.

Hiſce abſolutis *Tragema ophthalmico-cephalicum* per longum ſat tempus m. ac veſperi ad ʒj. vel ℈iiij. adſumatur, vel ſiccè, vel cum *fruſto Panis toſto*, & *Vino* madefacto; v. gr.

℞. *Radic. Irid. florentin.*
Pœon. maris.
Caryophyllat.
Herb. Euphraſ.
Semin. Fœnic.
Flor. Primul. veris. ana ʒij.
Spod. ex Ebor. ppt.
Corall. rubr. ppt.
Ocul. ♋. *ppt.*
Cinam. opt. ana ℈iiij.
Ol. ſtillat. Fœnic. ℈ß.
Sacch. roſat. ℥iiß.
M. f. Pulv. ſubtilis d. ad ſcatul.

Tragema hoc ſi laxandi virtute imbuere geſtias, tum eidem addere poteris ſeqq.

℞. *Sacch. cand. alb.* ℥j.
Fol. Sen. opt. mund. ℥ß. *vel* ʒvj.
♁ *n. diaph.* ʒij.
Salis polychreſt. ʒiß.
M. f. Pulv. ſubt. d. ad ſcatul. Doſis ʒj. *ad*

ʒj. *ad* ʒij. *cum vehiculo Vini ſemel per diem.*

Vel ad derivandos humores ſalſos per alias vias, convenientes forent ſequentes *Pilulæ purgantes*, ſive *laxantes*, poſt tertiam quamque noctem uſurpandæ, ex deſcriptione *Henrici Scretæ*, *Medici olim Scaphuſ. peritiſſimi*:

Pilulæ laxantes Scretianæ.

℞. *Aloës Succis aperientium Plantarum, ut Monacenſes pilulæ, præparatæ* ℥j.
Reſinæ Succin.
Lign. ſanct.
Ladan.
Styrac. in lachrymis ana ʒij.
Diaphoret. ♃*vial.* ℥ß.
Cinnab. ♁*n. correct.* ʒij.
Ol. ſtillat. Amarac.
Nuciſt. expreſſ. ana ℈j.

M. f. l. a. Pilulæ pondere duorum granorum, de quibus octo vel decem unâ vice aſſumantur.

Externa remedia.

Extus in *Ophthalmia humidâ*, cum lachrymarum effluxu, applica *Agarici trochiſcati fruſtum ſiccum*, quod abſorbebit humiditatem, & Inflammationem diſcutiet. In *ſiccâ* verò applicabis *Agaricum* eundẽ *Aquâ* qualicunq; Ophthalmicâ imprægnatum, & ſic per noctem ſuper Oculum ſiccabitur, atq; juvabit. Porrò in *verâ Ophthalmiâ* proſunt modò *Collyria*, modò *Balſama ophthalmica*; quorum formulas componere varias ſolent ex *abſorbentibus*, *demulcentibus* atque *diſcutientibus* paratas; quemadmodum ſunt v. gr. *Pompholyx*, *Cadmia nativa*, ac *Botryitis*, *Ceruſſa*, *Sacchar. Saturni*, *Tutia*, *Lac Lunæ ſ. Agaricus petræus*, *Lapis ſciſſilis niger*, *Concha margaritifera*, *Margaritæ ppt. Ocul.* ♋. *ppt. Corall. alb. ppt.* ♁*n. diaphoret. Bezoardic. mineral. Diaphoret.* ♃*viale* &c. quæ vel *Butyro*, vel *Aquis deſtillatis* permixta Oculis induntur; v. gr.

℞. *Aqu. Plantagin.*
Fœnicul.
Roſar.
Euphraſ. ana ℥j.
Sacch. Saturn.
Tutiæ ppt.
Bezoard. min. ana ʒß.
Mucilag. Sem. Cydon. Aqu. Roſ. fact. ʒij.
Camphoræ Sacch. cand alb. terend. gr. ij.

M. d. ad Vitr. ſubinde calefiat, & Oculis guttatim tepidè inſtilletur; linteolaq; ei intincta calidiuſculè applicentur.

Vel ℞. *Aqu. Chelidoniæ major.*
Flor. Calcatripp.
Roſar. alb. ana ℥j.
Spirit. Vin. camphorat. gutt. xv.
♁*n. diaphor.* ℈ij.
Flor. Zinci ℈j.
Mercur. dulc. opt. ℈ß.

M. d. ad Vitr. Uſurpetur ut prius.

Vel ℞. *Aqu. Plantag.*
Fumar. ana ter. deſt. ℥iß.
Ulmar.
Succi Tragopogon. ana ℥ij.
Vitri ♁*nii per ſe ſine ſalibus facti, ac ſupra porphyrit. lævigat.* ℥j.

Stent probè clauſa per aliquot dies in digeſtione, poſtea liquor filtretur; reſiduoq; nova iterum, ſi placet, Aqua affundatur, ac tandem Liquores invicem

cem mixti ad uſum ſerventur. Hujus verò *Liquoris una vel altera uncia* cum *Lapid. calamin. ppt. Mercur. dulc.* & *Ocul.* ♋. *ppt.* mixta inſtar *Collyrii*, uti ſuperiora, uſurpabitur. Vel *Collyrium* noſtrum, *Balſamumve ophthalmicum*, quorum deſcriptiones in novâ Secretorum Weckeri editione communicavimus, cum fructu adhibere licebit. Habet & *Screta* laudatus *Collyrii* formulam, quam *principem* vocavit, non ſolùm in Ophthalmiâ, ſed & in Epiphorâ ſive Lippitudine inſignem cujus ſequens eſt deſcriptio:

℞. *Aqu. Fœnicul.*
Euphraſ.
Roſar.
Flor. Cyan. ana ℥iiij.
Salis Saturni.
Cadm. Botryit. ana ʒiß.
Ceruſſ. ♄ *n.*
Flor. Zinc.
Agaric. petr.
Mercur. præcipit. dulc.
Vitriol. albi ana ʒj.
Caſur. cum pauxill. Spirit. Vini ſolut. ℈ß.
Sacch. candid. alb. ʒij.

Miſce hæc exactiſſimè, & tepidè uſurpa. *Euporiſton* eſt, neque contemnendum illud, quod conficitur ex *Ovi albumine* cum *Alumine* aliquandiu agitato, *Aqu. Roſar.* & pauxillo *Croci*, invicem mixtis, & cum ſtupâ vel linteis Oculo tepidè ſæpius applicatis.

Atque hæc remedia longè meliora ſunt, tutioraque, quàm v. gr. *aloëtica*, *aromatica*, *opiata*, & ſimilia, quæ particulis ramoſo-acribus conſtrictiones ſpaſticas in arteriolarum & venularum tubulis excitare, ſicque malum augere poſſunt. A *Cataplaſmatibus* quoque plus ſæpè damni quàm commodi Oculis infertur, quum eorundem calore ſimul & pondere partim tubulis magis comprimuntur, partim Cryſtallinus Vitreusve Humores quaſi elixantur, unde à ſuâ pelluciditate deflectentes in album lacteſcentem globum mutantur, qui omnes luminis radios extus incidentes minimè transmittit, ſed intercipit, ac ita cœcitatem perpetuam inducit.

Plura euporiſta habentur alia apud Auctores uſu quoque probata, ſaltem in leviori Ophthalmia; meliora inter illa invenimus ſequentia:

℞. *Album. Ovor. recentium q. v. Agita probè, hinc permiſce Aquam Fœnicul. vel Lil. albor. vel Roſar. alb. adde tandem aliquot grana Camphoræ Sacch. candid. albo tritæ, & Crocum pulveriſatum; quæ omnia Stupæ impoſita, tepidè applicantur per aliquot dies vel noctes.*

Vel *Albumen Ovi induratum, ablato Vitello, Aquæ Fœniculi, vel Chelidon. vel Roſar. alb. per horam immerge, hinc tepidum oculis impone parte ſui cavâ; hocq; de die bis vel ter reitera, noctu autem ſemel tantùm impone.*

Vel *cape Lactis materni cochleare plenum*, adde *Albumen Ovi recentis probè agitat.*

Aqu. Roſar. alb.
Fœnicul.

Aqu. Flor. Sambuc.
Chelidon. maj.
Succi Hierac. recent. ſi haberi poteſt, ana cochleare plenum.
Miſce invicem probè, ac permiſce adhuc
Tutiæ ppt. ʒj.
♁n. *diaph.* ʒß.

D. *ad Vitr. ac uſurpetur tepidiuſculè Oculis inſtillando, & cum ſtupâ ulterius calidè applicando.*

Vel *Folia Plantaginis*, *Hieracei*, *Agrimoniæ*, *Chelidoniæ*, & ſimilia *recentia* contunde probè, atque tepidè Oculis impone cum ſtupâ vel linteolis. Si *recentia* habere *folia* nequeas, *ſiccata* cape, & *Albumine Ovorum humectata* contunde atque applica.

Quòd ſi talia *liquida* non tolerentur ab Oculis, ad *Balſama* deveniendum erit, quorum Formulæ nobis conſuetæ ſunt ſequentes, uſuque frequenti probatæ: v. gr.

℞. *Butyr. recent. non ſalit. Vino albo veteri pluries loti* ℥j.
Mercur. præcipit. alb.
Cadmiæ nativ. ppt.
♁*n. diaph.*
Bol. armen. opt. ppt. ana ʒß.
Camphor. gr. iij.

M. f. Unguent. d. ad Pyxidem, ſæpius de die indatur Oculo, & Palpebræ ſimul inungantur.

Vel ℞. *Butyr. recent. Aqu. Roſar. vel Succ. Tragopog. benè lot.* ℥iß.
Corall. alb. ppt.
Tut. ppt. ana ʒj.
Magiſt. Saturni ʒß.
Camphor. gr. iij.

Miſce & agita tamdiu in mortario plumbeo, donec Linimentum nigrorem acquiſiverit.

Vel *Mercurius præcipitatus ruber ſubtiliſſimè trituratus, lævigatus, & loturâ cum Aquâ è luxuriantibus ſalibus vindicatus in Linimenta vel Collyria redigi poteſt*; v. gr.

℞. *Butyri recent. Aqu. Chelidon. probè lot.* ℥j.
Mercur. præcipit. optimè triti & edulcorat. ʒj.
Flor. Zinc.
Sacch. Saturn. ana ʒß.

M. f. Unguent. d. ad Ollam.

Vel ℞. *Crem. Lact. vaccin. rec.* ℥ß.
Succ. Tragopogon. rec. expr. ʒij.
Tut. ppt. ʒj.
Agaric. petr.
Bezoard. min. ana ʒß.
Campb. Sacch. cand. alb. trit. gr. ij.

M. d. ad Oll. pro inungendis Oculis.

Vel ℞. *Butyr. recent. Vino albo veter. aliquoties loti* ℥j.
Lapid. calamin. ppt. ʒj.
Sciſſil. nigr. calcin. & ppt.
Mercur. præcipit. alb. ana ʒß.

M. d. ad Ollam.

Vel ℞. *Butyr. recent. Aqu. Scabioſ. frequ. loti* ℥j.
Tut. ppt. ʒj.
♁*n. diaph.* ʒß.
Ærug. æris gr. vj.
Camphor. Sacch. cand. alb. trit. gr. iij.

M. d. ad Oll. ſubinde piſi magnitudo Oculis indatur; & Palpebræ ſimul inungantur.

Vel ℞.

Vel ℞. *Aqu. Hierac.*
Conſol. reg.
Flor. Cyan.
Chelid. maj. ana ℥vj.
Mucilag. Semin. Cydon. Aqu. Plantag. fact. ℥ß.
Cadmiæ Botryit. ℈ij.
Ocul. ♋. *ppt.*
Mercur. præcipit. rubr. optim. trit. & edulcorat. ana ℈iß.
M. f. Collyrium d. ad Vitr. Uſurpetur tepidè inſtillando in Oculos, atque inſuper cum linteolis applicando.

[Psor]ophthalmia. In *Pſorophthalmiâ* prodeſt præter *Unguenta* ſuperius laudata ſequens *Collyrium:*

℞. *Aqu. Fumar.*
Roſ. alb.
Chelidon. maj.
Fœnicul. ana ℥j.
Croc. Metall. vel
Vitri ♁n. *ſine ſalibus per ſe facti, ac optimè lævigati* ʒiij.
M. ſtent in leni calore per 24. *horas, filtrato hinc Liquori adde*
Mucilag. Semin. Pſyll. Aqu. Hierac. fact. ℥ß.
Trochiſc. alb. Rhaſ. ſin. Op.
♁*n. diaph. ana* ℈ij.
M. f. Collyrium, d. ad Vitr.

[H]ygrophthalmia & [T]araxis [cu]ratio. In *Hygrophthalmiâ* ea conducunt omnia, quæ in *Epiphorâ* commendavimus.

In *Taraxi* leniora proſunt externa; caveantur ea, à quibus contractum notavimus morbum; dein vel ſolam *Fœniculi, Euphraſiæ, Fumariæ, Chelidoniæ, Salviæ* &c. *Aquam calefactam* cum linteolo quadruplicato calidè cum ſucceſſu applicamus. Imò *linteola* tantùm *ſicca mollia* calidiuscula ſæpius applicata omnem brevi Taraxin tollunt. Sunt qui *pannos ſericeos tenues, molles, nigricantes, virides,* Oculis applicant, vel *Lapidem Bufonum* frequenter affricant, ac inde levamen ſe percipere autumant.

Præter hæc Topica autem, ſi malum perſeveret, ac ſæpius etiam redeat, derivantia quoque in uſum vocanda ſunt remedia, prophylactica maximè, quemadmodum ſunt *Abraſio capillorum capitis* perquam utilis; *Veſicatoria* Nuchæ, Brachiis aut Pedibus applicata; *Setaceum* in Cervice, vel *Fonticuli* in Brachiis aut pedibus excitati; *Cucurbitulæ cum ſcarificatione* dorſo applicandæ ſæpius: *Fruſta Carnis vitulinæ* nonnihil torrefacta, vel tantillum uſtulata, hinc ſale conſperſa & Nuchæ appoſita. *Amuleta* denique inter ſcapulas ſuſpenſa, ſub formâ *Nodulorum*, quibus *Radices Chelidoniæ, Rutæ, Pæoniæ, Valerian. Hieracei, Taraxaconis, Herbæ Rutæ, Euphraſiæ, Fœnicul. Semina Anethi, Rutæ* &c. induntur. *Amuleta.*

In *Diætâ* ſeligendus eſt Aër temperatus, atque ab exhalationibus acribus, ſalinis, & fumoſis liber, purus; nullo ſplendore luminis multum illuſtratus. In *Victu* abſtinendum ab acidis, muriaticis, acribus, viſcoſis, dyspeptis, flatulentis *Cibis. Vinum* quoque noxium eſt, cujus loco bibatur *Decoctum radic. Gramin. Liquirit. Acetoſ. Fragar. Raſur. C. C. Hord. integr. Lign. Saſſaphr. Guajac. Paſſular. min. Semin. Fœnic.* Somnus bonus eſt, nec negligendus, ſi obtineri queat; *Diæta.*

vel *Emulſionum refrigerantium* ope interdum concilietur. Alvus quotidie reſpondeat, naturâ vel arte.

Oculorum Unguis.

OCULORUM ADNATÆ TUNICÆ PTERYGIUM ſive UNGUIS, SAGITTA, ONYX, eſt Carnis luxuriantis è carunculâ lachrymali eroſâ progerminatio & excreſcentia, ſub formâ pelliculæ albicantis, aut rubicundæ, album Oculi primò obducens, dein & ulterius inſtar Lunæ luminis creſcendo Corneam tranſiens, donec Pupillam tandem ex parte vel ex toto obtegat, & ita Viſum imminuat, aut planè tollat. Dura videtur ſic eſſe atque nervoſa membranula, tunicæ Oculi Adnatæ ſive conjunctivæ ſupernaſcens, in quo differt â *Panno*, qui ipſiſſima eſt Adnata tunica Oculi incraſſata.

Differentia.

Unguis alius eſt *recens* & *albicans*, qui remediis topicis prudenter applicatis haud difficulter cedit; alius eſt *inveteratus* & *nigricans*, quem non niſi ſectione, ligatione, igne aut cathæreticis ſuſtuleris. Datur & Unguis non niſi ad Corneam uſque procedens; alius verò ultra Corneam & Pupillam protenſus, cœcitatem inducens. Tandem alius *tenuis*, alius *carnoſus* & *craſſus* exiſtit.

Cauſa.

Oritur malum ab exulceratione Carunculæ lachrymalis, in majore Oculi cantho ſitæ, dum nutritius hinc ſuccus gelatinoſus, è poris eroſis hiantibus elabens & collectus, ſtatim concreſcit in ſubſtantiam membranaceam, quæ dein novo paulatim ſubſequente ſucco augetur, & ita Adnatæ tunicæ inhæreſcendo pelliculam refert inſtar Unguis digiti primò, atque diu etiam albicantem, cum tempore tandem nigreſcentem; ſed quæ undiquaque ab ipsâ tunicâ Adnatâ ſeparabilis exiſtit; quanquam bulbo Oculi ſcabritiem & aſperitudinem conciliet, ſubinde cum pruritu aliquo, vel dolore conjunctam.

Prognoſis.

Affectus ſi recens adhuc, nec dum longè auctus ac protenſus ſit, faciliùs extirpabilis; quanquam diuturnum plerunque tempus ad ejus diſſipationem totalem requiratur, quoniam remedia acria heic neceſſaria, ob oculorum ſenſum acutum, cautiſſimè veniunt in uſum vocanda. Quæ craſſa eſt, indurata atque ad nigrum oculi ſive pupillam protenſa pellicula, nigricans quoque cum venulis tumidis atque liventibus, ea Cancrum imitatur, adeoque remediis tangi non debet.

Curatio.

In *Curatione* autem Unguis Oculi recens, antequam ſumpſerit incrementa, poſt commendatam ſtrictiorem victûs rationem, purgante opus habet ante omnia remedio; v. g.

℞. *Extract. Panchymag. Croll.*
Maſſ. Pilul. Marocoſt. ana ℈ß.
Cinnabar. nat. opt. gr. vj.
Reſin. Scammon. gr. ij.
Crem. ♀*ri gr.* j.
Ol. ſtillat. Fœnic. q. ſ.
M. f. Pilulæ num. xvj. *Inauratæ ſumantur pro doſi.*

Hinc *Venæſectio* inſtituenda in Brachio ejuſdem cum affecto Oculo lateris: vel ſaltem *Cucurbitulæ cum*

ſcarifi-

ſcarificatione Scapulis & Nuchæ applicentur. Poſtmodum *Tragema ophthalmicum*, quale in Ophthalmiâ ſub Titulo præcedenti ordinavimus, diu in uſum trahatur.

Externè Remedia topica, Pelliculam extirpantia, cautè ſunt adhibenda, ne ex malo minore majus excitemus. Itaque cum penicillo, ſequenti *Collyrio* intincto, ſæpiùs Unguem tangere poterimus, doneç diſpareat:

℞. *Mercur. ſublim. corroſiv.* gr. vj.
Vitri ♁*nii ſine ſalibus parat. & ſubtiliter lævigat.* ʒij.
Terræ ſigillat. ʒiij.

Miſce fiat Pulvis ſubtilis, qui coquatur & bulliat parum in
Aqua Chelidon. maj.
Rutæ ana ℥iij.

Filtratus dein Liquor in uſum vocetur, qui ſi non ſatis acris videbitur, tunc adhuc aliquot *Mercur. ſublimati grana* eidem incoqui, denuoq; filtrari poterunt. Vel hujus loco uſurpabitur *Aqua ophthalmia Tackenii*, in ejus *Hippocrate Chymico* deſcripta. Vel ſequens *Collyrium* proderit:

℞. *Aqu. Fœnicul.* ℥iß.
Rutæ ʒvj.
Succ. Chelidon. rec.
Fœnic. recent.
Malv. recent. ana ʒß.
Fellis Thymalli Piſc. aut Serpent. ʒij.
Tut. ppt. ʒiß.
Sacch. cand. alb. ʒj.
⊖*li alb.*
Ærug. ær. ana gr. iv.

M. d. ad Vitrum, ac uſurpetur tepidè, ſæpius de die; idq; tamdiu, donec, licet etiam tardiùs, Pellicula diſparuerit.

Si *Balſama ophthalmica* magis arrideant; tum

℞. *Butyr. recent. Vin. rubr. ſæpius lot.* ℥j.
Axung. Thymall piſc. vel Serpent. ʒij.
Mercur. præcipit. rubr. ſubtiliſſimè triti ℈j.
Bezoard. miner. ʒß.
Sacch. cand. alb. ʒj.

M. f. Unguent. d. ad Pyxid. atque ejus quid ſæpius Oculis indatur.

Vel ℞. *Butyr. rec. Vin. rubr. optimè loti* ʒvj.
Lapid. calam. ppt.
Mercur. præcipit. alb. aa. ℈ij.
Salis Saturni ℈j.
Ærug. æris gr. iv.
Camphor. Sacch. cand. alb. trit. gr. ij.

M. f. Unguentum Ungui oculorum ſæpè applicandum.

Quòd ſi talibus nihil perficias, etiam ad *Chalcitem uſtam* cum quartâ *Croci optimi pulveriſati* parte permiſtam devenire poterimus, quam *Butyro* vel *Axungiâ Serpentum* ſubactam Pterygio ope penicilli ſubinde inungemus, intactâ Oculorum ſanâ parte: quæ cautela in omni cathæreticorum applicatione diligenter obſervanda eſt. Poſt bihorium ab immiſſo remedio, Oculus iterum *muliebri, vaccinove Lacte tepido* vel *Collyrio* aliquo, in Ophthalmiis uſitato, minimè cathæretico elui debet. Sunt

qui in hoc caſu magni faciant *Aquam ophthalmicam cœruleam*, cum *Aquâ Calcis vivæ in lebete æneo*, addito pauxillo *Sal. arm.* paratam, ac ſingulis diebus ſemel illitam. Alii iterum ſolo *Alumine*, *Vitriolo*, *Ære uſto*, *Sale armoniac.* vel *Mercurio præcipit. rubro* probè edulcorato, vel alio denique ſecuro cathæretico, cum *Sacch. cand. albo*, *Tutiâve præparatâ* miſto, ſenſim Pterygia conſumunt & tollunt.

Unguis inveteratus. *Inveteratus Unguis*, ſi fuſcus vel niger evaſerit, & ad Cancroſam naturam acceſſerit, intactus relinquitur. Si verò minus niger exiſtat, neque Cancrum minetur, tum cultello reſecatur, poſtquam hamulo fuerit à Corneâ tunicâ verſus radicem ſeparatus; vel etiam ſine cultello ſetâ equinâ reſtringitur. Qualitercunque autem ſeparatus erit, reliquiæ ſemper *remediis modicè ſiccantibus* & *conſolidantibus* veniunt extirpandæ, qualia medicamina in *Oculorum Ulceribus* deteguntur.

OCULORUM ADNATÆ

Oculorum Pannus. PANNUS, eſt Tunicæ extimæ ſ. Adnatæ Oculorum incraſſatio & augmentum, cum dolore, rubore ac tumore, à ſanguinis in venulis exundantiâ, atque ſtagnatione, in carnoſam ferè membranam concretâ, oriundum. Differt hinc ab Ophthalmiâ, quod in hâc dolor ardens longè ſit major, neque aliquid inſtar carnis vel luxuriantis appareat, ſicut in Panno. Affectus hic aliquando ſolum Oculi album occupat, usque ad Corneam; aliquando ipſam hanc Corneam, imò & Pupillam quoque transgreditur, Viſionisque ſenſum intercipit. Dolorem etiam non habet adeo exquiſitum, niſi ſimul Inflammatio intervenerit. Incipit denique comparere & enaſci Pannus ex utroque Oculorum angulo.

Differt ab Ophthalmia.

Diagnoſis.

Cauſæ. Et quidem præbere originem ſolet ſanguis juſto viſcidior, atque particulis acido-fixis, auſterisque, ſed minus tamen acribus præditus in tubulis Adgnatæ tunicæ facilè obhærens, ſubſiſtens, & ita craſſitiem inducens. Vel etiam particulæ lymphatico-aut pituitoſo-viſcidæ, in poris Adnatæ tunicæ ſubſiſtentes & concretæ ſi cumulentur, hincque venulas comprimendo ſimul ſanguinem in illis languidius decurrentem, vel etiam ſtagnantem reddant, Pannum quoque producere valent.

Prognoſis. Pannus recens facilius ipſo Pterygio diſſipatur; inveteratus autem difficulter, ac non niſi longo temporis intervallo diſcutitur. Poteſt & in Cancrum degenerare, ſi pejus tractetur.

Curatio. *Curatio* inſtituitur, ſicuti in Ophthalmiâ; præmittes nimirum *univerſalia*, & inter hæc ante omnia *purgans mercuriale*; cui ſuccedet *Venæſectio* in Brachio, vel Raninarum ſublingualium inciſio. Subinde *Cucurbitulæ cum ſcarificatione* dorſo applicabuntur; *Capilli capitis* abradentur; demum topica Oculis immittentur; inter quæ ſequens *Collyrium* eminet:

℞. *Aqu. Fœnicul.* ℥j.
Euphraſ.
Chelid. maj

Hierac. ana ℥vj.
Succ. recent. Rut.
Tragopogon. aa. ℥ß.
Tutiæ ppt. ʒj.
Lapid. Hæmat. ppt.
Salis Saturni.
Mercur. præcipit. alb. ana ʒß.
M. d. ad Vitr. Inſtilletur & applicetur ſæpè oculis tepidè:

Vel ſequens magis juvat *Unguentum:*

℞. *Butyr. recent. Aqu. Fœnic. ſæpè lot.* ℥j.
Axung. Thymall. piſc. Vino alb. probè lot. ʒij.
Lapid. calam. ppt.
♁ *n. diaph. ana* ℈ij.
Oſſ. Sepiæ ppt. ℈j.
Chalcitis vel Æris, vel Chalcanthi uſti & Aquâ Roſar. loti ℈ß.
M. f. Unguentum ter quotidie Oculis indendum.

Io- .Phly- næ.

OCVLORVM ADNATÆ PVSTVLÆ ſ. PHLYCTÆNÆ ſunt tubercula veſiculoſa Milii granum haud excedentia, in tunicâ Adgnatâ vel Corneâ, aut utraque ſimul prorumpentia, quæ ab acriori lymphâ hiſce ſuffuſâ originem trahunt, & quandoque ſeroſa tantùm exiſtunt, quandoque ſimul leviculam Inflammationem comitem habent. Quæ in Adgnatâ tunicâ effloreſcunt Veſiculæ, aliquali rubedine ſunt præditæ; quæ autem in Corneæ extremitate hærent, ſubnigro colore apparent; quæ denique in parte corneæ profundiore elevatæ ſunt, album colorem habent. uſa.

Si Puſtulæ tales ſeroſæ tantùm fuerint, tunc minus periculi minantur Viſui, quàm ſi cum Inflammatione qualicunque fuerint conjunctæ. Mitiores etiam ſunt, quæ extus in ſuperficie Tunicarum exiſtunt, quàm quæ profundius vergentes ſub tunicis deliteſcunt, hæ enim facilè Corneam perforant, atque Uveæ procidentiam excitant. Quæ albæ magis ſunt, atque ipſam Uveam penetrârunt, eæ facilè Humores intus erodendo ſimul effluere faciunt. Quæ denique in Pupillâ emerſit Veſicula, etiamſi evaneſcat, ſæpè tamen cicatriculam poſt ſe relinquit, Viſionis actum intercipientem. Prognoſis.

In *Curatione* ſtudioſè cavendum, ne Puſtulæ tales in *Ulcera* abeant; unde ab omnibus remediis acribus & cathæreticis eſt abſtinendum, utpote quæ promtè exulcerarent, atque non tantùm profundiora Ulcuſcula, ſed fortè ipſa Carcinomata excitarent. Itaque ante omnia *purgans* aliquod præbendum, ſed minimè *vomitorium*, quale in Oculis malum augeret. Cumque talis Affectus Pueros frequentius affligat, ſequens *purgans* trienni Puero exhibere licebit: Curatio.

℞. *Syrup. de Cichor. cum Rhab.*
Flor. Perſic. ana ℥ß.
Aqu. Chelid. major.
Euphraſ. ana ʒiij.
Scammon. ♀*rat. gr. j. vel ij.*
M. f. Potiuncula d. ad Vitr. pro doſi.
A Mercurio etiam dulci in Pueris eſt abſtinendum, quoniam non rarò illis vomitum movet.

In *Adultis* verò ſequens proderit *purgans*:

℞. *Maſſ. pilul. è Succ. Crat.*
Hydrop. Bont. aa. ℈ß
Reſin. Jalapp. gr. ij.
Cinnab. ♁*n. opt. gr.* vj.
Ol. ſtillat. Fœnic. q. ſ.

M. f. Pilulæ num. xij. *Inaur. d. ad chart. pro doſi.*

Poſtmodum in Adultis quidem *Venæſectio* inſtituatur; vel *Veſicatorium* Nuchæ applicetur; vel *Cucurbitulæ cum ſcarificatione* dorſo admoveantur. In Pueris autem *Veſicatorium* Cervici applicatum ſufficit; dantur tamen Pueri, qui etiam Cucurbitulas cum ſcarificatione tolerant.

Interea *Tragema* aliquod *Ophthalmicum*, quale in Ophthalmiâ præſcripſimus, vel ſolum *Semen Fœniculi* ſaccharo obductum in uſum frequentem trahatur; ipſumque *purgans* intra menſis ſpatium ter vel quater repetatur. Demum *topica* ſine morſu ſiccantia & abſorbentia adhibeantur; v. gr.

℞. *Aqu. Roſar. alb.*
Euphraſ. ana ℥iß.
Sief. alb. Rhaſis ſine opio ʒß.

M. d. ad Vitr. Inſtilletur ſubinde tepidè Oculo.

Vel ℞. *Aqu. Plantag.*
Hierac.
Flor. Cyan.
Valerian. ana ʒvj.
Lapid. calamin. ppt. ʒj.
Bezoard. min. ℈j.
Sacch. cand. alb. gr. xv.

M. d. ad Vitr.

Vel ℞. *Butyr. rec. Vin. rubr. lot.* ℥j.
Sacch. cand. alb. ʒj.
Cadmiæ Botryit. ʒß.
Mercur. præcipit. optimè dulcific. ℈j.

M. f. Unguentum d. ad Oll. de quo ſæpè piſi magnitudo Oculo indatur.

Quòd ſi hiſce malum non cedat; tum *pili capitis* ſunt abradendi, ac ſimul hactenus dicta continuanda. Si nec ita levamen ſuccedat, vel *Fonticuli* in Brachiis excitandi, vel *Setaceum* in Nuchâ formandum. Præterea inter ſcapulas quoque *Valeriana*, *Ruta*, *Pentaphyllum*, *Imperatoria*, *Hieracium*, *Chelidonia*, *Burſa paſtor.* *Pœonia* &c. ſuſpendantur.

OCVLORVM ADNATÆ SVGILLATIO, vid. *Oculorum Hypoſphagma.*

OCVLORVM CORNEÆ NEBVLA, vid. *Oculorum Nebula.*

OCVLORVM CORNEÆ ALBVGO, vid. *Albugo.*

OCVLORVM CORNEÆ DISCOLORATIO & OBSCVRATIO, vid. *Corneæ Morbos.*

OCVLORVM CORNEÆ PVSTVLÆ, vid. *Oculorum Adnatæ Puſtulæ, & Corneæ Morbos.*

OCVLORVM CORNEÆ CRASSITIES, eſt ejuſdem denſitas atque ſiccitas adeo aucta, ut ſimul quid de ſuâ pelluciditate amittat, hincque *Caliginem* ſeu Viſûs obſcuritatem Oculis inducat, ob quem Homines objecta externa tanquam per fumum conſpiciunt. *Corneæ Craſſities.*

Oritur

Oritur hæc craſſities à minore ſucculentæ materiæ in Corneam affluxu, quando videlicet fibrillæ tubulorum coarctantur, aut ſucci ipſi ſpiſſiores redduntur, quàm ut penetrare queant. Quibus cauſis occaſionem præbent Ætas ſenilis, Lucubrationes frequentes, Venæſectiones nimiæ, Purgationes vehementiores, Vomitiones crebriores, Seminis profluvia largiora; Repletiones corporis frequentiores; excrementitiorum humorum è capite aggeſtio, Thermarum abuſus; exhalationes rerum virulentarum ac putreſcentium, nec non fumi acriores oculorum tunicas ſæpè lambentes; frigidorum topicorum, aut nimis acrium intempeſtivæ applicationes; Oculorum diutinæ aut continuæ verſus ignem admotiones. A quibus certè cauſis vel tubuli ſiccantur & auguſtantur, vel lympha viſcidior, atque turbida magis reddita ad Corneæ tubulos defertur. Quandoque pulvis in Corneam incidens & adhæreſcens craſſitiem talem producit, dum laceſſendo fibrillas, continuum ferè lachrymarum profluxum allicit.

Curatio. Craſſities Corneæ ab *ariditate* orta nullam *Venæſectionem*, nullas *purgationes*, *ſudores* nullos, nec alias quaſcunque evacuationes admittit; ſed *Collyria* potius *blandè humectantia* requirit, quemadmodum ſunt *Lac muliebre*, *Cremor Lactis vaccini*, *Butyrum Aquâ Malv. Alth.* vel *Succo Parietariæ* aut *Verbaſci lotum*, *Adeps porcinus*, *Pinguedo Lucii piſcis*. *Juſcula* quoque *lactea* cum incoctione *Herb. recent. Hieracii*, *Tragopogonis*, *Euphraſ. Bell. minor. Conſolid. mediæ cœrul. Sacchari* tantillo edulcorata, quotidie ſemel per plures hebdomadas ſumta proſunt. *Semen Aniſi*, *Fœniculi*, vel *Dauci*, *Baccæ juniperi* frequenter comeſtæ ſimul conducunt. Sunt &, qui à *Rutâ*, *Valerianâ*, *Imperatoriâ*, *Radicibus* etiam *Succiſæ*, *Hieracii*, *Calcatrippæ*, &c. inter Scapulas ſuſpenſis ſibi aliquem effectum promittunt. Quod ſi *Hieracium*, *Malva*, *Hypericum*, *Euphraſia*, *Verbaſcum*, *Violaria*, *Parietaria*, *Conſolida media* & *regalis* &c. *Aquæ* incoquantur, hincque *vapor calens* in Oculos apertos ſæpè immittatur, craſſitiei quoque tali mederi poteſt.

Si verò Denſitas & Siccitas Corneæ à *Senio* oboriatur, vitioque poſt morbum graviorem relicto, immedicabile prorſus erit, nec niſi conſpiciliis emendabitur.

Craſſities autem Corneæ à *nimio lachrymarum*, aut *lymphæ affluxu*, vel pituitâ quadam viſcidâ Corneam obducente orta, tollitur, poſt ritè purgatum corpus, victumque tenuiorem imperatum, *Aquâ ophthalmicâ mitiore*, v. gr. *Hieracei*, *Tragopogon. Roſ. alb. Fumar. Euphraſ. Fragariæ*, *Plantag. Chelidon.* &c. cum *Sief alb. Rhaſis ſine Opio*, *Sale Saturni*, ac *Bezoard. mineral.* permiſtâ, tepideque Oculis ſubinde immiſſâ.

Si *Pulvis* quidam, ſimilisque res extranea in Oculi bulbum inciderit, tum *Aqua ſimplex ophthalmica*, vel *Lac*, vel *Succus Verbaſci*, aut *Tragopogonis* immiſſus illud abſtergere poteſt.

poteſt. Aliquando *Oculus Cancri* integer Oculi bulbo admotus illam rem extrahit. Interdum & diductis Palpebris, Oculoque inclinato ſuâ ſponte res excidit. Frequenter denique per Oculi fricationem & commotiotionem ad angulum detruditur, & hinc exprimi poteſt.

OCVLORVM CORNEÆ FISTVLA, vid. *Corneæ Fiſtula*.

OCVLORVM CORNEÆ EXCRESCENTIA, vid. *Corneæ Excreſcentia*.

OCVLORVM TVNICÆ CORNEÆ HYPOPYON, vid. *Corneæ Hypopyon.*

OCVLORVM CORNEÆ VVLNVS, vid. *Oculorum & Corneæ Vulnus*.

OCVLORVM CORNEÆ VLCVS, vid. *Corneæ Ulcera, & Oculorum Ulcus*.

OCVLORVM CORNEÆ CICATRIX, vid. *Corneæ Affectus*.

Procidentia Uveæ. OCVLORVM VVEÆ PROCIDENTIA, πρόπτωσις, eſt Tuberculum in illâ Oculi Tunicâ excitatum, dum ejus portio major minorve per apertam quomodocunque Corneam elabitur, & velut nigram cœruleamve puſtulam eminentem refert, quæ in Baſi ſuâ limbum albicantem ab eroſis ulceratæ & apertæ Corneæ labii oritur.

Differentia. *Differentias* admittit varias; ita enim juxta Æginetam ſpecies 1. Procidentiæ eſt Μυοκέφαλος, quæ formam capitis Muſcæ ſuâ magnitudine (*Myocephalus.*) & colore repræſentat, dum ſcilicet exigua tantùm portio Uveæ elabitur ob foramen Corneæ minus. 2. Species eſt Σταφύλωμα, in quâ major Uveæ portio excidit, ut figuram & magnitudinem ferè Acini exæquet. (*Staphyloma.*) Tertiam ſpeciem facit Μῆλον, quando (*Melon.*) tanta Uveæ procidentia & magnitudo eſt, ut fermè Pomi alicujus minoris molem attingat. Quarta denique Species eſt Ἧλον, ſive *Clavus*, cum (*Clavus.*) prolapſus Uveæ inveteratus atque calloſus redditus eſt.

Omnis autem Procidentia oritur (*Cauſa.*) *proximè* ab eroſione, & perforatione tunicæ Scleroticæ aut Corneæ. Perforatur hæc nunc ab humoribus corroſivis, qui ad affectam Partem delati primùm ſæpè Phlyctænas, Puſtulas aut Variolas excitant, poſtea verò ſerpendo, ac ulterius rodendo Corneam integrè perforant. Nunc à rebus acutis, ſcindentibus, alioque modo tunicam Scleroticam vulnerantibus. Nunc tandem à Remediis ophthalmicis nimis acribus, vel cataplasmatibus Corneam plus juſto emollientibus ac rodentibus, ut facilè ciliares Pupillæ fibræ loco moveantur, hincq; ſimul Uvea cum Humoribus omnibus extrorſum procidat. Affectus hinc (*Diagnoſis & Prognoſis.*) minimè contemnendus, qui per ſe quidem facilè cognoſcitur, viſioniſque ſenſum, propter humorum ſitum mutatum, intercipit ac tollit; ſed difficulter admodum curatur, cum Viſûs ipſius reſtitutione.

In *Curatione* ergo præſervationis (*Curatio.*) loco hæc inſervit regula atq; cautela,

ne

ne ſcilicet in Oculorum morbis, inprimis in eorum Puſtulis acriora remedia topica, atq; Cataplaſmata pultacea ac emollientia fervidè admodum, vel ullo alio modo applicemus. Præſentis autem mali *Curatio* ita inſtituitur, ut ante omnia *purgans* remedium præmittatur, ſed quod minimè Vomitum excitet, v. gr. ſeqq. Pulveris aut Pilularum doſis Adulto dabitur:

℞. *Extract. Pilul. Coch.*
Rhabarb.
Helleb. nigr. ana gr. vij.
Reſin. Jalapp. gr. j. vel ij.
Mercur. dulc. ſexies ſublimat. ℈ß. vel
Cinnab. ♁n. correct. gr. vj.
Ol. ſtillat. Fœnic. q. ſ.
M. f. Pilulæ num. xiv. d. ad ch. pro doſi.

Vel ℞. *Radic. Jalapp. ℈j.*
Crem. ♀ri ℈ß.
Cinnab. nat. vel ♁n. opt. gr. vij.
Scammon. 🜍rat. gr. ij.
Ol. ſtillat. Roriſm. gutt. ij.
M. f. Pulvis ſubtil. d. ad ch. pro doſi.

Vel *Vinum medicatum purgans* per 5. vel 7. 8. dies in uſum trahetur; v. g.

℞. *Radic. Caryophyllat.*
Fœnicul.
Chelidon. major. ana ʒiij.
Herb. Euphraſ.
Agrimon. ana Mj.
Summit. Aneth.
Cent. major.
Flor. Cyan. ana Mß.
Semin. Fœnicul. ʒij.
Fol. Sen. opt. mund. ℥j. ʒij.
Rhabarb. elect. ℥ß.
Cinam. opt.
Salis Rutæ ana ʒj.
Inciſ. contuſis, noduloq; ex ſindone incluſ. affunde
Vini albi veteris ℔iiiß.
Aqu. fontan. opt. ℔iß.
Stent per primam noctem in loco tepido, poſtea ſingulis diebus mane jejuno ſtomacho exhibeatur cyathus unciarum 4. exhauriendus.

Poſt corpus purgatum in Adultis etiam *Venæſectio* convenit; hinc *Veſicatorium* in Nuchâ applicetur, vel *Veſicæ* in utroque brachio excitentur. Ac interea m. & veſp. ſequens *Tragema ophthalmicum* diligenter uſurpetur:

℞. *Semin. Fœnic. ℥j.*
Aniſ. ʒij.
Radic. Pœon. maris. ʒiij.
Herb. Euphraſ.
Flor. Cyan.
Hierac. ana ʒij.
Bacc. Juniper.
Cinam. acut. ana ʒj.
Corall. rubr. ppt.
Ocul. ♋. ppt. ana ʒiß.
Sacch. alb. ℥iij.
M. f. Pulv. ſubtil. d. ad ſcat. Doſis eſt ʒj. ad ℈iiij.

Topica remedia dein ſemper applicanda, quæ ſine morſu ullo ſiccant, dolorem leniunt, ac ſimul *traumatica* exiſtunt, quem in finem ſeqq. *Balſamus ophthalmicus* unâ cum *Collyrio* in Puero bimulo, qui ex varioloſâ Puſtulâ ſecundam Procidentiæ hujus ſpeciem contraxerat, inſigniter profuit, & Bulbum Oculi ſuæ integritati reſtituit, ſed cum remanente, quod

quod fieri aliter non potuit, cicatrice, & viſûs imminutione:

℞. *Butyr. recent. Vino rubro aliquoties loti* ℥j.
Fell. Lucii piſc. ʒj.
♄ *n. diaphor.*
Corall. alb. ppt. ana ℈ij.
Lapid. hæmat. ppt.
Mercur. præcipit. alb. ana ʒß.
M. f. Unguent. d. ad Pyxid.

℞. *Radic. Chelid. maj.*
Sarſæparill.
Lign. Saſſaphr.
Herb. Euphraſ. ana ʒiß.
Inciſ. & contuſ. coque per horam in Aqu. fontan. ſ. q. dein hujus
Colaturæ ℥iij. *adde*
Aqu. Plantag.
Sanicul.
Ulmar. ana ℥j.
Album. Ovor. ʒij.
Lapid. Calam. ppt.
♄ *n. diaph. ana* ʒij.
M. d. ad Vitr. Inſtilletur & uſurpetur tepidè.

Quòd ſi tertia vel quarta ſpecies Procidentiæ, tumor ſcilicet nimis prominens fuerit, ac Humor ſimul cryſtallinus induruerit, tum ſolâ chirurgicâ ſectione malum extirpatur, Vulnusque ſic inflictum eâ methodo curatur, quam in Oculorum Vulneribus ſuo loco tradidimus.

OCVLORVM PVPILLÆ DILATATIO, vid. *Mydriaſis.*

OCVLORVM PVPILLÆ ANGVSTIA, vide *Nyctalopia.*

OCVLORVM SVFFVSIO, vide *Catarrhacta.*

OCVLORVM VISVS ABLATIO, vide *Oculorum Cæcitas, & Gutta Serena.*

OCVLORVM VISVS IMMINVTIO, *Hebetudo* vel *Debilitas*, eſt Symptoma viſionis, quo ſenſus hic minus perfectè & adcuratè peragitur, quàm quidem naturaliter fieri conſuevit. *Viſûs Hebetudo.* *Imbecillior* ergo Viſus eſt, quando non diu quis alicui operi incumbere poteſt citra obſcuritatem illius ſenſationis obtingentem, ubi veluti nebula oculis obducitur, ſed brevi iterum diſparens cum viſione redeunte; vel ubi ſimul quaſi per fumum aut nubeculam minuta quædam corpuſcula, colore interdum rubro, flavo, vel atro tincta diſcurrere videntur; atque hæc Affectio *Obtenebratio* vel *Scotomia* dicitur, quæ vel à ſpirituum in Nervum opticum influentium paucitate, aut craſſitie, vel ab humorum per tunicas Oculi diffluentium & circulantium ſpiſſitudine, Pupillam aut Aqueum humorem nonnihil obſcurante originem ducere ſolet, multumque Homines affligit lucubrationibus, aut ſcriptioni poſt paſtum valdè incumbentes. *Diagnoſis.*

Imminuitur dein etiam Viſus apud nonnullos, quando ſpecies rerum viſibiles vel obſcurè, vel minus adcuratè & perfectè vident & aſſequuntur, quemadmodum antea viderunt: AMBLYOPIAM i. e. *Viſûs obſcuritatem*, *Hebetudinem* vel *Caliginem* vocant, de quâ vide ſub *Oculorum Caligine.* *Amblyopia.*

Ad imminutam porrò Viſionem referimus,

referimus, quando Homo res propinquas non melius, ſicut in naturali ſtatu fit, quàm diſſitas videt; ſed potius diſtantes adcuratius quàm vicinas aſſequitur, adeo ut, ſi res minutas cernere velit, legereve, procul ab oculis eas removere cogatur. Vitium ſeneſcentibus familiare, ſed quod armaturâ Oculorum ſpeculari, ſive perſpiciliis idoneis corrigitur, quorum hinc ope in rebus minutioribus diſcernendis continuè utuntur. *Platerus* talem Defectum nuncupavit SENVM VISIONEM, quanquam plures noverimus Senes, ad extremam usque Senectutem acuto Viſionis ſenſu gaudentes, ut penè minutiſſimos literarum characteres legere potuerint.

...num ...ſus.

Ortum ducit talis Affectio non niſi ab aliquali tunicarum & humorum in Oculis exiccatione & conſtrictione per Crapulas frequentes, Venerem immodicam, Lucubrationes continuas, Vigilias nimias, Hæmorrhoidum fluxum crebrum &c. aliaque ſpirituum laticem valdè diſſipantia Symptomata.

Myopia. Ulterius huc pertinere videtur ea Viſionis imbecillitas, quâ Homo res non niſi propiùs, vel etiam proximè tantùm Oculis admotas adcuratè videt, & diſcernit; tantillum autem ab oculis remotas vel obſcurè ſolùm videt & dijudicat, vel diſcernere prorſus nequit, niſi certo oculos conſpicilio, nonnihil concavo, armaverit, in quo ſpecierum viſibilium radii velut concentrati Pupillam ſubingredi & permeare queant. Affectum autem MYOPIAM vocant, de quâ ſuo loco expreſsè egimus.

Curatio. Debilitates hæ omnes, exceptâ Scotomiâ, medicamentorum ope parum emendabiles ſunt; quin conſpiciliis ſive ſpeculis ocularibus taliter affecti plerunque opus habent, ſed conſpiciliis uniuſcujusque viſui accommodatis, unde pro ætatis diverſitate illa ſubinde mutari ſolent, & ab hoc quidem magis concava, ab alio magis convexa deſiderantur atque ſeliguntur.

Scotomia Ad *Scotomiam* autem corrigendam uſurpabis primò aliquod *purgans* v.g. *Apozema* ſequens vel ſimile:

℞. *Radic. Chelidon. major.* ℥ß.
Imperator. ʒij.
Herb. Euphraſ. Mj.
Flor. Cyan. Pj.
Fol. Sen. opt. mund. ʒvj.
Rhab. elect. ʒij.
Semin. Fœnic. ʒiiß.
Bacc. Juniperi ʒj.
Cinam. elect. ℈iiß.
Cremor. ♀*ri* ʒiß.
Inciſa & contuſa coque in
Aqu. fontan. vel
Cichorii q. ſ. Hinc
Colaturæ Albumine Ovorum clarificatæ ℔j. *adde*
Syrup. Flor. Perſic. ℥ij.
Julep. roſac. ʒvj.
M. ad Vitr. Sumatur quatuor doſibus matutinis, cum regimine diætæ.

Poſtmodum omiſſâ *Venæſectione*, niſi corpus fuerit ſanguinei ſucci plenum, *Cucurbitulæ cum ſcarificatione* nuchæ & ſcapulis applicentur. Sin-

gulis paſtibus de ſequenti *Vino medicato* cyathus exhauriatur:

℞. *Herb. Euphraſ.* Mxij.
Hierac. Miiij.
Beton. Mij.
Radic. Chelid. maj. ℥iij.
Bacc. Juniper. ℥ij.

Inciſa & contuſ. inde ſacculo, cui in doliolum miſſo duodecim vel 15. *Menſuræ Vini albi veteris ſuperfundantur, & poſtquam ſic per Biduum ſtetit, in uſum trahi poterit.*

Comedat etiam talis Homo ſæpiſſimè, h. e. bis ad minimum de die, & per longum tempus, 15. vel 20. grana *Seminis Fœniculi*, vel 10. aut 12. grana *Juniperi*, etiam ſi velis *Saccharo* obducta.

Viſûs depravatio.

OCVLORVM VISVS DEPRAVATIO eſt Symptoma, in quo Homines res externas aliter quàm reverâ exiſtunt, vident; velut, ſi ea, quæ ſimplicia ſunt, gemina vel multiplicia cernunt, quemadmodum hoc Ebriis quandoque contingit, qui recta pro curvis, aliove modo res formatas falsò intuentur, quod vitium HALLVCINATIO dici ſolet.

Hallucinatio. Perverſa imaginatio.

Depravatus dein eſt Viſus, quando homines ſibi imaginantur ſe res quasdam videre, quæ tamen vel planè non exiſtunt, vel præſentes non ſunt. *Perverſam* hoc voces *Imaginationem*, vel, ſi mavis, *Delirium*, Phreneticis, Maniacis, Febri malignâ laborantibus familiare, in quo quidem Lemures, Spectra, Animalia, Sceleta, qualia per Inſomnia aliâs occurrere ſolent, vigilantes cernere; vel certè Culices, Muſcas, Papiliones circumvolitantes, aut floccos, feſtucas, lanam, aliaque rebus adhærentia ſe videre exiſtimant. Quale quid ſubinde ſanâ mente præditis contingere notatur, ut uni oculo, vel ambobus quoque ſimul eadem Inſecta, aut flocci, vel lanarum filamenta, Aranearumque telæ, ſimilesque res minutæ obverſari videantur. Malum, quod in Febricitantibus quidem & Phreneticis ab æſtu ſanguinis Spiritûs turbantibus; in Maniacis ab æſtu Spirituum animalium; in Sanis verò aliâs nunc à particulis quibusdam irregularibus, Spirituum latici immiſſis, eorumque motum regularem turbantibus; nunc à particulis pituitoſis inſpiſſatis, humori Oculorum aqueo immiſſis, ac Suffuſionem minitantibus, provenire videtur. *Cauſa.*

Coloris rerum aliena viſio.

Ad *Depravationem* Viſionis ulterius pertinet, quando citra Imaginationis quoque læſionem Objecta alio, quàm ſunt, colore viſui occurrunt, ſive in ambitu ſolùm, & veluti circulo Flammæ candelæ, Iridis inſtar colorata apparent. Aut quando ſplendor quis veluti fulguris ſcintillæ, item imaginariæ, aliave lucentia corpuscula viſionis ſenſum obfuſcant. Contingit hoc maximè, ſi quis vel Solis radios, vel Flammas propiùs ac diu, vel ſæpiùs fuerit intuitus: vel ſi ſulphureo-quædam reſinoſæ particulæ certâ aliquâ proportione cum ſanguine aut ſpiritibus permiſtæ oculorum tubulos perreptent.

Porrò Viſus *depravatur*, quando res quietæ; firmæ & ſtabiles videntur

tur quaſi in gyrum circumagi, rotari, aut aliter inclinare, ac velut ſubverti exiſtimantur. *Vertigo* eſt hic Affectus, ſuo proin loco fuſiùs explicatus.

tio.

Qualiſcunque autem fuerit Depravatio Viſûs, deſiderat ante omnia *Purgationem per inferiora* inſtituendam; requirit dein *Cucurbitulas cum ſcarificatione* applicandas, aut *Venæſectionem.* Requirit denique vel *Vinum medicatum ophthalmicum* præcedenti ſub titulo deſcriptum; vel *Tragematis* cujusdam *ophthalmici*, hinc inde in Affectibus Oculorum ordinati uſum diligentem. *Veſicatoriorum* tamen etiam, *Fonticuliq;* Brachio incidendi, aut *Setacei* Nuchæ apponendi ratio habenda, uti neceſſitas id urgere notabitur.

ODONTALGIA, vide *Dentium Dolor.*

lfactus aminu-s & olitus.

ODORATVS vel OLFACTVS ABLATIO vel IMMINVTIO, eſt Symptoma ſ. Affectio præternaturalis, in quâ Homines vel parum, vel nihil prorſus olfaciunt. Malum, quod Medicis vix curandum offertur, niſi alia ſimul ſymptomata magis moleſta Hominem excruciaverint, ceu totidem vel affectiones junctæ, vel cauſæ, quæ quidem variæ eſſe ſolent.

auſa.

Cùm enim Odoratûs organum principale ſoleant eſſe nervoſæ fibrillæ, ſeu papillulæ nerveæ, per Tunicam, Nares intus ſuccingentem, expanſæ, quæ à prætereuntibus in inſpiratione particulis, per Aërem volitantibus, titillatæ, Spirituum animalium fibrarumque medullarium certum motum excitant, ac ita Odoris ideam in animâ producunt; ſequitur hinc facilè, quicquid fibrillas illas nervoſas obliterare, vel inſpirationem per nares impedire, vel ſpirituum denique curſum in illos nervos ſufflaminare poteſt, illud omne Olfactum vel imminuere, vel tollere penitus ſolere. Narium proin obſtructio à blennâ craſſâ, viſcido-mucoſâ, aliave qualicunque re; vel Tunicæ Narium glanduloſo-nervoſæ obductio à ſimili pituitoſâ materiâ; vel Coryza ſ. Gravedo ſerum continuè in tunicam eandem extillans, ſicque flaccidas nimium fibrillas reddens, quàm ut titillationem odoriferam experiri queant; vel Naſi mala conformatio, ductuumq; naſaliũ ſive nativa, ſive adventitia per infortunium Anguſtia, vel Ozæna ac Polypus Narium; vel nervoſarum fibrillarũ compreſſio ab humore tumoreve aliquo circumſtante; vel ſpirituum influxus ab obſtructione nervoſorum tubulorum præpeditus. Atque hæ cauſæ omnes, prout nunc fortiores, nunc minus fortes exiſtunt, Olfactum vel prorſus abolere, vel plus minus debilitare ac imminuere ſolent. Subinde & nativa adeſt tunicæ Narium præternaturalis conformatio, in quâ nervoſæ fibrillæ non prominent, nec ita exertæ ſunt in ſuperficiem, ut vellicari, atque titillari queant ab odoriferis aëris particulis. Vixit Scaphuſii Medicus per Europam *Celeberrimus, Dn. D. Joh. Wepferus*, qui propter continuam errhini pulveris tabaci attractionem, omnem Olfactûs ſenſum penitus

tus amiſit, nec poſtea unquam recuperare vel potuit vel voluit; fortè quòd commodum ſic fuerit, tantoque minus impedimentum in Anatomicis, quibus delectabatur, negotiis & exercitiis creaverit.

Pro diverſitate Cauſarum ergo, Odoratus vel reſtitui poteſt facilè, vel difficulter, ſæpè etiam nullatenus. *Nativum* ſi adfuerit vitium, ſi diuturnâ conſuetudine aut negligentiâ inveteratum, ſi per contuſionem, per Vulnera, per Ulcera Tunicæ Narium ſtructura fuerit maximè vitiata, fruſtra certè in ejusdem correctione laboraveris; ſi Obſtructio, Polypus, Ozæna, Coryza &c. in culpâ fuerit, Narium Affectus conſulere poteris. Si Nervoſi tubuli ſint obſtructi, interna externaque remedia præſcribes, in *Paralyſi* commendata.

Olfactus depravatus.

ODORATUS DEPRAVATUS eſt Symptoma ſ. præternaturalis affectio, in quâ Homines vel fœtorem continuè ſentiunt, atque è naribus aut ore exhalant; vel alium odorem percipiunt, quàm eſt in rebus Olfactui ad odorandum oblatis. Cùm autem hoc Vitium plerunque à re aliquâ in Naribus hærente ac putreſcente producatur, & verò illa *Anhelitum fœtentem* excitet; hinc Lectorem bonâ cum veniâ ad hunc locum remittimus.

Oedema.

OEDEMA eſt Tumor mollis, laxus, digito prementi facilè cedens, indolens præterea & albicans, in variis corporis humani partibus à lymphæ vel ſeri craſſioris, minus acris & lenti ſtagnatione, quandoque & extravaſatione enaſcens. Utplurimum Crura affligere, aliquando tamen etiam in aliis partibus comparere ſolet; ita enim in Capite excitatus ſub ſpeciali *Hydrocephali* nomine venit: in toto autem corpore ſi affligat, *Anaſarca*, vel *Leucophlegmatia* vocatur. Præcipuè verò ipſa lymphica vaſa Oedematum ſedes exiſtunt, quando nimirum vel ob ſui compreſſionem anguſtata transmittere nequeunt lympham, hincque accumulatâ humoris quantitate ampliantur, & expanduntur: vel quando lympha è ſanguine ſecreta ſtatim lenta ac viſcida evadit, dum mobiliores aquoſæ particulæ reliquas, cum quibus ſunt laxius unitæ, præcurrunt, illasque dein viſcidiores poſt ſe relinquunt; hæc verò ſic ſenſim magis aggeſtæ tubulos obſtruunt; obſtructi tubuli plures paulatim magis extenduntur, ac ita denique partem in Tumorem attollunt Oedematoſum. Quando autem ſtagnans lympha vel nimiâ ſuâ quantitate fortius diſtentos tubulos rumpit, vel acquiſitâ quadam acrimoniâ eroſos aperit, tum lympha extravaſatur; atque inter quascunque circumſtantes membranas congeſta Tumores gignit aquoſos, qui in Cute extremâ ſub Veſicarum nomine & formâ comparent. Quòd ſi lympha in ſuis cumulata vaſculis mucilaginoſam vel gelatinoſam craſſitiem acquiſiverit, tum etiam diutiſſimè citra eorum rupturam perſeverare & difficulter admodum fluiditati priſtinæ, mo-

Pars affect.

Ætiologia.

tuique

tuiq́ue ſuo circulatorio reſtitui poteſt. Cùm autem ſerum ſanguinis vel propter nimis frequentem & copioſam Vinorum ingurgitationem, vel propter ſenectutem; vel propter cibos craſſioris & lenti ſucci continuè ingeſtos; vel propter moram longam & quotidianam in aëre humido; vel denique propter morbos diuturnos effœtum, ſpiſſum, ſpirituoſo-ſalinis particulis valdè orbatum fuerit, tum Homines etiam hinc oedematoſos pedes acquirunt. Ita gravibus Hæmorrhagiis, Febribus chronicis, Diarrhoeis ac Dyſenteriis, ſimilibusque morbis liberati tandem Ægri crurum Oedemata aliquandiu adhuc durantia reportant. Dum denique Flos ſanguinis purpureo-balſamicus dehiſcit, dum crudo-aquoſæ particulæ cum Chylo minus digeſto ad maſſam ſanguineam frequenter transmittuntur; dum, inquam, ſalia acido-ſalſa & aquoſa, in latice ſanguineo cumulata, ſerum cumulare, & à cruore ſecerni faciunt, tum ſimiliter faceſſit circulans maſſa in ſerum ac lympham mucilaginoſam, quæ dein facilè non tantùm in Crurum, ſed & in aliarum partium lymphicis tubulis ſtagnat, *Oedemaq́;* producit.

Differentia. Ut adeo Oedema aliud *univerſale* exiſtat, totum corpus occupans, velut in *Anaſarcâ*, aliud *particulare*, v. gr. in Capite, unde *Hydrocephalus*; in Oculis, in Cruribus, & alibi. Porrò ex iis, quæ in definitione Oedematis attulimus, facilè eſt hunc Tumorem ab aliis qualibuscunque diſcernere. Proprium enim hoc habet, ut indolens ſit, mollis, cuti concolor, vel magis pallidus, atque impreſſi digiti veſtigia ſatis diu retinens, donec Cutis ſenſim iterum elevetur. Dolorem habet nullum, quoniam ſtagnantis humoris particulæ nec acres ſunt, nec in motu fermentativo ita poſitæ, ut vel calorem cauſari, vel pungere & lancinare circumſtantes fibrillas queant. Unde etiam Oedema ſuppurari minimè poteſt, niſi Inflammatio quædam ſupervenerit.

In *Prognoſi* diverſè admodum ſentire debemus; quòd ſi Pedes fuerint aquoſo Tumore affecti, ſed noctu in lecto cedente ac diſparente, indicium erit, ſerum ſanguinis quidem craſſius & ad motum circulatorium tardius evaſiſſe, ſed tamen adhuc corrigibile, & ad fluiditatem debitam redigibile. Quando autem oedematoſus Tumor in lecto non diſparet, ſignum pejus exiſtit, ſpiſſitudinis nimirum majoris, atque mucilaginoſioris, proin difficiliùs emendabilis, adeoque hominem ad Hydropem paulatim diſponentis; dum vitium in cruribus hærens eadem facilitate in Meſenterio aliiſque partibus internis contingere poteſt. Ubi autem Oedema provenit à mole corporis magnâ, vel tumidis his illisve Abdominis viſceribus, aliâs citra incommodum aut noxam majorem lymphica Crurum vaſa comprimentibus, tum Pedes oedematoſi diutiſſimè quoque circumferri poſſunt: quemadmodum & illi, in quorum lymphaticis tubulis valvulæ fuerunt ruptæ, adeo ut per eosdem lympha tardiùs aſcendens, ſicque accumulata Prognoſis.

cumulata undique diſtenſionem majorem efficiat. Tumor oedematoſus Tympanitidem, Aſcitem, Uteri vel Ovariorum Hydropem aut Tumorem magnum, ſcirrhoſumque ſequens non cedit, niſi prius illi fuerint Affectus ſublati. Ita Crura quoque oedematoſa Hæmorrhagiis nimiis vel Hypercatharſi ſupervenientia ſæpius Hydropis incurabilis prænuncii eſſe conſueverunt. Peſſimæ dein etiam notæ eſt Tumor eorundem poſt Aſthma plus minus intenſum & periodicum accedens; quoniam indigitat non ſolùm Pectoris præſentem, ſed inſuper adhuc Abdominis ſubſequuturum Tumorem hydropicum lethalem. Si Pedum oedematoſorum lympha tandem ex variis diætæ erroribus acrimoniam acquiſiverit, tum vaſcula quædam lymphica erodere, extremam hinc inde cutim exulcerare, Ulceraque tandem continuè per vitam manantia excitare ſolet. Hæc dein Ulcera ſi poſt longam etiam moram, (citò enim curari nequeunt commodè) perſanaveris, ac ita præternaturalem iſtam qualemcunque ſanguinis depurationem ſuſtuleris; tuus brevi Æger vel Apoplecticus morietur, vel in Febrim continuam malignam, irregularem atque lethalem incidet, cum Anxietate pectoris, Palpitatione Tremoreve cordis, ac pulſu inordinato ſive inæquali Hominem è medio tollentem. *Particularia* Oedemata minus periculi habent, & nunc diutiùs durare, nunc citiùs diſſipari poſſunt. In omnibus Oedematibus ſi ſalia alcalino-acido-acria atque corroſiva tubulos ſanguineo-nerveos validè arrodant, aut graviter conſtringant, Gangræna, Sphacelusque inde oborietur.

In *Curatione* dabimus operam, ut Curatio partim tota Maſſa ſanguinis exaltetur, ac ad volatilem balſamicum florem reducatur: partim ut lympha craſſior in partibus ſtagnans feliciter admodum reſolvatur, ſuæq; fluiditati ac debitæ circulationi reſtituatur. Quibus indicationibus ſatisfacient ea omnia, quæ in Hydropis curatione attulimus ſuo loco. Heic tamen pro oedematoſis Pedibus conſulimus primò longam faſciam ab extremo pede ſenſim ſtrictè ſurſum verſus ſuras inducendam, & ita perpetim tenendam. Vel ſequens *Emplaſtrum* etiam impoſitum diſcutere poteſt:

℞. *Fimi Columbin.*
Bol. armenat. ana ℥j.
Croc. ♂t. aperit. ℥ß.
Gumm. Galban.
Ammoniac.
Sandarach. ana ʒvj.
Cinnab. factit. ℥ß.
Baccar. Laur. ʒij.
Camphor. ʒiß.
Ceræ & Tereb. ana q.ſ.
M.f.l.a. Emplaſtrum.

Conducit etiam impoſitio *Herbarum recentium Geranii Robertiani, Fol. Ebuli, Perſicariæ, Lappæ minoris* &c.

Vel *Decoctum* ex *Cineribus Fabarum, Sarmentorum Vitium, Ligni Juniperi, Fimi columbini*, atque *Salis ♀ri in Aquâ Calcis vivæ*, vel *Aquâ ſimplici*, ſub

Fomenti

Fomenti formâ frequentiſſimè applicatum validè admodum diſcutit.

Quòd ſi nulla in Corpore labes fuerit hujus aut illius viſceris; tunc ſingulis hebdomadibus ſemel aut bis gr. xxv. *Maſſæ Pilul. hydropic. Bontii* cum *Juſculo* dabis; atque æſtivo tempore *Thermis ſulphureo-aluminoſis* uteris.

OMPHALOCELE, vid. *Hernia umbilicalis*.

OPHTHALMIA, vid. *Oculorum Inflammatio*.

OPISTHOTONOS, vid. *Convulſio*.

ORTHOPNOEA, vid. *Aſthma*.

ORIS FOETOR, vid. *Fœtor*.

[Os]citatio [ni]mia. OSCITATIO NIMIA eſt frequens admodum maxillæ oris diductio, cum lacrymarum expreſſione conjuncta. Communis eſt hæc quidem oſcitandi conſuetudo Hominibus ſomnolentis, vel è ſomno evigilantibus, quæ ſi frequens non ſit, nec admodum violenta, nullam in Medici conſiderationem venit; nec fuit hactenus, qui remedia contra hanc adeo neceſſariam aut conſuetam omnibus Hominibus affectionem poſtulaverit. Sed quando illa tamen nimis frequens evadit, tum incommoda parit non adeo levia; maxillæ enim muſculi redduntur hinc valdè laſſi, imò laſſitudo tandem hæc toti communicatur corpori: Lacrymæ utplurimum quoque profluunt, viſionisque ſenſum impediunt; quandoque & Capitis jungitur dolor. Imò vidimus & nos Uxorem Senatoris cujusdam noſtratis, cui ab Oſcitatione nimiâ tandem maxilla fuit graviter luxata, ut labore fuerit opus & induſtriâ talem dislocationem emendandi. Denique crebra Oſcitatio interdum prodromus atque prænunçius ſubſequentis Febris eſſe ſolet.

Si *Cauſas* hujus incommodi perluſtremus, non videtur, quid aliud in culpâ eſſe, quàm Lympha quædam viſcida, lenta & acriusculis ſalibus prædita, in lymphicis muſculorum Maxillæ tubulis ſubſiſtens, ſuis ſalinis ſpiculis eosdem Muſculos ad ſui contractionem frequentem ſtimulans. *Cauſa.* Quando autem per violentam hanc Oris diductionem ſimul & Glandulæ lacrymales, & ductus Oris ſalivales comprimuntur, tunc fit, ut lympha talium partium quoque copioſiùs exprimatur, atque Oculos rictumque Oris irriget. Si per Oſcitationem ſemel atque iterum factam tubuli muſculorum maxillæ lymphatici exinaniuntur, tunc Oſcitatio quoque ceſſat; verùm ſi lympha illa craſſior fuerit, & tenacior, tunc diutiùs in tubulis obhærens frequentiorem oſcitationem producit. Comeſſationes nimiæ, potationes, &c. chylum ſeroſo-crudum copioſum exhibentes, ſomnolentiamque gravem inducentes, huc quoque contribuunt multum. Luxatur Maxilla, ſi in Oſcitationis actu Os ita vehementer diducitur, & articulus alteruter, vel uterq; Maxillæ è ſuâ ſede deturbatur. Sæpius verò oſcitante uno etiam oſcitat alter, quoniam ſpiritus animales

males in Homine alterum oſcitantem intuente ita diſponuntur, & determinantur, ut verſus eosdem Maxillæ muſculos copioſiùs profluant, eosque contrahendo ſimiliter Maxillam diduci faciant.

Curatio. *Curatio* nimiæ Oſcitationis perficitur exhibitâ *purgatione* qualicunque cum *Mercurio dulci* permiſtâ; quam ſubſequetur vel *Scarificatio* dorſi cum *Cucurbitulis*, vel *Venæſectio*. Dein *ſudorificum* unum atque alterum exhibeatur, ipſeque Homo *Laconicum* ingrediatur. Denique Maxillæ inferioris Muſculi *Spiritu Ceraſ. nigrorum calido* ſæpiſſimè laventur, *linteaq;* calefacta, vel etiam *fumo Maſtichis*, *Succini*, *Menthæ*, *Myrrhæ*, *Olibani* &c. imbuta applicentur.

Oſſium Caries. OSSIVM CARIES, eſt continuitatis Oſſium ſolutio ab humore acido-acri corrodente & putrefactivo oriunda. Vocant alii cum Barbette *Anatomiæ Practic. Lib. I. cap. 3.* *Cancrum oſſium*, vel etiã *Sphacelismum* aut *Siderationem* eorundem. Imò pro diverſitate cauſarum & ſubjectorum alia adhuc nomina fuit adepta. Quòd ſi enim *Caries* fuerit *interna*, h. e. ab internâ Oſſium parte, quâ medullam continet, incipiens & progrediens, tum *Spina ventoſa*, vel *Spinæ ventoſitas*, juxta *Avicennam* dicitur, quòd in eâ corruptum Os quaſi vermibus exeſum, poroſum, & flatu repletum reddatur; & ſi hæc apud Pueros vel Infantes contingat, uti non rarò fit, græcanico nomine compoſito *Pædarthrocaces* venire conſuevit. Si autem *levior* fuerit & *externa* Oſſis corruptio, in quâ ſuperficies ejus exterior ab humore corroditur acri, ſimpliciter *Caries*, ſive voce à Græcis mutuatâ, *Teredo*, Τερηδὼν juxta *Hipprocatem lib. 2. de Morb. text. 7. & 24.* nuncupatur. Unde ſatis patet, illud, quod in mollibus partibus eſt *Ulcus*, in düris ſive Oſſibus eſſe *Cariem*.

Spina ventoſa. *Pædarthrocace.*

Utrobique autem ſolutio eſt unitatis, vel continuitatis in partibus ſolidis, à ſe invicem præternaturaliter diviſis, ita ut in Oſſe quidem corrupto particulæ velut calcinatæ, ſed nigricantis aut cinerei coloris, & frixabiles exiſtant. Oſſa autem in corpore nulla ſunt, quæ à Carie immunia dici poſſint. Imò quælibet pars Oſſis eâ infici poteſt, facilius tamen cavernoſa Oſſium capita, non ſecus atque integra Faciei ſpongioſa Oſſa tali labe prehenduntur, utpote quæ minus reſiſtere poſſunt, quàm fortiores & duriores Oſſium partes. Ita praeter Obſervationes, apud *Schenckium*, *Severinum*, *Fabric. Hildanum*, *Paræum*, *Tulpium*, *Barbette*, *Scultetum*, *Foreſtum* aliosque Chirurgos occurrentes, plura quoque exempla Puerorum & Infantum animadvertimus, apud quos Oſſicula Carpi aut Metacarpi, imò capita quoque Oſſium Cubitorũ, Talorum ſpongioſa vel cavernoſa Carie fuerunt corrupta, non ſine Ulceribus membranarum Cutis ſuperjacentium, continuè ſaniem plus minus liquidam manantibus.

Cauſa. Erodunt verò ſic Oſſa Humores acido-acres & corroſivi, ad tubulos Oſſium depoſiti, idque vel in parte

eorum

eorum internâ, vel in externâ; unde nunc corruptio & exeſio Oſſis incipit intra ſubſtantiam Oſſium, nunc extus in eorum ſuperficie, idque non ſine dolore perioſtii, aut tendinum lancinante. Provenit ille humor peccans ex maſſâ ſanguineâ, in quâ colligitur nunc è Chylo tales particulas advehente, nunc ex Aëre per ſalivam, aut corporis varios poros ſanguinis maſſam ſubeunte, nunc à Lue venereâ, Paſſione ſcorbuticâ, nunc denique ab Ulceribus fiſtuloſis ac ſinuoſis ſordidis partium carnoſarum & membranoſarum, in quibus natum, vel coacervatum ſal acre corroſivum, minus probè deterſum, tandem Oſſa ſubjecta qualiacunque arrodit, & putrefacit. Si quis etiam adhuc Juvenis Lue venereâ laborans minus perfectè curatus fuerit, tunc per plurimos annos ſalia quædam venerea corroſiva in his aut illis Oſſium tubulis immota latitare poſſunt; quæ demum, uti notavimus, poſt viginti pluresve annos in apricum denuo prodeunt, atque acceſſione novarum particularum acrium & corroſivarum aucta, inque motum à ſanguine circulante, æthereve transeunte ſuſcitata Oſſium ſubſtantiam corrodere, corrumpere, dolores oſtocopos perioſtiorum, ſubinde immanes producere, ac denique Hominem continuis ejusmodi cruciatibus fatigatum, prorſus emaciare, perque Febrim hecticam è medio tollere ſolent.

Apud Infantes talia ſalia utplurimum per hæreditatem à Parentibus malè ſanis, Scorbuticis &c. acquiri, pituitæ hinc viſcidæ includi vel involvi ſolent, ſubque hâc facie circa Articulos, & horum glandulas maximè hærere, ſubſiſtere, cumulari, Tumores hinc cuti concolores primùm, deinceps verò in progreſſu indolentes producere, tandemque poſt intercurrens longius temporis ſpatium exulcerare valent. Ubi ſæpiſſimè etiam in aperto Tumore materia lardo ſimilis deprehenditur, quæ non niſi corroſivis & putrefactivis cathæreticis tolli poterit; ſuccreſcens tamen ſemper de novo è ſucco circumſtantium tendinum alimentoſo, niſi debitis remediis ſtudioſè id impediamus, quibus quidem Cariem Oſſis ſubjacentis, è quo ſimul nova materia ſimilis ſæpè pullulat, emendamus. Quandoque *Unguenta oleoſa*, & *pinguia* in Ulceribus à Chirurgis minus expertis adhibita, propter occultum acidum penetrare, & Oſſa corrodere quoque valent.

Caries facilè *cognoſcitur*, ſi Oſſa fuerint denudata, utpote quorum color naturalis in lividum, flaveſcentem, aut etiam nigrum degenerat; dein & Os ita corroſum plerunque aſperum, inæquale vel etiam pingue obſervatur. Quòd ſi autem Oſſa fuerint adhuc abſcondita, viſuique minus patentia, tunc aliis ſignis eorum corruptio dignoſci debet; nimirum 1. Specillum ſive ſtylus Ulceri immittitur, qui, ſi ad fundum penetrare poterit, adigetur ad Os carioſum, cujus inæqualitas hinc deprehenſa ſolet eſſe verum corruptionis illius indicium. Quando autem ſinuoſa exiſtunt *Diagnoſis.*

ſtunt Ulcera, curvis ſinubus prædita, tunc ſtylo explorare Os non licebit, ſed cognoſcitur tum 2. Caries è ſanie tenuiore, copioſiore, magis fœtente, ſubinde & tantillum lividâ ex Ulcere continuè manante. 3. Caro Ulcus obtegens luxurioſa, tumida, pallida ſeu livida, mollis & flaccida vel ſpongioſa indicium ſubtus latentis Oſſis corrupti præbet: inprimis ſi remediis convenientibus adhibitis cedat quidem, ſed brevi iterum recrudeſcat. Quando igitur circa Articulos Puerorum talis caro intumeſcit, pullulat, atque primùm pallida, poſt rubicunda, tandem ad aliqualem livedinem inclinans notatur, ſive dein adfuerit dolor, ſive non, indicium certum præbet Cariei Oſſis ſubtus exiſtentis: neque unquam caro illa diſſipari poterit, niſi tumore in Ulcus converſo Oſſis Caries denudata, & à ſanâ illius parte ſeparata fuerit. Quòd ſi particula Oſſis carioſa abſceſſerit, hincque Ulcus cicatrice obductum fuerit, ac dein nova iterum caro ſpongioſa extumuerit, manifeſto ſignificabit, Cariem nondum perfectè fuiſſe deletam; quoniam firma caro nunquam generatur, niſi Oſſa ſubtus recondita ſanitati firmæ ſint reſtituta.

Signa Spinæ ventoſæ. *Spinam ventoſam* ſpecialius indicant dolor oſtocopos, puncturæ inſtar Hominem noctù inprimis torquens: dein locus Articulorum affectus, ceu qui ſpeciatim magis, quàm aliæ Oſſium partes heic affliguntur: porrò Tumor articulorum laxus, ſpongioſus, cum ſubſequente magis quàm antecedente exulceratione; ac denique Adoleſcentes magis quàm Adultos afficiens malum; unde *Pædarthrocace* appellari meruit.

Progſis. Ejusmodi autem Oſſium corruptiones diuturnum ſolent eſſe malum; quæ tamen ab internâ Oſſium ſubſtantiâ emergunt ac enaſcuntur, velut Spina ventoſa, cœteris, ab externâ Oſſium ſuperficiei corroſione in Ulceribus ſordidis & malignis incipientibus longè diuturniores, & vel noſtrâ obſervatione in aliquibus Pueris ad duos, tres, quatuorve annos protractæ ſunt. Quando talia Oſſium mala prehendunt Homines cacochymicos, ſcorbuticos, leproſos, aut venereâ Lue infectos, tum certè eos cum immanibus ſæpiſſimè doloribus poſt longos demum cruciatus, ſenſim emaciato corpore è medio tollunt. Ita enim novimus plura exempla, in quibus Oſſa vel humerorum, vel Claviculárum, Cranii, Tibiarum &c. eroſa fuerunt ſine ullâ medelâ. Quando autem in ſaniore nonnihil ſanguinis diſpoſitione Caries obtingit, feliciùs illa nihilominus, citiusque in ſolidiore & ſicciore, quàm ſpongioſiore Oſſis parte curatur. Tardiùs imò tardiſſimè tandem ſanatur, quæ circa Articulos hæret, & ſubter tendines, vel arterias ac venas majores deliteſcit Oſſium corruptio; cùm heic non liceat adeo impunè ſive inciſionibus, ſive corroſionibus ad Cariei locum penetrare, ne pungendo rodendoque fibras nervoſas convellantur Ægri, convulſique moriantur. Perfectè denique non ſanabis Ægrum, nec ſanatum exiſtimabis, niſi corruptelam

Oſſis funditus extirpaveris. Durat interim adhuc aliquandiu Tumor loci affecti, etiam poſt benè ſanatum Ulcus; ſed non metuendus ille, ſi carnem habuerit ſanam, firmam ac floridi coloris, neque dolore qualicunque moleſtus ſit.

io. In *Curatione* id ſtudioſè agendum, ut quantocyus omne acre, acidum, putrefaciens ex Ulcere, ſi quod adeſt, detergatur; ut hinc tota maſſa humoralis edulcoretur, atque à conſortio particularum ſalino-acido-corroſivarum per abſorbentia, temperantia, diaphoretico-diuretica &c. probè liberetur, ſicque affluxus talium liquorum ad partem affectam tollatur: ut denique deterſum Ulcus, poſtquam portio Oſſis corrupta per injectiones, vel raſuram, vel cauteriſationem, vel contrariam eroſionem abſceſſerit, conſolidetur, & ad cicatricem firmam, laudabilemque deducatur. Quibus Indicationibus ſequenti methodo commodè ac tutò, quantumvis etiam tardè, ſatisfacere conſuevimus.

Primò Ventriculum & Inteſtina à colluvie & ſaburrâ vitioſorum humorum liberamus per *lene* aliquod *purgans*, cui ad acidum probè deſtruendum etiam *dulcificatum Mercurium* admiſcemus. Formulæ ſequentes nobis hunc in finem probatiſſimæ ſunt:

℞. *Rhab. elect.* ℈iiß.
Crem. 🜿ri.
Mercur. dulc. ſexies ſublimat. ana ℈ß.
Scammon. 🜍rat. gr. ij. *vel* iij.
M. f. Pulv. ſubt. d. ad ch. pro doſi.

Vel ℞. *Rhab. elect.* ʒß.
Radic. Jalapp.
Crem. 🜿ri ana gr. xij.
Ol. ſtillat. Mac gutt. ij.
M. f. Pulv. ſubtil. d. ad ch. pro doſi matutinâ cum regimine Diætæ ſumendâ.

Vel ℞. *Syrup. de Cichor. cum Rhab. aut Roſ. ſol. Compoſ. cum Rhab. Ag. & Senn.* ℥ij.
Aqu. Fumar. ℥j.
Cinam. ʒij.
Elect. è Succ. Roſ. ʒiß.
M. f. Potio d. ad Vitr. pro doſi mat.

Vel ℞. *Syrup. Flor. Perſic.* ʒiß.
de Spin. cerv. ℥j.
Confect. Hamech. ℈ij.
Aqu. Betonic. ʒvj.
Cinam. ʒij.
M. f. Potio d. ad Vitr.

Ejusmodi purgans ſubinde pro rê natâ repeti poteſt, ſed ad vehementiora ſive *draſtica* non erit deveniendum, utpote quæ ſuâ acrimoniâ magis ad Oſſium corruptionem contribuerent. Poſt *laxans remedium* inſtituenda eſt Venæſectio, ſi plethoricus nonnihil Æger fuerit & Adultus, vel *Cucurbitulæ cum ſcarificatione* applicandæ. Maximè tamen proſunt *Fonticuli*, unus vel duo in brachiis aut pedibus excitati, utpote per quos multum materiæ viſcoſo-acido-acris, aliâs ad carioſum Os profluxuræ, excernitur. Tota hinc Maſſa ſanguinea corrigenda venit *remediis abſorbentibus*, atque *edulcorantibus*, quem in finem commendamus in Pueris, qui *Vini potui* nondum indulſerunt, *potum Lactis*, vel *caprilli*, vel *aſinini* verno

æſtivoque tempore per plures hebdomadas, aut menſes continuatum, in quo etiam pro lubitu *Herbæ recentes Fumariæ, Bellidis minoris cum toto, Veronic. Plantag. Matriſylv. Numular. Sanicul. Alchymill. Ariſtoloch.* & ſimiles *traumatica* bullierint, cum tantill. *Sacch. cand. alb.* vel *Conſerv. Roſar. rubr.*

Germani plures commendant heic uſum quoque *Salium volatil. oleoſorum*, aut *Urinoſorum alcalinorum*, ſed hæc non ſemper eventum ſperatum, felicemque habent. Melius notavimus eſſe, ſi Ægri tales *Decoctum Lignorum* man. ac veſp. biberunt; imò tertia pars hujus *Decocti* cum duabus partibus *Lactis* ſuperioris permiſta, hauſtaque ſuo non caruit effectu bono. Placet temen etiam uſus *Pulverum abſorbentium*, atq; *Tincturarum traumaticarum*: pulveres componi poſſunt è *præparatis Coralliis, Lapidib. Cancrorum, Unic. foſſil. Spod. ppt. C. C. phil. ppt. Bol. arm. Terr. ſigillat. Pulver. Viper. Diaphor. ♂ ial.* aut *♃ vial. ♁ n. diaph. Pulvere Flor.* & *Folior. Sanicul. Alchymill. Numular.* &c. v. gr.

℞. *♁ n. diaph.*
Spod. ex Ebor. ppt. ana ʒij.
Diaph. ♃ vial.
Pulv. Flor. Primul. ver.
Fol. Sanicul.
Semin. Plantag.
Aniſ. ana ʒj.
Sacch. cand. alb. ℥ß.

M. f. Pulv. ſubt. d. ad ſcatul. Doſis man. ac veſp. ℈ij. *cum vehiculo conveniente.*

Vel ℞. *Unic. foſſil.*
Terr. ſigillat.
Bezoard. min.
C. C. phil. ppt.
Viper. ppt.
Radic. Caryophyll. ana ʒj.

M. f. Pulv. ſubtil. divid. in 12. *doſ. æqu. ad ch. m. ac veſp. capiendas.*

Tincturam verò elicere poſſumus *vulnerariam* è *Radicib. Ariſtoloch. rotund. ver. Caryophyllat. Ruſci, Rubiæ tinctor. Cichor. Herb. Alchymill. Pyrol. Hyperic. Numular. Betonic. Sanicul. Gramin. Parnaſſ. Virg. aur. Geran. Robertian.* & hinc quotidie usque ad ʒj. vel ℈iiij. cum *Juſculo* vel *Decocto Lignorum* propinare v. gr.

℞. *Tinct. ♁ nii.*
Traumat.
Eſſent. Trifol. fibr. ana ʒj.

M. d. ad Vitr. Doſis m. ac veſp. 20. *ad* 30. *gutt.*

Externè omni modo curandum, ut Caries Oſſis detegatur, quod fiet, ſi Ulcus amplietur ſive lanceolâ, ſive turundis è *Spongiâ* vel *Gentianæ radice factis*; ſive etiam *Mercurio præcipitato rubro*, cum *Radice Pyrethri*, aut *Euphorbii* per plures dies immiſſis. Sunt qui ipſius *Mercurii ſublimati corroſivi* fruſtulum applicant; verùm hic corrumpit quidem, & in cruſtam vertit putrilaginoſam, quicquid carneæ eſt, vel luxuriantis ſubſtantiæ in Ulcere, ſed inſimul dolores immanes per 20. & plures horas durantes excitat, quod à *præcipitato Mercurio*, tardiùs licèt operante, exſpectari nequit. *Remedia externa*

Ubi ad Cariem deventum eſt, vel

radulâ

radulâ venit illa extirpanda, vel *actuali cauterio* deſtruenda; vel *Pulveribus Euphorbii*, *Garyophyllor. aromat. Radic. Imperator. Myrrhâ*, *Aloë*, &c. jugiter impoſitis paulatim ſeparanda; ad quod omne diuturnum tempus requiritur, donec foliola ſive fruſtula carioſa à ſano Oſſe excuſſa atque perfectè ſegregata, tandemque cum pure aut ſanie excluſa fuerint. Deſuper imponemus ſemper *Emplaſtrum* vel *Diapalma*, vel *Catagmaticum*, imò etiam, ubi Inflammatorius ſimul tumor adfuerit, *Cataplasma diſcutiens*, aut *Fotum* ſimilem applicemus; cujus tamen loco ſubinde nobis ſufficit *Cataplasma* ex *Herbis recentibus* contuſis, & nonnihil calefactis *Rutæ*, *Scordii*, *Alliariæ*, *Origani*, *Ariſtolochiæ rotund. Sabinæ*, *Perſicariæ*, *Lappæ majoris*, *Hederæ arboreæ* &c. Quando Caries ſic omnis abſceſſit, Osque nitidum, album, & omninò ſanum fuerit, tum *ſicca fila lintea* ei ſemper applicabimus, adjiciendo tamen ſi volupe voluerit *Pulverem Myrrhæ*, *Thuris*, *Aloës*, *Rhabarbar. Terr. ſigillat. Lactis Lunæ*, &c. hinc *Emplaſtrum Opoteldoch*, vel *Diapalma* ſuperinjiciendo, quod prius conſperſum ſit *Eſſentiâ Myrrhæ* & *Aloës*. Et ita continuabimus, donec caro nova Oſſi ſupernata fuerit; quâ viſâ, *Digeſtivo* cum *Balſamo vulnerario*, vel *Indico ſ. Peruviano* Ulcus ſenſim ad Cicatricem promovemus.

Pædarthrocaces Curatio. Accidit tamen aliquando, ut Caries Oſſium prehendat Articulos, atque hinc ad eam nullâ arte pervenire queamus; quemadmodum in carpis manuum, & tarſis pedum Oſſicula ſub tendinibus latitantia evadunt carioſa; tum verò pro re natâ ſingulis octiduis (curatio enim maximè diuturna erit, & ad plures ſubinde annos extenditur, quam ſi citò nimis abſolves, facilè humor in ſanguine latitans venenatus & corroſivus ad alios articulos præcipitatur, inibique novam tragœdiam excitat) vel *Mercurium ſublimatum corroſivum* piſi magnitudine imponemus, vel *Butyro* ♁ *n.* aut *Lapide infernali* carnem luxuriantem, quandoque lardo ſimilem, corrodimus; atque hinc *digeſtivum* è *Melle roſaceo* cum *Myrrhæ*, *Aloës* & *Euphorbii* pulvere adhibemus; vel linteola *Eſſentiæ Myrrhæ* &c. intincta applicamus, donec cruſta fuerit ablata. Poſtea verò iterum, quicquid adhuc aderit carnis malè ſanæ exedemus, ita pergendo, donec omnis caro luxurians vel aliâs corrupta fuerit per crebram corroſionem ablata. Imò poſt hanc ſemel factam, etiam *Mercurium præcipitatum rubrum* cum vel ſine *Unguento digeſtivo* Ulceri quotidie ſemel vel bis inſpergere, deſuperque *Eſſentiam Myrrhæ*, *Aloës* & *Euphorbii* applicare ſolemus.

Fiet inter hæc, ut ſenſim omnis ſanguinis labes per ejusmodi *Pædarthrocacem* expurgetur, cumque tandem purior ſanguis redditus, oſſiculaque carioſa excuſſa fuerint, vel ſponte, quicquid remanebit, Ulceris ſanabitur, & cicatrice firmâ obducetur, modò *Emplaſtro diachalcitheos*, *Diapalma*, vel ſimili Ulcus texeris.

Quòd ſi verò Tumor aliquis remaneat,

maneat, cum aliquali livedine aut rubedine Cutis, ſi fruſtillum adhuc carioſi Oſſis ſubtus latitabit, denuo brevi exulcerabitur, atque ſuperiori modo Ulcus tractabitur. Imò ne ulterior Oſſis ſequatur corruptio, etiam poſt diligentem inſperſionem *pulveris Euphorbii*, & *Mercurii præcipitati rubri* deſuper *Cataplaſma* herbaceum ex *Herbis recentibus Sabinæ, Ariſtoloch. Perſicar. Geran. Robert. Rutæ, Alliariæ,* & *Radice Sigilli Salomonis* invicem probè contuſis & leniter calefactis quotidie ſemel craſſè imponimus, & inde non ſolùm Tumorem minutum, ſed & Cariem ulteriorem impeditam, carioſique fruſtuli ſeparationem promotam vidimus, præſertim in Articulis.

Obſervatio. Vidimus Pueros, quibus oſſicula Carpi, non ſine tendinis læſione & constrictione in medio exeſa, indeque etiam digiti abbreviati fuerunt, ſi eorum Oſſicula fortè etiam carie corrupta exceſſerunt. Tandem Cicatrix ſenſim facilè inducitur, ſi modò *Eſſentia Myrrhæ, Aloës, Camphoræ,* cum *Melle roſaceo* linteis impoſita applicetur, Ulcusque *Emplaſtro Diapalm. Diaſulphur. Ruland. Diachalcith. de Spermat. Ranar.* tegatur.

OSSIVM FRACTVRA, vid. *Fractura*.

OSTOCOPOS DOLOR, vid. *Dolor*.

OTALGIA, vid. *Aurium Dolor*.

OVARII MVLIEBRIS HYDROPS, vid. *Hydrops*.

OZÆNA, vid. *Narium Ulcus*.

PÆDARTHROCACE, vid. *Oſſium Caries*.

PALPEBRARVM AFFECTVS, vide *Oculorum Palpebrarum Morbos*.

PALPITATIO CORDIS, vide *Cordis Palpitatio*.

PALLIDVS VIRGINVM COLOR, vide *Chloroſis*.

PANARITIVM, PARONYCHIA, *Vermis Digitorum, Reduvia, Redivia*, vel *Relivia*, eſt Tuberculum inflammatorium, valdè dolorificum, ſubter vel circa digitorum ungues, non rarò cum periculoſis ſymptomatibus atque Febri acutâ Hominem affligens, à ſtagnatione ſucci acris & corroſivi, utplurimum in pus abeuntis, oriundum. *Paronychia.*

Ætiologia. Quòd ſi enim irregularia quædam, ſpecificeque acria, aut acido-auſtera ſalia in ſanguinis circulantis latice fuerint collecta, tandem poſt plures etiam circulatiônes, occaſione quadam nactâ, inprimis ex aëre, aliisque rebus frigidis, tubulos partium extremarum conſtringentibus, in illis canaliculis anguſtatis unâ cum portione Lymphæ vel etiam ſanguinis obhærere, ſtagnare, atque obſtructionem inflammatoriam, primò quidem levem & exiguam, ſenſim verò auctam, majoremque producere valent; ita ut hinc materia ſubtilis perniciſſimo motu ſemper agitata, ſtagnantem humorem permeando, motum in illo inteſtinum valdè augeat, atque turgeſcentiam excitet, à cujus dein particulis fibræ propinquæ membranaceæ vehementer concuſſæ, aut expan-

expanſæ non ſolùm Tumorem ſed & doloris ardoriſque ſenſum valdè acerbum excitant. Quando autem juxta tenſas ſic membranarum fibras arteriolæ excurrunt, tum hæ quoque irritatæ vehementius pulſant, atque ita pulſante dolore perceptibilem tumorem efficiunt. Si verò denique vaſcula quædam capillaria ob nimiam ſui expanſionem diſſiliunt & rumpuntur, ſicque extravaſationem humorum, & hinc majorem Tumoris molem conciliant, tunc ejus ſucci ſtagnantes poſtea ſenſim in pus abeundo Abſceſſum formant, quem ruptum tandem Ulcus ſubſequitur, in quo interdum Vermiculus inventus nomen *Vermis Unguium* huic Malo dedit. Imò Ulcus, quod pro ſuccorum ſuorum majore minoreve acrimoniâ, nunc citò ſanabile exiſtit, nunc verò in ſordidam fiſtulam non ſine Oſſis corruptione tendit; nunc denique prorſus, ſi minus probè tractatum fuerit, in Gangrænam ac Sphacelum abit.

Pars affecta. Affectus hic non niſi in Digitis manûs extremis notatur rariſſimè in pedibus. Interim Paronychia non tantùm quoad Symptomata differt, ſed quoad alias inſuper circumſtantias, hinc ulterius alia *vera* & *genuina* eſt, alia verò *ſpuria* magis ſive *notha*, quarum *illa* prope aut circa Ungues excitatur; *hæc* verò pulpoſam magis digitorum extremitatem occupat, & minus ſenſibili cum dolore affligit. *Vera* Paronychia nunc anterius, nunc poſterius in radice Unguium, nunc ad latera eorundem, imò interdum cum immanibus doloribus, ſub ipſo Ungue, vel ſub ipſo Perioſtio reſidet, atque tandem circumrodendo fibras dictum Unguem ſuo paulatim loco movet, excutit, & novum ſuccreſcere facit.

Occaſionem verò maximam præbent huic malo contuſiones, violentæ tenſiones, diſtenſiones, punctiones cum acubus aut feſtucis, manuum diuturnæ in aquam gelidam immiſſiones, vel in aëre frigido-auſtero detenſiones; frequentes item earundem cum *Aquâ ſaponatâ*, *Oleo Tartari per deliq.* acuatâ, lotiones, digitorum gelidorum ad calida ſtatim loca ſive ignem admotiones, vel eorundem calentium ſubitanea in frigidam aquam immiſſio, ac demerſio. A quibus cauſis facilè ſanguinei ac lymphatici tubuli digitorum conſtringi, anguſtari, criſpari, lacerari, atque rumpi poſſunt. Sed oportet tamen, ut in maſſâ humorali jam prius collectæ fuerint tales particulæ acido-acres, ſi ab illis cauſis mali origo occaſionē nanciſci debeat. *Cauſæ externæ.*

Imminentem Paronychiam produnt dolor circa radices Unguium exiguus ac tolerabilis, cum rubore levi, atque tantillum apparente tumore, præſertim ſi levicula quædam Febris ephemera præceſſit; aut ſi Homo occaſionem quandam huic malo dederit. *Præſens* verò malum facilè cognoſcendum præbet dolor exquiſitiſſimus, iſque utplurimum lancinans, pulſans, atque ardens, in digiti extremitate circa Unguis radicem, non ſine aliquali rubore ac tumore conjunctus, qui pro cauſæ ſtagnantis *Diagnoſis.*

gnantis diverſitate nunc major, nunc minor exiſtit. Subinde dolor tantus eſt, ut integrum digitum, imò manum brachiumque ipſum in conſenſum ac tumoris conſortium trahat. Tum verò non levicula, ſed gravior etiam Febris continua, cum vigiliis, appetitu proſtrato, ſiti, & laſſitudine Hominem ſimul afficit. In Morbi augmento, dum Abſceſſus ex Inflammatione gignitur, ſymptomata primò quidem augentur, ſed paulatim maturato Panaritio remittunt, rubor partis in purulentam albedinem convertitur; dolor tamen non prius ceſſat planè, quàm ubi è rupto Abſceſſu pus effluxerit. Quandoque tamen ſine effluxu ſaniei paulatim diſparet Paronychia, diſſipato ſcilicet ſenſim humore ſtagnante, atque cute digiti interim incraſſatâ, albeſcente, & corruptâ, quàm etiam citra dolorem poſtea incidere, & ſuccreſcente novâ ſenſim cute auferre poteris.

Prognoſis. In *Prognoſi* non ſemper adeo facilem curam promittemus, niſi malum adhuc recens fuerit, & quidem in corpore aliâs non malè ſano. Quo materia peccans à partibus nervoſis remotior, vel aliâs magis dulcis exiſtit, Tumoremque valdè ſenſibilem excitat, eo faciliorem promittit curam. Si autem corpus Ægri fuerit cacochymicum, ſi humor in digito ſtagnans valdè acris & corroſivus; ſi etiam ſub perioſtio deliteſcat, tum malum tanto pejus eſt judicandum, quod nimirum facilè in Cariem oſiculi, Ulcusque fiſtuloſum ac ſordidum, tardiùs ſanabile convertitur, ac ſimul quandoque graviſſima ſymptomata poſt ſe trahit, Febrim ſcilicet malignam, Convulſiones, Gangrænam atque Sphacelum. Terminatur itaque Paronychia ſæpiſſimè quidem in Abſceſſum benignum; aliquando verò paulatim diſſipatur cum Cutis extremæ corruptione & ſeparatione; aliquando in Ulcus ſordidum, fiſtuloſum, denique & in Sphacelum non niſi ferro extirpabilem interdum mutatur.

Curatio. In *Curatione* attendendum ad Morbi tempus, cauſæ morbificæ naturam, ipſiusque Ægri temperiem. Si Malum fuerit recens, Febriſque nulla adſit, tum metuendum tamen, ne fortè in Sanguinis maſſâ deliteſcant particulæ ſalino-acres, quæ ad partem affectam devolutæ, malum deterius reddant. Itaque intus ſtatim ad præſervationem dabimus lene aliquod *purgans*, v. g. ſequens:

℞. *Syrup. Roſ. fol. compoſ. cum R. A. & S.* ℥ij.
Aqu. Fumar. Scab. ana ℥j.
Cinam. ʒij.
Elect. è Succo Roſar. ʒiß. *vel* ʒij.
Mercur. dulc. opt. ℈j.
M. f. Potio d. ad Vitr. pro doſi.

Poſtmodum ſi æſtus ſanguinis id fortè requiſiverit, Venam Brachii in latere affecto tundemus, atque dein intus blanda *diaphoretica* m. ac veſp. dabimus, ex ♁ *n. diaph. Raſur. Ebor. ppt. Corn. Cerv. phil. ppt. Bezoard. mineral.* & ſimilib. cum *Aqu. Scabioſ. Flor. Sambuc. Card. bened.* &c. Si autem malum jam fuerit per aliquot dies progreſſum, ſi Abſceſſus jam formetur,

formetur; ſi Febris aliqua adſit, immaneſque digitum excrucient dolores, ſi Inflammatio non digitum ſolum, ſed manum vel brachium quoque prehenderit; tunc à *purgante* abſtinebis, & *Clysma* nihilominus *abſtergens*, atque *emolliens* infundes; *Venæſectionem* quoq; in Brachio oppoſito inſtitues; & intus *Remedia* concedes *alexipharmaco - diaphoretica*, quemadmodum in Febri malignâ; ſubinde *anodyna* ad dolorum mitigationem intermiſcendo.

Externa Remedia. *Extus* in Paronychiâ non adeo doloroſâ & malignâ ſimpliciter conveniunt *Cataplasmata diſcutientia*, vel *maturantia*, à quibus malum longè citius diſcutitur, vel maturatur & in Apoſtema abit. *Cataplasmata* in hunc finem diverſa à diverſis commendantur; profuit hactenus nobis omnium maximè, compoſitum è *Melle*, *Farinâ fabaceâ* vel *ſecalinâ*, *Croco*, *Succo Cepar.* vel *Allii*, & *Lacte*. Hiſce tamen permiſceri poſſunt *Pulveres herbarum ſiccatarum Sabinæ*, *Nicotian. Serpill. Roriſmar. Origan. Malv. Parietar. Rut. Salv. Scordii, Alliar. Meliſſ. Betonic. Summit. Abſynth. Aneth. Flor. Chamomill. Verbaſc. Melilot. Cichor. Sambuc. Semin. Pſyllii, Lini, Cannabis, Dauc. Fœnic. Baccar. Juniper. Laur.* Imò tales etiam *Herbæ recentes*, non ſecus atque *Geranium Robertian. Ariſtoloch. rot. ver. Bardana*, *Perſicaria*, *Plantago*, *Petaſit. Caltha paluſtris* &c. incidi, contundi, ac tepidè cum *Roob Juniper.* imponi poſſunt, *Melle* ſi velis aut *Lacte* junctis. Sunt qui *Caſeum* duntaxat putridum cum *Nucum juglandium nucleis* contundunt, *Mel* admiſcent, & ita imponunt quotidie ſemel vel bis. Sæpius etiam cum ſucceſſu felici uſurpavi non niſi *Emplaſtrum Diachyl. cum Gumm.* optimè elaboratum & diligenter impoſitum, usque ad perfectam ſanationem. Alii alia applicant ſub Titulo de *Abſceſſu* jam commendata.

Quòd ſi verò *malignitas* quædam humoris deprehendatur, tum *Myrrham*, *Camphoram*, *Electuar. Diaſcord. Theriacam* vel *Mithridatium* ſimul immiſcemus Cataplasmati. *Malignum Panaritium.*

Quando autem credimus, Paronychiam adhuc diſcuti poſſe, tum *ſpirituoſa* applicamus, v. g. *Spiritum Vini camphoratum*, *Spiritum Ceraſ. nigror. Anth. Lil. convall. Lumbricor. terreſtr. C.C. volatil. Solutionem Camphor.* vel *Gumm. ammoniac.* in *Spirit. Vini dephlegmat.* cum *Eſſent. Croc.* vel *Myrrh.* Imò *Stercora animantium* v. gr. *vaccinum*, *anſerinum*, *porcinum*, *felinum*, *Pavonum*, *columbinum* vel *caballinum*, applicata ſæpius cum *Spiritu Vini camphorato* præſtantia exiſtunt. In eundem finem nonnulli quoque digitos *calentibus Viſceribus*, aut *ſanguini recenter mactatorum Animalium* intrudunt. Denique *Limaces*, *Lumbricos terreſtres* aut *Cancros fluviatiles contuſos*, cum *Pulvere Croci*, *Roob Juniperi*, & *Radice Ceparum* non ſine fructu quis ſæpius applicabit.

Ruptum ſponte vel arte Panaritium cum ſolo *Emplaſtro Norimbergenſi*, *Stict. Croll. Diapalma*, aut *Dia-*

chylo cum Gummis impoſito perſanatur; *digeſtivum Unguentum*, ſi opus fuerit, non negligendo; cui ad necandum in Ulcere forſan latentem Vermiculum, *Eſſentiam Aloës*, *Myrrhæ*, *Rhabarbar Abſynth.* imò aliquot etiam guttas *Olei ♀ri* vel *C. C. fœtidi* permiſcebimus.

Tandem ſi Ulcus ſordidum, fiſtuloſum, & cum Oſſiculi carie conjunctum fuerit, eo modo tractabitur, quo *Oſſium Cariem* paulo ſuperius curari debere indigitavimus.

Pancreas

PANCREAS, Viſcus illud è Glandulis conglomeratis concinnatum, ac in Abdomine juxta Inteſtinum Duodenum ſitum ſuis minimè liberum evadit morbis. *Inflammatur* enim, *intumeſcit*, *obſtruitur*, *induratur*, *dolet*, *Gangrænâ*, *Sphacelo*, *Abſceſſu*, *Vulnere*, atq; *Ulcere* affligi poteſt, eaque propter hinc ſanitatem corporis maximè interdũ labefactare. Sed cùm hi omnes Affectus eodem modo produci ſoleant, atque Hepatis, Lienis, vel etiam Meſenterii Morbi, neque diſſimilibus admodum ſignis ſeſe diſgnoſcendos præbeant, hinc & eandem Ætiologiam, Diagnoſin, Prognoſin atque Curam admittunt; ut proin haud immeritò talibus morbis ſpecialiter recenſendis atque deſcribendis Medici Practici ſuperſedeant.

Pandiculatio nimia.

PANDICULATIO NIMIA eſt extenſio & contractio reciproca ac frequens Artuum, ipſiusque Trunci corporis, cum labore, moleſtiâ, aliisq; incommodis Hominem affligens.

Cauſa.

Oritur hæc Affectio non niſi à lymphæ vaporoſæ, inter musculorum membranas collectione, ac tantillâ ſtagnatione, contingente utplurimum in Hominibus ſomnolentis, aut vitæ ſedentariæ deditis, in quâ nihilominus Baccho Cererique ſtrenuè litant. Contingit enim ſic, ut propter motûs corporei, aliâs non inſueti, defectum, tranſpiratio languidiùs procedat, atque hinc flatulentæ, vel vaporoſæ exhalationes inter muſculos collectæ retineantur, quæ dein ſui morâ factæ acriores, fibrillas muſculorum in artubus lancinant, blandè ſtimulant, ſicque muſculos contrahendo, illam Artuum Truncique corporis reciprocam crebramque extenſionem atque contractionem non ſine moleſtiâ producunt.

Prognoſis.

Quanquam autem cuivis Homini Pandiculatio poſt ſomnum, in quo vaporoſa effluvia inter muſculos deponuntur, familiaris eſſe ſoleat; non tamen eapropter contemnenda prorſus erit, præſertim ſi frequenter nimis, etiam diu jam vigilantem affligat Hominem, graviusq; ſimul membra corporis diſtorquere incipiat; indicium enim hoc exiſtit, non lenes eſſe, ſed acuminatas magis & auſteroacidulas particulas, quæ effectum talem producunt, easque nunc à Cibis lentis, ſalſis, nunc à bile per vehementem iram acriori redditâ, ſanguinique perfusâ, nunc à pituitâ acido-vel ſalſo-acri, provenientes, hincq; niſi diligenti ſtudio præcaveamus, univerſales quoq; ſpasmos poſt ſe tracturas.

In

In *Curandi* proin *methodo* optimè faciemus, ſi ante omnia corpus debitè expurgabimus, quod quidem commodè fieri poterit ſequenti vel ſimili potiunculâ:

℞. Spirit. Anthos ℥ß.
Fœnicul.
Meliſſ. ana ℈j.
Magiſterii Jalapp. gr. viij. vel ix.
Solutis leni igne adde
Syrup. Pæon. ℥iiß.
Aqu. Cinam. cum Vin. ℥j.
M. f. Potiuncula d. ad Vitrum, pro doſi adulto Homini dandâ.

Deinceps *Vena Brachii ſecabitur*, ſanguisque ad uncias octo plus minus extrahetur. Vel *Cucurbitulæ* quinque aut ſex *cum ſcarificatione* dorſo, apprius calidis linteis probè fricato, applicabuntur. Denique per aliquot dies Homo *ſudabit* in Laconico poſt hauſtum *Aqu. Card. bened. Cherefolii & Scab.* cum *Roob Juniperi*. Imò ſudor exercitio quoque corporis prolectus cum ſubſequenti fricatione maximè proficuus erit. Interim Vita ſedentaria eſt fugienda; ab Irâ, Cibis, Potuque nimio ſibi temperandum: nec ſomno adeo largo quotidie indulgendum.

PANNUS OCULI, vide *Oculi Pannus.*

PAPILLARUM MAMMARIARUM FISSURÆ, vid. *Fiſſura.*

Papillarum defectus. PAPILLARUM MAMMARIARUM DEFECTUS, eſt Morbus numeri deficientis, in quo particula illa Mammarum, Lactis exitum præbens Infanti ſugenti, deeſt. Papillæ autem ſunt fungoſa corpuſcula, in Mammarum medio protuberantia, multis foraminulis pervia, ut ex illis, ceu totidem oſtiolis tubulorum lacteorum, Lac è Glandulis mammariis adfluens, ab Infantibus ſub actu ſuctionis Papillas jugiter prementibus, extrahi atque deglutiri queat.

Hæ verò Papillæ vel ab ipsâ jam nativitate deficiunt, aut profundiùs intra Mammas deliteſcunt, vel ab humoribus acribus, ſeroſis ac ſalſis ſenſim exulceratæ & exeſæ decidunt; vel deniq; ab ipſis ſugentibus Infantibus, ſi prius ulceroſæ fuerint, inter ſugendum avelluntur. A nativitate ſi deficiant, vel imaginationi illud perverſæ prægnantis adhuc Matris adſcribendum, vel certè in ipsâ formatione Fœtûs plaſtica vis, ob contractas fortè, aut nimis anguſtas fibras, nutritium humorem eo usque propellere, Papillarumque texturam expandere nequivit. Profundè intra Mammas deliteſcunt, quando tubuli, fibrillæ & membranæ ipſarum ſunt nimis contractæ vel curtæ; inprimis ſi Mammæ interea præ nimio alimento plus, quam ipſæ creverint Papillæ. Quomodo autem hæ ulcerentur, ſuo jam loco de *Fiſſuris* explicatum fuit, facileque hinc diduci poterit ratio eroſarum ſenſim, vel mordendo etiam ab Infantibus ablatarum Papillarum. *Cauſa.*

Curatio. Reſtituere autem ablatas quomodocunque Papillas hoc opus eſt, hic labor; & certè à nativitate deficientes excitabit nemo; per Ulcera eroſas non niſi ipſa, quanquam id rariùs, Natura reſtituet, poſt Ulcuſcula ipſarum

rum probè ſanata. Deliteſcentes tandem extrahere ſolent vel ſuctione ab adultâ Muliere jugiter præſtitâ; vel applicatis inſtrumentis ſuctoriis, *Cupulis Glandium* majoribus, *Pileolis è Cerâ*, *Ligno*, *Plumbo*, *Ebore*, *Argento*, vel etiam *Stanno* confectis. Sunt qui *Cucurbitulas* quoque *vitreas*, poſt excuſſum igne aërem applicant, vel Cucurbitulas alias in dorſo fiſtulâ longâ inſtructas, per quam aut ipsa lactans Fœmina, aut alia etiam Perſona ſugendo Papillas elicere poteſt. Alii iterum *lineos annulos Cerâ* obductos circa Papillas admovent, hinc Mam̄as fricando, & comprimendo annulos dictas Papillas eliciunt; ubi tamen adhuc vel Cupulas Glandium, vel Pileolos ſimul applicant, vel Cucurbitulam imponunt. Sunt porrò, qua *Nucem Indicam excavatam* admovent, vel *Catulos* etiam applicant *caninos*, ut ab his ſugendo Pupillæ extrahantur.

Papillarum fovea.

PAPILLARVM *Mammariarum* FOVEA eſt rima aliqua major in Papillis, per humores ſeroſo-acido-acres, undecunque affluentes excitata, atque ſaniem etiam non rarò acriuſculam fundens. *Originem* hæc aliam cùm vix habeat, quàm *Fiſſura* ſuo loco explanata, *Curationem* hinc quoque cum hâc eandem admittit.

Origo & Cura.

Papillarum excoriatio.

PAPILLARVM *Mammariarum* EXCORIATIO eſt cuticulæ earum ablatio, vel à ſalivâ Puelli ſugentis acri, vel ab humoribus cutaneis ſeroſo corroſivis exulcerantibus producta. Affectus ergo hic partim Remediis ipſi Infanti præbendis, v. g. *Pulveribus abſorbentibus edulcorantibus* atque *diaphoreticis*, curatur; partim ſimilibus *medicaminibus* lactenti Matri intus exhibitis, extusq; applicatis; ubi non contemnenda ea omnia, quæ contra *Fiſſuras* ſuo loco commendavimus.

Papillarum imperforatio.

PAPILLARVM MAMMARIARVM IMPERFORATIO eſt Morbum meatuum, quando oſtia tubulorum in Papillis vel à nativitate clauſa & impervia ſunt, vel infortunio quodam & caſu obliterata, obſtructa, aut coalita fuerunt.

Cauſa.

A nativitate ſi defectus hic contingat, tum coaluerunt tubuli in ſuis extremitatibus per deficientem eorundem expanſionem; vel caſu quodam ſalia acriuſcula intercurrentia gelatinoſo-nutricium ſuccum allexerunt extra porulos, unde poſtliminiò foraminula obliterata fuerunt; vel etiam in ipsâ Fœtûs formatione non ſecus atque in adultâ jam Fœminâ, viſcidus quidam mucus tubulos ſubire, inque extremitatibus concretus talem imperforationem cauſari poteſt. Interdum tubuli papillares vel in ſui exortu, vel in progreſſu anguſtati, à ſalibus irregularibus conſtricti, aut à vicinis tumoribus, v. gr. Inflammatione, compreſſi; aut, quod rarius contingit, à Lacte coagula o obſtructi clauduntur. Deniq; Papillarum exulceratarum in extremitatibus coaleſcentia, & conſolidatio *Imperforationem* quoque inducit.

Imper-

...io. Imperforatio Papillarum à qualicunque materiâ viſcidâ obſtruente producta, curatur facilè, adhibitis remediis deobſtruentibus, attenuantibus, acidum coagulum reſolventibus ac deſtruentibus; quemadmodum ſunt *Herbæ Plantaginis, Meliſſæ, Fœniculi, Malvæ, Parietariæ, Violariæ, Naſturtii, Hederæ terreſtr. Menthæ &c. recentes* inciſæ, contuſæ, & vel ſimpliciter ſub formâ *Cataplasmatis*, vel *Lacti* priùs incoctæ & impoſitæ. Intus verò *diaphoretico* pulvere aliquoties exhibito ſudorem eliciemus. Imperforatio à Cicatrice & Coaleſcentiâ, poſt excoriationē factâ, deſiderat *Veſicatorii* impoſitionem, unde exulcerati de novo, apertique canaliculi inſtar Fiſſurarum curabuntur, ſed ita ut ſubinde Lac exſugamus leniter, & ſic tubulorum oſcula aperta teneamus. Imperforatio à Tumoribus requirit horum ablationem.

Papula. PAPULÆ ſunt Puſtulæ mordicantes rubicundæ poſt ſudorem nonnihil acrem & ſuppreſſum effloreſcentes; hinc *Sudamina* communiter appellatæ, de quibus ſuo loco.

Paracynanche. PARACYNANCHE & PARASYNANCHE, ſunt ſpecies *Anginæ* ſuo loco deſcriptæ, in quarum *priore* juxta Æginetam *Lib. III. Cap.* 22. externi Gutturis muſculi; in *poſteriore* autem externi Faucium Muſculi Inflammationem patiuntur, Hominique Aſthma, deglutiendi Difficultatem, Anxietatem Pectoris, & Febrim continuam cauſantur. Vid. *Angina.*

PARALYSIS ex παρὰ & λύω, *ſolvo*, eſt motûs voluntarii, ſæpius & ſenſationis abolitio in unâ pluribusve corporis humani partibus, originem ab influxu ſpirituum animalium denegato, vel intercepto ducens. Latinè vocatur hinc *Reſolutio*, quandoque etiam *Paraplegia*, vel *Paraplexia* audit, ubi ex Apoplexiâ malum provenit. Vel *Hemiplexia* vocatur, quando dimidia corporis pars reſolvitur, videlicet alterutrum brachium cum ejusdem lateris crure. Si verò Affectus prehenderit tantùm manus, aut extremos pedes poſt *Colicam biliosam* ſive *convulſivam*, tum ſpeciali nomine *Parheſis* nuncupatur. *Paralyſis.*

Afficiuntur in hoc malo Faſciculi nervorum ad Muſculos & Tendines partium diſſeminatorum; imò & ipſæ etiam membranarum fibrillæ ſimiliter interdum affliguntur; hinc enim eſt, quod ſæpè ſenſus unâ cum motu voluntario tollatur. *Pars affecta.*

Diſtinguimus Paralyſin in *univerſalem*, artus vel ſingulos utriusque lateris, vel illos tantùm alterutrius lateris affligentem, & *particularem*, nunc hoc, nunc illud membrum afficientem. Poſterior hæc reperiri ſolet modò in Palpebris Oculorum, modò in ipſis Oculorum Bulbis; modò in Maxillâ; modò in Linguâ, Labiis, Digitis, Manibus, Pedibus, Sphinctere Veſicæ, aut Ani. Porrò diſtinguimus Paralyſin in *perfectam*, cum ablatione motûs ſimul & ſenſûs contingentem, quæ aliâs *vehementior* Paralyſeos *gradus* audit; & *imperfectam*, cum abolitione tantùm alterutrius evenien- *Diverſitas.*

evenientem. Quòd ſi tamen remanente motu integro ſolùm Tactûs ſenſatio aufertur, *Stupor* vel 'Αναισθησία affectio dicitur.

Cauſa.

Producitur omnis Paralyſis immediatè à denegato vel intercepto Spirituum animalium influxu, unde fibrarum nervearum tonus laxatur, elaſticitas tollitur, atque ſic impotentia muſculos contrahendi inducitur, imò ſæpiùs vix tot ſpiritus in membranulis relinquuntur, quot quidem ſufficiunt ad Tactûs ſenſationem præſtandam. Denegatur autem Spirituum influxus à variis cauſis, nimirum dilaceratione, diſciſſione, eroſione, compreſſione, vel etiam conſtrictione aut obſtructione nervorum per viſcidum humorem, principiis eorum impactum. Hinc in Apoplexiâ non ſecus atque ſuccedente Paralyſi plus minus perfectâ, magnas habere partes creditur Lympha quædam acida, & auſtero-pituitoſa, craſſa, quæ cum ſero ſanguinis ad nervos ubicunque delata, eorum tubulos vel infarcire, vel conſtringere poteſt. Colligitur iſta lympha ex primis viis per *Chylum* malè digeſtum, qualis vel à *Cibis* mali ſucci comeſtis, non ſecus atque à *Potu* frequentiùs largiore *Vinorum generoſorum* ac *tartareorum*; vel à Vitâ ſedentariâ, lucubrationibus exceſſivis &c. ſuppeditari poteſt. Denique ipſi Spirit⁹ animales, ab admiſtis particulis heterogeneis craſſiores ac torpidiores redditi, hinc inde minores nervulorum tubulos infarcire, ac eorundem elaterem deſtruere poſſunt, æquè ac ſanguis ſua vaſcula afficere ſolet.

Diagnoſis.

Cognoſcimus hinc facilè Paralyſin è motûs voluntarii impotentiâ, è muſculorum flacciditate; ſubinde & ſenſationis Tactûs privatione. Cui jungitur poſtea major, minorve reſolutæ partis atrophia, & frigiditas. Si *particularis* fuerit, è partis affectæ actione debilitatâ ſimiliter dignoſcetur. *Imminentem* autem Paralyſin metuimus, ſi Homo conqueratur ſæpè de motûs ac ſenſûs difficultate, de tremore, de crebro ſtupore cum ſenſu formicationis, de gravi Auditu, de Vertigine, & Oculorum caligine. Quandoque tamen ſubitò Paralyſis Hominem, nequaquam talia metuentem, prehendit. Senſûs tactûs privatio ſeſe jungit plerunque, non ſemper; aliquando torpidus ille redditur. Si Ægri manum, vel pedem reſolutum in altum levare coneris, facili quidem negotio id præſtare poteris, quippe flaccidis membris adhuc flexibilibus exiſtentibus, ſecus ac in *Contracturâ*, in quâ articuli membrorum flecti nequeunt; ſed ſi levatum membrum deſeras, ſuo ſtatim pondere trunci inſtar decidet, invito Ægro, qui certè membrum reſolutum in alto ſuſtinere haud valet.

Indicia Paralyſis Linguæ.

Paralyſis Linguæ cognoſcitur è vocis articulatæ imminutione; quod idem obſervatur, ſi muſculi pharyngæi reſolvantur. Muſculorum Faciei vel Oris reſolutionem prodit Oris detorſio verſus partem ſanam, à Spaſmo cynico, in quâ nulla occurrit Paralyſis, facilè diſcernenda. Muſculorum Oculi Paralyſis è Strabiſmo manifeſtatur. Sic & quando fibrillæ tubulorum ſalivalium reſolvuntur, ſalivatio

Muſculorum Oculi.

livatio

livatio producitur continua. Reſo-lutis Ani aut Veſicæ Sphincteribus, excrementa harum partium ſponte invitis Ægris prodeunt. *Parheſis* tantùm extremos Pedes, vel Man⁹ hominis adoritur: rariùs, quod hiſce tamen diebus obſervavimus, integra ambo brachia affligit; præcedit autem Parheſin ferè ſemper Colica, & quidem ſpasmodica vel biliosa, quam dein non ſimul, ſed paulatim ſolùm debilitas & flacciditas manuum ſubſequitur; in quâ ſubinde nihilominus Homo manibus aliquid ſponte quidem non prehendere, ſed immiſſum tenere plus minus firmiter poteſt. Si ſenſatio Tactûs vel planè vel ferè integra manſerit, indicium eſt, Nervos molliores minus affici, Tendines verò ſolos pati. Si autem ſenſus & motus ſimul læduntur, ſignum erit & Nervos & Tendines muſculorum ſimul quoque reſolutos eſſe.

Quòd *Prognoſin* concernit, Paralyſis ferè omnis diuturna eſt, per plures hebdomadas aut etiam menſes Hominem exercens. Quò autem plures muſculos aut partes affecerit, eo difficilior curatu erit. Hemiplexia ex Apoplectico inſultu proveniens rarò curabilis, durare tamen poteſt ſæpè ad plures annos cum vitâ Hominis ſuperſtite. Si Paralyticum membrum fuerit adhuc calidum, ſi nulla jungatur Atrophia, ſi Malum nondum firmiter radicatum, ſi ſenſus in eo adhuc integer, aut parum læſus ſit, ſi Oculus reſoluti lateris non contabeſcat, ſi Æger in ſanis membris vires poſſideat integras; ſi Vertigine, Cephalalgiâ careat, ſi pars paralytica ad Contracturam non inclinet, tum facilior erit, licèt & hæc tarda curatio. Quæ verò Paralyſis originem traxit ab ictu, vulnere, nervis graviter obſtructis, dilaceratis, aut diſciſſis, à luxatione vertebrarum dorſi, ea immedicabilis exiſtit. Ubi tremor vel ſenſus formicationis in reſolutâ parte percipi inceperit, ſignificat, ſpiritus denuo influxum moliri in obſtructos nervos, ſicque motum, nî de novo obſtruantur, rediturum. Paralyſin debilem Alvi fluxus, fortiorem verò etiam ſuperveniens acuta Febris non rarò ſolvit ac tollit. Parheſis ex Colicâ, ſi nondum radicata fuerit, medelam adhuc recipit. Pejus eſt malum, ſi invitis Ægris Urina vel Alvi excrementa profluant. Denique cum Paralyſis frequenter Catarrhis apoplecticis ſuccedat, contingit plerunque, ut poſt interjectum aliquod, longius breviusve tempus, nova Apoplexia accedens Hominem è medio tollat.

Curatio.

In *Curatione*, ſi Paralyſis ab *Obſtructione* nervorum per viſcidam pituitam orta fuerit, ſtatim vel *Clysmata* aliquot *acria* infundantur è *Decocto Radic. Angelic. Imperat. Lil. alb. Cyper. Zedoar. Apii, Ariſtoloch. Herbar. Salv. Beton. Origan. Hyſſop. Urtic. Mercurial. Malv. Alth. Agrimon. Serpill. Chamædr. Summitat. Lavendul. Thym. Majoran. Semin. Aquileg. Cochlear. Naſturt. Fœnic.* &c. parata, atque *Melle rutaceo, Elect. lenitiv. Oxyſacch. emet.* & ſimilib. acuata. Vel *purgans* præſcribi poterit pro re natâ nonnihil *vehemen-*

vehementius : in quem finem commendare cum fructu ſolemus *Maſſam Pilular. cachectic. noſtrar.* cùm *Mercur. dulc.* Vel *Extract. cathol. Panchymagog. Croll. Pilular. Marocoſtin.* Imò ſi inclinatio ad Vomitum adſit, non formidabimus etiam præſcribere *emeticum*, utpote cujus ope pituita è nervis viſcida fortè excuti poterit. *Purgantes* etiam Pilulas ſingulis hebdomadis ſemel aut bis, vel ſequens earum loco dare licebit:

℞. *Conſerv. Beton.*
Anth. ana ℈ij.
Radic. Jalapp. ℈j.
Crem. 🜿*ri* ℈ß.
Scammon. 🜍*rat. gr.* ij.
M. f. cum Sacch. Bolus d. ad chart. pro doſi.

Pilulæ verò ſeqq. erunt v. gr.

℞. *Maſſ. Pilul. cachect. noſtrar.* ℈j.
Mercur. dulc. opt. gr. xij.
Reſin. Jalapp. gr. ij. *vel* iij.
Ol. ſtillat. Piper. vel Garyoph. q. ſ.
M. f. l. a. Pilulæ num. xv. *d. ad ch. pro doſi.*

Inter purgandum proderit m. ac veſp. exhibere *Decoctum* vel *Infuſum Plantarum cephalicarum*; v. gr. *Majoran. Beton. Ocym. Meliſſ. Chamædr. Verbenæ, Salv. Serpill. Thée, Origani* &c. quod parabitur inſtar *Thée*, & calidè aſſumetur, verbi gratiâ doſi quatuor unciarum cum tantillo *Sacchari*. Sed & cum ipſo hoc *decocto* ulterius 20. 30. *aut* 40. *guttulæ Tincturæ Antimon. Corallor. Martis aperitiv. Zwelfferi, Eſſent. Beton. Zedoar. Succin. Lignorum, Galang. Aquilegiæ, Chamæpith. Flor. Primul. veris, Trifol. fibrin. Salis volatil. oleoſi, Spirit. volatil. Viperar. C. C.* permiſceantur. Vel dabimus loco horum *Olei ſtillatitii Lavendul. Roriſmarini, Succini, Salviæ, Thymi,* &c. *gutt.* vj. *vel* viij.

Ad debellandum dein acidum, quod ſæpè in primis viis occaſionem malo præbet; & ſic ad præcavendum ulteriorem inſultum *Pulveres* præſcribimus *abſorbentes*, acidumque ſal deſtruentes, v. gr. *Cranium human. ppt. Ebur ppt. Ocul.* ♋. *ppt. C. C. uſt. ppt. Ungul. Alc. ppt. Cinnab. nat.* vel ♁*n. correct. Bol. armen. Unicorn. foſſil. Corall. rubr. ppt.* &c. quorum dimidia pro doſi drachma concedatur. Vel ex his *pulveribus*, cum *Speciebus dianth. diambr. diatr. ſantal. aromat. roſ. Imperator.* &c. & *Sacchara Tragema* parabitur deinceps uſurpandum.

Inter *externa* remedia primò conducunt *Fomenta* cum *Vino* ſatis *calido* inſtituenda, ſed in quo prius *cephalicæ* & *nervinæ Plantæ* fuerunt decoctæ; admiſcendo ſemper vel *Lumbricorum terreſtr.* aut *Formicarum*, vel dictarum *Plantarum Spiritum*. Proſunt etiam *inunctiones* totius Spinæ dorſi, vel certè principii & progreſſus tendinum nervorumque obſtructorum, cum *Galbaneto Paracelſi, Oleo Juniperi, Petroleo, Balſamo paralytico Mynſichti, Oleis* item *ſtillatit. Bacc. Lauri, Juniperi, Spicæ, Lavendul. Succin. Rut. Salv.* &c. Ante inunctionem vel fomentationem membra fricentur ſemper leniter calefactis linteis. Quòd ſi talia non profuerint, *Emplaſtra nervina reſolventia* applicari ſolent

Extern. remedi.

lent v. g. *de Tacamahac. de Bacc. Laur.* ac *Juniper.* cum *Seminibus Dauci, Eruc. Sinapi*, ac *Radicib. Zedoar. Cyperi* &c. Denique his nil proficientibus poſt corpus benè purgatum *Fonticulus* in brachio vel pede ſano excitetur; Æger etiam tempore æſtivo in *Balneum Aquarum mineralium* ♀reo - *aluminoſarum* mittatur, cujus beneficio Obſtructiones ſæpè tolluntur; præprimis ſi *Embrocatio* in membris affectis, probè linteo quadruplicato munitis, frequens inſtituatur. Hyberno tempore Ægri ſæpius *Laconico* immittuntur ad ſudorem validum excutiendum; ubi etiam *Cucurbitulæ cum ſcarificatione* uſurpantur. In Plethoricis *Venæſectionem* repetitam inſtituere cum fructu poterimus.

ratio the- (margin)

In *Parheſi ex Colicâ*, vel *Paralyſi ſcorbuticâ*, conveniunt remedia ſanguinis Cacochymiam ſalſo - acrem & ſcorbuticam corrigentia; quem in finem proſunt ſæpius data *lenitiva*, è *Syrupo Flor. Perſic. Acac. Roſar. ſ. ſ. de Cichor. cum Rhabarb.* &c. concinnata. Dein intus concedantur *Succi* vel *Infuſa Plantarum antiſcorbuticarum*, vel earundem *Aquæ* cum *Hippeuteris Vino* nonnihil immerſis *deſtillatæ*. Imò *Serum caprilli Lactis*, vel *Lac aſininum*, *Thermæ piperinæ*, aut *Plumbariæ*, *Aquæ ſalſulæ*, *Acidulæ* tandem in potu ſuis quæque complexionibus proficuæ erunt. Ab uſu autem *Balneorum* tales abſtinebunt.

In *Paralyſi Muſculorum Linguæ* & *Palati* poſt purgans exhibitum, *Veſicatorium* Nuchæ ſtatim applicandum requiritur. Intus ſuperius commendata dabuntur; & *ſublinguales Trochiſci* præſcribentur, ſæpius ad eliciendam ſalivam, & nervos deobſtruendos lambendi; v. gr.

℞. *Radic. Angelic.* ℥j.
Meu.
Imperator.
Pyrethr. *ana* ʒß.
Cinam. elect. ʒj.
Garyophyllor. arom. ℈ij.
Mercur. dulc. ℈iiij.
Sacch. alb. ℥iij.
Cum Mucilag. Gumm. Tragac. F. l. a. Trochiſci, d. ad ſcatulam.

PARAPHIMOSIS eſt Præputii præternaturalis retractio, quâ Glans ſemper nuda exiſtens ob ſui magnam ſenſibilitatem per indumentorum affricationes tamdiu valdè moleſtatur, donec natura fuerit adſueta. Affectus hic & Pueris & Adultis ſubinde contingit, Judæis verò atque Turcis propter circumciſionem conſuetus. In quibus tamen Glans per longam conſuetudinem ita accomodatur, ut à leni illa induſiorum affricatione moleſtiam amplius nullam percipiat. *Paraphimoſis.*

Præputium autem, cùm ſit pars membranacea, è pluribus tunicis, fibriſque nervoſis ita eſt contexta, ut in ſtatu naturali non ſolùm elongari Glandemque obtegere, verùm etiam datâ occaſione retrahi, eamq; nudam relinquere poſſit. Sed quoniam naturaliter Glans illo tectus ſemper eſt, præter naturæ ordinem fiet, ſi Præputium continuè retractum maneat. *Præputii ſtructura naturalis.*

Cauſæ autem variæ iſtam Affectionem producunt: & quidem nonnul- *Cauſæ.*

liis ab ipsâ nativitate vel deeſt Præputium, vel retractum exiſtit, atque immedicabile manet. Aliis id evenit, quando ad Præputii tubulos ſanguis vel ſerum acre fluit, quod ſuâ auſterâ acrimoniâ fibrillas dictæ partis lancinando atque criſpando efficit, ut prorſus retrahantur. Idem fit, ſi propter coitum malignum cum Fœminâ Lue Gallicâ infectâ particulæ ſeroſo-corroſivæ Præputio adhæſerint, ac ſenſim lancinando illius fibrillas criſpaverint; vel etiam ulterius exulcerando, excoriandoq; ita tumefecerint, ut hinc Præputium neceſſariò retrahi debuerit. Aliquando Pueri Præputiũ, fortè propter affluxum ſalſorum humorum admodum pruriens, nimis crebrò, duriterque fricant, ſicque occaſionem tumori & retractioni ejus præbent: retractum verò hinc novimus Præputium ſine remedio manſiſſe. Denique Glandis ipſius nimis irritati tumeſcentia Præputium quoque repellit, non ſecus atque nimius, & creber coitus cum infectis Mulieribus, in quibus pituita glandularum Vaginæ acris admodum & venenata exiſtit.

Curatio. Difficile utplurimum eſt Paraphimoſin, inprimis confirmatam curare, fibrillasque Præputii ad priſtinum tonum reducere. Attamen recens adhuc malum, ab humoribus ſalſo-acribus, & venenatis fortè productum, non meliore remedio curatur, quàm ſi Æger in *Balneo Aquæ dulcis*, aut in *Laconico* probè ſudet, atque extus poſtea recens *Butyrum* cum *Succo Plantaginis*, *Verbaſci*, & *Pulvere Lithargyrii* frequenter inungat. Vel crebrò Penem *calenti Lacti* immergat, in quo *Malva*, *Verbaſcum*, *Althæa*, *Plantago*, *Scabioſa*, *Agrimonia*, *Perſicaria*, *Ruta*, *Ariſtolochia rotund.* *vera*, *Meliſſa* &c. decocta fuerint. Si quid venerei ſubeſſe credimus, tum *Unguento albo camphorato Mercurium dulcem*, vel etiam *præcipitatum*, commiſcebimus, eoque ſæpius *lotum* prius cum *Urinâ* vel *Lixivio calido*, membrum inungemus. Intus verò *Decoctum Lignorum* ſæpè propinabimus, etiam cum Sudoris expulſione.

PARAPHRENITIS, eſt Mentis alienatio ſive Delirium, Febribus continuis utplurimum malignis, vel etiam aliquando intermittentibus in ſummo Paroxyſmorum vigore ſuperveniens, non ſine Cephalalgiâ præcedente. *Paraphrenitis.* Diſtingui ſolet à *Phreniti-de*, quæ mox in principio Febris adeſſe ſolet; quæque ab Inflammatione Meningum maximè oritur; cùm Paraphrenitidis cauſam magis conjiciant in Inflammationem Diaphragmatis, juxta quosdam veteres. *Differentia.* Quicquid verò horum ſit, tenendum nihilominus, in utroque hoc Affectu Delirium adeſſe, & illud quidem non perpetuum, ſed interruptum; adeoque Inflammationem in Cerebri membranis hærere, Cephalalgiam Deliriis præcedaneam excitantem. *Cauſa.* Sive dein illa Inflammatio ſtatim in principio Febris adſit, ſive in illius demum vigore producatur. Nec repugnamus valdè, in Paraphrenitide etiam Diaphragma aut Omentum inflammari poſſe, ſed tum certè dolor ardens in læſarum

læſarum partium regione magis, quàm in cerebri tunicis percipietur. Cùm ergo *Paraphrenitis* non adeo differat ab ipsâ *Phrenitide*, geneſis quoque illius & cura ſub titulo de Phrenitide legi poterit.

PARAPLEGIA, vel PARAPLEXIA, vid. *Paralyſis*.

PARASYNANCHE, vid. *Paracynanche & Angina*.

PARHESIS, vid. *Paralyſis & Manuum Parheſis*.

PARONYCHIA, vid. *Panaritium*.

Parotis. PAROTIS, eſt tumor Glandularum retro Aures inflammatorius, in Abſceſſum frequenter terminans, cum ardore, rubore & pulſante dolore affligens.

Pars affecta. Læduntur heic Glandulæ ponè vel retrò Aures ſitæ, Parotidum etiam nomine venientes, quæ feri alicujus lymphatici ſecretioni, adeoque ipſius ſanguinis depurationi ſunt deſtinatæ. Lymphaticus humor in illis ſecretus eſt ipſiſſima Saliva, per certos tubulos hinc in Oris cavitatem profluens. Parotis autem corpus glandulosum è quamplurimis minoribus glandulis coagmentatum, quod Glandulam conglomeratam eapropter vocant, exiſtit. Juxta hanc tamen aliæ etiam per collum, retro Aures ſitæ ſunt Glandulæ conglobatæ minores, quæ itidem tumefieri, inflammari, atque in Abſceſſus converti quandoque ſolent; ſed pluries tamen tumefactæ, atque nonnihil duræ redditæ *Scrophulas* exhibent.

Facilè hinc Parotidem cognoſcere licebit è Tumore majore, minoreve, retrò aures, rubicundo, ardente, & pulſante; quem ſæpè comitatur Cephalalgia, ac Febris continua, ſubinde maligna. Quin crebrò in Peſte & Morbis ejusmodi contagioſis criticam per Abſceſſum Parotidis evacuationem, eamque ſalutarem fieri obſervatur. Usque adeo ut cum aliis Glandularum Inflammationibus eandem diagnoſin, ſecus atque ſimilem prorſus geneſin ſortiatur. *Diagnoſis.*

Etenim ſi quæ viſcido-ſalino-acris pituita, fixo-acidis particulis & terreſtribus, fortè & verminoſis ſeminiis ſimul conſpurcata Sanguinis maſſam nimium occupaverit, tandemque ita lentam craſſamque effecerit, ut per minimos canaliculos totius corporis transfluere commodè ampliùs haud poſſit, ſicque obſtructiones hinc inde excitando, febrilem qualemcunque Inſultum producat, facilè pertinacior ejusmodi obſtructio, occaſione qualicunque datâ, in tubulis Parotidum, aut vicinarum Glandularum contingere, & inflammatorium Tumorem poſt ſe trahere valet, qui dein, cùm ſtagnans humor Tubulos disrumpit, & fermentando puris naturam acquirit, in Abſceſſum ſive Apoſtema tranſit, quod tandem per ſe ruptum, vel Arte chirurgicâ apertum Ulcus exhibet, plus minus ſordidum, prout ejus materia magis minusve corroſiva extiterit, aut verminoſa. *Cauſa.*

Adeoque Parotis ſuam debet originem humori viſcido, lento, acido, plus minus acri, intra tubulos Glandularum

dularum ſalivalium ſanguineo-lymphaticos ſubſiſtenti, ſtagnanti, imò ſæpè etiam extravaſato, hinc ſenſim putreſcenti, Tumoremq; quem ſui collectione prius excitârat, in Abſceſſum mutanti. Viſcida illa materia per circulationem ad aurium Parotides detruditur, ut hinc copioſiùs intra Maſſam ſanguineam præexiſtere, atque cumulata eſſe debeat.

Prognoſis. Si Parotis fuerit conjuncta cum Febri malignâ, ſalutem portendit, modò ſuppuretur, & omnem in ſanguine cumulatam materiam malignam attraxerit. Ubi autem tumor quidem adeſt, ſed ad ſuppurationem non tendens, nec ad eam redigibilis, diſſipabitur fortè, ſed utplurimũ cum Ægrotantis pernicie, niſi alia interim critica ſalutaris evacuatio ſucceſſerit.

Curatio. Quapropter ſi cui Affectus hic contingat, v. g. Pueris aut Juvenibus citra Febrim malignam, aut aliam qualemcunque, tum primas ante omnia vias expurgare licebit *Syrupo Fl. Perſic. de Cichorio cum Rhabarbaro*, aut *ſolut. compoſ. cum Rh. Ag. & Sen. ad* ℥ij. *vel* ℥iiß. aut ſimili *lenitivo* dato; dein intus blanda dabimus *diaphoretica*, ſicut in Febri ephemerâ; extus verò *Cataplaſmata* imponemus, quæ promiſcuè vel diſcutiunt, vel maturant: hunc in finem melius huc usque non vidimus, quam *Mel* cum *Farinâ fabaceâ*, *ſecalinâ*, *Semin. Lini*, *Radic. Alth. Croco*, *Cœpis* aut harum *Succo*, & *Lacte* invicem mixta, & quotidie ſemel vel bis impoſita. Continuabimus hæc, donec vel Tumor diſcuſſus planè ſit, ubi dein ſtatim *cathartico remedio* corpus denuò purificandum, & nonnulli etiam ſudores excitandi erunt; vel in Abſceſſum abierit, qui dein curandus eſt, ſicuti ſub Titulo de Abſceſſu indigitavimus. In *Parotide malignâ*, quæ cum Febri ardente aut contagioſâ eſt conjuncta *intus* quidem ea methodus medendi inſtituetur, quam contra Febres malignas indigitavimus: *extus* verò ſuperiori *Cataplaſmati* adhuc *Mithridatum Damocr.* vel *Theriacam Andromachi* permiſcebimus. Imò ſi Tumor in Abſceſſum abire noluerit, *Veſicatorium* ſine metu *Emplaſtrum* imponemus, *Theriacæ* quoq; permiſtum; & ſic cum vi quâdam heterogenea & maligna ſanguinis corpuſcula ad Parotidem allicientur; poſt *Veſicatorium*, quod 12. horis relinquetur, ſuperius noſtrum *Cataplaſma* in uſum vocabitur, tanquam emolliens, citoque maturans. Rupto Abſceſſu *Cataplaſma* hoc adhuc per aliquot dies eſt imponendum, donec omnis tumoris durities emollita ſit. Tum verò Ulcus per *digeſtivum ordinarium* & *Emplaſtrum diapalma* ad cicatricem perducendum erit.

PARTVS DIFFICILIS, DYSTOCIA, eſt Fœtûs maturi cum difficultate, & maximis cruciatibus, per plures ſubinde horas aut dies durantibus, excluſio. *Partus difficilis.*

Infelicitas hæc pariendi non infrequens eſt, ac eapropter peritâ, prudenti, atque forti manu obſtetricante indiget, ſi vivus aut etiam mortuus in lucem ſit protrudendus Fœtus.

Cauſæ

Cauſæ autem illius Dyſtociæ exiſtunt diverſiſſimæ, nec ita paucæ, ut certas adeo regulas pro unoquoque caſu exhibere vix liceat, quarum obſervatione facilior reddi Partus queat.

...ſor

Ante omnia difficilem Partum reddit Fœtus juſto grandior, foramenque Pubis anguſtius; quod quidem obſervavimus in Fœminis brevioris ſtaturæ, quæ forſan robuſto Athletæ nupſerunt, ab eoque grandiorem talem Fœtum conceperunt. Dein Virgines, quæ poſt trigeſimum ætatis annum demum nubunt, ob Pubis Oſſium nimiam duritiem, membranarumque craſſitiem & firmitudinem majorem ac duriorem, difficilem plerunque Partum adipiſcuntur, dum membranæ illæ in parturiendi conatibus tardiùs atque difficiliùs ſe emolliri & expandi patiuntur.

...ûs ſi- ...pra ...atu- ...is.

Dein frequentiſſima Dyſtociæ cauſa exiſtit ſitus præternaturalis ipſius Fœtûs, hic enim in naturali ſitu ſuo capite verſus pubem, ultimo præprimis menſe graviditatis inclinare, tandemque in ipſo partu primùm capite prodire ſolet. Quod ubi contingit, nihil tantoperè ex hoc partu erit metuendum, etiamſi difficilior ſubinde fuerit, quàm ubi alio ſitu prodire inceperit.

...itus ...ræter- ...naturalis ...œtûs ...ulti- ...lex.

Præternaturalis autem ſitus adeo multiplex eſt, ut impoſſibile ſit in compendio illum exactè deſcribere, quin conſulendi heic ſunt eorum Libri, qui expreſſè de hâc materiâ ſcripſerunt. Præcipui tamen horum ſituum præternaturalium ſunt v.g. quando Fœtus nunc podice, nunc pedibus, aut horum alterutro, nunc utroque, aut alterurto brachio, nunc umbilicali funiculo aut abdomine, nunc axillis, vel dorſo, nunc genubus, nunc alio deniq; modo in cervicem Uteri devolvitur, dum Fœmina parturire incipit.

Difficilem porrò reddunt Partum, quando vel Hæmorrhoides Vaginæ uterinæ, vel Hernia umbilicalis aut inguinalis, vel Cervicis Uteri nimia ſtrictura aut durities tardè admodum laxabilis, vel Condylomata, Ulcerave Vaginæ Parturientem torquent. Subinde & Alvi conſtipatio, Abdominiſque nimia expanſio, cum maximâ ac duriſſimâ tenſione conjuncta, ad eandem quoque difficultatem contribuunt. Tandem vires quomodocunque in Parturiente debiles redditæ in culpâ ſimili eſſe poſſunt.

Situs naturalis Fœtûs aliquando ſine ullâ causâ manifeſtâ in Utero fortè haud benè conformato vitiatur; quando Fœminæ brevis admodum ſunt ſtaturæ, vel aliâs Secundinam habent inſolito Uteri loco annexam, unde Embryo facilè ad ſitum præternaturalem detorquetur. Quòd ſi Mola ſimul cum Fœtu concepta fuerit, augmentumque non levenacta, tum ab hâc ipſâ etiam Embryo ſæpè detruditur in ſitum præternaturalem. Novimus autem Fœminam grandis ſtaturæ, & nonnihil macilentam, plethoricam tamen, quæ anno ætatis 26. jam quintùm peperit, & quater Molas in difficili Partu, nunc ante, nunc poſt Fœtum, aliquoties cum periculoſiſſimis Uteri Hæmorrhagiis, & Lipothymiis graviſſimis enixa fuit.

Cùm ergo difficilis Partus usque adeo nunc Infanti in lucem edendo, nunc ipſi quoque Parturienti ſit periculoſus, dum ſæpius vel Infans in ipſis parturiendi nimiis conatibus ſuffocatur, vel Infante vivo edito, Mater nihilominus animam ſuam efflat, vel unâ Mater ac Infans ante vel poſt partum, aut in ipſo parturiendi niſu è vivis excedunt; neceſſe eſt ad plura circa Partum feliciter promovendum attendere. Nimirum 1. Quâ ratione Fœtus ab incommodo ſitu in partu ſit præcavendus? 2. Quînam ſciri queat, utrum Fœmina veros aut falſos habeat parturiendi niſus? hoc enim nôſſe maximi intereſt, Obſtetricibus præcipuè, quæ Parturientibus inſervire & miniſtrari debent. Et 3. Quînam ſciri queat, utrum Fœtus benè malève in Utero locatus ſit. Verùm quanti non errores heic ab imperitis, ab inſulſis, maleque moratis Obſtetricibus committuntur? dum ſæpiſſimè ante verum tempus Fœminas mirum quantum adigunt, torquentque, ut omnibus viribus ſuum eniti Fœtum contendant, antequam verum tempus, verique dolores & nixus adſint, & ipſa Uteri Cervix laxata atque aperta exiſtat; usque adeo ut ſubinde vires ſuas Fœminæ tantùm non omnes, in duris iſtis enitendi conatibus amittant; & cùm dein verum parturiendi tempus adeſt, viribus deſtitutæ vix amplius, imò interdum planè non ſufficientes ſint Fœtui in lucem feliciter protrudendo.

Obſtetricis officium. Itaque cùm Obſtetrix vocata eſt ad Parturientem, inprimis aliquam Primiparam, quæ nondũ veros à falſis doloribus parturiendi diſtinguere didicit, tum verò ipſamet Gravidam probè examinet, exploretque, antequam eandem ad parturiendi fortes niſus ſollicitet, cogatve. Falſi autem ſive nothi dolores, ſi adſint, plerunque excitantur à flatibus Inteſtina & Abdomen perreptantibus, ſubinde & murmura in illo excitantibus, aut ſpasmodicè etiam Uteri fibras conſtringentibus, ſed tamen ſine niſu Uteri aut Vaginæ torquentibus; quemadmodum id veri dolores Partûs efficiunt. Torminoſos autem iſtos, falſosque dolores profligant *Linteis probè calefactis*, & Abdomini, *Oleo Chamomillæ* ac *Anethino* priùs inuncto, applicatis, non ſecus atque *Clyſteribus carminativis* & *detergentibus*.

Signa autem, quæ naturalem partum præcedere ſolent, ſunt dolores in regione lumborum affligentes, ac per vices redeuntes, ſenſimque verſus pubem tendentes; tumor abdominis, qui ſuperiora verſus antea ſpectabat, jam verſus pubem demiſſus, & Gravidam paulò ante partum, etiam in progreſſu incommodans; fluxus dein viſcidæ pituitæ è Cervice & Vaginâ uterinâ, quam quidem natura hoc parturiendi tempore è dictarum partium glandulis copioſè extrudit, ad emollienda, faciliusque diſtendenda genitalia. *Signa præcedentia Partus naturalis.*

Signa veros Parturiendi niſus indicantia ſunt dolores illi lumbares jam frequentiùs recurrentes, atque teneſmum vel extrudendi conatum jugiter in Cervice & Uteri Vaginâ ſimul produ- *Signa verorum parturiendi niſuum.*

producentes. Pulſus tùm celerior & frequentior contingit, facies rubet, ſudatque ferè corpus, genitalia præ expanſione intumeſcunt, Cervix aperitur, pituita jam cruenta evadit & ex Utero expuitur. Præterea non rarò Vomitus ingruit, ceu Partûs inſtantis ferè certiſſimum indicium; cum hoc tempore veri dolores parturiendi accedunt, nec deſinunt, donec Fœmina à prolis ſit liberata geſtatione. Dein inſtante jam Partu tremor quoque membra Parturientis invadit, præprimis autem pedes, ſubinde cum frigore, aut horrore velut febrili, cui tamen mox junguntur calores æſtuantes totum corpus pervadentes. Hoc ergo tempore jam Uteri cervix magis ac magis ampliabitur, Parturienſque conatus ſenſim majores per Vaginam & Uterum enitendi habebit. Apparebunt mox etiam fluentes è ruptis Fœtûs involucris membranoſis Aquæ; antequam tamen rumpuntur membranæ, extra cervicem Uteri prominentes tuberculum formabunt, pomi magnitudinem ſenſim figurans, aliâs molle, ſed tenſum; Obſtetrices noſtræ tum dicunt aquas ſeſe formare; accedentibus autem enitendi conatibus membranæ, niſi admodum craſſæ fuerint, facilè rumpuntur, humoreſque effluere permittunt: imò interdum membranæ adeo teneræ exiſtunt, ut etiam ſine egerendi magno conatu Fœminis obambulantibus rumpantur. Fluentibus aquis nonnunquam ſtatim caput Infantis in Partu naturali in Cervicem expanſum prolabitur, quod dein ulterioribus conatibus pluribus, paucioribus enituntur Fœminæ, prout Cervix amplior vel anguſtior, aut Infantis caput grandius, exiliuſque erit. In præternaturali Partu verò non Vertex capitis Fœtûs, ſed alia qualiscunque pars ipſius comparebit, plus minus difficilem deinceps Partum redditura.

Signa Fœtûs rectè in Utero locati.

Signa Fœtûs rectè in Utero locati ſunt minus laborioſa ejus geſtatio, anteriora abdominis circa umbilicum tumentia, latera verò magis plana & velut vacua; ac tandem Abdominis tumor verſus pubem ſubſidens, & quaſi in mucronem faſtigiatus; in ipſo autem partu caput Infantis primò prodiens. Præternaturalis verò ſitus Fœtûs cognoſcitur ex eo, quando Abdominis latera magis quàm anteriora tument, quando illud non ita verſus anteriora prolabitur ſub finem geſtationis, mucronemque Abdominis efficit, ſed quando potius latum manet, & undique plenum obſervatur.

Modus promovendi partum.

Notandum igitur in Parturientium Curatione probè, contra communem ferè plerarumque Obſtetricium, Muliercularumque morem, Parturientem non prius ſellæ obſtetricali imponendam eſſe, quàm ſigna illa inſtantis jam Partûs apparuerint. In lecto autem nihilominus Fœmina ſub dolorum occurſu munere ſuo enitendi, ſimulque Obſtetrix ſuo, genitalia Parturientis emolliendi, officio diligenter fungentur, & ab utriſque interea verum parturiendi tempus patienter expectabitur. Neque enim novi quid eſt, Fœminas per aliquot etiam dies

dolori-

doloribus, ſed vagis & ſylveſtribus illis, ut ajunt, excruciari; quo tempore ſi nimium ab adſtantibus Fœminis Parturiens ad egerendum & enitendum adigeretur, vires certè ſuas multum deperderet, ipſumque in Partu Infantem necaret.

Species Partûs difficilis. *Præternaturalis* etiam *Partus* eſt, atque difficilis ille, ſi Aquis effluentibus non ſtatim Fœtus cum parturiendi conatibus, & Cervicis uterinæ ampliatione ſuccedat; ſed Uterus adhuc per aliquot dies clauſus maneat. Neq; hoc tempore quicquã dare, vel movere licet ad Partum facilitandum, niſi Genitalia vel per inunctiones, vel per *Balnea* aut *Semicupia* emolliendo, ac deinceps opus Naturæ permittendo, ſine Remediorum expellentium exhibitione; clauſo enim Utero conatus parturiendi non niſi cum pernicie Infantis, aut ipſius etiam Matris excitamus. Quin hâc ipsâ ratione Fœtus ſub ejusmodi vanis conatibus à naturali ſitu facilè detorquetur.

Periculoſus Partus. Periculoſiſſimi Partus difficiles habentur illi, quando Secundina Fœtum præcedit, quoniam tunc Fœtu adhuc in Utero exiſtente vaſa hujus partis continuè aperta & ampliata ſanguinem copioſè fundunt, Hæmorrhagiamq; Uteri gravem producunt, tamdiu ferè durantem, donec excluſo Fœtu Uterus cum ſuis vaſis contrahi queat.

Alius. Periculoſus dein etiam eſt ille Partus, in quo Fœminæ parturientes convelluntur, vel malignâ Febri, Deliriisve ſimul affliguntur. Vel quando conatus & dolores parturiendi lentiſſimè, nec ita fortiter procedunt. Vel quando Spirituum animalium inopia adeſt, ut accedentes etiam dolores vix percipiant, nulloſque niſus adhibere queant. Vel quando Abdomen nimium quantum eſt tenſum, ut eapropter ejus Muſculi ſeſe fortiter admodum contrahere nequeant, ad Fœtum Utero excludendum. Vel denique, quando incommodum valdè ſitum Infans acquiſivit, ſub quo nec Parturiens eniti, nec manus Obſtetricans propter vires Mulieris debiles, Cervicem Uteri non benè apertã, aliave obſtacularum facilè extrahere queat. Hinc Mulieres difficulter parientes optimè faciunt, ſi octiduo ante Partum quotidie ſeſe *Balneo Aquæ dulcis* committunt, eique per unam vel alteram horam inſident, & ſtatim à Balneo genitalia *Oleis Lil. alb. Verbaſc. Amygd. dulc. Violar. Roſar. Chamomill.* &c. inungunt, ut ita probè emolliantur, atque laxari in Partu facilè queant.

Quando igitur dicta Partûs inſtantis indicia adſunt, & Aquæ etiam profluxerunt, tum Parturiens vel ſellæ in hanc rem accommodatæ imponatur, vel in lecto talem in ſitum accommodetur, ut in Fœtu enitendo vim exercere facilem queat. Cavebitur autem, ne frigidus undecunque aër ad genitalia Parturientis accedere, & vel Cervicis ampliationem impedire; vel Uterum ſubingrediundo alia producere ſymptomata queat; quem in finem non malè Obſtetrices lagenam aquâ calidâ nonnihil repletam Fœminis Sellæ inſidentibus ſupponunt. *Requiſita in Partu.*

ponunt. Interea Obſtetrix ſuo ſtrenuè fungetur munere, Fœtûsque exitum quacunque ratione promovebit, Cervicis nimirum uterinæ ampliationem ſuis quoque digitis facilitando, ſi fuerit opus, præterea genitalia frequenter *Butyro*, vel *Oleo Verbaſci*, *Roſarum* aut *Lini* inungat. Cùm igitur jam ampliato Utero Caput Infantis prodire incipit, monenda valdè eſt Parturiens, ut ſuos jam niſus multiplicet, neque deſiſtat, donec ab onere Fœtûs liberata ſit; ſi autem tunc ob genitalia nonnihil anguſtiora exitus Infantis cunctetur, Obſtetrix ſuis digitis hinc inde genitalia blandè magis diſtendendo juvabit; & dum ſic prodit Infans integrè, tum Obſtetrix eum prehendet, ſed ſimul caveat, ne Funiculus umbilicalis nimis trahatur, & vel ex Abdomine Fœtûs fortiter protractus ejusdem Umbilicum poſtea deformem reddat, vel ex Utero materno, per nimiam tractionem ruptus Hæmorrhagiam excitet Infanti non minus quàm Puerperæ deleteriam; quo certè in caſu facilè ſimul Cervix Uteri fortiter conſtringi, & ita Secundina intra Uterum diutius non ſine diſcrimine retineri poſſet. Itaque ſtatim Obſtetrix filo forti umbilicalem Funiculum quinque vel ſex transverſis ab Umbilico digitis validè ligabit, imò ligaturam, ſi tempus concedat, bis præſtabit; ac deinceps vel inter duas ligaturas, vel ultra primam ligaturam Uterum Matris verſus Funiculum reſcindet; ipſumque dein Infantem ſtatim alii adſtanti Fœminæ vel in *Balneo calente*, vel aliâs *Vino* & *Aquâ* mixtis & *calefactis* abſtergendum præbebit, linteiſque poſtea ſimiliter calentibus involvendum. Interea ipſamet Secundinæ exitum ſimul à Fœminâ urgebit, ac promovebit, Funiculum nimirum umbilicalem continuè leniter trahendo, & velut mulgendo. Parturiens verò niſus ſimul præſtabit, in vitrum vel manum flabit, imò *ſternutatorium Pulverem* naribus attrahet; denique doſin *Pulveris Teſticulorum equinor. ppt.* vel *Caſtor. ppt.* cum *Caſſiâ ligneâ verâ*, *Borac. venet.* & *Cinamom.* in hauſtu *Aquæ Lilior. alb.* aſſumet. Si nec ita prodeat, Obſtetrix inſertâ in Uterum manu leniter ſeparabit, & extrahet.

Aſſiſtentes alii Fœminæ in Partu ſuis quæque officiis ſimul deſtinatæ ſint, & quidem duæ Parientis genub' tenendis aſſideant, tertia axillas fortiter deprimat, quarta denique, ſi niſus parturiendi adſit, Ventrem illius blandè ſuis manibus comprimet, atque ſic muſculorum Abdominis actionem promoveat. Remedia partum promoventia, doloresque & niſus excitantia haud prius dentur, quàm Cervix jam Uteri aperiatur, Partusque inſtet; ſequens autem *Pulvis* in hanc rem uſualis nobis hactenus ſatisfecit: *Aſſiſtentium Fœminarum officium.*

℞. *Hepat. Anguill. cum tot. ſicc. & pulveriſ.*
Cinam. elect.
Borac. venet.
Bezoard. miner. ana ℈j.
Sacch. alb. ℈ij.
Ol. Nuciſt. expr. gr. ij.

 M. f.

M. f. Pulv. ſubt. in 3. aut 4. doſes divid. & exhibendus per vices.

Vel ℞. *Priapor. Cervi, vel Teſticul. Equi, vel*
Caſtorei ppt.
Borac. venet.
Cinam. elect. ana ʒß.
Caſſ. Ligneæ ver.
Putamin. Nuc. avellan. ſubtiliſſ. trit.
Ebor. ppt. ana ℈j.
Sacch. alb. ʒij.

M. f. Pulv. ſubt. d. ad ſcatul. Doſis ʒß. *ſemel, bis vel ter in Dyſtociâ danda, cum Aquâ Lil. alborum, vel Epilept. Lang. vel Rore Solis, vel ſequenti:*

℞. *Aqu. Lil. albor.* ℥iß.
Conſolid. regal.
Card. bened. ana ℥j.
Cinam. c. vin. ℥ß.
Syrup. de Artemiſ. ʒiij.
Ol. Nuc. moſch. expr. gr. vj.
Sacch. alb. ʒij.

M. d. ad Vitr. & cochleatim frequenter exhibeatur, etiam ſine Pulvere.

Si Uterus nondum apertus.

Si Uterus nondum fuerit apertus, & dolores nihilominus Parturientem vagi vel nothi, aut etiam veri ſed tardiùs excrucient, tum *Mixtura cardiaca* ſola, quicquid dein aſſiſtentes cum Obſtetrice mulierculæ dicant, eſt ordinanda, & cochleatim exhibenda; v. g.

℞. *Aqu. Borrag.* ℥j.
Bugloſſ.
Card. bened.
Ceraſ. nigr.
Flor. til.
Cinamom.
Syrup. Rubi idæi,
de Artemiſ. ana ℥ß.
Confect. Alk. inc. ʒj.
Matr. perl. ppt.
Spod. ppt. ana ℈j.

M. d. ad Vitrum.

Hæc etiam Mixtura poſt Fœtum jam excuſſum uſurpari poteſt.

Si ſylveſtres dolores ſint.

Quando ſylveſtres tantùm dolores atque ſpaſmus Uterum vexat, tum Fœmina ad niſus parturiendi non eſt urgenda, ſed res naturæ permittenda, donec Cervix Uteri laxetur & aperiatur, interim ſequens *Mixtura anodyno-hyſterica*, quæ nobis mirè ſatisfecit, eſt cochleatim præbenda:

℞. *Aqu. Fl. Til.*
Agrimon.
Borrag. ana ℥j.
Syrup. anodyn. ℥ß.
de Cinam. ʒiij.
Matr. Perl. ppt. ʒß.
Borac. venet. ℈j.

M. d. ad Vitrum.

Quæ agenda poſt Fœtum excluſum.

Quando Fœtus in lucem datus eſt, antequam Obſtetrix Secundinam extrahat, attendere oportet, num non alius adhuc Infans gemellus in Utero hæreat, quem ſi percipiat, ejus ſimul partum promovebit, quamprimum umbilicalem Funiculum Infantis prioris rectè ligatum abſcidit, & eundem Infantem alii Fœminæ adſtanti curandum, detergendumque porrexit. Alter itaque Fœtus tum quoque à Parturiente excuti tentabitur; in quâ actione *Mixtura* ei *cardiaca* ſubinde porrigetur, imò quoque *Juſculum*, ſi videbitur opus, propinabitur. Naribus verò admovebitur *ſpirituoſum* quid, ſub formâ nunc liquidâ,

liquidâ; v. gr. alicujus *Aquæ antapoplecticæ*, nunc craſſiore, v. gr. *Balſami.* Si Infans cunctetur ſuo capite prodire, propter anguſtiorem fortè redditam Uteri Cervicem, Obſtetrix ambarum manuum digitis ad latera prehendet illud caput, atque de latere in latus agitando ejus excluſionem facilitabit.

Sed forſan Capite jam excluſo Fœtus qualiſcunque, ſive unicus, ſive alter gemellus, ſuis axillis intra Cervicem adhuc hærebit, alterâ nimirum Axillâ Oſſi pubis innitente; unde facilè Cervix Uteri conſtricta Infantem ſtrangulare & interimere poſſet. In hoc itaque caſu Obſtetricis dexteritas requiritur, quæ noverit eum Infanti ſimul & Parturienti ſitum præbere, quò vel hæc Fœtum integrè eniti, vel ipſamet ſuis intruſis digitis eundem ſub axillis extrahere queat.

Quòd ſi verò alter Infans gemellus adhuc in Utero intra peculiaria ſua Involucra clauſus hæreat, tum Obſtetrix prioris jam excluſi Fœtûs umbilicalem Funiculum abſciſſum cruri Parturientis alligabit, quò minus vel ſanguinem fundere, vel impedimentum aliud procreare poſſit. Hinc verò Involucra Gemelli membranacea, ſi ſponte non rumpantur, vel ſuis digitis aperiat, & ita Partum novum maturabit; niſi fortè ſtricta præter ſpem Uteri Cervix impedimentum atque moram longiorem afferat; in quo certè caſu, *Butyro*, aliave re oleoſâ eadem probè emollienda, vel *decocto* etiam *plantarum emollientium* in *lacte* facto probè fovenda erit; usque dum Cervix illa denuò aperta Infantem alterum exhibuerit.

Denique *Secundinæ* ambæ ex Utero Matris extrudendæ veniunt. Quando Secundina prodiit, videndum, num integra ſit, vel mutilata? Explorandum quoque annon Grumi ſanguinis intra Matricem hæreant? unde poſtliminiò Puerpera graviter pati, & in continuam Febrim incidere queat. Imò, ſi fortè gravida adhuc Fœmina ſubinde de Abdominis dolorib⁹ conqueſta fuerit, atq; ventris inæqualem tumorem perſentit, probè examinandum, annon poſt excuſſum Fœtum adhuc Mola quædam in Utero hæreat? In hisce ergo caſibus Obſtetrix omni arte & induſtria talis rei exitum procurabit; ſive dein id fiat digitis ſubinde Cervicem Uteri blandè expandendo & irritando, ſive ſequentem *Mixturam*, à Medico præſcriptam, cochleatim exhibendo, ſive denique *Decocti Scoriarum Reguli* ♁ *nii* & *Herbar Artemiſ. Marrub. alb. Anagallid. Ocymi, Meliſſæ* &c. vaporem ad Genitalia Puerperæ admittendo.

℞. *Aquæ Meliſſ.* ℥j.
Puleg.
Artemiſ.
Lil. alb. ana ℨvj.
Syrup. de Eupator.
Flor. Tunic. ana ℨiij.
Confect. Alk. inc. ℈ij.
Borac. venet. ℨß.
Diaph. ♃ *vial.* ℈j.
Tinct. Caſtor. cum Spirit. Salis arm par. ℨß.
M. d. ad Vitrum.

 His

His omnibus peractis Puerpera, etiamſi fortè adhuc quid in Utero remanſerit, in lectum nonnihil calefactum eſt immittenda, ſubmiſſo ad pudenda linteo calido, ne fortè aër frigidus ſubingredi, & Cervicis nimiâ conſtrictione ingentia mala excitare poſſit. Dein Puerperæ per aliquot dies nonniſi *Juſcula carnea*, & *hordeacea* ſunt præbenda, cum *Ptiſanâ* è *Decocto C. C. raſi*, *Hordeo* & *Liquiritiæ radic.* parandâ. Ab acidis verò eſt cavendum; quies Puerperæ tum corporis tum animi imperanda. Subinde *Decoctum* vel *Infuſ. Folior. Thée*, aut *Herbarum vulnerariar.* calidè exhibendum; & ita in omnibus Puerpera erit tractanda, ſicuti aliâs curari ſolent graviter vulnerati. Imò conveniens ſimul eſt aliquot doſes *Pulverum diaphoreticorum* exhibere; v. g. *♁n. diaph. Lact. Lun. Ocul. ♋. ppt.* &c. quo ſic Febris aut præcaveri, aut certè etiam, ſi jam adfuerit, per blandam diaphoreſin curari queat. Quibus doſibus ſi *Boracem venetam* & *Teſticulos Equi* vel *Cervi pptos* admiſcueris, ſimul, quicquid forſan ſive coagulati ſanguinis, ſive reliquiarum Secundinæ in Utero relictum fuerit, non ſecus atque *Molam* ipſam reſtitantem, ad exitum promovebis. Molam verò præſentem indicare ſolet inæqualis poſt excuſſum cum Secundinâ Fœtum tumor abdominis relictus. Pudenda etiam, ſi fortè dolore affligantur, *Olei roſacei*, *violac. Lil. alb.* & *Verbaſci* inunctione mulcebis: ſi tumida verò ac Inflammata exiſtant, *Fomento* ex *decocto Herbar. Alliar. Salv. Betonic. Scord. Scabioſ. Veronic. Melilot. Chamomill. Calendul. Bacc. Juniper. Laur. Camphor.* &c. in *Vino* & *Aquâ* facto, & *ſpongiâ* vel *linteis* excepto, applicatoque diſcuties. Abdomen autem ipſum blandâ ligatione conſtringere, ſi velis, poteris, ut Uterus tanto citius concidat & adducatur; atque tum Puerperæ quies ac blandus ſomnus concedatur.

Tormin ventri & alv conſtip tio, qu modo curand

Tormina ventris & *Alvi conſtipationem* ante partum curare licet nunc hauſto ſubinde *Oleo Amygd. dulc.* aut *Olivarum* recenti non ſalito; nunc *Clyſmate emolliente* atque *detergente carminativo*: in quem finem *Decoctum* ſervit *Radic. Cichor. Alth. Malv. Lil. alb. Polypod. Herb. Artemiſ. Aneth. Majoran. Meliſſ. Malv. Alth. Violar. Parietar. Flor. Chamom. Hyperic. Semin. Fœnic. Cumin. Lin. Fœni græci, Aniſ. Bacc. Junip. Laur.* in *Aquâ* & *Lacte* factum, cum admixto *Oleo Amygd. dulc. Olivar. Roſar. Violar. Melle roſac.* &c. Abdomen quoque inungatur *Oleo Chamom. Melilot. Semin. Hyoſcyam.* vel *Papav. alb. expr. Rutæ*, cum *Axungiâ leporin. anſerin. vulpin. Capon. Butyro recenti*, vel *cocto non ſalito*; & poſtea *Sacculus carminativus* grandis, ſæpè calidè Abdomini toti applicetur, compoſitus ex *Herb. Majoran. Menth. Meliſſ. Origani, Anethi, Abroton. Matricar. Rut. Bacc. Juniper. Laur. Semin. Cumini, Carvi, Aniſ. Fœnic.* &c.

Vires ante Partum collapſæ & debiles, peſſimum ſolent eſſe ſignum, & periculum quoque mortis in ſubſequenti Partûs difficultate inducere; quamobrem

quamobrem partim *Juſculis carnium* optimis, partim ſequenti ſimul *Cardiaco* Spirituum animalium vigor reſtituendus venit:

℞. *Aqu. Scabioſ.* ℥j.
Borrag.
Meliſſ.
Flor. Acac. ana ʒvj.
Cinnam. cum Vin. ℥ß.
Confect. Alk. inc. ℈ij.
Syrup. Rub. id. ʒvj.
Ebor. ppt.
Matr. Perl. ppt. ana ℈j.
M. d. ad Vitr. & ſumatur cochleatim. *Vinum* etiam generoſum, velut *Malvaticum*, *Frontiniacum*, *Hungaricum*, *Creticum*, *Volturenum*, vel aliquod *artificiale aromaticum* ſubinde ad unum alterumve cochleare concedatur.

Præpoſterus ſitus Infantis. Frequentiſſima autem cauſa Dyſtociæ, cum ſit præpoſterus ſitus Infantis, perita requiritur atque exercitata manus, quæ juvare queat Partum, eumque faciliorem reddere. Operationes autem heic manuales utplurimum neceſſariæ ſunt, quarum ratio in peculiaribus hâc de re libris in lucem publicam datis inquiri poteſt, inprimis verò heic commendamus quæ à *Mauriceau*, *Solingen*, *Viardel*, *à Deventer*, aliiſque hanc in rem publico communicata fuerunt.

Hæmorrhoides Vaginæ. Hæmorrhoides Vaginæ uterinæ tumentes ac dolentes impediunt interdum felicem Partum; in hoc proin caſu Parturientes cogi non poſſunt ad niſus fortiores, ſed heic ſtatim venam brachii incidendam ſuademus, deinceps *Oleum Violarum*, *Lilior. alb.* *Nymphææ*, *Verbaſci*, *Chamomill.* *Roſar. alb.* cum *Unguento de Linariâ* permiſcemus, & frequenter in Vaginam Uteri demittimus. Parturiens verò tum in lecto ſupina jaceat, cumque dolores accedunt, blandos atque moderatos niſus exerceat, à quibus venæ hæmorrhoidales non multum premi, ac tumefieri poſſunt; ſicque pergat, donec apertâ magis cervice Uteri Partus facilior evadere incipiat. Intus *Mixtura* interim *cardiaco-diaphoretica* per cochlearia exhibeatur:

℞. *Aqu. Fl. Calendul.*
Scabioſ.
Endiv. ana ℥j.
Syrup. de Cinamom.
Nymph. ana ʒiij.
Dent. aprin. ppt.
♁ *n. diaphor. ana* ℈j.
M. detur ad Vitrum.

Convulſiones. Vidimus aliquoties, quæ ab acerbitate nimiâ dolorum convulſæ fuerunt pluries, antequam ſuos enixæ Fœtus eſſent; his præter injectum *Clyſma emolliens* Venam brachii curabamus aperiri, & ultra ſex uncias ſanguinis extrahi non ſine felici ſucceſſu, quoniam hinc ſtatim ceſſârunt; ſed & *Mixturam* quandam *antiſpasmodicam* ac *detergentem* ordinare ſolemus, per cochlearia plus minus frequenter propinandam:

℞. *Aqu. Fl. Tiliæ.*
Pæon.
Sempervio. ana ℥j.
Syrup. anodyn. ℥ß.
de Beton. ʒij.

Elect. diaſcord. ʒß.
Eſſent. Caſtor.
Liqu. C C. ſuccin.
Ungul. Alc. ppt. ana ℈j.
Specif. cephal Mich. gr. xxv.
M. d. ad Vitrum.

Extus Vertex capitis, Tempora, ac Spina dorſi inungantur *Oleo Rutæ, Chamomill.* cum *Axungiâ Caſtor.* in ipſo Paroxysmo Naribus applicentur vel *Spiritus Salis armon. urinoſ.* vel *Tinctura Caſtorei* cum *Spiritu Anthos*, vel ſimilia alia in curatione *Convulſionum* commendata.

Cervix Uteri anguſta nimis. Si Cervix Uteri nimis anguſta, vel etiam ſpasmodicè conſtricta exiſtat, tum nullum præſtantius eſt remedium ipſo *Aquæ dulcis Balneo* cum incoctione *Herbarum emollientium*, cui Parturiens pro lubitu inſidere poteſt; poſtmodum autem vel *Butyrum*, vel *Olea emollientia* diligenter pudendis inungantur. Intus quoque *Aqua Lil. alb. Scabioſ. Pœon. Malv Succiſ. Cinnam.* &c. cum *Roob Sambuc. Syrup. Capill.* ♀r. & *Matr. Perlar. ppt.* vel *Ocul.* ♋. *ppt.* ſæpius per cochlearia exhibeatur.

Parulis. PARVLIS eſt Tumor inflammatorius Gingivarum valdè dolens, à ſtagnatione Lymphæ & Sanguinis oriundus, atque frequenter in Abſceſſum terminans.

Ætiologia. Etenim Gingivarum caro è tunicis & fibris carneis conſtans, ac naturali in ſtatu rubicunda, ſuis gaudet vaſculis ſanguineis, lymphaticis, atque fibris nervoſis. Quando igitur maſſa ſanguinea particulis viſcido-ſalinis, acidis & acribus ſcatet, hincque forſan per aërem frigidum, inprimis nocturnum ad caput admiſſum, vel per hauſtum gelidum, auſterumve, vel per cibos acido-auſtero ſalſos, tubuli Gingivarum, vicinarumque partium conſtringuntur & anguſtantur; aut ſi fortè ſal acido-acre nervulos ad Dentium radices protenſos, dolorificè pungat, criſpet, & vicina ſimul Gingivarum vaſcula in criſpationis ſuæ communionem trahat; tunc illico humores inibi ſubſiſtere, colligi, & ſtagnare incipiunt, hincque inter ſe effervescendo, membranasque diſtendendo inflammatorium Tumorem producunt.

Diagnoſis & Prognoſis. Tumor verò hic per ſe ad oculos patens, ſæpius diſcutitur, ſi nulla fuerit humoris extravaſatio facta; dum autem humor per rupta vaſcula inter membranas eſt effuſus, & magis magiſque collectus, non poterit hic amplius diſcuti, ſed paulatim turgeſcendo in pus abibit, atque Abſceſſum gignet, qui dein ruptus ſaniem fundet, & Ulcus exhibebit citò curabile, ſi pus fuerit probum, ſanguiſque Ægri ſatis balſamicus; tardiùs verò ſanabile, ſicubi circulans humorum maſſa acido-ſalino-acrior fuerit, minuſque balſamicum ſuccum ad partem affectam miſerit. Accidit inter hæc, ut non raro luxuriet Gingivarum caro, & Tumorem ſimiliter producat, ſed non inflammatorium illum, nec in Abſceſſum facilè abeuntem, & hic Tumor Gingivarum peculiari nomine *Epulis* vocatur, de quâ ſuo loco.

Paru-

tio. Parulidem verò curabis haud difficulter, ſi ante omnia primas vias à ſuis ſordibus atque cruditatibus liberabis, quod facilè fit per *Syrup. de Cichorio cum Rhabarb.* vel *Syrup. Roſ. ſol. compoſ.* cum *Confect. Hamech. Elect. de Succ. Roſ. Mercurio dulci*, & *Aquâ aliquâ deſtillatâ*. Poſtmodum *abſorbentes Pulveres* & ſimul *diaphoretici* dabuntur ex *♁ n. diaph. Ocul. ♋. ppt. Ebor. ppt. Lact. Lun. Bezoard. miner.* & ſimilib. cum *Roob Sambuc. Aquis Card. bened. Scab. Fumar. Cherefol.* &c.

℞. *Aqu. Cichor.*
Cherefol.
Fl. Sambuc. ana ℥j.
Roob Juniper vel Sambuc. ʒj.
♁ n. diaph. ℈ß.
Spod. ex Ebor. ppt. ℈j.
M. d. ad Vitr. pro doſi aliquoties repetendâ.

Si ſudor accedere velit, ſudet maximè Æger.

xterna. *Externè* diſcuſſio primùm tentabitur, Genæ lateris affecti applicando *Farinam probè ſiccatam* cum *Floribus Chamom. Sambuc. Bol. armen.* & *Camphor.* Vel Os frequenter eluendo *Decocto calente Fol. Salv. Beton. Meliſſ. Malv. Brunell. Fumar. Flor. Sambuc.* in *Aqu. ſimplic.* aut *deſtillat. Scab. Fumar. Card. bened.* facto, addito tantillo *Spiritus Vini camphorat.* Si diſcuti nequeat Tumor, maturandus, ſuppurandus, aperiendus, extergendus & conſolidandus erit. Quem in finem *Malvam*, *Althæam*, *Violariam*, *Salviam*, *Flores Verbaſci*, *Melilot. Malvæ hortenſ. Croci*, *Ficus*, *Jujubas*, & ſimil. incoques *Lacti* vel *vaccino* vel *caprillo*, hocque *Lac calens* ſæpius in ore tenebis; & ubi maturationem tardiùs procedere obſervabis, decocto ulterius addes *Radices* vel *Ceparum*, vel *Lil. alb.* Maturatus Abſceſſus per ſe utplurimum rumpitur, imò exſpectandum, donec ſponte rumpatur; hæc tamen ruptio maturabitur, ſi fruſtulum *Cepæ* indas dimidiæ *Ficui*, hancque ſic Tumori applices, ac interea ſimul *Lac* ſuperius *calens* frequenter in ore teneas.

Ruptum tandem & in *Ulcus* mutatum Apoſtema ſtatim probè eluendum & extergendum eſt cum penicillo, quem *Melli roſaceo*, *Succo Apii*, *Eſſent. Myrrh. Pulvere Boli Armen. ♁ n. diaphoret.* & *Cretæ rubræ* permixto prius intinges. Hæc ipſa *Mixtura* verò non ſolùm extergendi, ſed & conſolidandi vi egregiâ pollet. Inter hæc Os tamen adhuc aliquoties *Decocto* illo *Lactis calido* eluendum eſt; vel ejus vices tum præſtabit *Decoctum Saniculæ*, *Pyrolæ*, *Geran. Robertian. Hyperici*, *Ariſtoloch. rot. Salv. Scordii*, *Alliar.*, *Apii*, *Trifol. fibrin.* &c. in *Aquâ* & *Vino* ſimul paratum.

PASSIO HYSTERICA, vid. *Matricis ſuffocatio.*

PASSIO COLICA, vid. *Colica.*

PASSIO ILIACA, vid. *Ileos.*

PECTORIS HYDROPS, vid. *Hydrops Pectoris.*

PEDICVLARIS MORBVS, ſ. PHTHIRIASIS eſt moleſtus quidam & pruriginoſus dolor in cute corporis, utplurimum piloſâ excitatus, ab Animalculis *Phthiriaſis.*

malculis exiguis, polypodibus, albis, non ſaltantibus, ſed repentibus, *Pediculorum* nomine notiſſimis, fibrillas mordicantibus oriundus.

Pars affecta. Emergunt autem variis in ſedibus cutaneis, maximè Infantum & Puerorum, dein & Mendicorum, Militum, Nautarum, aut aliorum Hominum ſordidorum atque immundorum, qui plerunque iis ſcatent. *Subjectum.* Atque ita pro locorum corporis diverſitate inter ſe quoque diſtinguuntur. Dum autem excreverunt hæc Animalcula, ſuamque magnitudinem obtinuerunt, latiuſculi ſunt, albi vel cineritii, nigrâ ſubinde maculâ in dorſo, ac præterea pluribus æqualibus pedibus donati. Quòd ſi autem modò naſcantur, vel ſuis adhuc ovulis incluſi exiſtant, & pilis v. g. capitis adhæreſcant, tunc peculiari nomine *Lendes*, germanicè *Nüß* apud nos vocantur; *Lendes.* qualibus non raró piloſam capitis cutim ſcatere animadvertimus, utpote è quâ ſæpè acervatim ſordidioribus Pueris, non ſecus atque adultis Hominibus prodeunt. Sed & in *Barbâ*, *Palpebrarum ciliis*, ac *Superciliis* ejusmodi quoque Animalcula non raró deprehenduntur, ac mordicando pruritum excitant; exigua illa, & quæ tamen, ſi incrementum ſumpſerunt, facilè ſuo loco depelluntur. Inter *Pilos* quoque ſub *Axillis* latentes ſimiles interdum Pediculi oberrant, ſed haud difficulter & inde propulſabiles. In *Pudendorum* verò cute capillatâ hærent etiam ſæpè moleſtantque Pediculi, alterius ferè generis, qui pertinaciter infixi pruritum & lancinationem inſignem excitant; Germani *Filtzläuß*, Latini autem *Pediculos inguinales*, Galli *Mortpions* appellant. *Pediculi inguinales.* Tandem inſignes Pediculi totum corpus perreptantes, & in plicis Veſtium, ac Induſiorum maximè nidulantes, cõmunes admodum ſunt, Militibus præprimis, Nautis atque Mendicis, ut ſubinde præ eorum multitudine, corporis cutim vehementer admodum lancinante & pungente, tantùm non moriantur. Germani nuncupant *die Kleiderläuſe*; duplo majores exiſtunt Pediculis Capitis, neque ferè capillaceam Cutim ſubeunt, ſed reliquæ Cuti glabræ magis infeſti ſunt, ac intra breve temporis ſpatium ex ſuo intra plicas Indumentorum depoſito ovulorum ſeminio valdè multiplicantur.

Pediculorum origo. Disquirunt Eruditi de ortu ejusmodi Pediculorum; ac Veteres quidem univerſaliter aſſeruerunt, è ſordibus pituitoſis, mucoſisve putreſcentibus talia Animalcula naſci: inprimis autem materiam iis ſuggerere excrementa cutanea minùs probè in auras evolantia, vel deterſa, ſed intra cutis poros relicta. Verùm huic ſententiæ adſtipulari nequeunt hodierni Medici, poſt quam ratione ſimul ſanâ, & experientiâ multiplici didicerunt, nulla viventia, nullaque adeo Animantia gigni poſſe niſi è proprio ſeminio, imò ex ovulis per congreſſum maris & fœminæ fœcundatis, usque adeo, ut, ſi deprehendantur in qualicunque re putreſcente verminoſa Animalcula naſci, credendum ſit, prius ab Inſectis volatilibus ovula

in iſtius rei poros fuiſſe depoſita. Utut autem difficile ſit, originem Pediculorum adcuratè deſcribere, probabile nihilominus videtur, ovula ac ſeminia illorum cum cibis aliquibus deglutiri, eaque dein ceu admodum ſubtilia in chylum & ſanguinem immutata transmitti, unde poſtea ad poros & glandulas capillaceæ cutis, ſive cum, ſive ſine ſudore præcipitantur, poſtea aliquali ſui morâ vivificantur, excluduntur, & in *Pediculos* ejusmodi faceſſunt. Nil proin novi, quòd in capite plurium Infantium, ſub cruſtâ verticem adhuc tegente, poſt ſudorem frequentem, myriades ejusmodi minimorum Pediculorum, quos proin *Schweißläußlein* appellant, enaſcantur, ac inſignem Tenellis pruritum concilient, quem fricatione lenire ſolemus. Pediculi Veſtium aliam fortè ſortiti fuerunt originem, ex aliis nimirum Animantibus brutis Homini communicatam; quemadmodum reverâ vix Homo oſtendi poteſt talibus Pediculis ſcatens, qui non eos ab alio Homine, vel Bruto quodam, per communicationem adquiſiverit.

uratio. Plura Remedia contra Pediculos habentur, & certè neceſſaria ſubinde ſunt illa, niſi velimus illâ moleſtâ & continuâ lancinatione in alios Infantem vel Hominem morbos præcipitari. Bonum eſt, ſubinde corpus purgare, inprimis tali remedio, quod ſimul *dulcificatum Mercurium* récepit. Poſtmodum autem verminoſa ſanguinis impuritas per *diaphoretica* remedia diu data eſt corrigenda; in quem finem convenit ℞ *n. diaphoret. Ebur ppt. C. C. uſt. ppt. Dens Apri* vel *Lupi ppt. Radix Gentianæ* &c. ſub pulveris formâ quotidie ſemel vel bis exhibita, idque cum *Aquâ Scabioſ. Fumar. Succiſ.* aut *Plantag.* Sudor hinc eliciatur interdum, etiam in *Laconico*, isque poſtea abſtergatur ſtudioſè. Ut verò etiam Cuticulæ poris impacti & fortiter inhærentes Pediculi extrahantur, atque eliciantur, *Balneo Aquæ dulcis* corpus immittendum eſt. Cutis autem capillata corporis, inprimis Capitis pectinando, fricando, ac ſubinde *Lixivio* lavando à pinguibus ſordibus, furfuribusque probè liberetur; Pediculi hinc quotidie auferantur. Et ſi hoc fieri apud Infantes nequeat, propter eorum inſignem multitudinem & Achores muco ſuo pilos ſæpè ita conglutinantes, ut pectinari nequeant, tum certis remediis extus applicatis Pediculi enecandi ſunt; quem in finem ablui ſolet aliquoties Caput *Lixivio calente*, cui incoctæ prius fuerint v. gr. *Radices Curcumæ, Hellebori albi* vel *nigri*, *Ariſtolochiæ longæ*, *Cyperi*, *Angelicæ*, *Galangæ. Folia Betæ*, *Abſynth. Perſicar. Tanacet. Marrubii*, *Sabinæ*, *Rutæ*, *Betonic. Salviæ*, *Origani*, *Chamædryos*, *Centaur. minor. Semin. Staphid. agriæ*, *Lupinor. Naſturtii*, *Bacc. Lauri*, *Evonymi*, *Cocculæ*, *Agaricus*, *Aloës*, *Myrrha*, & ſimil. Huic decocto etiam vel *Nitrum*, vel *Sal. armoniac. Alumen*, aut *Acetum ſcilliticum* addere licebit. Vel loco hujus *decocti* ſumi poteſt *Spiritus* quidam *Cephalicus*, quemadmodum eſt v. gr. *Spiritus Vini*, cui infuſa permanſerint *Betonica*, *Salvia*, *Majorana*,

jorana, *Ruta*, *Abſynth. Chamædrys*, *Chamæpithys*, *Calamintha*, *Flores Lil. convall. Semen Staphiſagriæ* &c. hic dein calefieri, linteum ei intingi, & aliquoties capiti circumvolvi poteſt. Aliis placet magis *Unguentum* Capiti inungendum, quem in finem nonnulli *pulveriſatas Cocculas*, *Radices Angelicæ*, *Imperatoriæ*, *Hellebori nigri*, vel *albi*, *Piper*, *Nitrum*, *Semen Staphiſagr.* & *Rutæ*, cum *Foliis Sabinæ*, *Nicotianæ*, *Perſicariæ*, *Myrrhâ*, *Aloë*, *Sulphure vivo*, *Alumine*, *Cinnabari comũni ſ. factitiâ*, *Butyro* incoquunt, hocq; *Butyro* Caput ſubinde inungunt, & ita Pediculos feliciter necant. Vel *Unguentum Pediculorum* in Officinis proſtans in uſum adhiberi poteſt. Efficaciſſimum autẽ reddes unguentũ ejusmodi, ſi *Argentum vivum* addas, v. gr.

℞. *Argenti vivi* ℥j. *vel Cinnab. communis* ℥ij.
Terebinthin. ℥ij.
Axungiæ Porci, *vel Butyri ſuperioris*, *cum incoctione aliquorum parat.* ℥vj.
M. f. Unguentum inungendum.

Fumigatio Cucullorum aut *Vittarum* quibus Capita teguntur, cum *Fumo Nicotianæ* ac *Seminis Staphidiſagriæ*, Pediculos quoque necat. Denique Capilli capitis frequenter, pectine minutis arcteque unitis dentibus prædito, pectinandi, ſicque Pediculi ſimul auferendi ſunt, vel ſcopulâ ſetaceâ depelluntur Pediculi, ſicque Caput mundatur. In nimiâ forditie etiam melius ſubinde eſt, pilos abradere & detondere, caputque *Spiritu Vini calente* abluere.

Similia remedia in Pediculis ſuperciliorum & Pubis uſurpari poſſunt. Verùm Pediculi veſtium tum maximè cedunt, vel arcentur etiam, ſi *Unguento Pediculorum* plicas tuarum veſtium aliquoties perungas, aut *Nicotianæ fumo* ſæpius imbuas; aut *Pannum cannabinum*, ſive *lineum*, quo Aurifabri ſub inaurationis opere utuntur, locis piloſis, & aliis, quibus Pediculi ſolent eſſe moleſti, applices. Optimum verò remedium habetur, veſtium in Clibanum adhuc calentem intruſio, aliquoties repetita; imò veſtium omnium mutatio.

PEDUM CLAVI, vide *Clavus*.

PEDUM FOETOR, eſt teter odor è pedibus quorundam Hominum frequenter ſudantibus exhalans, atque particulis ſulphureo-ſalinis admodum ſolutis, ac volatilibus fibras narium tunicæ nervoſas moleſto atque ingrato admodum ſenſu percellens. Cùm autem hic Affectus Hominibus eo affectis, non ſecus atque aliis vicinis moleſtus exiſtens, ſub titulo de *Fœtore corporis* in genere explicatus jam ſit, hic fuſiùs eum pertractare operæ pretium non eſt. *Pedi fœta*

PENIS PHIMOSIS, eſt Affectus morboſus Virgæ, quo Præputium ita arctè glandem obtegit, ut retrahi vel planè nequeat, vel non niſi cum vi & dolore id fiat. Morbus oculis patens in extremitate virilis membri, è quo hinc Urina vix, vel ſæpè admodum parcè prodit, aliquando prorſus tranſire nequit. Hinc Peritonæum diſten- *Phim* *Pars affecti*

diſtenditur, dum Veſica impletur urinæ copiâ, Urethræ canalis quoque tum dolet, utpote ab Urinæ magnâ ex parte retentæ acrimoniâ lancinatus, ipſoque ſphinctere Veſicæ jugiter ad excretionem ſtimulato in conſenſum tractus. Interdum etiam, ſicubi ſerum quoddam intra tubulos Præputii conſtrictos fortè circa radicem glandis ſeſe cumulaverit, ipſum Præputium intumeſcit, adeo ut inſtar chordæ alicujus expanſæ, atque albicantis glandi circumpoſitum hæreat; quandoque tamen flatus loco ſeri iſtum Tumorem producit.

Phimoſis autem hæc oritur nunc ab ipsâ nativitate per vitioſam formationem in Utero; nunc ab accretione aliquâ, tumoreque & conſtrictione frenuli per humores acido-acres factâ, qui humores poſtea in Præputio ſubſiſtentes illud adeo ſpiſſum & expanſum reddunt, ut glans firmiter ab eo circumplicetur, ac eapropter denudari nequeat. Nonnunquam halituoſo-ſalſa lympha æſtivo tempore, cum corpus fortè multum ſudat, in poris ipſius Præputii dolorem pruriemtem excitat, quale quid etiam ſæpè facit ipſa Urina nonnihil acrior profluens, atque aliquibus ſui guttis ſubter Præputium ad radicem glandis ſeſe recondens, & inibi tantiſper ſubſiſtens: excitato autem pruritu Homo ad fricandum neceſſariò ſtimulatur, frictio hinc crebrò inſtituta glandulas, vaſaque adeo irritat, ut plus dein humoris ſeroſo-ſalſi admittant, & ita Tumorem Præputii, glandem firmiter obtegentem excitent. Contingit eodem quoq; tempore ſæpius, ut acrimonia humorũ talium non ſolùm inflam̃et, ſed & fibrillas cutaneas Præputii erodendo excoriationem producat, unde poſtmodum guttæ ſeroſo-gelatinoſæ rimam Glandis ac Præputii foramen infarcientes extillant, quæ tandẽ magis ac magis exiccatæ non contemnendã Homini moleſtiam afferunt, Urinam vel prorſus nullam, vel certè paucam cum dolore & labore transmittentes. Denique Ulcera Præputii, Glandisque venerea malè curata, quibus ſcilicet vel Præputium grandius relinquitur, vel illud etiam Glandi hinc inde accreſcit, & adnaſcitur, Phimoſin producunt, ſub quâ dein Virga non niſi cum magno dolore erigi poteſt.

Quod *Curationem* attinet, ſi Inflammatio adfuerit, vel Imperforatio, Excoriatio, aut Ulcus, methodus medendi inſtituetur, quemadmodum ſub talibus Affectibus deſcribitur. Quòd ſi autem humorum ſeroſorum affluxus Tumorem Præputii & Phimoſin cauſatus fuerit, intus quidem dabitur *purgans* aliquod cum *Mercurio dulci* miſtum, ac dein per plures dies quotidie *diaphoreticum* aliquod exhibebitur è *Cryſtallis albis ppt.* ♄*n. diaphoret. Bol. armen. Pulvere Viperar.* vel *Serpent. ppt. Succino alb. ppt. Bezoard. mineral. Cinnab. nativ. opt.* vel ♄*nii correctâ* & ſimilibus, cum *Emulſione Seminum frigidorum, Card. bened. Lactuc.* &c. Quotidie etiam *Decoctum Lignorum*, vel *Infuſum Thée* & *Herbar. vulner.* bibatur cum *Tinctur.* ♄*n.* vel *Mart. aperitivâ.* Curatio.

Externa. *Extus* autem ſimiliter talia applicabuntur, quæ ſerum incidere, attenuare, reſolvere, acidum corrigere, poros conſtrictos relaxare, ſicque Tumorem diſcutere poſſunt; quem in finem, ſi nihil Inflammatorii adſit, *Oleum Hyperici, Roſarum, Laurinum, Terebinthina Vitell. Ovor. ſolut.* cum *Balſamo Peruvian.* aut *Copaibæ, Eſſentiâ Myrrhæ, Melle roſaceo, ♁nio diaphoretico, Bolo armenat. Cretâ rubrâ, Lacte Lunæ* &c. ſæpius illinatur Præputio & Glandi. Si verò Inflammatorii quid vel adſit jam, vel certè metuendum, tum fomentare magis convenit extremitatem Virgæ v. gr. *Spiritu Vini camphorato*, cum *Aqu. Calcis viv. Urinâ, Eſſent. Myrrh.* Vel *ſolâ* nonnunquam *Urinâ*, cui *Flores Sambuc. Melilot. Hyperic. Folia Alliariæ, Perſicariæ, Rutæ, Solani, Scordii, Geranii Robertiani, Anagallidis, Chamædryos*, & ſimilia ſint incocta. Vel *Aquâ deſtill. Flor. Sambuc. Solan. Card. bened. Cherefol. Ulmar. Spermat. Ranar.* cum *Mercur. dulc. Sacchar. Saturn. Spirit. Vini camphorato* &c. Vel *Lacte* cum incoctione *Herbar. Scordii, Salviæ, Artemiſ. Marrub. alb. Brunell. Conſolid. med. Scabioſ. Flor. Sambuc. Liguſtr. Melilot.* Interdum autem plus præſtat *Cataplaſma*, frequenter imponendum, ex *Herbis Perſicar. Geran. Robert. Alliariæ, Ariſtol. rotund. Rutæ, Salv. Meliſſ. Flor. Melilot. Chamomill. Sambuc. Calendul. Verbaſc.* invicem inciſis, contuſis, atque *Lacti*, vel *Urinæ*, vel *Aquæ Calcis vivæ* incoctis paratum. Rariùs in hoc denique Morbo prodeſſe credimus *Emplaſtra*, v. gr. *Sticticum Crollii, de Spermate Ranar. de Cicutâ* aut *de Ran. Vigon. cum Mercur.*

Si Præputium Glandi adnatum ſit, ſcalpello illud ſeparandum, Vulnusq; vel Ulcus *Melle roſaceo*, cum *Eſſentiâ Aloës, ♁n. diaphoret.* &c. curandum, atque, Præputium ſæpè interim retrahendo, perſanandum.

PENIS ſeu VIRGÆ IMPERFORATIO eſt Affectus morboſus meatuum, in quo Canalis Membri virilis ita clauſus eſt, ut nulla Urina tranſire queat. *Penis Imperforatio.* Malum certè deleterium, ſi membri foramen arte nullâ aperiri queat, dum cumulatum ita in corpore ſerum vel Veſicam nimis diſtendendo Convulſiones, vel ſanguinis laticem applendo Catarrhos lethales intra paucos dies accelerat. *Prognoſis.*

Interim Imperforatio talis vel *nativa* eſt, & à malâ Partis intra Uterum conformatione producta; quæ ſi majorem Urethræ partem coaleſcentiâ parietum reddiderit imperviam, inemendabilis exiſtit; ſi verò tantùm in extremâ Glande obducta plus minus craſſa pellicula imperforatum clauſumve reddiderit Canalem, protinus hic inciſâ illâ pelliculâ aperiendus venit, atque interea *cereum ſuppoſitorium Melle roſaceo*, cum permiſtâ *Myrrhæ, Aloëſve Eſſentiâ*, pulvereque *Bol. Armen.* aut *Cret. rubr.* vel ſolo *Balſamo peruviano*, aut *vulnerario* alio imbutum ſæpè intrudendum, quò ſic coaleſcentia nova impediatur, vulnuſque conſolidetur, canali manente pervio. Quamvis interea ſimul per *Differentia & Cauſa.* *Curatio.*

vices

vices profluens Urina ad impediendam illam coaleſcentiam contribuat. Vel imperfortio adveritia eſt, contingens ſæpè ab obducto Præputio, requiritque remedia in Phimoſi comendata, incidentia, reſolventia, v.g. *Spiritum Vini camphorat.* cum *Spiritu Salis armon. Urinoſ. Succo Apii, Perſicar. Rutæ* &c. Sed & imperforatur Urethra, quando intra illius Canalem nata forſan eſt ex Ulcere Proſtatarum Caruncula, aut excoriata etiam interna Urethræ ſuperficies coaluit, poſt Luem veneream, aut virulentam Gonorrhœam malè curatam. In hoc proin caſu nil proderit, niſi cerea candela, vel cannula quædam argentea, cujus extremitatem impleveris *ſubtiliſſimo pulvere Myrrhæ, Mercurii præcipitati albi, ♁n. diaphor. Calcis viv. Lap. medic. Croll. Melli roſaceo* ſubactis; continuando hanc methodum, donec Canalis iterum pervius fuerit redditus. *Decoctum* etiam *Hordei* & *Liquiritiæ* pro Potu ordinario uſurpabitur, atque à Cibis acido-ſalſo-& aromatico-acribus cavebitur.

nperforatio à alculo eſicæ.

Interdum Imperforatio contingit à Calculo Veſicæ, qui ex ipſâ quidem Veſicâ prodiit, ſed dein ob irregularem ſuam figuram & magnitudinẽ in Urethræ canali, nunc profundiùs, nunc circa radicem Glandis obhæſit. Dolor heîc ſimul intolerabilis exiſtit, propter nervoſam Urethræ ſubſtantiam à ſpiculis Calculi perpetim irritatam; ut proin citò mederi oporteat, ſi Ægrotum ab Inflammatione, Gangrænâ, Sphacelo, & Convulſionibus deleteriis immunem eſſe deſideremus. Sed juvare tamen poſſe, hoc opus eſt hicce labor. Si Calculus ad Glandem usque protruſus jam ſit, *Oleum Verbaſci, Lil. albor. Roſar. Chamomill.* aut *Hyperici* largiter Virgæ immittatur; vel *Succus Herbar. Malvæ, Alth. Telephii, Sempervivi, Verbaſci,* cum *Lacte* calente permiſtus; vel ſolum *Lac calidum* cum *Butyro recenti non ſalito,* aut *Cremore Hordei* crebrò inſpergatur, ut Glans à criſpatione ſuâ liberari, hincque dilatari magis, & Calculum dimittere queat. Aut inſtrumento aliquo rima Glandis, quantum poſſibile erit, diducatur, ipſeque Calculus commodo quocunque inſtrumento extrahatur; dein *Succus Verbaſci* cum *Melle roſaceo, Balſamo vulner. Lacte* & *Bol. armenate* aliquoties inſpergatur, ut excoriatio Urethræ promtè ſanetur. Quando autem Calculus profundè intra Urethram hæſit, tum inſperſiones illæ emollientes, atque demulcentes illico inſtitui, ſæpiusque continuari debent, donec forſan Calculus ſponte prodierit. Hoc verò ſi contingere poſſe deſperamus, certè nulla amplius Cura ſupereſt, quàm ut Virgæ partẽ inferiorem, ſub quâ proximè Urethra latet, in loco, ubi hæret Calcul⁹, ſcalpello acutiſſimo incidam⁹, eumq; per foramen ipſius Vulneris extrahamus, hincque Vulnus partim *Unguenti digeſtivi, Emplaſtriq;* ope ad conſolidationẽ promoveamus, partim *diſcutiente Fomento* diligenter applicato Inflammationem vel præſentem jam diſcutiamus, vel abſentem præcaveamus; non omiſſis internis *diaphoreticis,* atque *traumaticis* remediis;

 præ-

præſcriptâque *Diætâ*, quemadmodum in *Febribus continuis* obſervari debet.

Penis Caruncula.

PENIS CARVNCVLA eſt excreſcentia fibrarum carnoſarum intra canalem Urethræ, procedens utplurimum ab Oſtii Glandularum Proſtatarum, vel internæ etiam ſuperficiei Urethræ exulceratione, quam virulentum Seminis profluvium in Lue venereâ ſive Gonorrhoeâ malignâ utplurimum producit. Materiam autem Carunculæ præbet ſuccus talium partium nutritius jugiter affluens, atque in extremitate tubulorum ſpongioſâ copioſiùs admiſſus & coagulatus. Fortè tamen etiam medicamenta inſperſa, vel terebinthinata intus nimium data, dictas extremitates plus nimis emolliendo uberiori ſucci nutritii profluvio occaſionem præbent.

Prognoſis & Curatio.

Moleſta eſt interim talis Caruncula, & ſi fuerit magna, Urinæ Seminiſque excretionem liberam tantùm non prorſus impediens. *Curationem* verò illius difficilem reddit loci affecti profunditas, & anguſtia. Neque enim aliter mederi licebit, quàm ſicut in proximè præcedenti Affectu indigitavimus. Nimirum Cannula argentea vel ſtannea Urethræ intruditur usque ad ipſam Carunculam, quàm aliâs non obſcurè cognoſcere poſſumus per intruſionem ſtyli craſſioris, aut Cathetheris impedimentum quoddam eo loci, ubi Caruncula eſt, offendentis. Per Cannulam illam argenteam, cujus extremitas Carunculam attinget, vel tranſmittimus ceream candelulam, cujus extremitas imbuta eſſe debet *Mercurio præcipitato rubro*, *albove ſubtiliſſimè pulveriſato*, cum ♁nio *diaphoret.* *Pulvere Aloës*, *Myrrhæ*, vel tantillo etiam *Vitrioli*, aut *Aluminis uſti*; quo remedio ſæpius tacta Caruncula ſenſim conſumetur. Vel *Pulverem* etiam ex *Aloë*, *Myrrhâ*, *Radice Tormentillæ*, *Ariſtoloch. long. Galangæ*, *Hellebor. nigr. Zedoar. Ireos florentin. Mercurio præcipitato*, & *Sacchdaro candid. alb.* compoſitum per eandem Cannulam inſufflabimus, & quando arroſiſſe Carunculam credimus, Ægro permittemus urinam emittere, quo ſic illa virtute ſuâ abſterſoriâ particulas inſperſi Pulveris eluere, ſicque excoriationem ſanarum partium impedire queat. Iſtam verò operationem tamdiu repetemus, usque dum Caruncula vel penitus abſumta, vel ſufficienter ita minuta fuerit, ut nullum poſtea ulterius incommodum parere apta ſit.

Penis inflammatio.

PENIS INFLAMMATIO eſt Tumor rubicundus, admodum dolens & ardens, in Virgâ nunc integrâ, nunc ejus portione aliquâ duntaxat enatus, atque ab obſtructione vaſculorum capillarium oriundus.

Cauſa.

Occaſionem præbet huic ſatis vehementi, moleſtoque Affectui humorum acido-auſterorum affluxus è ſanguineâ maſſâ, in quâ è primis viis ſerum ſalſo-acidum prius fuit collectum. Sed & anſam exhibet ipſemet Æger, ſi præſentibus ejusmodi humoribus fricationem nimiam inſtituat,

ſtituat, quâ criſpati tubuli humorem intra ſeſe acrem retinent, ac ita Phlegmonem pariunt.

Quemadmodum Inflammatio hujus partis eundem generationis modum ſortitur, cum Inflammatione aliâ quâcunque, ita etiam exitum ſimilem adipiſcitur; & quidem nunc iterum diſcutitur, ſi ſtagnantes humores adhuc intra ſua vaſcula hæreant; nunc in Abſceſſum degenerat, ſicubi iidem jam extravaſati omnem diſcuſſionem reſpuant, ac potius in pus vertantur.

Itaque ut Gangræna & Sphacelus partis inflammatæ præcaveatur, ſimulque Affectus probè curetur, ante omnia ſuademus primas vias eluere cum aliquo *Clyſmate emolliente* ac *detergente*; quemadmodum eſſe poteſt v. gr. ſequens *euporiſton*:

℞. *Herb. Malv.*
Parietar.
Mercurial.
Violar.
Scabioſ. ana Mj.
Semin. Cumin. ʒiij.
Lini ℥j.

Inciſa & contuſa coque in ſ. q. Aqu. fontan. vel Juſculi carnium, Colatur. ℔j. *in Adulto adde*
Ol. Olivar. ℥iß.
Mellis ℥j.
Salis polychr. vel communis ʒj.
M. f. Clyſma tepidè injiciendum.

Dein *Vena ſecetur* Pedis, ſi fieri poteſt, aut Brachii, octo plus minus uncias ſanguinis extrahendo.

Intus ſubinde dabitur hauſtulus *Aqu. Card. bened. Succiſ. Nymph. Fumar. Ulmar. Scabioſ.* aut ſimilis cum *Roob Sambuc. Juniper.* ♄ *n. diaph.* & *C. C. phil. ppt.*

Extus primò ſequens *Pulvis* cum mollibus admodum linteis circumplicabitur:

℞. *Bol. Armenat.* ℥j.
Flor. Sambuc. ſicc. ʒij.
Farinæ cujuſcunque probè ſiccæ ℥iß.
Camphor. Spir. Vini ſolvendæ ʒj.
M. f. Pulvis ſubtil. d. ad ch.

Si commodè non ferat *Pulverem* Æger, tum diſcuſſionem tentabimus ante omnia *Spiritu Vini camphorato*, cum *Rore minerali*, *Aquâ Sperm. Ran. Roſar. alb. Solan.* ♄ *nio diaphoret. Bol. armenat.* & *Saccharo Saturn.* permixto, calideque ſæpius applicato. Vel *Alliariam*, *Solanum*, *Majoranam*, *Perſicariam*, *Geranium Robertianum*, *Scabioſam*, *Cherefolium*, *Salviam recentes* invicem incidimus, contundimus, atque cum *Lacte calente* mixtas ſub *Cataplaſmatis* formâ applicamus. Vel ex ſolâ *Scabioſa* & *Alliariâ* cum *Floribus Sambuci* etiam *ſiccis*, *invicem tenuiter inciſis*, *lactiq; incoctis fomentationem* inſtituimus.

Quòd ſi diſcuti Inflammatio nequeat, ſed in Abſceſſum tendat, tunc iis remediis malum eſt curandum, quæ ſub titulo de *Abſceſſu* commendavimus.

Penis Gangræna & Sphacelus.

PENIS GANGRÆNA & SPHACELUS, ſunt Affectus morboſi in Virili Membro exorientes, ubi illud vel emori ac ſiderari cum vehementi

menti ardore ac rubore incipit, vel planè jam emortuum, atque nigricans redditum eſt. Cùm autem tales ægritudines ſimili modo generentur, atque curentur, ſicuti *Gangræna* & *Sphacelus* in genere, ideo Ben. Lectorem quoque ad horum Affectuum tractationem remittimus.

Penis inflatio.

PENIS INFLATIO, eſt valida diſtenſio Præputii & reliquæ Cutis tubulorum membranaceorum, vel ſubſtantiæ ſpongioſæ Membri virilis ab intercurrente Spiritu flatuoſo-aëreo-oriundus. Vocare etiam ſolent græco nomine *Emphyſema*, in quo tamen non ſolus aëreus ſpiritus peccare credendus eſt, ſed cum eo ſimul vaporoſa lympha in tubulis porulisve membranaceis ſubſiſtere deprehenditur. Rarus eſt hic Affectus, non tamen adeo, quin celebrioribus ſubinde Practicis curandus obtingat; ac in Pueris & Adultis promiſcuè obſervatus.

Emphyſema.

Cauſa.

Producitur verò non niſi à mucoſo quodam ſucco, acido-auſtero, qui vel ab extus in coitu impuro, vel ab intus ad Præputii Tunicarumque Penis tubulos acceſſit, ſpiculisque ſuis acribus, aſtringentibus partim tubulos lymphaticos coarctando, partim fibras nerveas dolorificè criſpando, & Lymphæ continuè affluentis ſtagnationem, & Spirituum animalium irritatorum affluxum uberiorem conciliat; unde Tumor ille flatuoſus poſtea enaſcitur. Quòd ſi autem in ipſâ Penis ſubſtantiâ ejuſmodi Emphyſema forſan producatur, tum non ſolùm hactenus deſcriptæ cauſæ ad illud contribuunt, ſed & ipſum Semen copioſè collectum, ſtagnans & acre redditum, fibras nerveas fortiter irritare, & ſic ad inflandam Virgæ poroſam vel ſpongioſam ſubſtantiam ſtimulare valet, ita ut hinc ſæpè ſimul Priapismus maximè dolens oboriatur.

Curatio.

Quomodocunque autem hoc Malum excitatum fuerit, non alia deſiderat remedia, quàm quæ ſtagnantem humorem promtè attenuare, reſolvere, diſcutere, ac fibras irritatas demulcere valent. Quem in finem *intus* quidem aliquoties ſequentem *Pulverem* cum *Aquâ Portulacæ*, *Fœniculi*, *Nymphææ* atque *Meliſſæ*, vel cum *Emulſione Seminum frigidorum* inde paratâ exhibere, Ægrumque in lecto retinere licet:

℞. *♁ii. diaph.* ℈ß.
Nitr. ppt.
Cinnab. ♁ii. correct. ana *gr.* v.
Camphor. gr. iij.
Sacchar. alb. gr. viij.
M. f. Pulv. ſubt. d. ad ch.

Extus verò *Herbas Malvæ*, *Althææ*, *Violariæ*, *Geranii Robertian. Alliariæ*, *Salviæ*, *Meliſſæ*, *Matricar. Aneth. Menth. Solani*, *Pulegii*, *Betonicæ*, *Flores Chamomillæ*, *Liguſtri*, *Sambuc. Calendulæ*, *Semina Agni Caſti*, *Fœnicul. Apii*, *Aniſi*, & ſimilia *Lacti* incoquere, & lintea huic intincta, expreſſaque frequenter applicare; vel *Sacculos* ex iſtis herbis confectos, *Lactiq;* incoctos admovere convenit. Vel *Spiritum Vini camphoratum*, *Spiritum matricalem*, ſimilemve cum *Aquâ Calcis vivæ*, *Solani*, *Menth. Pulegii* &c. calidè ſæpius ſub formâ Fomenti applica.

plica. His nil juvantibus Ægrum *Balneo* Aquæ dulcis calenti immitte. Aut impone *Emplaſtrum de Baccis Lauri*, *de Meliloto*, cum *Semine Cumini* &c.

PENIS VERRVCÆ & EXCRESCENTIÆ, ſunt Tubercula mollia utplurimum, fungoſa, in ſubſtantiâ Glandis, nonnunquam & ſub ipſo Præputio enaſcentia, ferè ſemper madentia, fœtida, atque indies, ſi negligantur, creſcentia, tandemque in Ulcera cancroſo-venerea, curatu maximè difficilia, evadentia.

Ortum habent plerunque ex impuro concubitu cum Fœminâ Lue venereâ infectâ, ubi liquor mucoſo-acris quarundam ſuarum particularum ſubtilitate ſeſe intra poros Glandis inſinuando paulatim tubulos corrodit, affluentemque ſuccum nutritium corrumpendo, ejusmodi Tuberculorum generationi anſam præbet; quatenus ſuccus ille nutritius corruptus, in porulorum eroſorum extremitatibus ſenſim colligitur, atque in ſubſtantiam fungoſam, nunc cuti circumſtanti ferè concolorem, nunc verò rubeſcentem aut lividam, eamque paulatim magis increſcentem mutatur, talem omninò, quæ ſuis è porulis jugiter extillet liquorem ſanioſum, plus minus fœtentem, pruritu etiam nonnunquam valdè moleſtum.

Verrucæ hæ, ſi fuerint ſic à Lue venereâ excitatæ, radicesque habeant profundius intra Penis ſubſtantiam adactas, curationis ſunt difficilioris. Aliquando autem externè magis apparent, atque in Scortatoribus, membrique fricatoribus oriuntur, per ſeri vel ſeminis quasdam particulas viſcido-acriusculas, poris membri impactas, à quibus poſtea fibrillæ quædam extimæ eroduntur, unde effluens nutritius ſuccus, dum non ſtatim parti accreſcit, atque adglutinatur, ſenſim plures à tergo ſequentes particulas aſſociat, quæ tandem omnes ſive ab externo aëre conſtrictæ, ſive propter exſpirantes ſeroſiores coagulatæ, *Verrucas* exhibent.

Curatio.

In *Curatione* Luem fortè præſentem veneream methodo conſuetâ ſanabis; abſente autem illâ, Corpus ſubinde *Pilulis mercurialibus*, quarum deſcriptionem vide ſub Titulo de *Lue venereâ*, purgabis, dein extus Verrucas, ſi penſiles fuerint, filo ſericeo, vel lineo ſenſim conſtringes, donec ſponte decidant; vel easdem novaculâ audacter reſcindes, & locum vulneratum *Atramento*, vel *Pulvere* aliquo *ſtegnotico*, qui tantillum *Vitrioli* recipiat, conſperges: vel *Albumen Ovi* cum *Pulveris ſtegnotici* permixtione applicabis: vel etiam Stylo argenteo candente paulatim exures: vel ſuperficietenus reſcindere, atque ſulphuris pulverem deſuper accendere licet: vel ſi reſciſſæ ſint, *Spiritu Vini camphorato* cum *Oleo ♀ri per deliquium*, & *Eſſentiâ Aloës*, ſæpius tanges; aut Urinâ ſolùm probè elues, hincque *Albumen Ovi* cum *Bolo arm. Tutiâ*, *Sacch. Saturni*, atque *Mercurio dulci* permiſtum applicabis.

Penis Ulcus.

PENIS VLCVS eſt Morbus ſolutæ unitatis in Membro virili ab acribus humoribus ſcindentibus & corrodentibus excitatus. Subſequitur frequenter Inflammationem, indeque natum Abſceſſum. Aliquando tamen in concubitu impuro ſeminis acris & corroſivi reliquiæ, poris membri impactæ, talem corroſionem ulceroſam producere valent. Sed & præter iſtum concubitum ſubinde in Pueris & Adultis ab affluxu ſeri acris malum idem excitari poteſt. Cognoſci id facilè è ſaniei continuo profluvio, atque, ſi neglexeris, mutari tandem poteſt in Ulcus depaſcens.

Curatio.

Curatur nunc facilius nunc difficilius pro diverſâ humorum circulantium conſtitutione, quòd ſi enim illi per Luem veneream corrupti ſint, tum Curatio hujus Luis optima venit inſtituenda. Si autem Cacochymia ſcorbutica & acido-ſalino-acris citra Luem dictam Homini obtigerit, ea medendi methodus obſervanda erit, quâ Scorbutus curari ſolet. Quando denique abſentibus ejusmodi Morbis ſeroſus humor ad locum affectum depluens acrimoniam quandam adquiſivit, tum certè *intus* aliquoties *Pilulæ purgantes mercuriales* dandæ, ac ſimul *Decoctum* aliquod *traumaticum* cum *Lignis* per 15. dies mane ac veſperi propinandum venit.

Extus autem Ulcus quotidie bis vel ter *Urinâ calente*, vel *Aquâ Calcis vivæ* cum *Eſſentiâ Myrrh. Aloës*, *Ariſtoloch. Abſynth. Marrub. Hyperic.* &c. eluendum; *Unguentum digeſtivum* ex *Melle roſaceo*, *Terebinth. Vitell. Ovor. ſol. Balſam. de Copaib. Mercurio dulc. Tut. ppt.* ♁ *n. diaphor. Terrâ ſigillat. Camphorâ* & *Myrrhâ* compoſitum, applicandum, ac denique *Emplaſtr. diapalm. diaſulphur. ſtict. Croll. diach. cum Gumm.* vel *de Cicutâ* ad inducendam ſenſim Cicatricem imponendum eſt.

Vlcus meatu urinar

Quòd ſi Ulcus hæſerit in Meatu urinario, tunc *Aqua Calc. vivæ*, cum *Melle roſaceo*, *Eſſent. Myrrhæ*, & *Balſamo de Copaibâ* miſta, frequenter inſpergetur; deterſo autem Ulcere ad conſolidandum eadem *Aqu. Calc. vivæ* in quâ tantillum *Aluminis*, vel *Vitrioli* ſolutum ſit, aliquoties tepidè immitti debet.

Penis diſtorſ

PENIS DISTORSIO, eſt figuræ Membri virilis rectæ in curvam præternaturalis mutatio atque intorſio, ab humoribus auſtero-acribus, nunc Præputium, reliquamque Cutim maximè inflantibus, nunc rimulam tantùm Præputii convulſam retrahentibus, nunc denique ipſam Membri Glandem per ſpasmodicam quandam contractionem incurvantibus, originem ducens. Et cùm in hoc caſu ab eorundem humorum acrium, nonnunquam & vaporoſo-ſpirituoſi ſeminis acrimoniâ, muſculi fibræque totius Virgæ etiam vellicantur atque criſpantur, tunc ſimul oritur PRIAPISMVS, ſive involuntaria & convulſiva Penis erectio, in quâ membrum hoc, velut catalepſi aut tetano correptum, totum quantum, etiam citra rei venereæ cupidinem, rigidum manet, tamdiu donec ſpongioſa illius

lius ſubſtantia à ſpiritibus flatuoſis, quibus replebatur, iterum liberata fuerit. Affectus hic ſpasmodicus revera eſt, jungiturque non infrequenter Herniæ, Colicæ flatulentæ, Calculo veſicæ, Epilepſiæ, Lui venereæ, & Pollutioni nocturnæ, quæ ſæpius Priapismum ſequi ſolet. Vidimus non rarò & in junioribus Pueris talem involuntariam erectionem, ab humoribus acribus, Penis ſubſtantiam poroſam inflantibus, vel ſimul muſculos illius ſpasmodicè irritantibus productam.

atio. Quòd ſi Præputium, vel à flatibus, vel à ſero acri nimis diſtentum, ſimul Glandem, aut totam Virgam diſtorſerit, *Curatio* peti debet ex Titulis præcedentibus. Si verò ab humoribus acrib⁹ malum oritur cum vel ſine Priapismo, tunc *Clysmata* ſæpius injecta proſunt, v.gr. ex *Decocto Herbarum Nymph. Malv. Parietar. Mercurial. Meliſſ. Menth. Aneth. Semin. Fœnic. Agn. caſt. Cumin. Rut. Florum Chamom. Melilot. Sambuc.* parata, idque in *Aquâ* ſimplici, cum admixtione *Olei Rutæ*, *Olivar. Amygdal. dulc.* Dein *Vena* Brachii aut Pedis eſt *ſecanda*. Intus verò nunc *Acidularum* hauſtus, nunc *Emulſio* è *Seminibus frigidis* parata eſt concedenda. Proderit & doſis ſequentis *Pulveris* aliquoties repetita:

℞. *Nitr. ppt.*
♄*n. diaph. ana* ℈ß.
Sacch. Saturni gr. iij.
Camph. gr. ij.

M. f. Pulv. ſubt. d. ad ch. ſumatur cum Julepo violaceo, vel Emulſione.

Per aliquot dies etiam *Oleum Terebinth. ad gutt.* 12. *vel* 15. cum eadem *Emulſione*, vel cum *Ovo ſorbili* capiatur. Extus verò *Balnea Aquæ dulcis* in uſum adhibeantur.

PENIS LIPODERMVS eſt defectus cutis Præputii, quando illa vel à morbo & corroſione humorum, vel à ſectione quadam, vel ab aliâ etiam causâ adeo minuta, aut ablata eſt, ut glandem amplius tegere nequeat. Hinc Latini tales homines *Apellas*, Romani quoque *Recutitos* nuncupaverunt. Affectus interim à nobis jam ſupra ſub titulo *Paraphimoſeos*, quo etiam nomine aliâs venit, deſcriptus eſt. *Lipodermus.*

PENIS SATYRIASIS vel SATYRISMVS, eſt morbus figuræ, aut magnitudinis potius, virilis Membri auctæ, quo hoc libidinoſè & crebrò admodum diſtenditur, ac veluti palpitat, cum veneris oeſtro longè vehementiore, quàm aliâs in naturali ſolet contingere ſtatu. *Satyriaſis.*

In hoc Affectû ſubinde membrum invitis Hominibus erigitur, illudque poſt emiſſum ſemen acriuſculum flacceſcit, ſed brevi iterum citra dolorem notabilem non ſine ſalacitate inflatur, aſſurgit & induratur. Unde morbus à *Priapismo* diſtinguitur, in quo ſæpiſſimè citra appetitum venereum invitis quoque Ægris Virga erigitur, ita quidem ut peracto etiam coitu minimè flacceſcat, ſed rigidum permaneat, aut ſi flaccidum fuerit redditum, mox tamen iterum citra coëundi deſiderium rigeſcat. *Diagnoſis.*

Cauſa. Itaque *cauſam* hujus Affectûs nulli alii rei adſcribere poſſumus, quàm vel ſemini acido-volatili acriori & viſcido reddito, vel alii ſimili humori ſpirituoſo ac vaporoſo, fibras muſculorum Virgæ jugiter ſtimulanti, ſpongioſamque Penis ſubſtantiam frequenter inflanti. Contribuunt ergo huc ſeminis acriuſculi, & viſcido ſpumoſi copia, vel etiam Inflammatio levis ſubſtantiæ Membri ſpongioſæ, facta à liquore acri per impurum concubitum contracto: in quâ Inflammatione fibrillæ nervoſæ frequenter ita irritantur ac titillantur, ut hinc non ſolùm membri erectio, ſed & veneris appetitus, atque ſalacitas producantur. Palpitat verò tum etiam aliquando membrum erectum, quando fibrillæ Muſculorum ejus attollentium tremulâ quaſi vibratione agitantur, & ſpasmodicè cum inordinato ſpirituum influxu criſpantur.

Prognoſis. Hinc Satyriaſis, inprimis ab impuro excitata concubitu, non adeo contemnendus eſt Affectus, etenim vel lèthales inde Convulſiones interdum ſequuntur, vel vaſa ſpermatica reſolvuntur, ut Æger poſtliminiò Impotens ſuo merito reddatur.

Curatio. In *Curatione laxans* ante omnia *remedium* dabitur, quod primas potenter vias eluat, etiam *dulci Mercurio* ſociatum. Vel *Clyſma detergens*, & *emolliens* iteratâ vice infundetur. Poſtea, ſi nihil obſtare videris, *Venæſectionem* inſtituere, Hominemque *Balneo Aquæ tepidæ* aliquoties immittere poteris. Denique ſi quid Luis venereæ adfuerit, eidem proſpicere oportebit. Interim ad mitigandum Satyriaſis ſymptoma intus ſequentia *carminativa* pluribus vicibus exhibenda veniunt:

℞. *Aqu. Solan.*
Nymph.
Rut.
Portulac. ana ℥j.
Syrup. Violar. purpur.
Acetoſell. ana ʒvj.
Spirit. Ceraſ. nigr. camphor. ʒj.
Pulv. Oſſium Sepiæ ppt. ℈ij.
M. f. Julepus pro aliquot doſibus intra 12. horas ſumendis.

Vel ℞. *Semin. 4. frig. major. ana* ʒij.
Agni caſt.
Rut.
Papav. alb. ana ʒiß.
Aqu. Portulac.
Nymph. ana ℥iij.
Lactuc.
Menth. ana ℥iiß.
M. f. l. a. Emulſio, cui adde
Syrup. de Nymph. ℥ij.
♁*n. diaph.* ʒj.
M. d. ad Vitr. pro 3. vel 4. doſibus.

Vel ℞. ♁*n. diaphor.*
Nitr. ♁*iat. ana* ℈j.
Sacch. Saturn. ℈ß.
Camphor. gr. iv.
M. f. Pulv. ſubtil. in 2. doſ. æqu. ad ch. m. ac veſp. ſumendas.

Externè etiam Penis *Lacti calido* ſæpius aliquandiu immergi poteſt, in quo *Ruta*, *Solanum*, *Mentha*, *Meliſſa*, *Agrimonia*, *Sanicula*, *Origanum*, *Matricaria*, *Semina* itidem *Rutæ*, *Cumini*,

mini, *Agni caſti*, &c. decocta ſint. Vel *Cataplaſma* ex prædictis *Herbis recentibus* invicem contuſis tepidè applicari debet. Sunt etiam, qui *Oleum Camphoræ* cum *Oleo Roſarum*, *Violar. Lil. alb.* aut *Nymphææ* Peni frequenter inungunt.

rinai am- tio. PERINÆI INFLAMMATIO, eſt Tumor interſtitii membranacei pudendorum cum rubore, ardore, & dolore exquiſito, ſubinde etiam cum partis excoriatione Hominem affligens. ſa. Producitur ſicut Inflammatio quævis à cauſis tum proximâ tum antecedentibus; quandoque tamen fricatio partis ſudore pruriente moleſtantis nimia ad Inflammationem talem & excoriationem ſimul contribuit. Imò etiam anſam illi præbet attritio nimia inrer equitandum, nec non Hæmorrhoidum cœcarum dolor. Rarum verò eſt, ſi Calculus Veſicæ grandior & aſperior partem illam quoque inflammat.

rogno- s. Quòd ſi in tali Tumore ſanguis fuerit extravaſatus, tum diſcuſſionem non amplius admittit, ſed ſuppuratur, & in Abſceſſum Ulcusque faceſſit; hoc verò Ulcus, ſi Homo ſcatuerit acribus ſalinis, acidisve corroſivis humoribus facilè in *Fiſtulam* converti poſſet, niſi promptiſſimè exiccatum Ulcus perſanaverimus.

uratio. Itaque in *Curatione* ante omnia *Venæſectio* eſt inſtituenda, ac dein intus remedia *diaphoretica*, non ſecus atque in Febribus continuis, diligenter veniunt uſurpanda. *Victus* etiam tenuis inſtituendus; ab omnibus acribus, acidis, ſalſis & aromaticis eſt abſtinendum. *Decoctum Herb. Agrimon. Sanicul. cum Radic. Liquirit. Graminis, Chinæ, Lign. Saſſaphr. Boli armenat. Semin. Fœnicul. Hyperic.* &c. bibendum. *Extus* verò primùm *diſcutientia*, velut in Inflammatione dictum, ſunt præſcribenda; quibus nihil proficientibus *maturantia Cataplaſmata* imponentur; ruptoque tandem Abſceſſu Ulcus *Decocto Lignorum* cum *Vino rubr.* facto, & *Tinctur. Aloës*, *Myrrh.* &c. probè eſt eluendum; nullum *digeſtivum* Unguentum inungendum, ſed ſicca duntaxat linteola carpta *Pulvere Folior. Gratiæ Dei*, *Pyrolæ*, *Alchymill. Trichomanes*, *Lichen. petr. Radic. Ariſtoloch. Bol. armen. Terr. ſigill. ♁n. diaph. Corall. alb. ppt. Myrrhæ*, *Maſtich.* &c. conſperſa ſunt imponenda, deſuper applicato ulterius *Emplaſtro diapalma*, vel *Norimbergenſi*, vel ſimili ſiccante & conſolidante.

PERINÆI EXCORIATIO, ſive *Intertrigo* ab attritione, fricatione nimiâ, aut humoribus ſalſo-acribus epidermidem Perinæi corrodentibus proveniens, eodem modo quo Intertrigo ipſa curatur. Perinai excoriatio.

PERINÆI ABSCESSVS & VLCVS, vide illius *Inflammationem*.

PERINÆI GANGRÆNA & SPHACELVS eodem modo quo *Gangræna* & *Sphacelus* in genere producuntur & curantur.

PERINÆI SVDOR FREQVENS Perinai Sudor.

ac ſubinde *fœtidus*, prurientemque dolorem excitans, oritur plerunque à ſero ſalſo-oleoſo, ad glandulas Perinæi vel præcipitato, vel per fricationem crebram allecto. *Cauſa.* Neque is leve incommodum, ſed moleſtiam quandoque inſignem Homini etiam ſano parit: quanquam aliàs ſuperabundantia vitioſorum humorum ſub excretione tali nonnunquam ſanitatem conſervare queat.

Curatio. Cùm autem præſtet, ejuſmodi humores per alias vias evacuari, ut minor Homini moleſtia accedat, ad Curationem Affectûs ante omnia conveniet, propinare *Vinum* aliquod *purgans medicatum*, v. g. ſequens:

℞. *Radic. Apii.*
Sarſæparill.
Chinæ.
Ebul. ana ℥ß.
Herb. Vinc. pervinc.
Sanic.
Summit. Abſynth. ana Mß.
Fol. Sen. opt. mund. ℥j.
Radic. Helleb. nigr.
Rhabarb. electi ana ℥ß.
Semin Fœnic.
Caſs. lign. ver.
⊖*is polychr. ana* ʒiß.

Inciſ. contuſis, & ſacculo immiſſis affunde Vini rubr. & Aqu. commun. vel Aqu. Plantag. ana ℔iiiß. *ſive Menſ.* j. *ſingulis matutinis horis poſtmodum Cyathus unciarum quinque vel ſex exhauriatur.*

Dein intus quoque *ſudorifera* aliquoties exhibeantur, atque ſudor univerſalis inde exſpectetur. A nimiâ Vinorum ingurgitatione, ab equitatione & corporis exercitio nimiis abſtineatur. *Venæſectio*, ſi opus fuerit, inſtituatur. Sæpè etiam unus alterve hauſtus *Acidularum* propinetur, vel in malo contumaciore, integra talis *Acidularum potûs* cura concedatur.

Extus quotidie bis vel ter Perinæum *Vino rubro*, in quo *Myrrham* atque *Radices Helleb. nigri*, *Tormentill. Biſtort. Cortices Granator.* &c. decoxeris, calidiuſculè lavabis. Dein ſequens *Unguentum* inunges:

℞. *Unguent. de Lithargyr.* ℥j.
Unicorn. foſſil. ℈ij.
Bol. armenat.
Tutiæ ppt.
Pulv. radic. Torment.
fol. Piloſell. ana ℈j.
Olei roſac. parum.

M. f. Unguentum, cui ſi Crocum Martis adſtringentem, vel *Cretam rubram*, aut *Lapid. Hæmatit.* addideris, tanto efficacius evadet.

PERIPNEVMONIA, eſt Inflammatio nunc major nunc minor Pulmonum, cum tumore, dolore pungitivo, Febri ardente, ſæpiùs malignâ, tuſſi, atque reſpirandi difficultate conjuncta.

Differt hinc à *Pleuritide* non niſi Parte affectâ, in hoc enim Morbo membrana Pleura coſtas interius in pectore ſuccingens eſt inflammata, in *Peripneumoniâ* verò ſolus Pulmo eſt affectus.

Differt etiam parum à *Pleuro-peripneumoniâ*, quæ eſt Inflammatio *Pulmonis* ſimul & *Pleuræ*, cum Febri continuâ, cœteriſque ſuprà memo-

memoratis Symptomatibus, uſque adeo ut ſi Geneſin, Prognoſin, atque Curam ejuſmodi Morborum inſpiciamus, vix ullam circa hæc notabilem differentiam deprehendere queamus.

no-

Credimus autem, longè frequentius Pulmonem & Pleuram ſimul, quàm alterutram ſolùm Partem affligi. Interim ex ſequentibus facilè ſignis dignoſcere licet, qualiter affectus ſit Æger. Communia ſingulis illis Inflammationibus ſigna ſunt Febris continua ardens, plus minus maligna; difficultas reſpirandi; tuſſis modò ſicca, modò humida & cum excreatione, materiæ interdum ſanguineo-purulentæ, magis minuſve excoctæ, conjuncta; dolor pungitivus; decubitus in affectum latus facilior & tolerabilior, quàm in oppoſitum, ſub quo Pulmo à Pleurâ magis divulſus dolorem acerbiorem reddit; vigiliæ; ſitis magna; appetitus proſtratus; pectoris anxietas; æſtus corporis totius, laſſitudo atque ejus non contemnenda; dolor lateris vel loci affecti ſub tuſſis actione auctus, ut hinc Ægri à tuſſiendo, quantum poſſunt, ſibi temperent. Præter hæc autem communia ſigna ſpecialiter in Pleuritide Tuſſis ſemper adeſt magis ſicca, niſi in morbi progreſſu ſimul aliqua portio Pulmonis corrupta, atque in Abſceſſum verſa fuerit. Dolor etiam lateris, ubi Inflammatio hæret, longè magis acutus & pungitivus eſt, quàm in Peripneumoniâ, & in hâc Anxietas pectoris major quàm in Pleuritide. Dein Peripneumonia pro ſigno etiam peculiari ſibi vendicat inſignem Faciei ruborem & ardorem, qualis in Pleuritide non obſervatur. In Pleuro-Peripneumoniâ ſigna prædicta ferè ſunt mixta.

Pars affecta.

Locus affectus præterea varius quoque exiſtit, dum enim & Pulmo & Pleuræ membrana magnitudinem & extenſionem habeant notabilem; partes quoque illas modò in ſuperiore, modò inferiore, aut mediâ parte: imò nunc in dextro, nunc in ſiniſtro latere inflammari obſervatum eſt.

Cauſa.

Cauſa proxima ejuſmodi Inflammationum eſt ſerum pituitoſum, viſcidum, acido-lentum, quacunque demum arreptâ occaſione in tubulis his illisve anguſtioribus redditis obhærens, cumulatum, & ſtagnans, quod, ſi ipſos ſolùm expandit tubulos, reſolvi atque diſcuti poterit; ſi verò canaliculos ſuos diſruperit, atque inter qualeſcunque membranas collectum fuerit, tum verò promtè fermentando in pus abit, nunc benignum, probè coctum, læve, album, vel etiam leviter cruentum, nunc malignum, viſcidum, cineritium, obſcurè carneum, ſæpè etiam fœtens, & inæquale, ac ita Abſceſſum formans Pectoris vel Pulmonum. Proximæ huic cauſæ materiam præbet ſanguis circulans, pituitoſior & viſcidior redditus à chylo per cibos vel copioſiores, vel viſcoſiores, vel acido-auſteros crudiore facto. Hinc frequentius affligit Homines tali victu gaudentes, ac præterea ſimul potu Vinorum nonnihil acidorum vel auſterorum delectantes. Aër dein modò frigidus,

gidus, modò temperatus & tepidus, incipiente præprimis tempore verno vaſcula Pulmonum aut tubulos Pleuræ nonnihil conſtringens, diaphoreſin quoque corporis ſæpè ſufflaminans, imò ipſum ſimul ſanguinem, propter aliquale impedimentum rarefactioni allatum, cumulatumque ex tranſpiratione ſegnius procedente ſerum, ſpiſſiorem reddens, anſam ejusmodi Inflammationi crebram præbet.

Prognoſis. In *Prognoſi* ſemper Affectus periculoſus eſt faciendus, idque tanto magis, quando Inflammatio magna eſt, atque ſymptomata Dyſpnœæ, Anxietatum, Sitis, Doloris pungitivi, Vigiliarum, Deliriorum ac Laſſitudinis vehementiora adſunt; citò enim, & vel intra quinque ſæpiùs dies jugulare ſolet. Succedit aliquando ſputum bidui ſpatio, quod ſi album, bonum, floridè etiam ſanguineis ſtriis tinctum, æquale, minus tenax ſit, & cum dolorum, dyſpnœæ, anxietatiſque mitigatione procedat, Ægrum ſalvatum iri portendit, cœteris paribus. Si verò illud ſputum fuerit cineritium, tenax, viſcidum, carnei leviter coloris, admodum glutinoſum: ſi etiam cum difficultate ſine ſymptomatum mitigatione paucum exſpuatur, Ægrum ferè moriturum ſignificat. Vidimus plures, qui tale ſputum projicientes, ſe ſalvatos crediderunt, ac interea inſcii nonnihil laborioſam reſpirationem præter conſuetudinem retinebant, etiam cum pungitivi doloris mitigatione, loquebantur ſimul cum quadam ſpiritûs offenſione, quam tamen ſe nullatenus ſentire aſſeverabant: hos certè omnes, ſi ad præſcripta remedia ſudare non potuerunt, intra 14. dies mortuos eſſe comperimus. Qui hinc obeſum habent pectus, qui carnoſi valdè ſunt, qui naturâ tantillum Aſthmatici, ſi hoc quoque morbo corripiantur, utplurimum intereunt. Quando autem ex præſcriptis remediis ſudare cum ἐυφορίᾳ incipiunt, ſi dolores hinc mitigentur, ac paulatim diſpareant, ſi tuſſiendi irritatio ceſſet, ſi anxietates & ſpirandi difficultas minuantur, ſalva res erit, quoniam tum Inflammatio prorſus diſcutitur. Ita quoque ſi ſputum bonum, æquale, album, parum ſanguinolentum, intra quatriduum prodeat cum ſpirandi ſuccedente facilitate, doloribus remittentibus, aliiſque ſymptomatibus paulatim ceſſantibus, ſignum eſt, Peripneumoniam, vel Pleuro-peripneumoniam in Abſceſſum abiiſſe, & Ulcus facilè curatum iri, niſi materia acrior reddita corroſionem veſiculoſæ Pulmonis ſubſtantiæ inſtituerit. Atque ita crebrò vidimus, Ægros intra octiduum tantùm non perfectè ſanatos. Quòd ſi tamen Abſceſſus profundiore in Pulmonis loco genitus ſit, tum tardior nonnihil ejus curatio evadet; ſed ea tamen certa, ſi pus bonum per omnia fuerit; quantumcunque hoc ſæpè non niſi repetitâ pluries extuſſitione prodeat. Tanto autem diuturniore tunc tempore opus eſt ad ſanitatem recuperandam, quanto plus ſeri viſcidi erit intra extremas

Pulmonis

Pulmonis veſiculas collectum. Si Homo Cacochymiâ laboraverit ſalſo-acri, tum Abſceſſus Pulmonis corroſivus plerunque redditur, Phthiſinque poſt ſe trahit. Sed & interdum Apoſtema in extremo Pulmone, vel in Pleurâ quoque genitum in Empyema convertitur, quando ſcilicet ruptis membranis Pleuræ vel Pneumonis omne Pus ſeſe in Pectoris cavitatem exonerat. Imò rarum à nobis creditur eſſe, Pleuritidem veram, in quâ non niſi tunica Pleura eſt Inflammata, in Abſceſſum abire, ſeſe per Pulmonis tracheas cum excreatione ſalutari exonerantem: quin talis Affectio Pleuræ inflammatoria vel planè intra paucos dies diſcutitur, vel in Abſceſſum degenerat empyematicum, vel denique Pulmonis proximum latus in conſenſum ſtatim trahendo Pleuroperipneumoniam ſimul excitat. Quòd ſi taliter affecti Homines ſtatim in principio Diarrhœâ quadam bilioſo-aquoſâ corripiantur, haud facilè emendabili, ſignum quoque parum tutum, imò plerunque lethale eſſe notavimus.

Curatio. In *Curatione* ergo horum Affectuum ſtatim, ſi poſſibile ſit, *Clyſma* aliquod *emolliens* ac *detergens* infundatur, atque bihorio poſt *Venæſectio* in Brachio vel Pede lateris affecti inſtituatur. Quadrante horæ dein elapſo ſequens aliquod *diaphoreticum antipleuriticum* detur; v. gr.

℞. *Sanguin. Hirc. ppt.* ℈ij.
♁n. diaphor. ℈j.
M. f. Pulv. ſubt. d. pro doſi in Juſculo, ſingulis ſex horis repetendâ.

Vel ℞. *Pulver. Viperar. ppt.*
Pannon. rubr. ana ℈j.
Bezoard. miner. ℈ß.
M. f. Pulvis pro doſi.

Vel ℞. *Mandib. Luc. piſc. ppt.*
Dent. apr. ppt.
Ocul. ♋. ppt. ana ℈ß.
Cinnab. nat. opt. gr. v.
M. f. Pulv. ſubt. pro doſi.

Vel ℞. *Pulv. Pannon. rubr.* ℈j.
Bezoard. miner. ℈ß.
Cinnab. ♁n. corr. gr. iv.
Camphor. Sacch. trit. gr. ij.
M. f. Pulv. ſubt. pro doſi.

Ejuſmodi autem Pulvis quotidie mane ac veſperi repeti, atque hinc ſudor exſpectari poteſt, ſi ſpes adhuc adſit, Inflammationem diſcuſſum iri. Interea ſimul ſingulis trihoriis *Juſculum carneum*, vel *avenaceum* propipinetur, pro *Potu ordinario Decoctum Raſur.* C. C. *Radic. Gramin.* & *Liquirit.* cum *Semine Fœnic.* aut *Coriandr.* concedatur; ſingulis tandem horis de ſeqq. Mixtura cochleatim detur:

℞. *Aqu. Veronic.*
Heder. terreſtr.
Hyſſop.
Scabioſ. ana ℥j.
Syrup. aperitiv.
de Jujub. ana ʒvj.
Ocul. ♋. ppt.
♁n. diaph. ana ℈ij.
M. d. ad Vitr.

Cum hâc ipſâ *Mixturâ* ſingulis trihoriis, ſi Anxietates pectoris magnæ fuerint, *guttas* 20. *aut* 30. *Mixturæ ſimplicis Danj. Ludovic.* vel *Spir. Sal. armon. urinos.* propinabis; imò aliquoties

quoties hanc *Potiunculam* in ſummâ difficultate reſpirandi dabis:

℞. *Aqu. Fumar.*
Succiſ. ana ℥j.
Syrup. Bellid. min. ℥ß.
Mixtur. ſimpl. ℈ij.
Dent. aprin. ppt. ℈j.
M. d. ad Vitr. pro Doſi.

Vel loco hujus Potiunculæ drachma integra *Spermatis Ceti recentis* in *Juſculo carnis minimè pingui* calidè admodum haurienda præbeatur.

Quod ſi verò Inflammatio magis inclinet in Abſceſſum, tunc intus *blanda* ſolùm *diaphoretica*, *maturantibus* & *expectorantibus* permixta in uſum vocentur: v. g.

℞. *Mandib. Luc piſc. ppt.*
Bol. armen. ppt.
Dent. aprin. ppt.
♁*n. diaphor.*
Ocul. ♋. *ppt.*
C. C. phil. ppt. ana ℈ij.
Sacch. cand. alb. ʒij.

M. f. Pulv. ſubt. d. ad chart. ac inde ſingulis quadrihoriis ℈ij. *pro doſi exhibeantur, cum Aquâ Malv. Scabioſ. aut Cherefol. vel etiam cum ſequenti Emulſione:*

℞. *Nucl. Perſic.*
Pinear.
Semin. 4. frigid. major. ana ʒij.
Aqu. Malv.
Nymph.
Portulac. ana ℥iij.
M. f. l. a. Emulſio, cui adde
Syrup. Bell. min. ℥iiß.

D. ad Vitr. ac ſingulis quadrihoriis hauſtus propinetur.

Interim ſequens *Eclegma* cochleatim ſæpiùs deglutiatur:

℞. *Looch. de Pulmon. Vulp.*
ſan. & expert.
Syrup. de Jujub.
Papav. rhead. ana ʒvj.
Spec. diatrag. frigid. ʒj.
Olei Lini. ʒiß.
M. d. ad Fictile.

Vel ℞. *Syrup. Bellid. min.*
de Eryſ. Lobel.
Mell. roſac.
Aqu. Portulac.
Ol. Amygd. dulc. rec. expr. ana ℥j.
Bol. armen. ppt. ℈iiij.
M. d. ad Oll.

Vel ℞. *Oxymelit. ſquillit.*
Syrup. de Jujub.
Portulac. ana ℥j.
Ol. Amygd. dulc. rec expr. ℥iß.
Axung. canin. ℥ß.
Sperm. Cet. rec. ʒij.
Eſſent. Croc. ℈ij.
M. d. ad Ollam.

Vidimus etiam, qui per quatuor pluresve dies in hoc Affectu *Succum Plantagin. Hed. terr. Naſturt. aquat. Beccabung.* atque *Cherefol.* ad ℥ij. vel ℥iij. bis quotidie cum ſucceſſu, ac diſcuſſione Inflammationis, vel etiam Ulceris deterſionis in uſum vocârunt. Nonnullis conceſſi quotidie bis hauſtum *Lactis caprilli*, vel *bubuli*, in quo *Flores Tuſſilaginis*, aut *Bellidis minoris* cum tantillo *Croci* & *Sacchari candid. alb.* decocti fuerunt. Unde & expectoratio fuit promota, & Abſceſſus ſenſim curatus.

Quòd ſi verò, Abſceſſu facto, ruptoque

ruptoque Ulcere, pus aut phlegma nimis glutinoſum difficulter prodeat, tunc m. ac veſp. 20. aut 30. guttæ *Spiritus Salis armon. urinoſ. aniſ.* vel *Mixturæ ſimpl.* dentur, cum *Aqu. Cherefolii*, vel ſeqq. *Decocto pectorali*:

℞. *Radic. Vincetox.*
Ireos flor.
Scill.
Ariſtol. rot. ver. ana ℥ß.
Herb. Veron.
Scabioſ.
Flor. Bellid. min. ana Mj.
Ficuum pingu.
Siliquar. dulc. ana par. iij.
Jujubar. par. iv.
Paſſular. major. exacin. ℥iß.

Inciſ. & contuſa coque per bihorium in vaſe clauſo, ſuperaffuſis Aquæ fontanæ Menſuris duabus cum dimidiâ, in fine adjiciendo ℥ij. *Mellis roſacei.* De hoc *decocto colato* ter quotidie Cyathus plenus calidè propinetur. Vel loco hujus *Juſcula Herbis Cherefolii, Plantaginis, Marrubii albi, Scabioſ. Naſturtii, Beccabung. Borrag. Trifol. fibrin. Heder. terr. Veronic.* &c. alterata exhibeantur. Prodeſt & *Tinctura antiphthiſica* ad guttas 20. bis vel ter quotidie data.

Externa remedia. *Externè* dolenti lateri *Cataplasmata*, *Unguenta*, & *Olea* conveniunt *paregorica*, *diſcutientia*, vel *maturantia*. Inter *Olea* conveniunt *Oleum Chamomillæ, Roſarum, Violar. Verbaſc. Hyperic. Melilot. Lil. alb. Semin. Hyoſcyam.* vel *Papav. alb. rec. expr.* Pro *Unguento* ſumatur *Unguentum reſumtivum*, *de Althæâ*, *enulatum*, aliudve *pectorale*; ſequens etiam multum conferre notavimus:

℞. *Axung. canin.*
Capon.
Anat. ana ℥iij.
Sperm. Cet. ℥ij.
Salis volat. C. C. ℥j.
Bol. armenat.
♁ *n. diaphor.*
Terr. ſigillat. ana ℈iiij.
Ol. Chamomill. vel alius è ſuperius nominatis q. ſ.

M. f. Unguentum ter quotidie inungendum.

Inuncto autem latere deſuper applicari poteſt vel *Sacculus ſiccus* & *calidus*, ex *Baccis Juniperi, Seminib. Cumin. Fœnic. Aven. Lini, Pſyllii* &c. invicem groſsè contuſis, compoſitus, intermixtis quoque pro lubitu *Herbis Salviæ, Meliſſæ, Origani, Ocymi, Solani, Malv. Mercurial. Flor. Chamomill. Croc.* ac ſimilibus, tenuiter inciſis. Vel *Cataplasma* partim ex modò dictis tenuius inciſis & contuſis; partim ex *Hirundinum Nido* probè contuſo, cum *Fimo columbino, vaccino, equino, anſerino*, aut *Pavonum*, imò cum ipſis quoque *Baccis Juniperi, Lauri, Seminibus Pſyll. Aniſ.* & *Floribus Melilot.* vel *Chamomillæ*, pluribus, paucioribusve invicem permiſtis, atque *Lacti* incoctis, præparandum, ſæpiusque applicandum calidè & craſsè.

Accidit aliquando, ut Pleuritis in utroque latere percipiatur, vel quando in uno latere affligere deſiit, paulo pôſt dein alterum quoque latus prehendat. Tum verò de novo inſtitui *Venæſectio* poterit, ni Vires admodum

modum detritæ id vetabunt, & præterea methodus eadem repeti debet, quam hactenus fusè indigitavimus.

Pernio-mania. PERNIONES, *Chimelton*, ſunt morbi ſolutæ unitatis, vel Tumores manuum aut pedum, inflammatorii utplurimum, cum fiſſuris, ſive exulceratione, ac dolore ſcindente conjuncti, atque ab aëre rigido acri, poſt Autumnum & Hyberno tempore producti. *Diagnoſis.* Cognoſcuntur hinc facilè ex partium affectarum tumore cum rubore ac dolore ſcindente, pungente, atque pruriginoſo plus minus acerbo; quem frequenter Cutis nimium tenſæ & rigidæ exulcerationes, ſeu fiſſuræ ſequuntur, cum ſaniei ichoroſæ effluxu. *Cauſa.* Oriuntur non tam ſub gelu durante, ac Cœlo exiſtente ſereno, quàm ubi gelu miteſcit, ac cœlum pluvioſum vel nivoſum redditur; eo quod hoc tempore cutis nonnihil emolliri incipiat, ſicque facilè irruentes humores, majorem interea motum adeptos, recipiat, à quibus rigidioribus exiſtentibus non tantùm pori cutanei replentur & intumeſcunt; ſed & tandem finduntur. Itaque cùm quoad modum productionis non differant à *Manuum Fiſſuris*, de quibus ſuo loco, Prognoſis etiam atque Cura inde repeti poterunt.

Peſtis. PESTIS eſt Febris contagioſa, maligna, acutiſſima, intra breve, unius ſæpè vel pauciſſimorum dierum tempus Hominem, cum vel ſine Anthrace, aut Bubone nigro uno vel altero, ardentiſſimos plerunque dolores excitante, è vivis abripiens; atque à volatili acerrimo ſale, ſanguinis maſſam ſubitò invadente, permeante, ac diſſolvente; nonnunquam & à ſeminio verminoſo ſubtili acri corroſivo; circuitum humorum per capillaria vaſcula promtè ſufflaminante & impediente, originem trahens. Vide Titulum de *Febri malignâ*.

PHALANGOSIS, vide *Oculorum Ciliorum Affectus*.

Philtromania. PHILTROMANIA eſt ſpecies Maniæ ſive Mentis Inſaniæ, cum furore ſine Febri Hominem affligens, & ad varias ineptas, abſurdaſque actiones incitans; producta à certis quibuſdam Philtris, ſive Potionibus amatoriis, per Sagas, aliaſve malitioſas Fœminas ſubminiſtratis ac propinatis. Etſi autem talis morbus per media naturalia in Hominibus excitetur, hactenus tamen res illæ talem effectum producentes nondum perfectè fuerunt exploratæ. Multa herbis quibuſdam narcoticis, v. g. *Solano furioſo*, aliiſve *Solani* ſpeciebus, *Hyoſcyamo*, *Luteolæ*; multa aliis adſcribunt; quemadmodum id ſubinde ex examine Sagarum auditum fuit. Sed cùm nemo dein res ejuſmodi vel in ſe, vel in aliis expreſsè auſus fuerit experiri, dubium adhuc eſt, num talia præciſè *Amorem inſanum*, vel *Philtromaniam* excitare queant. Certum hoc tamen eſt, vegetabilia illa ſuo ſale volatili acri ſulphureo, Spirituum animali-

um craſin placidumque motum adeo pervertere , ut Mania hinc inducatur; ſed an ſimul Amor cum Inſaniâ ab iisdem excitetur , hoc verò eſt , quod nondum exactè ſciri potuit. Interim Prognoſin et Curam vix aliam admittit, quàm *Mania* in genere , de quâ ſuo loco.

PHIMOSIS, *vide Penis Affectus*.
PHLEGMONE, *vide Inflammatio*.

PHLYCTÆNÆ, PHLYCTIDES, *Hitzblætterchen, Nachtbrand, Hitzpocken , das wilde Feuer* : ſunt puſtulæ humore flavo vel albo repletæ, veſiculis ab uſtione aquæ ferventis inductis ſimiles , in ſummâ corporis ſuperficie cutaneâ citò effloreſcentes , à tenui Lymphâ ſalſo-acri leniter erodente, pungente, intraque porulos cutaneos ſtagnante , originem ducentes.

Infeſtæ ſunt admodum Infantibus, iisq; nunc lactentibus adhuc , nunc ablactatis; ac ſubinde minùs dolent, niſi aëris externi æſtus particulas ſtagnantis lymphæ in majorem motum inteſtinum concitârit, tum enim ſalina corpuſcula in fibrillas circumſtantes fortiùs adacta prurientem , rodentem , atque etiam ſubinde urentem dolorem producunt , à quo Ægroti valdè redduntur inquieti. Eapropter etiam in lecto diu decumbere nequeunt, quoniã inibi per calorem plumarum lympha in Puſtulis magis agitatur & exacerbatur.

Originem hæ Puſtulæ debent ſalino-fixis ſalſis aut acidis particulis, cum ſero ſanguinis ad poros cutaneos, ſub aëre plus minùs fervido depoſitis , inibi ob figuram irregularem ſubſiſtentibus , cuticulamque ſui accumulatione in Puſtulas elevantibus. Contribuunt huc Cibi ſalſi Tenellis nondum adſuetis porrecti ; contribuit Mater adhuc lactans iracunda, bibula, aut ſalſis cibis delectans. Contribuit Æſtus aëris ſudores expellens , ſuperveniente aliquali frigore poros iterum cutaneos adſtringente. Adultioribus enim ſi talis contingat Affectus, in culpâ ferè erit humoralis maſſæ ſalſedo , atque ſudorum , vel tranſpirationis inſenſibilis ſuppreſſio. Unde omnes corporis partes , quæ quidem ſudare poſſunt, talibus veſiculis obnoxiæ exiſtunt.

Curatio Affectûs hujus deſideratur, partim ob metum ſubſequentis aliquando Scabiei, partim ob moleſtias frequentes , & pruriginoſum, quem excitare ſolet, dolorem. Feliciter autem diſſipantur Puſtulæ, ſicubi æſtus atque ſalſedo ſanguinis nimia corrigatur per *nitroſa, abſorbentia* , atque *aquoſa diluentia remedia*, quibus ſalia imbibi, atque per vias alias è corpore eliminari poſſunt. Cumque primæ viæ heic plerunque cruditatibus ſcateant , ante omnia evacuare illas convenit remedio leniente , v. gr. *Syrupo de Cichorio cum Rhab Florum Perſic. Roſ. ſol. ſimpl.* pro ætatis ratione *ab* ℥ß. *ad* ℥iij. præſcriptis.. Dein *Pulvis abſorbens* ex *Bol. armenate, Corall. alb. ppt. Terr. ſigillat. Unicorn.* *Curatio.*

Unicorn. foſſil. Spod. ppt. Nitro ♁iat. Cryſtallis alb. ppt. & ſimilib. cum *Saccharo roſat.* permiſtis parari, ac bis vel ter quotidie ad ℈j. pro doſi exhiberi poteſt. Faciunt huc etiam *Julepi* è *Syrupis de Nymphæâ, Violar. de Portulac. Plantagin.* ac ſimilibus cum *Aquis Cichorii, Endiviæ, Papav. rhead. Lactuc. Portulac. Malv.* confecti & propinati. Lactans ſi fortè adhuc ſit Mater, ſimiles *Julepos*, vel *Acidulas* ſubinde *minerales* hauriet, dein à Vino, Cibiſque ſalſis, ab æſtu quoque Aëris, & Irâ vehementi abſtinebit; vehementiora etiam corporis Exercitia vitabit. Pro potu ordinario *Decoctum Herb. Agrimon. Hepat. nob. Scabioſ. Lign. Saſſafr. Radic. Graminis, Liquirit.* & *Semin. Fœnic.* aut *Coriandr.* cedat. Adultiores jam Homines ſimilem methodum medendi obſervabunt; omnes tandem *Balneo Aquæ dulcis* immittantur, ſæpius tepente magis, quàm enormiter calente, cui *Radices Gramin. Lapath. Oxylapath. Herb. Agrimon. Endiv. Lactuc. Portulac. Alchymill. Cichor. Plantaginis acutifol. Anſerinæ, Sanicul. Salviæ ſylveſtris*, & *Betæ* ſint incoctæ, quibus quotidie per trihorium inſidere poterunt.

Phrenitis. PHRENITIS eſt Delirium cum Febri ardente plus minus malignâ conjunctum, à Meningum inflammatione, atque Spirituum animalium perturbato motu oriundum.

Pars affecta. Itaque primariò Cerebrum heic patitur, præcipuè quoad Meninges & laticem Spirituum, turbatos admodum motus in tubulis, poriſque ſubſtantiæ medullaris exercentium.

Cau- Delirium ergo iſtud immediatè producunt animales illi Spiritus motu quodam inordinato atque turbato fibrillas Cerebri præternaturaliter & juſtô impetuoſiùs vibrantes, unde Anima talium motuum occaſione ad perverſas imaginationes, & actiones inconcinnas, abſurdaſque ſollicitatur. Mediatè autem Deliria excitat Inflammatio major minorve tunicarum ac membranarum Cerebri; oriunda ab obſtructione tubulorum ſanguineorum per particulas acido-acres, auſteras, & ſulphureo-tenaces, in ſubtiliſſimis canaliculis facilè obhærentes, & hinc ſanguinis circulationem impediendo, ejusdem ſtagnationem atque cumulationem efficientes. Sanguis autem ita ſtagnans, motum ſtatim rapidiorem inteſtinum acquirit, æſtuat, atque ſic ipſis ſpiritibus, fibrilliſque propinquorum Tubulorum cerebralium impetuoſiorem quoque agitationem ac vibrationem conciliat. Itaque cùm Inflammatio partis alicujus nobilis exiſtere nequeat ſine præſentiâ Febris, etiam in Phrenitide Febrim ardentem adeſſe nemo negabit, à ſuis cauſis productam. Aliquando Febris talis per plures dies Ægrum vexat, antequam Phrenitis accedat & ſimul torqueat; interdum verò ipſa Inflammatio Cerebri ſtatim ſimul cum Febri incipit. Interim veroſimile eſt, cùm plures Homines nonnunquam ſimul Febri quadam corripiuntur, & pauci tamen illorum Phrenitide laborent; hosce peculia-

rem

rem vel ſanguinis cacochymiam cholerico-pituitoſam aut acidam; vel canaliculorum in Meningibus anguſtiam habere, ob quam facilius obſtruantur. Æſtivo dein tempore, ubi Aëris eſt frequens æſtus, Phrenitis quoque crebrior, quàm aliis anni temporibus obſervatur.

Cognoſcitur Morbus haud difficulter, ex continuis ferè delirantibus Actionibus, Vigiliis etiam, Cephalalgiâ præcedente, Febri continuâ præſente, Oculis torvis, Facie æſtuante, Tremore tendinum, ceu præludiis Convulſionum, Inquietudine perpetuâ, quandoque & Inſaniâ vel Rabie, Inſenſibilitate aliquali, ac ſimilibus alienatæ Mentis actionibus. Subinde Febris continua ardens cum inſigni Cephalalgiâ præcedit; aliquando ſimul cum Febri ſtatim urget; adeo ut pene credi poſſet, Febrim eſſe ſymptoma inflammatarum Meningum.

In *Prognoſi* hoc eſt tenendum, Phrenitide non niſi admodum periculoſè imò lethaliter Ægros decumbere. Facilè enim illa Inflammatio vel in Sphacelum mutatur, Hominem citò interimentem, vel in Abſceſſum degenerat, cujus materia purulenta Lethargum poſtea Apoplecticum ſuâ effuſione gignit, Ægrum in Mortis ſomnum præcipitantem.

Quod igitur *Curationem* attinet, partim Obſtructio illa inflammatoria Cerebri validis *reſolventibus* & *diſcutientibus alexipharmacis* eſt aperienda atque penitus ſolvenda; partim Febris continua *Remediis diaphoreticis* eſt abigenda. Hiſce autem Indicationibus ſequenti modo ſatisfacere oportet.

Ante omnia primæ eluuntur viæ, idque *Clyſmatis emollientis* ac *detergentis* ope. Dein *Vena* ſtatim *Brachii ſecatur*; vel *raninæ*, majore forſan cum fructu inciduntur. Ac demum intus quidam *Pulveres* ſequentes dabuntur per aliquot dies:

℞. *Bezoard. miner.*
Ebor. ppt. ana ℈j.
Cinnab. nat. opt. gr. xij.
Camphor. gr. vj.
Nitr. ♁ *iat. gr.* xvj.

M. f. Pulv. ſubtil. in 2. *doſ. æqu. ad chart.* Sumantur cum hauſtu *Decocti* vel *Ptiſanæ ordinariæ, quæ* ſit *Decoctum Radic. Gramin. Vincetox. Raſur. C. C.* cum permiſto *Nitr.* Intercalabitur ſimul uſus *Mixturæ diaphoreticæ*, v. g. ſequentis:

℞. *Aqu. Verben.*
Fumar.
Endiv.
Card. bened.
Syrup. Acetoſ. Citr. ana ℥j.
Tinctur. Bezoard. ʒj.
Spirit. Theriac. camph. ʒß.
♁ *n. diaphor.* ℈ij.

M. detur ad Vitr. & exhibeatur frequenter per cochlearia.

Extus raſo Capitis vertici imponatur vel *Lien animalis recens mactati adhuc calens*, vel *Pullus gallinaceus* aut *columbinus vivus* per medium diſſectus; vel *Linteum quadruplicatum* ſequenti liquori ſpirituoſo calenti crebrò immerſum:

℞. *Spirit.*

℞. *Spirit. Vini camphorat.* ℥iiij.
Lumbr. terreſtr. C.C. volatil. ana ʒij.
Theriac. Andromach. vel Mithrid. Damocr. ℥ß.
M. d. ad Vitrum.

Vel *Emplaſtrum de Betonicâ, Camphoræ* permixtione ſpirituoſius redditum, Vertici cum *Spiritu* prius aliquo fricato, imponatur.

Pulveribus camphoratis ter vel quater datis, *alexipharmaca* alia ex *Pulvere* v. g. *Viperar. ppt.* ♁*nii diaph. Bezoard. miner.* &c. non ſecus atque *Mixturæ* dabuntur, ſicut ſub Titulo de *Febri malignâ* commendavimus. Et denique, ſicubi non remittat brevi Phrenitis, *Veſicatoria* Nuchæ & Brachiis applicabuntur. Diæta ſit, qualis in *Febribus continuis* obſervari debet.

PHTIRIASIS, vid. *Pedicularis Morbus.*

Phthiſis. PHTHISIS eſt totius corporis contabeſcentia paulatina, cum Febri lentâ, Tuſſi, reſpirandi Difficultate, aliiſque ſymptomatibus affligens, atque à Scirrho, aut Infarctu vel Ulcere Pulmonum oriunda.

Diſcrimen ab aliis Atrophiis. Differt itaque hæc Tabis ſpecies ab aliis Conſumtionibus per ſolam partem affectam, quæ in Phthiſi eſt Pulmo, cum adjacentibus membranis, quibus alligatur. Ut adeo græcum vocabulum φθίσεως, quod generaliter qualemcunque Tabem ſignificat, à Medicis peculiariter ad eam contabeſcentiæ ſpeciem fuerit translatum, quæ à Pulmonis vitio oritur.

Ca[uſæ] Duas autem maximè facimus Cauſas hujus Morbi antecedentes, quarum altera quidem eſt Infarctus *Inf[arctus] Pu[lmo]nis* Pulmonis ſcirrhoſus, ſubinde calculoſus; altera verò eſt ſubſtantiæ Pulmonis corroſio, & exulceratio. Ab utraque hac Causâ ſanguis per Pulmonis vaſa circulans acido acrique charactere ita inficitur, ut ſuccus hinc nutritius corrumpatur, ſicque neceſſarium corporis partibus alimentum paulatim corruptum deficiat. Infarctus contingit nunc à materiâ terreſtri glutinoſo-craſſâ, ſenſim in glandulis aut etiam veſiculis pneumonicis collectâ, ſtagnante, exiccatâ, atque ſic in dura tubercula abiente. In quibus cùm materia pituitoſa minùs acris & ſalina extiterit, nulla corroſio contingit, adeoque etiam Tuſſis nulla, vel ſicca tantùm illa excitatur, cum reſpirandi majore vel minore Difficultate, corporiſque paulatinâ Conſumtione.

Quando autem *Scirrhus* talis diu duravit, ejuſque occaſione fortè etiam hinc inde per compreſſionem vaſcula ſanguinea minora humorem non transmittunt, tum ille magis magiſque ſtagnans atque in pus acriuſculum abiens pulmonem quoque factâ exeſione corrumpit & exulcerat. Pituita autem illa, quæ ſcirrhoſa tubercula Pulmonis efficit, partim è Maſſâ ſanguineâ per arteriolas eo delabitur, & ob intercedentes particulas acido-viſcoſas in porulis aut tubulis minimis ſubſiſtit, tanto id magis, quando vel ab inſpiratione

ne ge ꞉di nimis diu aëris , vel ab ingurgitatione liquoris perquam frigidi, dum corpus fortè æſtuat, ſubitò fibrillæ in pectore criſpatæ & conſtrictæ fuerunt , ut humorem alacriter tranſeuntem ſic impedirent. Partim etiam ex fuliginibus ſive è ſanguine exhalantibus , ſive cum aëre inſpiratis nonnihil viſcidis, ac facilè adhærentibus provenit. Interdum autem ſabuloſa vel lapidea corpuſcula nunc cum aëre circumfluo hauſta, ſicut id Lapidicidis contingit , nunc cum chylo ad ſanguinem transmiſſa, viſcidoque ſero involuta Infarctui Pulmonis ſcirrhoſo anſam præbent : etiam ſine Tuſſi , ſi illa corpuſcula ſuis angulis fortè obtuſis , irritationem nullam præſtent. Ita &, qui in alio aëre pulverulento multum verſari debent, talem Infarctum pulmonalem ſibi adquirunt , ſubinde diu ſine aliâ quàm Dyſpnœæ moleſtiâ durantem, donec tandem vel nimis infarciendo Hecticam, vel ſanguinis ſtagnationem ſimul excitando Inflammationem peripneumonicam , Abſceſſum, atque Ulcus plus minus ſanabile poſt ſe trahat.

lcce- o mo·

Exulceratio nimirum teneræ Pulmonis ſubſtantiæ fit ſemper à materiâ qualicunque acri, ſalino-corroſivâ , aut terreſtri acriori pungente , lancinante, ſcindente vel lacerante. Quæ nunc cum ſanguine corroſivo-acri ad Pulmonis minima vaſcula ac veſiculas deponitur , nunc ab extus per inſpirationem advenit ; v. g. quando quis cum halitu inſpirat multa effluvia ſpirituum acrium in Laboribus chymicis , aut pulveres qualeſcunque acies in aliis operibus mechanicis ; vel quando quis acri ſanguinis intemperie pollens, æſtuante forſan corpore , athleticum ſubitò hauſtum liquoris gelidi vel glaciati ingurgitat ; unde partim Lympha in glandulis pneumonicis, partim ipſa pinguedo hinc inde circa glandulas, propter criſpationem fibrillarum quaſi coagulata aut congelata , primùm quidem lenem Dyſpnœam, deinceps verò eroſis à ſtagnante acriore factâ materiâ fibrillis, magisque collecto humore, Aſthma cum Tuſſi & purulentæ materiæ rejectione , ac tandem ſimul Tabem ſeu Phthiſin excitat. Denique Hæmoptoë , Pleuritis, Peripneumonia , Pleuro-peripneumonia, Inflammatio Glandularum variarum Pectoris, vel etiam Mediaſtini , ſi in Ulcus abeant, Phthiſin poſt ſe trahunt. Quin rarum non eſt , etiam Febres quandoque malignas in Abſceſſum & Ulcus Pulmonis phthiſicum terminari. Interim hoc quoque notabile , quòd ſæpiùs plura , per ſubſtantiam Pulmonis diſperſa exiſtant ulceroſa Tubercula , ſuis ferè in volucris ita deliteſcentia, ut cùm diu vicinas partes non corrodant, etiam absque notabili ac citò conſpicuâ conſumptione Hominem affligant. Medici hæc appellant *Vomicas* Pulmonus , quarum ſubinde decem, pluresque minores notavimus in Phthiſicorum cadaveribus. Aliquando autem unica tantùm eſt ejusmodi *Vomica* , quæ ſi minor fuerit, vel integra etiam rejici poterit.

Vomica Pulmonis.

poterit. Si verò major, intra ſuā cyſtidem aliquandiu ſæpè deliteſcit, donec tandem rupta cum Tuſſi ſuam materiam purulentam rejiciat. Novimus etiam aliquando in Fœminâ talem Vomicam tenaci membranâ cinctam ita fuiſſe, ut quotidie quidem viſcoſam materiam intra ſe collectam exſpuerit, ſed interea ulterius non ſerpſerit, imò ſine ullâ Tabe inſigni Fœminam per 20. annos moleſtaverit, donec tandem Febri ſuperveniente malignâ vitam cum morte commutare neceſſe habuerit.

Differentia. Differentias *Phthiſis* admittit varias: diſtinguunt enim illam primò in *incipientem*, quæ adhuc eſt in incunabulis ſuis, levibusque Hominem ſymptomatibus exercet; *confirmatam*, quæ omnia habet ſigna Tabis & Conſumptionis corporis à Pulmonis vitio oriundæ: & *deploratam*, quæ ſummus eſt tabeſcentiæ pneumonicæ gradus, in quo Homines toti jam ferè conſumpti ſine ullâ ſpe reconvaleſcentiæ jacent, brevique moriuntur. Secundò diſtingui poteſt Phthiſis ratione cauſæ, diuturnitatis, ſymptomatum plus minus urgentium, temporis ipſius morbi, ætatis Ægri, aliarumque circumſtantiarum.

Diagnoſis. *Cognoſcere* Morbum in principio ſive primo gradu admodum difficile eſt; quippe à tenui ſæpè principio incipit, leniterque etiam Hominem per aliqualem Tuſſim, exiguamque Dyspnœam affligit, itaut malum hoc, leve apparens, parum curet, negligat, & radices agere ſenſim firmiores permittat, antequam ægritudinis malignitatem deprehendat. Interim ſi quis (fortè hæreditariâ ad Phthiſin diſpoſitione, aut aliâs tenerâ Pulmonum conſtitutione præditus) poſt has illasve cauſas occaſionales & procatarcticas incipiat tantillum difficiliùs reſpirare, Tuſſiculâ ſiccâ, ſed illâ frequente moleſtari, pauxillum laſſus evadere, phlogoſes etiam repetitas, aut Febriculas ephemeras leniores experiri, Appetitum quoque nonnihil amittere, ac ſæpiusculè plus ſitire: ille verò ſecurus eſſe non debet, ſed hæc ſymptomata pro ſignis *incipientis* Phthiſeos reputare, præcipuè ſi jam corpus ipſum ſimul gracilius evadere inchoaverit, ac plures in familiâ homines hoc ipſo Morbo antea laborârint. *Sig. Phthiſeos Incipientis.*

Confirmata. *Confirmatam* Phthiſin indigitant corporis jam valdè apparens conſumtio, dyſorexia frequens, Febris lenta, ſitis præternaturalis varia, tuſſis crebra, mane inprimis ac veſperi, imò noctu quoque ſæpius moleſta, cum excreatione materiæ viſcoſæ plus minus purulentæ, ſubinde etiam cruentæ, quæque aliquando cum portione ſubſtantiæ Pulmonis, vel etiam cum totâ Vomicæ tunicâ prodiiſſe viſa eſt. Præter hæc laſſitudo eſt quotidie major, ac etiamſi quandoque integer videatur appetitus redire, nihilominus tamen corpus vel planè non nutritur, augeturve, vel ſi id fiat, atque reconvaleſcentiæ ſpes ſuperſit, lentiſſimo tamen hoc gradu evenire ſolet. Quando Ægri ſcalas vel montes conſcendunt, tum ſpiritus ferè ipſis deficit omnis,

omnis, Dyſpnœaque inſigniter augetur cum Cordis frequenti Palpitatione.

In *deploratâ* tandem Phthiſi facies tota Hippocratica redditur; oculi nimirum cavi apparent, genæ collapſæ, color luridus, naſus & aures rigidæ ac frigidæ, labia pallida; imò toto jam corpore, non niſi cutis oſſibus hæret. Præterea ultimis diebus aut ſeptimanis vitæ capilli capitis decidunt; pediculorum ſæpè copia moleſtat; pedes intumeſcunt; imbecillitates grandes adſunt; reſpiratio cum anxietatibus præcordiorum difficilior quotidie evadit; poſt mediam noctem verſus tempus matutinum ſudoribus diffluit Æger. Sæpiùs etiam paulò ante mortem pedes abdomen & manus intumeſcere ſolent, niſi vel nimius ſudor, vel ſuperaccedens Diarrhœa ipſum vitæ terminum acceleraverint.

Quod ſi *Scirrhus* Pulmonis in culpâ fuerit, cognoſcetur ille per Tuſſim continuè ſiccam, ſine ſibilo aut ronchis, vel ſonitu alicujus materiæ intra Pulmonis veſiculas ſub actu reſpirationis commotæ, per Conſumptionem ac Febrim hecticā, per Reſpirationem magis ac magis difficilem redditam. Sentiunt etiam tales Ægri non raro velut pondus aliquod premens in aliquo pectoris loco, ubi nimirum Infarctus eſt ſcirrhoſus factus.

Quod ſi in medio Thorace dolor ſub ſterno lancinans, gravansque adſit, cum reliquis Phthiſeos ſignis, tum judicare licet, Mediaſtinum eſſe quoque affectum, imò ex Abſceſſu mediaſtini Phthiſin ſuam cepiſſe, & adhuc fortè habere originem.

Prognoſis Phthiſeos diverſimodè eſt inſtituenda; incipiens enim illa, & jam nonnihil progreſſa fortè adhuc curatur in Homine diætam exactam obſervante. Confirmata autē Phthiſis, in quâ vel plures Vomicæ, vel exulceratio magna atque exedens ſubſtantiam Pulmonis corrupit, difficillimæ, imò nullius eſt curationis, præcipuè in Hominibus, quorum maſſa ſanguinea acrior jam eſt facta, omnique ſuâ dulcedine orbata. Si Scirrhus durior Pulmonem teneat, indeque hectica Tuſſis provenerit, magnus erit Apollo, qui talem quoque ſanaverit perfectè Morbum. Attamen jam à multis annis aliquoties comperimus, quod etiam confirmatâ Phthiſi laborantes feliciter priſtinæ ſanitati fuerint reſtituti, modò diætam exactam obſervaverint, & ſanguinem cum ſtomachico fermento adhuc ſatis dulcem, particuliſque remediorum obedientem habuerint. Deploratam Phthiſin, in quâ Homo ad extremam jam maciem deductus eſt, hactenus, quod ſciam, nemo ſanavit. *Prognoſis.*

In *Curatione* Phthiſeos incipientis Ventriculus & Inteſtina ſtatim ſaburrâ humorum viſcido-acrium liberanda ſunt per *lene* aliquod *purgans*, nunc *vomitorium* nunc *catharticum*. Dein *pectorale Decoctum* propinabitur, diuque uſurpabitur; v. gr. *Curatio Phthiſeos incipientis.*

℞. *Radic. Ariſtol. rot. ver.*
Tuſſilagin.
Helen. ana ℥iij.

Herb. Scabioſ.
Hed. terreſtr.
Sanicul. ana Mj.
Pyrol.
Summit. Virg. aur. ana Mß.
Flor. Bell. min. Mj.
Semin. Plantag.
Fœnic. ana ʒij.
Paſſular. major. exacinat. ℥j.
Ficuum pinguium.
Siliquar. dulc. ana par. iij.
Injubar. par. iv.

Inciſa & contuſa coque in vaſe duplici in Aquæ fontan. Miiß. *per trihorium, ſub ſinem addendo*
Mellis roſacei vel
violacei ℥iiß.
D. ad Vitr. Doſis quotidie ter Cyathus ℥iv. *calidè.*

Simul quoque *Eclegmata* & Mixturæ pectorales cochleatim dandæ ſunt; v. gr.

℞. *Syrup. de Eryſ. Lob.*
Jujub.
Oxymell ſquill.
Aqu. Veron.
Hyſſop. ana ℥j.
M. d. ad Vitrum.

Vel ℞. *Syrup. de Farf.*
Lich. petr.
Looch. ſan. & expert.
Aqu. Fœnic.
Scab.
Hed. terr. ana ℥j.
M. d. ad Vitrum.

Vel ℞. *Aqu. Card. mar.*
Fl. Acac. ana ℥iß.
Syrup. de Succ. Nicotian.
Bell. min. ana ℥j.
Specier. Diair. ſimpl. ʒj.
Spir. Sal. arm. aniſ. ʒß.
M. d. ad Vitrum.

Vel ℞. *Ol. Amygd. dulc. rec. expr.* ʒiß.
Axung. canin. ℥ß.
Sperm. cet. rec. ℥iß.
Eſſent. Croc. ℈j.
Spir. Sal. arm. aniſ. ʒß.
Syrup. de Hed. terr. ℥iß.
M. d. ad Pyxid.

Vel ℞. *Looch. de Pulm. Vulp.* ʒvj.
Oxymel. helleborat. ℥ß.
Syrup. de Hyſſop. ℥j.
Aqu. Plantag.
Fl. Acac.
Papav. rhead. ana ʒvj.
Spec. diatrag. frig. ℈ij.
Salis volat. oleoſ. ʒß.
M. d. ad Vitrum.

Vel ℞. *Syrup. Lich. petr.* ℥j.
balſamic. ʒvj.
Aqu. antihect. ℥iij.
Miſc. d. ad Vitr. Doſis ſingulis trihoriis cochleare plenum.

Juxta hæc *Pulvis* ſequens *traumatico-abſorbens* ſimul uſurpabitur:

℞. *Fol. Veronic.*
Grat. Dei.
Flor. Sanicul.
Tragopogon. ana ſicc. ʒj.
Corall. rubr. ppt.
Bol. armenat. ana ʒij.
Specific. antihect. Poter. ʒiß.
Sacchar. cand. alb. ℥iß.
M. f. Pulv. ſubt. d. ad ſcat. Doſis quotidie bis vel ter ʒj. *cũ Decocto pectorali.*

Vel *Opiata* pulveris loco detur; v. g.

℞. *Conſerv. Roſ. rubr.*
Flor. Bell. minor.
Tragopogonis.
Papav. rh. aa. ℥ß.

Cond.

Conditur. Nuc. Indic. ℥iß.
Diaph. ♃*vial.*
Ocul. ♋. *ppt.*
Succin. alb. ppt. ana ℈iiß.
Syrup. de Eupator. q. ſ.

M. ſ. Electuar. d. ad Oll. Doſis quater quotidie magnitudo Nucis juglandis.

Sunt qui cum fructu loco *Decocti pectoralis* quotidie bis *Lac bubulum*, aut *aſininum calidum*, cum incoctione *Flor. Bellid. min. Sanicul.* & *Alchymill.* addito *Saccharo*, vel *Conſervâ Betonic.* aut *Roſ. rubr.* hauriunt. Aliis magis conducunt *Juſcula* varia *Herbis Saniculæ*, *Pyrolæ*, *Borrag. Plantagin. Beccabung. Trifol. fibrin. Alchymillæ*, *Flor. Bellid. minor. Hieracei* cujuscunque, *Tragopogonis*, *Calthæ paluſtr. Calendul.* &c. alterata.

tio biſcos ir- ia. In *confirmatâ Phthiſi leniente* remedio ſubinde expurgentur primæ viæ; dein *ſpecifica antihectica*, & *antiphthiſica* diligenter ſunt uſurpanda. Et quidem præter commendabile *Lac bubulum, herbis* ſupra dicto modo *alteratum*, vel ipſum *Lac aſininum*, ſi ſtomachus ferat, debito cum regimine *Diætæ* ultra ſex hebdomadas potum, ſequentia conveniunt, paulatim uſurpanda, tum ad expectorationem promovendam, tum ad Ulcus Pulmonis curandum, tum denique ad acrimoniam ſanguinis corrigendam; & quidem primò pro *Decoctis traumatico-pectoralibus* ſequentes formulæ inſervire poſſunt:

℞. *Radic. Sigill. Salomon.*
Ireos flor.
Liquirit. ana ℥ij.
Herb. Veronic.
Heder. terr. ana Mj.
Flor. Virg. aureæ.
Sanicul. ana Mß.
Roſar. rubr. Pij.
Jujubar. par. vj.
Ficuum pingu. par. iv.
Semin. Aniſ. ℥iß.

Inciſ. & contuſ. coqu. in Vaſe duplic. per horas 2. in Aqu. fontanæ Menſuris duabus, in fine addendo
Mellis roſac. ℥iij.
Colatura dein ad Vitrum detur. Doſis ter quotidie ℥iv. *calidè.*

Vel ℞. *Radic. Ariſtol. rotund.*
Scill.
Tuſſilagin. ana ℥iij.
Herb. Hed. terreſtr.
Agrimon.
Vinc. pervinc. ana Mj.
Lichen. petr. Mß.
Flor. Bell. min. Piij.
Semin. Fœnic. ℥ij.
Siliquar. dulc. par. vj.
Paſſul. major. exacin. ℥j.

Inciſa & contuſa præparentur, & hinc decoctum uſurpetur ut ſuprà.

Quòd ſi excreatio benè procedat, ſequens etiam *Decoctum traumaticum* convenit:

℞. *Herb. Sanicul.*
Alchymill.
Cichor.
Pyrol.
Agrimon.
Betonic.
Veronic.
Grat. Dei.
Lich. petr. ana Mß.

Inciſ. & contuſ. coque per dimidiam ferè horam in

Vini albi veter.

Aqu. fontan. ana ℔iv.

De *Colatura poſtmodum m. ac veſperi hauriatur cyathus* ℥iv. *vel* v. *ſimulq́ Hordeum ſaccharatum* , vel *Tabella* quædam *pectoralis* lambatur, cujusmodi compoſitio ſequens eſſe poteſt:

℞. *Pulp. Radic. Alth.*

Conſolid. maj. aa. ℥j.

Diaph. ♃*vial.* ʒij.

Sacch. Aqu. Veron. ſolut. ℥iij. *vel* ℥iv.

Mucilag. Semin. Cyd. Aqu. roſ. fact. q. ſ.

M. f. l. a. Trochiſci ſæpius lambendi.

Vel ℞. *Pulp. Radic. Alth.* ℥j.

Succ. Rad. Liquirit. inſp. ʒij.

Sacch. alb. Aqu. Roſ. ſol. q. ſ.

M. f. l. a. Trochiſci d. ad ſcat.

Vel ℞. *Conſerv. Roſ. rubr.* ℥ß.

Spec. diatrag. frigid. ʒij.

Specif. antihect. Poter.

Ocul. ♋. *ppt.*

Bol. armenat. ana ʒj.

Sacch. alb. Aqu. roſ. ſol. ℥iij.

M. f. l. a. Rotulæ d. ad ſcatul ac ſæpius lambantur.

Ad expectorationem materiæ purulentæ ac viſcidæ promovendam partim *Trochiſci becchici albi* & *nigri*, vel qui modò deſcripti fuerunt; partim *Eclegmata* conducunt ſequentia, ſæpius eapropter cum *baculo liquiritiæ* lambenda:

℞. *Oxymelit. ſquillit.*

Syrup. de Liquirit.

Flor. Papav. rh. ana ℥j.

Aqu. Scabioſ.

Flor. Acac. ana ʒvj.

Terr. ſigillat.

Radic. Ireos flor. ana ℈ij.

M. d. ad Ollam.

Vel ℞. *Syrup. flor. Bellid. min.*

Tuſſilagin.

de Veronic.

Aqu. Portulac. ana ℥j.

Borrag. ʒvj.

Specier. diair. ſimpl. ℈iiij.

Diaph. ♃*vial.* ℈ij.

M. d. ad Ollam.

Vel ℞. *Syrup. de Symphyt. Fernel.*

Eryſim. Lobel. aa. ℥j.

Aqu. Hed. terr.

Flor. Acac. ana ℥ß.

Ol. Amygd. dulc. rec. expr. ʒvj.

Specier. diatrag. frig. ʒj.

Eſſent. Croc. ʒß.

M. d. ad Ollam.

Vel ℞. *Olei Amygd. dulc. rec. expr.* ℥j.

Spermat. Cet. rec. ʒj.

Eſſent. Croc. ℈ij.

Axung. canin. ℥ß.

Syrup. Viol. purp. ℥j.

Balſamic. ℥ß.

M. d. ad Ollam , & lambatur ſæpè.

Sed præterea continuè per longum ſat tempus ea dabuntur Remedia, quæ blandè extergere , ac inſimul paulatim conſolidare valent ; quem in finem primò commendamus uſum *Tincturæ antiphthiſicæ ad* 15. *vel* 20. *guttas* mane ac veſperi cum *Syrup. Violar.* vel *Decocto pectorali* exhibendas , idque per dies octo, plures pauciores've. Deinceps *Pulvis antiphthiſicus* unus aut alter ſcopo ſatisfaciens uſurpabitur ter quotidie , doſi ʒj. circiter.

citer. Satisfecerunt autem nobis hactenus ſequentes:

℞. *Pulver. Haly* ℥ß.
Ocul. ♋. *ppt.*
♁*n. diaph. ana* ℈ij.
M. f. Pulv. ſubtil. d. ad ſcatul.

Vel ℞. *Pulv. Lich. petr.*
Sacch. cand. rubr. vel alb. aa. ℥j.
M. f. Pulv. d. ad ſcatul.

Vel ℞. *Pulv. Fol. Veron.*
Lichen. petr.
Pulmon. Vulp. ppt. ana ʒiß.
Terr. ſigillat.
Ebor. ppt.
♁ *n. diaph. ana* ʒj.
Sacch. cand. alb. ʒx.
M. f. Pulv. ſubt. d. ad ſcatul.

Vel ℞. *Diaph.* ♃ *vial.* ʒij.
Fol. Lich. petr.
Pyrol.
Spod. ex Ebor. ppt.
Panac. ſol. alcal. ana ʒj.
Flor. ♁*r.* ℈ij.
Sacch. cand. alb. ℥j.
M. f. Pulv. ſubt. d. ad ſcatul.

Vel ℞. *Pulv. Radic. Alth.*
Farin. Radic. Conſol. maj.
Bol. armenat. ana ʒij.
Sacch. cand. alb. ʒvj.
M. f. Pulvis, qui omnium commodiſſimè cum Roob Sambuci aſſumi poteſt, quotidie ad ʒij. *vel* ʒiij.

Quando autem in hoc malo diuturno ſæpius mutandæ ſunt formulæ; hinc & *Electuaria* quoque præſcribi ſolent, iisdem indicationibus ſatisfacientia; v. gr.

℞. *Conſerv. Flor. Roſ. rubr.*
Bell. min. aa. ʒvj.
Condit. rad. Symph. ℥ß.
Pulv. Lich. petr.
Specif. autibect. Pot. ana ʒj.
Syrup. Flor. Tun. vel Balſ. q. ſ.
M. f. Electuar. d. ad Oll. & ſæpius magnitudo nuciſtæ capiatur.

Vel ℞. *Conſerv. Flor. Viol.*
Papav. rhead.
Tunic.
Condit. Rad. Cich. ana ℥ß.
Confect. Alk. inc. ʒj.
Pulv. Haly ʒiß.
Syrup. balſamici q. ſ.
F. Mixt. ad formam Opiatæ d. ad Ollam.

Sequentes deniq; *Mixturæ* in uſu frequenti etiam eſſe ſolent:

℞. *Looch. ſani & expert.*
Diacod. Montan. ana ℥j.
Aqu. Veron.
Plantag. ana ʒvj.
Papav. rhead. ℥ß.
Eſſent. traumat. ʒij.
M. d. ad Vitr. ac ſubinde cochleare plenum hauriatur.

Vel ℞. *Looch de Pulm. Vulp.* ℥j.
Syrup. de Lich. petr.
Polio.
Nicotian. ana ℥ß.
Aqu. Agrimon.
Card. bened. ana ʒvj.
Bol. armen.
Specif. ſtom. Poter. ana ℈ij.
M. d. ad Vitrum.

Inter uſum horum remediorum ſubinde duas circiter uncias *Syrup. Flor. Acac.* vel *Flor. Perſicor.* ad primas vias detergendas exhibe; & cum appetitus languet, *Pulvis fol. Card. bened.* cum *Specif. ſtom. Poter.* aut *Pulver. ſtom. Birckmann.* aliquoties

ties detur. Cùm autem hæc aut ſimilia effectu carent, tum Æger vel *Succis Herbarum traumaticarum alterata Juſcula* per plures hebdomadas m. ac veſp. hauriat; in quem finem commendamus *Veronicam*, *Saniculam*, *Pyrolam*, *Virgam auream*, *Brunellam*, *Lichen petræum*, *Hepaticam nobilem*, *Gramen Parnaſſi*, *Plantaginem*, *Alchymillam*, *Tragopogonem*, *Hieracium*, *Bellid. minorem*, *Naſturtium aquaticum*, *Beccabungam*, *Hederam terreſtrem* & ſimilia. Vel *ſuccum* quoque ex hiſce *Plantis recentibus expreſſum* ad *duas uncias* propinabimus. Si verò tale *remedium* faſtidiat Æger, uſum *Lactis* nunc *vaccini*, nunc *caprilli*, nunc *aſinini*, illiusque integri, pluribus menſibus continuandum commendabimus, ita ut ſingulis hauſtibus ʒij. *Conſerv. Roſ. rubr. flor. Tun. Bellid. min.* vel *Plantag.* permiſceantur. Vel *Lac Fœminæ humanæ* diu ſugatur.

His omnibus tandem nil proficientibus ſi Malum nihilominus progreditur, & deſperatum planè fit, atq; ſenſim ad extremum gradum devenit, tum verò nihil agendum, reſtat, quàm ut Symptomata urgentia mitigemus. *Raucedo.* Ita enim pro *Raucedine* abigendâ uſurpabimus ſeqq.

℞. *Pulp. Paſſular. min. rec. fact.*
Syrup. Granat. acid. ana ℥j.
Mellis roſac. ʒvj.

M. d. ad Oll. ac ſæpè cum baculo Liquiritiæ lambatur.

Vel ℞. *Syrup. Viol. purp.*
de Jujub.
Granat. acid.
Mell. roſac.
violac. ana ℥ß.
Mucilag. Gumm. Trag. Aqu. Roſ. fact. ʒiij.
Aqu. Brunell. ℥iß.
M. d. ad Ollam.

Contra *Vigilias nimias* ſingulis ferè noctibus ſeptem vel octo grana *Maſſæ pilul. de Styrac.* dentur, cum vehiculo conveniente. Hæ Pilulæ etiam Dyspnœæ medentur, ac varios dolores, tuſſiendique vehementiam mitigant.

Adverſus Sudores nocturnos colliquativos præſcribemus *Unguentum infrigidans Galeni*, vel ſequens pectori ac dorſo bis quotidie inungendum: *Pro Sudoribus nocturnis.*

℞. *Fol. recent. Plantag. acutifol.*
Hed. arbor.
Polygon. ana Mß.
Bellid. min. Mj.

Inciſa coque in Butyr. rec. ſ. q. Hinc colaturæ nonnihil expreſſæ immiſce Bol. armen. vel Cretæ alb. q. ſ. ut fiat Unguentum.

Si *Diarrhœa* Ægrum torqueat, *Diarrhœa.* *Theriac. Andromach.* ad ʒj. ſtatim detur, ac dein *Pulvis Unicorn. foſſ. Terræ ſigillat.* ac *Bol. armenat. Sacchar.* edulcoratus cum *Emulſione Amygdal. dulc.* frequenter exhibeatur.

Aliquando in incipiente Phthiſi non ſine fructu conceſſimus uſum *Thermarum Plumbarienſium*, *Fabarienſium*, vel *Acidularum calidiusculè potarum*; ſed neutiquam omiſſis traumaticis conſolidantibus.

In *Scirrho* tandem Pulmonis commendamus *Decocta pectoralia* ſuperius deſcripta.

deſcripta. *Thermas* item *piperinas in potu & balneo*; uſum quoque *Pulveris pro Botio*, atque *Eſſentiæ Helenii*, vel *Salis volatil. oleoſi*. Si verò Scirrhus in Ulcus mutetur, tum hactenus commendata methodus medendi obſervabitur.

PHYGETLON nihil aliud eſt, quàm *Panus*, de quo ſuo loco.

na. PHYMA in genere qualemcunque ſignificat tumorem, è quavis corporis parte cutaneâ erumpentem; in ſpecie autem dicitur eſſe Tuberculum inflammatorium glanduloſum in cute ſubitò enaſcens, & ad ſuppurationem tendens. Cùm igitur ſic non differat quoad geneſin & curam à *Furunculis*, ſuo explicatis loco, non opus erit eam heîc rem fuſiùs repetere.

. **PICA** eſt Appetitus ventriculi depravatus, quo gravidæ inprimis Fœminæ correptæ magno rerum abſurdarum comedendarum deſiderio tenentur. Hinc enim obſervatæ fuerunt, quæ carbones, arenas, cretam, aliaque avidè devorabant. Affligit non niſi prægnantes Fœminas, neque etiam eas adeo frequenter; differt-
fert à lacià. que à *Malaciâ*, quòd in hâc non res abſurdæ, eſuique inſuetæ, ſed cibi conſueti, verùm crudi illi, atque impræparati appetantur; quemadmodum ſunt crudæ carnes, piſces, panis nondum coctus & ſimilia. Charta deficeret citiùs, quàm exemplorum numerus, ſi abſurdarum rerum omnium, à Prægnantibus deſideratarum varietatem exponere vellemus. Fertur tamen appetitus ille aliquando etiam in alicujus cibi potusve aliâs conſueti & laudabilis quantitatem exceſſivam; ſic enim novi Matronam quandam Nobilem, quæ intra unius diei noctisque tempus ultra centum & quadraginta panes dulciarios mellitos (*Lebkuchen*) ſine noxâ comederat.

Cauſa autem depravati iſtius Appetitus *Cauſa.* non eſt niſi perverſa quædam atque determinata fibrarum Oeſophagi nervearum titillatio, vel irritatio, ob quam fibrillæ nerveæ, harumque ſpirituoſi incolæ ad medium usque Cerebrum tales ſpecificos motus adipiſcuntur, quibus dein ideæ rerum abſurdarum vel inconſuetarum deſiderandarum in Mente excitantur. Irritationem verò ſpecificam talem præſtat ſtomachicus liquor, non acris quidem ille & corroſivus, ſed irregularem nihilominus particularum ſuarum figuram atque texturam à ſubſiſtentibus menſtruis adeptus, ut deinceps haud ordinario, ſed irregulari quodam modo fibrillas ſuprà dictas vellicet atque titillet.

Affectus cognoſcitur facilè, ex relatione ipſarum Gravidarum. *Diagnoſis & Prognoſis.* Neque etiam mali quid inde præſagiendum venit, niſi Fœminæ rebus ejusmodi abſurdis diu nimium indulſerint; tum enim facilè digeſtio lædi, ſanitasque labefactari poſſet.

In *Curatione* huic ſcopo unicè *Curatio.* inchiandum eſt, ut nimirum ſtomachici liquoris perverſa craſis in naturalem vel meliorem ſtatum redigatur. Quem in finem haud metui debet præ-

præſcriptio & exhibitio cujusdam laxativi, v. gr. *Syrupi Flor. Perſicor. Acaciar. Roſ. ſol. ſimpl.* aut *compoſ.* vel *de Cichor. cum Rhabarb.* ad ℥iiß. cum *Aqu. Borrag. Naſturt. Beton. Plant.* &c. Dein ſequens *Pulvis abſorbens* & *invertens* man. ac veſperi ad ℈ij. dari poteſt:

℞. *Terr. ſigillat.*
Ocul. ♋. *ppt.*
♁*n. diaph.*
Specif. ſtomach. Poter. ana ℈ij.
Salis Abſynth. ℈j.
Sacch. penid. ℥ß.
Nuc. moſch. ʒß.
M. f. Pulv. ſubt. d. ad ſcat.

Stomachi regio itidem inungatur *Balſ. Peruvian.* cum *Spirit. Ceraſ. nigr. Anth. Aniſ.* aut *Fœniculi*, vel *Oleo Abſynth. Cappar. Menth. Aneth. Nuciſt.* Sæpè etiam cochleare plenum *Aqu. Meliſſæ, Menth. Cinamom. Card. bened. Pulegii, Balſami Embryon.* Saccharo edulcoratum detur. Vel ſimul guttulæ 20. aut 30. *Tincturæ* ♁*n. Corallior.* vel *Mart. aperitiv.* bis quotidie propinabuntur.

Pilorum defluvium. PILORVM DEFLVVIVM eſt Capillorum aliorumve corporis Pilorum ſpontanea decidentia, à particulis ſalino-acribus, radiculas eorum erodentibus, proveniens. Affectus hic, quando ſparſim contingit in his illisve corporis locis, tum *Alopecia* *Alopecia.* vocatur. Quando autem Pili, in Capite præſertim, areatim decidunt, *A-* *Area.* *rea* nuncupatur. Atque ſi fortè ab occipitio duæ Areæ pilis deſtitutæ, per tempora utrinque ad frontem deductæ, conſpiciuntur, ab initio quaſi ſerpendo progrediuntes, tandem verò in fronte, apud Infantes præcipuè, iterum unitæ, tunc *Ophiaſin* hunc Affectum nominant. *Ophiaſis.* Ubi autem pili potiſſimum in Sincipite decidunt, cutimque glabram poſt ſe relinquunt, *Calvities* appellatur. *Calvities.* Affectiones hæ ſingulæ verò, cum eodem modo & ab iisdem cauſis producantur, eandemque etiam medendi Methodum requirant, ſub *Capillorum defluvio* ſufficienter jam ſuo loco traditæ & expoſitæ fuerunt.

Pilorum canities. PILORVM CANITIES, eſt ordinarii Pilorum coloris in canum vel album mutatio, quæ ſi in Senectute contingit, ordinaria habetur & Medico corrigenda neutiquam offertur. Si verò Juvenibus adhuc vel Viris ante ſenectutis annos obveniat, tum ſubinde remedia deſiderantur, quibus emendari color iſte queat, inprimis quando tales matrimonia quærere ſolent Homines. Adde heic illam Coloris mutationem, quando nimirum Pili præternaturaliter aliquibus ſuis floccis virides, crocei, vel violacei redduntur.

Cauſa. *Cauſa* hujus mutationis ut obſcura eſt, ita obſcurè quoque exponitur; cùm autem color omnis non niſi à reflexione radiorum luminoſorum è corporum ſuperficiebus proveniat; palam eſt, reflexionis illius diverſitatem colorum varietati occaſionem præbere. Sed quis accuratè unquam demonſtrare poterit rationem & modum diverſæ illius reflexionis? Interim

terim certum hoc eſt, ſubinde contingere, ut vel pori, per quos materia pilorum nutritia trajicitur, mutati, vel ipſe ſuccus nutritius aliter configuratus colorem illum capillorum naturalem mutet, inque alienum convertat. Hinc etiam ſubinde Pueri capillis candidè cineritiis, atque eleganter flavis ſuperbientes, in Juventute ſequente eosdem fuſcos, aut nigricantis etiam coloris adipiſcantur; nimirum unicè propter texturæ pilorum fortè & ſucci ipſius nutritii mutationem. Conferunt dein ad eandem mutationem gravior mentis triſtitia & conſternatio, aëris itidem certa craſis atque diſpoſitio frigido-rigida, cui fortè Homines ſeſe nimium expoſuerunt. Imò habentur exempla eorum, qui adhuc Juvenes aut Viri exiſtentes ex ſubitâ quadam mentis concuſſione, ac terrore, vel unius horulæ ſpacio cani fuerunt redditi. Obſervatur & hoc, quod qui à Patribus jam ſenibus progenerantur Infantes, citiùs quàm alii caneſcant. Hinc duos heîc Baſileæ habuimus fratres, Medicinæ Profeſſores, Felicem nimirum & Thomam Plateros, quorum prior à Parente adhuc Juvene genitus ante ſenectutem decrepitam canus non evaſit: poſterior autem quadraginta & aliquot annis junior, atque adeo à Parente jam ſeptuagenario prognatus pluribus ante Fratrem, ætate ſuâ majorem, annis canus redditus fuit. His tandem, qui in Cupro, ſimilibusve aliis Metallis quotidie laborant, ſubinde evenit, ut plures paucioresque Capitis, Barbæq; Pili cærulei, virides aut crocei reddantur; procul dubio propter metallicas exhalationes, dum ſua Opifex metalla in igne tractat, ſuperficiem talium pilorum frequenter lambentes, eorumque texturam mutantes.

Prognoſis & Curatio.

Etſi aute nulla hactenus Ars præternaturalem illum colorem in radice mutare, ac ad naturalem ſtatum reducere potuerit; dum perpetim eodem perverſo colore ſuccreviſſe obſervati ſint Pili. Nihilominꝰ tamen vel *Pectinibus plumbeis* capillos ſemper pectinando nigrum colorem inducere & conſervare, vel *Lixivio Herbarum Solani*, *Artemiſiæ*, *Perſicariæ*, *Chamædryos*, *Nicotianæ*, *Verbenæ*, *Lavendulæ*, *Thymi*, *Pulegii* & ſimilium; ut & *Radicis Curcumæ decocto* in *Vino* facto, alium, eundemque ſibi ſimilem colorem, quotidianâ lotione conciliare poſſumus. Denique Pilorum evulſione, capillitiorum geſtatione, ſi placet, mederi quoque poterimus.

Pilorum fiſſuræ.

PILORUM FISSURÆ ſunt vitia Capillorum Capitis, quo illi in extremitate diviſi atque fiſſi evadunt, & veluti bifurcati redduntur, unde non ſolùm deformitas quædam conciliatur, ſed & eorum incrementum in longitudinem impeditur.

Cauſa.

Etſi obſcura videatur *cauſa* talium Fiſſurarum, nihilominus tamen ex Anatomicis edocti, Pilos eſſe veluti canaliculos, paulatim à ſucco allabente ſpecifico nutritio formatos & elongatos, haud difficulter comprehendere poſſumus, talem ſuccum in eorum extremitatibus, forſan ſubinde

inde conſtrictis, aut ab aëre rigido ex parte contractis, ad latera exſudare, & ita ſenſim ulterius auctum in bifurcatas aut tricuſpidatas extremitates faceſſere atq; elongari, eâdem ferè ratione, quâ obſervamus, Cornua cervina generari, atque in longitudinem extendi. Interea hoc notabimus, quò pori cutanei, è quibus ſuccus prodit nutritius, ſolidiores fuerint, eo hiſpidiores etiam Pilos, horumque extremitates enaſci. Sunt qui credant, ſuccum nutritium acido-acriuſculum in extremitatibus capillorum, aliquâ cum roſionis virtute diviſionem inſtituere, & utrinque poſtea in pilorum ſubſtantiam excreſcere atque condenſari.

Curatio. Fiſſuras autem Capillorum non curabis melius, quàm diligenti reſciſſione extremitatum, harum poſtea inunctione cum *Felle* cujusdam animalis; aut frequenti Pilorum lotione cum *decocto Lavendulæ, Abſynth. Ocymi, Sanicul. Betonic. Agrimon. Meliſſ. Origani, Salviæ, & Chamædr.* Intus verò *Decoctum Lignorum* quotidie exhibeatur per aliquod tempus bibendum.

Pleuritis. PLEVRITIS, eſt Inflammatio membranæ Pleuræ, cum Febri acutâ, difficili Reſpiratione, Tuſſi, Dolore lateris pungitivo, aliisque Symptomatibus Hominem plus minus graviter affligens.

Pars affecta. Afficitur heic membrana Pleura tantùm, unde appellatur *Pleuritis*; ſi verò ſimul Pulmo afficiatur, *Pleuroperipneumonia* audit. Quænam autem pars ipſius, quodve pectoris latus affligatur, doloris locus monſtrabit.

Etenim heic diſtinguere ante omnia debemus Pleuritidem in *veram* ſive *exquiſitam*, & *notham* ſive *ſpuriam*. *Vera* Pleuritis illa eſt, cujus deſcriptionem dedimus; & cujus notæ characteriſticæ, ſive ſigna pathognomonica ſunt Dolor lateris pungitivus, Febris acuta, Tuſſis, reſpirandi Difficultas, Laſſitudo, Vigiliæ: quibus accedunt adhuc alia indicia concomitantia, nimirum proſtratus Appetitus, Inquietudines, Anxietates præcordiorum, Sitis ingens, Pulſus citatus & frequens, Urinæ croceæ vel multùm tinctæ. Plerunque Affectus Hominem ſubitò prehendit, & quidem ferè incipit ab horrore aut rigore vehementi, cum ſubſequente æſtu, cœteriſque ſymptomatibus febrilibus. Notandum verò, Pleuritidem hanc veram utplurimum vel diſcuti iterum, vel in Abſceſſum, atque poſt hujus ruptionem, puriſque in cavitatem thoracis effuſionem, in *Empyema* mutari; vel denique etiam, ſi malignitas acuta adfuerit, Hominem intra paucos dies è medio tollere. *Diagnoſis veræ Pleuritidis.*

Quoad geneſin, prognoſin, atque curationem cum *Peripneumoniâ* convenit, de quâ ſuo loco.

Spuria vel *notha Pleuriti* eſt ſimiliter Lateris dolor pungitivus, cum reſpirandi Difficultate, ſed ſine Tuſſi, ſine Febri, aliisve in Pleuritide verâ occurrentibus ſymptomatibus. Quod non prætereundum eſt, in *Diagnoſis Pleuritidis nothæ.*

Pleuritide *exquiſitâ* Ægri ſeſe movere poſſunt ſine dolorum augmento; atque in latus affectum facilius decumbunt, quàm in oppoſitum & ſanum; in Pleuritide *nothâ* autem Homines vel ad levẽ thoracis flexionem intenſiore dolore affliguntur, atque in latus dolens minus quàm in ſanum decumbere nôrunt.

iti- no- Oritur autem Pleuritis *notha*, quæ non infrequens eſſe ſolet, tum à lymphâ ſive ſero inter muſculorum pectoralium membranas ſtagnante; tum à flatu ſpirituoſo ibidem collecto, atque condenſato. A quibus cauſis hinc ſenſibiles membranæ diſtentæ pungitivum illum, valdeque moleſtum dolorem producunt. Anſam præbet ſæpius vel flatuum, à conſtrictâ per frigus externum cute, collectio, vel repercuſſus ab eodem frigore ſudor; vel ſpaſmodica denique hujus aut illius muſculi pectoralis contractio, in validâ quadam corporis ſive pectoris actione facta; unde *Spaſmus thoracis flatulentus* potius dici mereretur.

Durat hic dolor interdum per plures dies atque hebdomadas, aliquando autem citò vel per ſe, vel adhibitis diſcutientibus profligatur.

tio uriti no- Quacunque autem ex causâ malum fuerit ortum, neceſſe eſt, ut calefacientibus, atque diſcutientibus externis, & diaphoreticis internis medeamur. Inter *externa* convenit ſtatim, calidiſſimis linteis affectum locum fricare, & quidem ab origine muſculorum verſus eorundem finem lintea ſemper ducendo. Dein eadem lintea, tantùm non fervida, continuè impoſita teneantur; vel eorum loco *Sacculi Baccis Juniperi*, *Sale toſto*, *Cineribus*, aut *Semine Avenæ*, *Milii*, *Cicerum*, *Cumini*, *Carvi*, *Aniſi*, *Dauci*, *Fœniculi*, *Anethi*. *Radicibus Imperatoriæ*, *Valerian. Angelic. Mutellinæ*, *Cyperi*, *Galang.* &c. *Herbis* itidẽ *ſiccis Matricariæ*, *Menth. Meliſſ. Origani*, *Serpill. Thym. Majoran. Aneth. Chamom. Abſynth.* &c. conc. & contuſis repleti, atque nunc *ſicci*, nunc etiam in *Vino* priùs *cocti*, *expreſſiq;* calidiſſimè applicentur. Ante applicationem locum quoque vel *Spiritu Vini camphorato*, aliove *cephalico diſcutiente*, calidè lavare, fricareque, vel *Galbaneto Paracelſi*, aut *Oleo Chamomill. Rutæ*, cum *Oleo deſtillato Bacc. Lauri*, *Juniperi*, *Spicæ*, *Succini*, ſimilive permiſto inungere licet. Intus verò aliquoties doſin *Pulveris* ex ♁*n. diaph. Ocul.* ♋ *ppt. Dent. apr. ppt. C. C. phil. ppt. Bezoard. min.* & aliis compoſiti cum *Roob Juniperi* & *Aquâ ſtillat. Florum Sambuc. Card. Mar. Scabioſ.* exhibebis. Atque interea Æger corpus à frigore munitum tenebit, donec à Dolore liberatus ſit. Si Alvus fuerit ſegnis, *Clyſma detergens* & *carminativum* injiciatur, quod ſæpè magnum dolorum levamen afferre ſolet.

PLEVRO-PERIPNEVMONIA eſt Inflammatio Pulmonis & Pleuræ membranæ ſimul, cum Febri acutâ, Dolore pungitivo, Anxietate, & Tuſſi nunc ſiccâ, nunc humidâ & purulento-ſanguineæ materiæ ſputo Hominem Pleuro-peripneumonia.

nem graviter & periculosè affligens. Morbus ergo cùm quoad geneſin, diagnoſin, prognoſin & curam cum *Peripneumoniâ* conveniat, Lectorem quoque eò remittimus.

Plica Polonica. PLICA POLONICA, eſt vitium Capillorum capitis, quo hi invicem involuti contorquentur in funiculum vel cirrum inextricabilem, non ſine Artuum & Capitis moleſtiâ, antequam complicati perfectè fuerint, cum ſudore etiam magno comitante. Medici ſubinde nuncupant *Trichoma, Morbum cirrorum*, *Tricas Incuborum*. Cumque in Poloniâ hoc vitium familiarius ſit, & frequentius, quàm apud alios Populos, *Polonica* hinc *Plica* jam dudum audivit; quanquam & inter alias Nationes ſubinde obſervetur; inprimis etiam inter Judæos, unde & Germanicè dicitur *Judenzopff*.

Pars affecta. Si *Partem* inſpiciamus *affectam*, utplurimum Capitis affligit Pilos; ſed exempla tamen extant talium Cirrorum, è pudendis quoque muliebribus crinitis enatorum, veluti deſcribitur talis in *Ephemerid. Nat. Curioſor. l. c.* imò & in *Theatro Anatomico Lugduni-Batavorum* monſtratur.

Cauſa. Oritur hæc Plica maximè à luxuriante ſucco nutritio, copioſiùs ad crinium radices depoſito, unde poris eorum dilatatis multi ſimul pili ex uno quaſi foramine prodeunt, ſe invicem amplectuntur, contorquentur, & tandem velut conglutinati in tales Cirros ſive Tricas inextricabiles concreſcunt; continuè deinceps in longitudinem majorem per crebrum alimentarii ſucci affluxum, ulterius extendendas. Oportet autem, ut ſuccus ille alimentarius glutinoſo-viſcidas particulas ſecum vehat, non ita ſtatim concreſcentes, verùm in extremitate radicum Pilorum ſubſiſtentes, & novis particulis acquiſitis, ſeſe dilatantes, poroſque expandentes. Attamen neceſſariò heic ſimul concurrere debet certa pororum cutis ſtructura, ob quam tubuli è pluribus glandulis vel papillulis cutaneis obliquo ductu tandem in unum porum coëant vel exeant: unde poſtmodum illi capilli tenuiores evadentes, atque è cute prodeuntes, propter glutinoſitatem quandam nutritii ſucci ſibi invicem implicantur & conglutinantur.

Antecedens cauſa ſæpè eſt ſeroſo-gelatinoſum nutrimentum peculiari mucilaginoſitate vel ex ipſo ſanguine ad Pilorum radices proveniens. Contribuit dein etiam huc aliquid diſpoſitio hæreditaria pororum capitis: imò contribuit fortè ſimul aliquid in Poloni pec uliaris temperies Aquarum; etenim perhibetur fontem in illo ſcaturire Regno, cujus aquæ frequenter largiterque potæ Plicam gignant maximam. Dein ſordidi Homines, incomtos ſemper capillos habentes, ſcorbutici, capitis Scabie aut Pruritu laborantes, quandoque nimis fricando, ſanguinemque eliciendo, protuberantiæ cutaneæ anſam præbent, è quâ dein ſuccus elabens nutritius Pilos conglutinare valet.

Plica facilè cognoſcitur ex ipſâ inſpe- *Diagnoſis.*

inſpectione, ſed plura tamen eam ſubinde comitantur, vel præcedunt ſymptomata, dum v. g. ab initio Hominis corpus ferè enervatur, color faciei naturalis in pallidum vel luridum mutatur, artus omnes dolore quodam infeſtantur, caput ſorditie conſpurcatur, & furfuribus fœtentibus obtegitur; ungues etiam quandoque evadunt nigricantes; convulſionibusque Homines affliguntur. Interdum Cirrhi ſponte decidunt, ſed iterum renaſcuntur. Viſi quoque fuerunt, quibus, materiâ per metaſtaſin alioſum tranſlatâ, vel Cœcitas vel Surditas obtigit. Quando autem Plica jam formata eſt, tum Symptomata illa graviora ceſſant ferè. Imò non omnes tali ſymptomatum vehementiâ prehenduntur. In Germaniâ certè, Angliâ, Belgio, & Galliâ tales Cirri non infrequenter obſervantur ſine tantis incommodis & nati & geſtati. Affligunt ergo plus minus vehementer pro diverſâ auſteritate & acrimoniâ ſuccorum cum ſanguine circulante præternaturaliter commiſtorum.

Po- s -noſis Si Plica cùm atrocibus ſymptomatibus incipiat, tunc adeſt quoque non leve vitæ periculum; ſed in noſtris tamen regionibus adeo maligna vix unquam viſa fuit Plica, cùm omnes ferè ſint, qui ſine accidentibus vehementibus tales Plicas & adquirant, & innoxiè per totum vitæ curriculum geſtent; imò ſibi graviter perſuadeant, quicquid malignorum in corpore humorum exiſtit, in Cirrhos illos capillaceos præcipitari, & ita ſeſe à morbis variis præcaveri. Morbus ſi fuerit hæreditarius, vix illum extirpabis.

In *Curatione* ad originem mali eſt attendendum, ſi extirpare illud velis. Plerunque tamen relinquitur hæc deformitas intacta ab Hominibus, cùm æſtimetur incurabilis, vel certè non ſine ſanitatis aut vitæ diſpendio reſecabilis. Ut proin contumacem Affectum pronunciare audeamus, quando jam diu duravit, porique cutis per longam conſuetudinem ita diſpoſiti evaſerunt, ut aliam texturam & configurationem conciliare nequeamus. Nos tamen ante omnia ſuaderemus uſum *Vini medicati purgantis*, v. gr. ſeqq. Curati.

℞. *Radic. Scrophular.*
Polypod.
Ariſtol. long. ana ℥ß.
Herb. Betonic. Mj.
Origan.
Summit. Lavendul.
Abſynth.
Abroton. ana Mß.
Fol. Sen. opt. mund. ℥j.
Radic. Helleb. nigr. ℥ß.
Mechoacann. ʒiij.
Salis polychreſt. ʒij.
Semin. Fænic.
Cinam. elect.
Cortic. Winter. ana ʒj.

Inciſ. contuſis, & ſacculo illigatis affunde
Vini albi veteris.
Aquæ fontan. ana *Menſ.* j.
Hinc quotidie mane unciæ 4. ad 6. hauriantur cum regimine diætæ.

Poſtmo-

Poſtmodum *Fonticulus* in Brachio excitetur; *Vena* quoque *ſecetur*, ac ſæpius drachma una *pulveris Oculorum* ♋. vel ♁ *n. diaphor.* cum *Aquâ Flor. Sambuc.* hauriatur. Vel *Cura ſalivatoria* ante Fonticulum poſt corpus benè præparatum inſtituatur. Inter topica remedia ſuaderem *lotiones Capitis*, prius ad Cirrum usque raſi, frequentes *Vino calente*, in quo *Hedera arborea*, *Nicotiana*, *Bryonia*, *Helleborus niger*, vel *Helleboraſter*, *Salvia*, *Gratiola*, *Muſcus terreſtris*, *Branca urſina*, *Abſynth*. *Card. bened.* &c. decocta fuerunt, faciendas. Sequens dein *Cnæphelii Linimentum* commendatur:

℞. *Herb. Muſc. terr. & repent.*
Radic. Bryon. ana part. æqual.
Adipis erinacei q. ſ.

Miſce & coque in vaſe vitreo in Baln. Mar. per horam, hinc fiat l. a. Unguentum, quo radices Pilorum in Cirrum complicatorum inungantur.

Adderem⁹ huic *Unguento* etiã *Mercurium* vel *dulcem*, vel *præcipitatum rubrum*, *albumve ſubtiliſſimè tritum*. Hiſce factis ſæpiùs Plicam juxta Cutim *ſericeo filo* ligare, ac illud quotidie fortiùs ſtringere poterimus, ſicubi videbimus, inde nullis Hominem ſymptomatibus periculoſis affligi. Inter hoc tempus autem ſubinde laxabitur adhuc corpus; Fonticulusque tandem in Brachio excitabitur, diu geſtandus.

PNEUMATOCELE, *vid. Hernia ventoſa.*

Hernia ventoſa Umbilici

PNEUMATOMPHALOS ſive *Hernia umbilicalis ventoſa*, à communi *Herniâ ventoſâ* in Inguine vel Scroto contingente non niſi parte affectâ differt; adeoque ſimili, ut illa, modo curatur.

PODAGRA, *vid. Arthritis.*

Po... ſ...

PODOPISTOTONIA eſt Contractura pedum verſus nates, cum omnis flexionis & motûs impotentiâ. Producitur & curatur ſicut *Contractura* in genere, de quâ vide ſuo loco.

Polli... noct...

POLLUTIO NOCTURNA eſt ſeminis involuntarium in ſomno tantùm cum venereis inſomniis contingens profluvium, à copiâ & acrimoniâ ſeminalis materiæ intra veſiculas ad ſui excretionem ſtimulantis, profectum. Affectus Juvenibus otioſis, probeque ſaginatis, ſanguineis, vel ſanguineo-cholericis nondum uxoratis familiaris.

Cauſ...

Cauſa verò ſymptomatis hujus, Juvenum vires interdum debilitantis, eſt ſeminis intra veſiculas ſuas ubertim collecti copia, ejusque blanda acrimonia, atque ſub ſtragulis calefacientibus in ſomno contingens turgeſcentia, quâ nervoſæ partium genitalium fibrillæ titillatæ, atque oſcillatorio motu agitatæ, venerea Inſomnia, Virgæ erectionem, moxque voluptuoſam ſeminis ejaculationem producunt. Anſam hinc vitio huic præbent bona nutritio, felix chylificatio, vita curis & ſollicitudinibus vacua, animus lætus & tranquillus, vina generoſa pota, exercitia corporis moderata, & quæcunque ulterius

copiam

copiam & acrimoniam ſucci ſpermatici exhibere valent.

Si frequenter contingat, Seminis collectio, atq; cohibeatur nihilominus ejus ad excretionem ſtimulantis ejaculatio, tum corrumpi illud poteſt, atque hinc acrius & corroſivum redditum, vel oſtiola tubulorum perrumpere, gonorrhæamque producere, vel Amorem quoque inſanum excitare valet.

Remedia proin huic Malo occurrentia non ſunt alia, quàm quæ ſemen minuere, ejus acrimoniam mitigare vel obtundere, atque turgeſcentiam ſtimulantem coërcere poſſunt. Id quod feliciter effectui dabunt, poſt inſtitutam corporis *purgationem* & *Venæſectionem*, *Pulveres* ex ♄n. *diaph. Ocul.* ♋. *ppt. Nitr. ppt. Sacchаro Saturni*, & *Camphorâ* parandi; v. gr.

℞. ♄n. *diaph.*
Nitr. ♄*iat. ana* ℈ij.
Sacch. Saturn. ℈ß.
Camphor. gr. viij.
Sacch. alb. ℈ij.

M. f. Pulv. ſubt. d. ad ch. in 4. *doſ. æqual. noctu horâ ſomni capiendas cum hauſtu Aquæ Lactuc. Nymph. aut Portulacæ.*

Sæpius etiam abſque Pulvere non niſi Julepum ex Aquis modò dictis, nec non *Endiviæ*, *Solani*, *Papav. rhead. Rub. id. Plantag. cum Syrup. Violar. Rub. id. Nymphææ. Ribium*, *Acetoſ.* concinnatum cubitum iturus hauriat. Vel ſolam *Aquam fontanam* bibat.

Victus ſit tenuis, animus curis & meditationibus non maceretur quidem, ſed exerceatur tamen valdè; aut ipſum corpus motionibus quotidie variis per aliquot tempus fatigetur. *Acidularum* frequens potus concedatur; Vina generoſa fugiantur; denique ſi hæc nihil proſint, matrimonium commodum inſtituatur.

POLYPUS NARIUM, vide *Narium Polypus.*

PORRIGO, ſ. FURFURATIO, *Porrigo.* eſt Scabies certa cutis capitis piloſæ, in qua particulæ pinguiuſculæ & ſalinæ ſquamularum ſordidarum vel furfuris inſtar, plus minus copioſè gignuntur, atque vel pectinando vel per ſe ſeparatæ decidunt. Affectus *Diagnoſis.* non adeo infrequens, quique per ſe cognoſcitur, atque, ſi levis ſit neque ingens ſquamularum, quæ albicantis vel cineritii coloris eſſe ſolent, copia adfuerit, parum curatur, ſed ſoli naturæ relinquitur, dum interea Homines diligenti pectinatione ulterius malum præcavent.

Gignitur autem ferè è ſordibus *Cauſa.* per poros capitis exhalantibus, ſalino-ſulphureis pinguibus, & facilè ab aëre externo frigidiuſculo coagulatis; dum volatiliores interea ſalinæ & aquoſæ particulæ liberas petiêre auras, relictis poſt ſe ſalino-acidis plus minus volatilibus atque ſulphureis. Contingit Affectus non illis tantùm, quorum caput facilè ſudat, ita ut plures ſudoris particulæ intra poros cutaneos ſæpiſſimè retineantur, ſed & aliis minus ſudantibus hoc quoque malum non rarò accidit, apud quos tranſpirantes ſubtiliores ſalino-acidæ, vel ſalſæ ſulphureæ particulæ ſimili-

ter intra poros ſubſiſtere, vel etiam cuti extus per glutinoſitatem quandam adhæreſcere poſſunt. Qui ſcorbuticâ vel ſalſâ laborant cacochymiâ, illis hoc incommodum facilè obtingit, & quidem tanto crebrius, quanto major fit per cutaneos poros tranſpiratio. Cùm verò ſalinæ particulæ acrimoniâ ſuâ ſæpè pungant fibrillas cutaneas, hinc pruritus etiã excitatur, præprimis ſi cutis nonnihil incaleſcat, & ita particulæ in majorem motum concitentur.

Prognoſis. Quòd ſi acrimonia talium particularum in Hominibus ſordidis & cacochymicis evadat corroſiva, tum ea fibrillas cutaneas erodendo, atque exedendo, cum tempore *Achores* & *Favos*, vel *Tineam* quoque producere valet.

Curatio. Itaque curanda ſi offertur Porrigo, purgandum erit corpus *mercuriali* quodam remedio; v. gr.

℞. *Radic. Jalapp.* ℈j.
Mercur. dulc. opt. gr. xv.
Crem. ♀*ri* ℈ß.
Scamm. ♁*rat. gr.* ij. *vel* iij.
Ol. ſtillat. Roriſm. gutt. ij.
M. f. Pulv. ſubt. d. ad ch. ſumatur mane pro doſi.

Vel ℞. *Extract. cathol. gr.* xij.
Helleb. nigr. gr. vj.
Reſinæ Jalapp. gr. ij. *vel* iij.
Mercur. dulc. opt. ℈ß.
Ol. ſtillat. Succin. q. ſ.
M. f. l. a. Pilulæ num. XV. *Inaurat.* D. *pro doſi mane ſumendâ cum regimine diætæ.*

Dein *intus Viperarum Eſſentia*, cum *Tincturâ Betonic.* per aliquot hebdomadas m. ac veſp. ad *gutt.* xxx. in *Juſculo* vel *Decocto Lign. Saſſaphr.* propinetur. *Extus* autem *Cineres Salicis* & *Sarmentorum Vitis* cum *Nicotianâ*, *Lavendulâ*, *Chamædry*, *Origano*, *Perſicariâ* & *Rutâ* in *Vino* decoquantur, hocque *Vino* calente quotidie Caput abluatur, fricetur, iterumq; ſiccetur. Si malum ex uſu dictorum contumax fuerit, pilique interea ſudore frequenter madidi ſint, tum deradantur perfectè, & *Capillitium* geſtetur aliquandiu. Vere & Autumno autem bibatur *Vinum Medicatum purgans.*

PRÆPVTIVM NIMIS BREVE *aut* LONGVM, videatur *Paraphimoſis*, & *Penis Phimoſis.*

PRIAPISMVS eſt involuntaria membri virilis erectio, etiam ſine appetitu venereo contingens, neque poſt coitum fortè præſtitum remittens, à convulſivâ membranarum illius inflatione, & muſculorum penis erigentium contractione ſive Tetano quaſi proveniens. Pri[...] mus

Convellitur autem hîc, erectusque manet Penis, etiam ſæpè cum dolore aliquo, cumque poſt venereum congreſſum non remittat, neque coëundi appetitus præciſè adſit, à *Satyriaſi* diſtinguitur. Ac etiamſi nonnunquam remittat, mox tamen iterum revertitur. Interim cum aliis quoque Affectibus complicatur, videlicet cum Elephantiaſi, Salacitate, Satyriaſi, Pollutione nocturnâ, quam præcedere communiter ſolet, Gonorrhæâ virulentâ, Ulceribus Penis, Herniâ Dia[...] ſis. A S[...] riaſi ſting[...] tur.

Herniâ, Colicâ, Calculo veſicæ, Epilepſiâ & aliis. Obſervatum eſt & his evenire, qui laqueo ſuſpenduntur; imò & illis, qui laqueo Sceleratos ſuſpendi tantùm vident.

Quicquid igitur in Penis membranis, atque muſculis ſpaſmodicas expanſiones & fibrarum contractiones citra veneris deſiderium producere valet, quemadmodum ſunt ſucci acido-acres volatiles per circulationem ſanguinis ad Partem affectam delati; vel ſpiritus flatuoſi, ob irritationem ſpaſmodicam nervorum in partibus vicinis, eòdem præcipitati, aut etiam à cerebro poſt viſas quasdam res citra imaginationem veneream eo deturbati, illud omne Priapiſmum efficit. Contribuit tamen huc etiam ſeminis in veſiculis ſeminalibus copioſè collecti acrimonia, Penis muſculos atque membranas inter dormiendum irritans; unde ejus erectio primũ involuntaria contingit, ſed quæ tandẽ cum aſſurgente veneris imaginatione in ſeminis ejaculationem & pollutionem deſinit. Dolor adeſt propter tenſionem nimiam præputii.

Priapiſmum ſubinde in Puellis adhuc teneris & Infantibus vidimus, ſed non cum tantâ Penis inflatione ac tumore contingentẽ, ſicut in Adultis. In Fœminis quæ contingit Mentulæ ſive Clitoridis nimia excreſcentia atque Tentigo absque libidine, *Priapiſmus* à nonnullis *fœmineus* audire ſolet.

Progno-ſis. Priapiſmum ſæpiùs contingentem, atque etiam diu durantem ſuſpectum habent meritò Practici, nec facilè curabilem illum, ſed ſubinde in Epilepſiam, Apoplexiam, morbosque alios tranſeuntem experiuntur.

In *Curatione* ſpasmodicas irritationes & contractiones diſcuties per *interna* quidem *antiſpasmodica*, *cinnabarina*, *caſtorina*, *nitrata*, *camphorata*, aliaque abſorbentia; v. gr. Curatio.

℞. *Corall. rubr. ppt.*
Ocul. ♋. *ppt.*
♁*n. diaph. ana* ℈j.
Cinnabar. ♁*n. correct.*
Nitr. ♁*niat. ana* ℈ß.
Camphoræ gr. viij.

M. f. Pulv. ſubt. in 4. *doſ. æqu. divi ad ch. m. ac veſp. cum Emulſione Seminum frigid. ſumendas.*

Vel ℞. *Bol. armen. ppt.*
Nitr. ppt. ana ℈j.
Sacch. Saturn. ℈ß.
Camphor. gr. vj.
Sacch. alb. ℈j.

M. f. Pulv. ſubt. in 3. *doſ. æqu. ad ch. quarum doſis ſingulis* 4. *horis ſumatur cum Emulſione prædictâ, vel hauſtu Aqu. Nymph. Lactuc. Portulac. Meliſſ. Solani,* &c.

Externè Balnea Aquæ dulcis cum incoctione *Lactucæ, Solani, Cichorii, Malvæ, Menth. Meliſſ. Mercurial. Violariæ* &c. conveniunt; atque *Inunctio* Penis cum *Oleo Lini, Roſar. Camphor. Lilior. alb. Lumbr. terreſtr.* Vel *lotio* cum *Spir. Vini camphorato,* & *Aquâ Solan. Flor. Sambuc. Meliſſ. Menth. Rut. Sacch. Saturn. Mercur. dulc.* inſtituatur quotidie. Vide etiam *Penis diſtorſionem.*

PROCIDENTIA UTERI, vid. *Matricis Procidentia.*

PROCIDENTIA ALVI, vide *Ani Procidentia.*

Prunella. PRUNELLA ſive *Ardor Palati*, eſt inflammatio & ariditas faucium ac linguæ, in Febribus utplurimum malignis contingens: in quâ Lingua cum tunicâ Faucium ferè Ligni inſtar

Diagnoſis. dura, aſpera vel ſcabra, inſigniter rubens, ſicca, vel etiam nigra comparet, nigro quippe ſiccatoque ſero craſſo obvoluta; unde Loquela etiam articulata, vel ſimul deglutitio valdè incommodatur.

Cauſa. Oritur autem à totali ſalivalium, & palatinarum glandularum obſtructione, ſicque partium illarum irrigatione deficiente, unde fit, ut exhalantes è poris undiquaque particulæ, in linguæ & palati ſuperficie obhærentes atque inſpiſſatæ, tunicam quandam glutinoſam albam efficiant, quæ dein magis magiſque à fervore ſanguinis per vicinas arteriolas circulantis indurata nigrorem adipiſcitur. Si autem nihil planè exhalat è poris Linguæ & Faucium, nihilque ſalivæ ac muci è glandulis excernitur, tum Lingua ruborem cum ariditate inſignem præternaturalem acquirit, cui dein ardor etiam vehemens jungitur, Linguam non rarò dividens, inque dolentes rimas findens.

Prognoſis. Symptoma hoc in malignis Febribus eſt periculoſum, Gangrænæ nimirum & Sphaceli incipientis, adeoque mortis proximè futuræ indicium fermè certum: quandoquidem pauciſſimi eorum, qui præſente hoc, eoque obſtinato incommodo vivi & ſani evaſerunt.

Symptoma ergo hoc urgens non *internis* tantùm remediis *alexipharmaco-diaphoreticis*, qualia in Febre eos malignæ curatione deſcripta ſunt; ſed *externis* quoque medicaminibus curari debet. Quem in finem Os ſæpè colluendum ſequenti *Gargariſmate* præcipimus: Curati

℞. *Herbar. Brunell.*
Calth. paluſtr. aa. Mj.
Semperviv. maj.
Malv.
Flor. Malv. hortenſ.
Alceæ.
Verbaſc. ana Mß.
Inciſ. & contuſ. coqu. in ſ. q. Aqu. fontan. Colatur. ℔j. *adde*
Roob Dianuc.
Moror. ana ℥ij.
M. d. ad Vitrum.

Vel ℞. *Herb. Scabioſ.*
Succiſ.
Brunell.
Salv.
Flor. Liguſtr. ana Mj.
Cancror. fluv. contuſ. num. iij.
Semin. Lin.
Pſyll. ana ℥ß.
Inciſ. & contuſ. coqu. in ſ. q. Aqu. fontan. Colatur. ℥xvj. *adde*
Roob Dianuc. ℥iij.
Syrup. Rub. id. ℥iiß.
M. d. ad Vitrum.

Vel ℞. *Aqu. Flor. Liguſtr.*
Salv.
Brunell.

Portulac. ana ℥iij.
Mucilag. Semin. Cydon. Aqu. Plantag. fact.
Roob Dianuc.
Syrup. Granat. acid. ana ℥iß.
Nitr. purif. ʒiß.
M. d. ad Vitrum.

Alii Os tantùm *Aquâ muriaticâ*, vel *Muriâ Braſſicæ capitatæ*, *Pomorum*, *Raparumve compoſtarum*, aut *Decocto Raparum* calidè ſæpius eluunt.

Quòd ſi ſufficienter emollita ſit Lingua, tum cochleari quodam aliove raſorio inſtrumento, pituita diligenter abſtergatur. Ad incidendum tamen & emolliendum ſæpè euporiſton ſumere poſſumus, nimirum *Salviam*, *Brunellam*, *Althæam* ac *Malvam* Aquæ & Aceto incoquendo, hinc *Mel roſaceum*, vel *Roob Sambuc.* addendo, eoq; dein Os colluendo; unde emollita facilè tunica pituitoſa abſtergi & auferri poteſt. Facto autem hoc, lambendum præbebimus Ægro ſequens *Eclegma*:

℞. *Roob Dianuc.*
Mellis roſac.
Syrup. Granat. acid. ana ʒvj.
Aqu. Semperviv. ℥ß.
M. d. ad Vitrum.

Subinde *folia Sempervivi majoris*, *Cymbalariæ*, *Betæ*, *Endiviæ*, *Portulacæ*, *Acetoſ. Acetoſellæ*, *Naſturtii aqu. Cochleariæ*, *Lactucæ* aut *Brunellæ*, Æger quoque maſticabit. Si *Fructus* quidam *aciduli*, aut *Rapa*, *Poma compoſta* poſſint haberi probè matura, dabuntur & illa quandoq; maſticanda. Plura vide ſub Titulo de *Febri malignâ*.

PSORA eſt Scabies fœda, ſordida, cum ſquamulis albicantibus plurimis hinc inde, inprimis circa articulos erumpentibus, cumque pruritu frequenti Hominem affligens. Adeoque gradus eſt Scabiei inſignis, & ipſi Lepræ proximus, ubi ſanguinea maſſa ob cumulum particularum ſalſo-oleoſarum acrium magnoperè inquinata & corrupta exiſtit, ſuaque ſuperflua ſalia ſulphurea ad glandulas poroſve cutaneos præcipitat. Malum contumax, in pejus facilè ruens, niſi debitâ medendi methodo, & exactâ diætâ id præcavere ſtudeamus. *Pſora.* *Prognoſis.*

Curatio hinc maturanda, ne in *Lepram* perfectam abeat. *Internè* autem ea remedia ordinare licebit, quæ ſub Titulo de *Scabie* indigitavimus. *Extus* dein primò *Balneum Aquæ dulcis*, cui *Lapathum*, *Malva*, *Perſicaria*, *Sabina*, *Artemiſia*, *Bardana*, *Helleboraſter*, unà cum *Calce* & *Alumine* incocta fuerint, per aliquot hebdomadas uſurpabitur. Dein *Unguento* ſequenti ubique Articuli bis aut ter quotidie perungentur: *Curatio.*

℞. *Reſin. Aqu. font. pluries lot.* ℥ij.
Sulphuris vivi ℥ß.
Mercur. dulc. ʒij.
♁ *n. diaph.* ʒj.
M f. Unguent. d. ad ollam.

Vel *Unguentum ad Scabiem Auguſtanorum* in uſum trahetur. Plura vide ſub titulo de *Scabie*.

PSOROPHTHALMIA eſt levis Oculorum inflammatio ſicca, vel Palpebrarum duntaxat rubedo pruriginoſa. *Pſorophthalmia.*

ginoſa, cum ſquamulis albicantibus affligens; atque originem ducens à vaſculorum quorundam lymphaticorum obſtructione inflammatoriâ, ſub quâ tamen particulæ oleoſo-ſalinæ exhalantes in ſquamulas ejusmodi faceſſunt, aquoſis nimirum in auras evolantibus. *Curatio* inſtituitur, ſicuti in *Ophthalmiâ*, de quâ ſuo loco, vid. ſub *Oculorum Inflammatione*, & *Palpebrarum* ulceribus.

Pſydracia. PSYDRACIA ſunt Papulæ ſive Veſiculæ albicantes, vel alius coloris in cute capitis emergentes, atque à Lymphâ viſcoſo-acri ſubter cuticulam in extremis poris cutaneis ſubſiſtente & cumulatâ oriundæ. Quomodocunque ergo eas Veſiculas conſideremus, nullatenus à *Phlyctænis* alibi in corpore effloreſcentibus differre obſervabimus; ut adeo eandem quoque cum illis Ætiologiam atque Curam ſortiantur.

PTERYGIVM, vide *Oculorum unguis*.

PTILOSIS, vide *Madaroſis*.

Ptyaliſmus. PTYALISMVS, ſ. *Fluxus Salivæ nimius*, *Salivatio nimia*, eſt excretio ſalivæ larga, imò continua ab eroſione vaſculorum ſalivalium, aut ſeri ſanguinei fluiditate nimiâ ad glandulas ſalivales præcipitatâ proveniens.

Ætiologia. Producitur hinc à cauſis diverſis, & quidem nunc *ſponte*, nunc *arte* contingit. Si *ſponte* fluat nimium Saliva, tum vel ſerum ſanguinis in fluorem quendam redactum, atque ad ſalivæ glandulas copioſè præcipitatum eſt, vel Paralyſis ductuum ſalivalium, vel denique eorundem eroſio aut irritatio frequens, quam ſubinde ipſius Salivæ acrimonia efficit, in culpâ eſſe ſolet. Per *artem* verò conciliatur, quando nunc *Mercurii* ope, nunc *fumo Tabaci ſucto*, nunc *Tabaci*, vel *Radicum Angelicæ*, *Imperator. Pyrethri*, *Mutellinæ*, aliarumve rerum maſticatione; nunc *mercurialibus fumis* ore exceptis, nunc denique *inunctionibus mercurialibus* inducitur & excitatur. Ubi palam eſt, quomodo acriuſcula corpora maſticata ſalivalium tubulorum fibras & oſcula irritando ad copioſiorem excretionem liquoris ſtimulare poſſint. De ſolo autem *Mercurio* dubitatur, unde ſit, quod ille adeo potenter ſalivam moveat, & alias interea glandulas intactas relinquat. Sed reſpondere ſolent, particulas Mercurii cum acido-acribus ac viſcidis ſanguinis combinatas, talem præciſè texturam ſero conciliare, ſub quâ dein ſpecificè in glandulis ſalivalibus magis obhæreant, quàm alibi, ac ita cumulatæ tandem ſalivam-copioſè, quanquam viſcidam primò evomant. Quibus hinc Dentium obtingit dolor, illis etiam à Lymphâ in Gingivis ac Tunicâ Oris ſtagnante acri ſæpiùs oſcula ſalivalia ita irritantur, ut Salivæ proventum copioſiorem ſuggerant.

Diagnoſis. Facilè eſt hunc Affectum cognoſcere, ſive ex autopſiâ, ſive ex relatione Ægrorum, è quorum examine ſimul patefiet, è qualinam occaſione, vel

vel à quâ cauſâ provenerit. Interim Saliva in principio Ptyaliſmi utplurimum viſcida exiſtit, & per decem pluresve dies ita manet, donec tandem limpidior reddita inſtar aquæ profluat. Quod experiuntur inprimis, qui vel Cinguli mercurialis geſtatione, vel Mercurii aſſumtione, vel mercuriali denique Inunctione ſalivationem ſibi conciliârunt. Durante autem ſalivatione, quando multum ejusmodi liquoris deglutiunt, ſæpiùs cordis imbecillitates, cum aliis ſymptomatibus patiuntur, appetitum inprimis amittunt, vigiliis torquentur, laſſi evadunt, dentium vacillationem cum gingivarum corruptione adipiſcuntur, aliaque ferè mala incurrunt.

no- In *Prognoſi* verò tenendum, hunc quomodocunque excitatum morbum periculi plenum eſſe, ſi negligatur, inprimis ſi à Mercurio ortum traxerit. Facilè enim palatinæ hinc glandulæ nimis intumeſcere, Hominemque cacochymicum ſuffocare poſſent. Imò ſalivæ talis nimia vel in ſomno deglutitio gravare ſtomachum, irritare nervos, excitare Lipothymias, perdere chylificationem, accendere Febres, hebetare ſanguinis circuitum, ac denique mortem inducere poſſet.

atio Ut itaque *curare* feliciter queas Ptyaliſmum, attendendum primò, ſi annon Homo Scabie quadam, vel ſimili Affectu laboret, quo per ſalivationem liberari queat. Tum enim ſalivæ fluxus per 15. dies, vel eousq; tolerari debet, donec ſaliva limpida, & aquoſa prorſus evadat. Interea *Clysmate emolliente* atque *detergente* uno vel altero primas eluito vias; Os autem gargarizato frequentiſſimè cum *Decocto Raparum*, vel *Agrimoniæ*, *Brunellæ*, *Scabioſæ*, *Rubi ſylveſtr. Succiſ. Rutæ*, *Salviæ*, *Flor. Liguſtri*, *Malv. hortenſ.* in *Aquâ ſimplici*, vel in *Aquâ* & *Lacte* facto, addendo *Mel roſaceum*, vel *Roob Dianuc.* Alii ſolo *Lacte* cum *decocto Brunellæ* miſto, & tantillo *Mellis roſacei* Os colluunt. Alii ſumunt adhuc *Plantaginis*, *Borraginis*, *Naſturtii*, *Apii ſuccos*, additoq; inſuper *Melle* ſimiliter Os colluunt. Cum fructu quoq; *Aquam Scabioſ. Card. bened. Succiſ. Brunell. Taraxacon.* &c. permiſcere licet.

Salivatione durante ſubinde *Juſcula carnea*, *farinacea*, *hordeacea*, *avenacea*, cum *Cremore Hordei*, *Oryzæ*, & ſimilia ſunt concedenda, eaque ſemper poſt elotum Os deglutienda; ſolidiores autem cibi non dandi. Pro potu largiendum eſt *Decoctum Ligni Guajaci*, *Saſſaphr. Rad. Gramin. Liquir. Chin. Sarſæpar. Cichor. Herb. Sanicul. Agrimon. C. C. raſ. Hordei, Semin. Coriandr. Fœnic. Paſſul. min.* &c. Ad imbecillitates emendandas *Mixtura* præſcribenda *cardiaca*, eaque cochleatim propinanda:

℞. *Aqu. Borrag.*
Bugloſſ. ana ℥iß.
Ceraſ. nigr.
Flor. Acac.
Syrup. Rub. id.
Acetoſ. Citr. ana ℥ß.
Confect. Alk. compl. ʒj.
Matr. Perl. ppt.

♁ *n.*

♁n. diaph. ana ℈j.
M. d. ad Vitrum.

Finitâ ſalivatione, vel etiam, quando eam obſervamus Homini nocivam eſſe, aut funeſtam futuram: tum ſtatim non ſolùm Os ſuprà dictis *decoctis* eluendum, ſed & illis aliquid *Spiritûs Vitrioli* vel ♀*ris* admiſcendum, ut beneficio hujus adſtringentis liquoris vaſa ſalivalia adducantur. Interea ſimul ſequenti *medicato Vino purgante* ſerum ſanguinis aliorſum eſt derivandum; v. gr.

℞. *Radic. Cichor.*
Vincetox.
Filic.
Pimpinell.
Apii ana ʒiij.
Herb. Card. bened.
Scabioſ.
Brunell. ana Mj.
Semin. Coriandr.
Fœnic. ana ʒj.
Fol. Sen. opt. mund. ℥j.
Rhab. elect. ℥ß.
Radic. Helleb. nigr. ʒiij.
⊖*is polychr.* ʒiß.
Cinam. acut. ℈iiij.

Inciſis, contuſ. & in nodulo ligatis affunde Vini albi veteris Menſ. j.
Aqu. fontan. vel
Gramin. Mß.

Stent per noctem in loco tepido, poſtea ſingulis diebus mane hauriantur unciæ quinque vel ſex, cum regimine diætæ. Sedato ſic Ptyaliſmo per aliquot dies inſequentes Homo *Laconicum* ingrediatur, & per ſemihoram in eo probè ſudet; prius hauſtâ ſequenti vel ſimili *Potione diaphoreticâ*:

℞. *Aqu. Beton.* ℥iß.
Card. bened.
Scabioſ. ana ℥j.
Roob Sambuc. ʒj.
♁*n. diaph.* ℈j.
Ocul. ♋. *ppt.* ℈ß.
M. f. Potio d. ad Vitr.

In *Diætâ* poſtmodum aliquandiu fugiat Æger ſalſa, acida, & aromatica nimia. *Vinum* verò *rubellum* bibat ſatis bonum & confortans. Ab animi Pathematibus ſibi temperet.

PVDENDAGRA eſt *Lues venerea*, quam vide ſuo loco deſcriptam.

PVDENDI MVLIERIS CARVNCVLÆ ſunt tubercula ſive excreſcentiæ parvæ carnoſæ, ex eroſis cutis extremitatibus per accretionem & augmentationem ſucci nutritii pullulantes; quandoque etiam in fungos magnos evadentes; quemadmodum in *Ephemerid. Nat. Curioſ. German.* nonnullæ hiſtoriæ habentur. *Pudendi muliebris Caruncula*

Cognoſci tales poſſunt Carunculæ, vel ex relatione Ægrarum, vel ex autopſiâ aut contactu. Notandum autem, quòd, ſicubi intra Vaginam emergant, pro loci diverſitate nunc Urinæ excretionem difficilem, nunc menſium Fluxum laborioſum, doloriſque plenum efficere poſſint. *Diagnoſis.*

Ortum plerunque ducunt ex eroſione fibrarum cutanearum, aut Ulcuſculis Vaginæ rugas nonnihil depaſcentibus, unde extillans jugiter humor nutritio-gelatinoſus in Carunculæ ſubſtantiam ac molem concreſcere valet. Eroſionem illam producit *Cauſa.*

ducit utplurimum ſemen maſculinum ex Lue venereâ acido-corroſivum redditum. Rariùs enim alii humores, è cutaneis Fœminæ poris exſudantes ſalſo-acres, talem Affectum excitant. Quod ſi ſanguis totus cacochymiâ ſalino-acri, vel cancroſâ infectus ſit, tum ejuſmodi Carunculæ facilè evadunt fungoſæ, atque ita excreſcere poſſunt in Fungos ſcirrhoſos, aut cancroſos.

Unde, cùm ejuſmodi Tubercula obtingunt curanda, quod non fit, niſi vel doloribus, vel aliis incommodis Fœminas magnoperè excrucient, examinanda penitius ſunt illa, antequam externis remediis tangantur; videndumque, num non Ægra veneream adquiſiverit Luem. Si lividæ ſint, dolentes admodum, & majuſculæ Carunculæ, vel ſi planè excreverint in Fungum livido-carneum, atque cancroſum, tum de eventu ejuſmodi Tumoris haud benè eſt ſperandum; quin tutius illas extus relinques intactas, cum liquorem in ſeſe contineant maximè corroſivum, qui leviter etiam commotus miris cum doloribus vicinas partes circumrodere valet.

...no.

...ratio.

In *Curatione* ſi Tubercula leviora, minimeque cancroſa ſint, dabis ante omnia *purgans mercuriale* ſequens:

℞. *Syrup. de Cichor. cum Rh.* ℥ij.
Elect. è Succ. Roſar. vel
Confect. Hamech. ℈iiij.
Aqu. Solan.
Flor. Acac. ana ℥ß.
Cinam. ʒij.
Mercur. dulc. ℈j.

M. f. Potio d. ad Vitr. ſumatur mane jejuno ſtomacho unâ vice cum regimine diætæ.

Vel ℞. *Conſerv. Fumar.* ʒj.
Mercur. dulc. opt. ℈j.
Magiſt. Jalapp.
Crem. ♀ri ana gr. viij.

M. f. cum Sacch. Bolus pro doſi.

Intus dein etiam ſequens *Decoctum* ad uncias quatuor vel quinque m. ac v. horis duabus ante paſtum hauriatur:

℞. *Radic. Vincetox.*
Filic. ana ℥ß.
Sarſ. parill.
Lign. Guajac.
Saſſaphr.
♁n. crud. ana ℥j.
Semin. Fœnic. ʒij.

Inciſ. & contuſ. coque per trihorium in vaſe duplici, poſtea colatura d. ad Vitrum.

Extus verò conſumentia & adſtringentia remedia in uſum vocantur; quemadmodum ſunt *Spiritus matricalis* cum *Tincturâ antiphthiſicâ* & *Mercur. præcipitato rubro*, vel *Aquâ phagedænicâ* permiſtus, ſæpiusque applicatus. Prodeſt & *Unguentum Ægypt.* cui *♁n. diaph.* ac *Mercur. præcipit.* ſit ſubactus; vel *Mel roſaceum* cum *Calce viv.* atque *Mercur. præcipitat. flavo*, ut & *Pulvere Aloës, Myrrh. Radic. Ariſtol. rot. ver. Sigill. Salomon. Salviæ folior.* permiſtum, ſæpiſſimeque inunctum valdè prodeſt. Quòd ſi filo Caruncula prehendi ligarique poſſit, id omnino fiat. Ablatâ autem illâ locus *Spiritu matricali*, vel ſolâ *Tincturâ Aloës* & *Myrrhæ* cum *Externa remedia.*

Melle roſaceo ſubactâ conſolidandus erit.

Pudendi muliebris Pruritus.

PVDENDI MVLIEBRIS PRVRITVS eſt dolor ſive triſtis illius partis ſenſatio, ab humore ſalſo, è glandulis cutaneis copioſè, ſive æſtivo tempore, ſive poſt corporis exercitium, ſive poſt corpus cibo potuque ſæpius valdè ſaginatum, ſive poſt equitationem nimiam exudante, fibrillasque nerveas rodente, ac pungente ortum ducens. Facit tamen huc quoque Urinæ, quàm fortè tenere neſciunt Mulierculæ, ſtillicidium, aut pituitæ mucoſo-acris effluxus è Vaginâ in Gonorrhœâ, Fluoreque albo conſpicuus.

Curatio.

Incommodum ergo hoc cum frequentem frictionem, ſudoriſque abſterſionem deſideret, curandum venit partim corpus *Infuſo Fol. Senæ* purgando, hincque Venam ſecando; partim *Balnea Aquæ dulcis*, vel *aluminoſo*- aut *vitriolico-martialia* in uſum trahendo; partim denique externis *Unguentis* inungendis, quemadmodum eſſe poteſt v. gr. ſequens:

℞. *Unguent. pomat.* ℥j.
Tut. ppt. ʒj.
♁ *n. diaph.* ℈ij.
Terr. ſigill. ʒß.
Limatur. Aurichalc. finiſſ. ʒj.
Ol. roſac. q. ſ.
M. f. Unguentum ſæpius inungendum.

Proſunt & heic, quæ adverſus *Excoriationem* in ſequentibus commendamus.

Pude[ndi] mulie[bris] e[x]coriat[io].

PVDENDI MVLIEBRIS EXCORIATIO eſt cuticulæ in pudendis abraſio dolorifica, ſubinde ardens, producta tum ab humore acri, corroſivo, è poris cutaneis exudante, tum à frictione per nimiâ ſub æſtuante aëre obambulationem, tum ab acrimoniâ Urinæ, quam forſan cohibere neſcit Fœmina, tum denique ab humore ſalſo pituitoſo acri, è pudoris ſinu in Fluore albo vel Gonorrhœâ effluente.

Cauſa.

Moleſtiam ergo hanc ſi ſublatam cupit Fœmina, antequam majora excitet mala, ad cauſas illius diverſas attendendnm erit. Quòd ſi Gonorrhœa vel Fluxus albus in culpâ fuerit, his Affectibus medebimur, uti ſuo loco docetur. Non ſecus atque ſi Urinæ incontinentiâ laboraverit Mulier. A ſudore autem ſalſo acri, vel alio, ſi placet, quocunque humore producta Excoriatio curabitur, ſi corpus expurgaveris ante omnia *Pilulis cum Mercurio dulci*, vel *Infuſo fol. Senæ cum Rhabarb. Syrup. Roſ. ſol. compoſ.* ac deinceps ſingulis noctibus ſub horam ſomni per aliquot dies exhibueris *Julepum* ex *Syrup. Viol. Nymph.* cum *Aqu. Portulac. Cichor. Plantaginis* compoſitum.

Curatio.

Externè verò conveniunt *Olea* & *Unguenta*, quæ contra Ani Fiſſuras ſuo loco commendavimus. Excoriatus inprimis locus *Aquâ Calcis vivæ*, *Solan. Flor. Sambuc. Roſar. alb. Spermat. Ranar. Plantag.* &c. calidiuſculè lavabitur: dein inungetur *Butyrum* vel ſolum coctum, vel in quo prius *Folia Quercûs*, *Heder. arbor. Pyrol. Geran. Robertian. Verbaſc.* ac ſimiles

plantæ

plantæ decoctæ ſint, addito etiam tantillo *Tutiæ ppt. Lapid. calamin. ppt.* ♁ *n. diaphor. Bol. armen.* &c. *Unguentum album camphoratum* ſimiliter quoque conducit ſæpè inunctum.

Ad Mali præſervationem æſtivo tempore *Acidulæ* cum regimine diætæ bibi, & *Balnea Aquæ dulcis* iteratâ vice in uſum vocari poſſunt.

endi| ie- In- nma- ſa.

PVDENDI MVLIEBRIS INFLAMMATIO eſt Tumor illius cum dolore ardente & rubore conjunctus. Occaſionem huic præbet frequenter compreſſio partis à transeunte nimis grandi Fœtu facta, Hæmorrhoidum ſuppreſſio, quâ ſanguis in Pudendis ſtagnare, aut extravaſari, partemq́ue ſic in Tumorem elevare poteſt.

ratio.

Oritur enim, ac producitur talis Affectio, ſicut reliquæ omnes Inflammationes; adeoq́ue ſimilem cum iis Curationem admittit. Si tamen obſervemus, diſcuti Tumorem hunc inflammatorium nolle, tunc maturandus eſt illico, aperiendus, extergendus, atque ſiccantibus tandem remediis conſolidandus, quemadmodum ſub Titulo de *Abſceſſibus* expoſitum invenies.

dendi alie- s Oe- nas

PVDENDI MVLIEBRIS TVMOR OEDEMATOSVS eſt Morbus magnitudinis in dictâ parte auctæ, à Lymphâ in glandulas cutaneas, atq; interſtitia membranarum copioſè effuſâ, inibi ſtagnante, ac nonnihil ſpiſſiore redditâ oriundus. Rarus eſt hic Affectus, nec niſi in Fœminis cachecticis, vel hydropicis ferè contingens, tantoq́; id magis, quando ſimul fortè Prægnantes redditæ fuerunt. Hiſce enim in caſibus vaſcula lymphica, quæ in Inguinibus hærentia Lympham ſuperiora verſus devehunt, facilè à pondere vel mole incumbente, aliiſque cauſis adſtringentibus anguſtantur, & anguſtiora reddita propter Lympham tardius transfluentem, hincq́ue ſenſim cumulatam & inſpiſſatam ampliantur, ac ita tandem intumeſcentiam œdematoſam producunt. Huc etiam craſſities atque viſciditas ipſius ſeri non rarò contribuit, quando nimirum à ſale quodam acido-auſtero, è Chylo advecto, talem qualitatem adeptum fuit.

Diagnoſis & Prognoſis.

Quando igitur Tumor ejusmodi, per ſe facilè cognoſcibilis, nimis increſcit, ſicq́ue grandi expanſione factâ, non ſolùm dolorem inſignem tenſivo-lancinantem, ſed & Puſtulas in Epidermide urentes producit, ſero acerrimo repletas, tum periculum eſt, ne in Gangrænam atque Sphacelum deſinant, ſicq́ue Fœminam tandem enecent; id quod facilè contingit, ſi Puſtulæ plures lividæ aut nigricantes evaſerint, atque ad nervoſas Cutis expanſiones profundius penetrârint.

Curatio.

Itaque *Curatio*, quantum poſſibile, maturanda; in quâ ſerum Maſſæ ſanguineæ poſt evacuatas primas vias attenuandum, fluidius reddendum, ſuæque circulationi reſtituendum; imò Chylificatio quoque ad perfectionis ſtatum deducenda. Quem in finem ante omnia, ſi præg-

nans Fœmina haud fuerit, *purgans* ſequens dabitur:

℞. *Radic. Jalapp.* ℈j.
Crem. 🜿*ri*
Mercur. dulc. ana ℈ß.
Scammon. 🜍*rat. gr.* iij.

M. f. Pulv. ſubt. d. ad ch. pro doſi matutinâ.

Vel ℞. *Spirit. Anth.*
Aniſ. ana ʒß.
Juniper. ℈ß.
Magiſt. Jalapp. gr. viij.
ſolve lento igne, adde
Syrup. Beton. ʒij.
Aqu. Cinam. cum Vin. ʒj.

M. d. ad Vitr. pro doſi mane ſumendâ.

Deinceps commendabitur diligens *potus Coffée*, nec non *decoctum Lignorum* ſeqq.

℞. *Cortic. Lign. Guajaci*
Lign. Saſſaphr. ana ℥j.
Radic. Ononid.
Eryng.
Chin. ana ʒvj.
Liquirit. ʒij.
Semin. Aniſ. ʒiiß.

Inciſ. & contuſa coque per bihorium in vaſe duplici, ſuperaffuſâ Aquâ fontan. ad Menſur iij. De *colaturâ* autem m. ac v. cyathus plenus exhauriatur. Reſiduum dein magma ex hoc decocto, iterum per horæ quadrantem coque in *Aquæ fontanæ Menſur.* iij. atque hujus *Decocti* colatura pro *Potu ordinario* inſerviat. Præterea etiam m. ac veſp. *Tincturæ* ♁*n.* vel *Mart. aperitiv.* vel *Tincturæ* 🜿*ri chalybeatæ guttæ* 30. aut plures capiantur.

Extus confert impoſitio frequens *Aqu. Calcis vivæ*, in quâ *Perſicaria, Ruta*, *Sabina*, *Sigillum Salomon. Salvia*, *Meliſſa*, Gratiola, *Virga aurea*, *Ononis*, *Hypericum*, unà cum *Radicibus Ariſtoloch. long. Vincetox. Pimpinell. Ulmar. Scrophular.* &c. fuerint decocta. Vel etiam *Cataplasma* ex his *herbis recentibus* factum, cum *Fimo caballino*, aut *columbino* permiſceatur, & ita calidè frequenter applicetur. Si inflammatorii quid adfuerit, tum *Cataplasmata* talia, aut *Fomenta* ſuperiora acuantur *Spiritu Vini camphorato*. Vel *Pulvis* tantùm ſequens applicabitur:

℞. *Bol. armenat.* ℥iß.
Farin. Fabar. ſicc.
Tritic. ſicc. ana ℥j.
Camphoræ ʒiij.
♁*n. diaph.* ℥ß.

M. f. Pulv. ſubtil. d. ad ch. Inde autem linteum probè conſperſum applicetur, etiam quando Puſtulæ adfuerint. Quibus præſentibus nihil temerè tentabitur ad earum rupturam; vel acu ſolùm perforentur, & ſerum effluere permittatur, ac nihilominus ſiccum illud *Fomentum* continuabitur. Si verò *excoriatio* tum quoque contingat, *Unguentum* etiam *album camphoratum* inungatur.

PUDENDI MULIEBRIS CAUDA, FISSURÆ, ac DILACERATIO, vide *Matricis Morbos ſuprà fuſius deſcriptos*.

PUDENDI MULIEBRIS IMPERFORATIO, eſt Morbus meatûs, quo Vagina Uteri, quæ naturaliter *Pudendi muliebris perforatio.*

raliter pervia eſſe deberet, per coaleſcentiam qualemcunque occluditur.

Rarum eſt, Adultis hoc contingere malum, ceu *adventitium*, niſi fortè exulceratio Vaginæ malè curata quandam occaſionem dederit, tunicasque ulceroſas ſibi pelliculæ ope connaſci & agglutinari permiſerit. Frequentius autem *nativum* eſt vitium, dum Femellæ in lucem prodeunt, quibus vel pellicula intermedia enata foramen prorſus claudit, ita ut, ſi Urethræ oſtium ſimul incluſum ſit, urina profluere nequeat: vel ipſe canalis vaginæ profundè admodum coaluit usque ad Uteri cervicem.

Si *Cauſas* inquiramus ejusmodi Phœnomeni præternaturalis, nullam afferre poſſumus aliam, quàm nutritii ſucci, ad partem illam appellentis & è porulis patentibus exſudantis concretionem, atque in pelliculam mutationem. Quod cùm in Fœtûs formatione contingit, *nativamq́;* Imperforationem efficit, neceſſe eſt, ut vel è paucis, vel è pluribus poris circum circa nutritius ſuccus effluxerit, atque in membranam intermediam, latera vaginæ conjungentem coaluerit. *Adventitia* autem Imperforatio originem debet coaleſcentiæ tunicarum vaginæ in Ulcere quodam plus minus ſordido contingenti, dum ſuccus fortè nutritius gelatinoſus è tubulis elabens corroſis ac laceratis, membranas concreſcere & coaleſcere facit.

agno- & Malum hoc autopſiâ cognoſcibile, ſi conſiſtat tantum in pelliculâ obtenſâ tenui, facilè curari poteſt. Progno-ſis.

Lanceolâ enim pertunditur illa pellicula, hinc *Eſſentiâ Aloës*, *Myrrhæ*, *Thuris*, *Rhabarbari*, &c. cum *Balſamo vulnerar.* aut *Peruv.* ac *Melle roſaceo* permixtâ locus vulneratus ſubinde fovetur, ac denique *Peſſarium* è *Cerato conſolidante* factum intruditur, inibique relinquitur, donec latera Vaginæ ſeparata & conſolidata manſerint. Si verò Imperforatio ſit profundior, atque ad Cervicem usque penetret uteri, tum melius eſt non tangere, vel ſi perforatam Parentes cupiant filiam, inciſio illa & apertio maximâ cum circumſpectione eſt tentanda. Quod ſi in Adultis Venerea Lues præceſſerit, *Decoctum* quoque *Lignorum* & *Herbarum traumaticarum* aliquandiu bibendum, ac non neglectis univerſalibus internis, *Pulveres abſorbentes* ex *Oculis Cancri*, *Bolo Armen.* *Unicorn. foſſil.* *Tutiâ*, *♁ n. diaphor.* *Mercur. dulc.* &c. reliquis externis miſcendi ſunt. Curatio.

PVDENDI MVLIEBRIS VLCVS eſt morbus ſolutæ unitatis in Vaginâ Uteri, vel etiam extus in Vulvâ ab humore ſeroſo-ſalino-acri & plus minùs corroſivo enatum, atque ſaniem plus minus acrem & viſcidam, mucoſam, cum vel ſine dolore acerbo continuè fundens. Pudendi mulie-bris Ul-cus.

Præceſſit autem tale Ulcus ſæpè Apoſtema ex Inflammatione ſuppuratâ productum. Aliquando autem vel à Sero glandularum Vaginæ corroſivo reddito, vel à Semine maſculino Geneſis.

lino corroſivam venerealm qualitatem habente excitari poteſt. Et in hoc caſu, ſi Ulcus fortè occultum maneat, ſuamque liberè ſaniem emittere nequeat, acerbos lancinantes, pungentes, ac terebrantes intra vaginam dolores, imò cancroſam diſpoſitionem producere valet; ſub quâ Mulier noctu diuque immane quantum patitur; usque dum pure acri corroſivo, plus minus viſcido languidiùs fluente, emaciata tandem intereat, remediis ne quicquam juvantibus. *Simplicia* autem Ulcera, quæ *benigna* vocare licet, *venereis* & *cancroſis*, ceu *malignis* oppoſita, nonnunquam diu quoque, ſed abſque ejusmodi torminibus durare ſolent, imò aliquando in Fiſtulas mutari.

Curatio. Itaque *Curatio* talium Ulcerum, in laxis & continuè madentibus partibus exiſtentium, difficilis admodum eſſe ſolet, vixque aliter poſſibilis, quàm per inſignia *detergentia*, & *validè ſiccantia* atque *conſolidantia*. Detergent autem exteriùs varia *Decocta*, quibus in *maligno* æquè ac in *benigno* Ulcerum ſtatu homines uti poſſunt; v. gr.

℞. *Radic. Ariſtol. long.*
Cyperi.
Biſtort. ana ℥ij.
Lign. Guajac.
Saſſaphr.
Santal. rubr.
Colubrin. ana ℥ß.
Herb. Abſynth.
Gratiol.
Card. bened.
Centaur. min. ana Mß.
Inciſ. & contuſa coque in
Aqu. fontan. ac
Vini albi veter. ana ℔ij.
ad tertiæ partis conſumtionem. Colaturâ dein calente ter de die Ulcus eluatur. Sed poſſumus etiam huic decocto permiſcere aliquid *Mellis roſacei* & *Eſſent. Myrrhæ*. Eloto Ulceri applicamus *linteola carpta*, cui adſpergere licet ſequentem *pulverem*:

℞. *Pulv. Lichen. petr.*
Radic. Tormentill.
♁ n. diaph.
Bol. armenat.
Lactis Lun.
Fol. Sanicul.
Pyrolæ.
Gratiæ Dei ana ʒj.
M. f. Pulv. ſubt. d. ad ſcatul.

Siccâ hâc deligatione plus præſtabimus, quàm omnibus humidis aut unctuoſis. Si tamen carpta lintea ante pulveris aſperſionem *Tincturâ traumaticâ*, vel *Aloës*, *Myrrhæ*, & *Rhabarb.* cum *Balſamo vulnerar. de Copaib. aut Peruvian.* madefacere velimus, citiùs fortè conſolidationem impetrabimus. Juxta hæc *Peſſarium* ex *Cerâ ſuberi inductâ*, Vaginæ, ſi opus fuerit, intruſum ſanationem promovebit.

Si *Ulcus* fuerit *ſinuoſum*, imò *fiſtuloſum*, curationem nullam admittit, niſi inciſionem usque ad Sinuum radices inſtitueris, & illis vel *actuali* vel *potentiali Cauterio* uſtis ſuperiori methodo conſolidationem promoveris. *Ulcus ſinuoſum.*

Cancroſum malignum & maximè dolo- *Cancroſ. & malignum.*

doloroſum Ulcus Vaginæ mortem ſenſim miſerabilem poſt ſe trahit, heic enim curatio ſperari nulla poteſt; ſed palliativa ſola inſtituenda: ubi nihil obſervavi melius, quàm frequentem inſperſionem *Lixivii*, vel *Aquæ Calcis vivæ*, cum *Roob Sambuci*, aut *Juniperi*, *Colcothare Vitrioli*, *Bolo Armenate*, *Myrrhâ*, *Saccharo Saturni*, & *Melle roſaceo* miſtæ.

Intus in omni tali Ulcere ſingulis octiduis blandum *laxans* dabitur, ac deinceps m. ac veſp. ſequens *Decoctum* ad ℥iv. propinabitur:

℞. *Radic. Chin.*
Sarſæparill. ana ℥ß.
Lign. Guajac.
Saſſaphr. ana ℥j.
Semin. Fœnicul.
Hyperic. ana ʒij.
Herb. Sanicul.
Beton. ana Mj.
Inciſ. & contuſ. coque in vaſe duplici in Aqu. fontan. Mß. *per bihorium; Colatura poſtmodum d. ad Vitr.*

Cum hoc *Decocto* etiam dari poteſt *Tinctura antiphthiſicæ*, vel ♁ *nii*, aut *Tinctura* quædam *traumatica vegetatibilis* ad guttas 20. pro doſi.

PVERPERARVM REGIMEN, ſive *Diæta* ac *Victûs ratio*, maximè neceſſaria eſt tum reſpectu illarum ſanitatis, tum reſpectu Infantis lactandi. Quoniam Puerperæ omnes ſeſe habent inſtar vulneratorum, hinc etiam diæta ipſis conveniens præſcribi debet. Primis ergo diebus victus concedatur tenuis, ex optimis *Juſculit carnium* conſtans, cum *Decocto C. C. raſi*, *Hordei integri*, *Liquirit. Semin. Coriandr. Herb. Sanicul.* vel *Alchymill.* pro potu ordinario. Imò m. ac veſper. hauſtus propinabitur alicujus *Decocti vulnerarii*, quale poteſt eſſe ſequens:

℞. *Herbar. Pyrol.*
Alchymill.
Betonic.
Sanicul.
Grat. Dei,
Scabioſ.
Card. bened. ana Mß.
Inciſa tenuiter coque in mediâ parte Vini albi veteris & Aqu. fontan. Colatura d. ad Vitr.

Si *Febris* adfuerit, eædem *Herbæ* inſtar *folior. Thée* per infuſionem in *Aqua fervente* coqui poterunt, & ſic liquor calidus, *Saccharo* edulcoratus propinari. Vel *Infuſum* ipſum *folior. Thée*, ſi non adverſum fuerit, concedi poterit.

Hâc ratione Febrim, quæ Puerperis ſolet eſſe familiaris, vel præcavebimus; vel etiam curabimus, ſi præſens jam fuerit, poſt laborioſum partum facta. In quo tamen caſu ulterius *Pulveres* & *Mixturas diaphoreticas* ſequenti ratione præſcribere ſolemus: v. g.

℞. *Aqu. Scabioſ. Hed. terr.*
Lactuc. ana ℥j.
Syrup. Capill. ♀.
Rub. Id. ana ʒß.
♁ *n. diaph.*
C. C. phil. ppt. ana ʒß.
M. d. ad Vitr. ſumatur cochleatim.

Vel ℞. *Aqu. Card. Bened. Portulac.*
Succiſ. ana ℥j.

Syrup. Acetoſ. citr. ℥vj.
Confect. Alk. inc. ʒß.
Ebor. ppt.
Lact. Lun. ana ℈j.

M. d. ad Vitr. ut cochleatim hauriatur.

℞. *Cryſtall. alb. ppt.*
Unicorn. foſſil.
♁ *n. diaph.*
Bol. armenat. ana ʒß.

M. f. Pulv. ſubt. in 6. doſ. æqu. div. ad ch. Sumatur hinc m. ac veſp. doſis cum Aquâ Scab. aut Card. bened.

Vel ℞. *C. C. phil. ppt.*
Corall. rubr. ppt.
Bezoard. min.
Ebor. ppt. ana ʒj.

M. f. Pulv. ſubt. in 8. doſ. æqu. div. ad ch. ſumantur ut ſupra.

A Vini uſu per aliquot dies, quibus durat Febris, abſtineatur, quicquid etiam garrulæ atque naſutulæ Obſtetrices, aliæque Fœminæ ogganiant. Niſi fortè Puerpera uſui Vini aliàs non fuerit aſſueta, tum enim *Vinum* cochleatim *Cardiaci* loco, etiam *Saccharo violato* edulcoratum concedi poteſt. Præter Juſcula per primos illos Puerperii dies, ut ſuprà monitum, è Carnibus vitulinis, bubulis, gallinaceis parata, etiam *Conſumata*, & *Gelatinæ* fiant, Juſculis dein illis ſub unius vel duorum cochlearium doſi permiſcendæ; quibus tandem jungere licet *Ova ſorbilia*, *Juſcula* itidem *avenacea*, *hordeacea*, alia.

Quando dies jam aliquot præterierunt, atque interea *lactea Febris ephemera*, à Lactis per tumidas ac inflatas fortè mammas perruptione, ſimulque obortâ ſanguinis turbatione oriunda præceſſit ac tranſiit, tum appetitu urgente jam aliquid ſolidioris cibi concedi poteſt, v.gr. ex Juſculis cum pane, carnibus Caponum, Gallinarum, Pullorum gallinaceorum, Vitulorum &c. Sed ne tamen in principio talibus ſeſe ſaturent; dum menſtruum ſtomachicum adhuc debilius exiſtens, quantitatem ciborum nondum probè digerere valet. Abſtineat hinc à Placentis, Fructibus horæis, Paſtis farinaceis & amygdalatis, Juſculisq; illis vinaceis cum pane toſto teſſellato, Ovis & Saccharo paratis, quæ nomine vernaculo *Weinwarm* appellare ſolent, cùm nihil ſit, quod Ventriculum magis gravet, quàm ejusmodi Juſculum. Pro potu hoc tempore etiam Vinum album aquâ dilutum propinabitur, modicè bibendum.

Præterea Puerperæ primis diebus & hebdomadis quieti ſtudebunt, ſupinæ multum jacebunt, pedesque ſubinde adducent, quò ſic matrix à ſanguine Lochiorum ſeſe tantò melius liberare, & hinc ad priſtinam ſuam figuram atque parvitatem, opitulante ſimul Abdominis per faſciam inſtituendam conſtitutione & ligatione, contrahere queat. Deinceps animum, quantum poſſibile, curis & ſollicitudine vacuum, inprimis autem ab Irâ, Triſtitiâ & Terrore immunem tenebunt; quin & à garrulitate & nimiâ vocis exaltatione ſibi temperabunt. Alvum quotidie liberam habebunt ſive naturâ, ſive arte per intruſa

tru a Suppoſitoria, aut infuſa Clyſmata emollientia atque detergentia; quibus aliâs quoque Lochia ſubſiſtentia promoveri poſſunt.

Dolores poſt Partum ſæpè per aliquot dies Puerperas torquent, à contractione vehementi Vaſorum uterinorum oriundi, atque in Lumbis ac Hypogaſtrio maximè moleſti. Quibus mederi ſolent tum propinatis aliquot unciis *Olei Amygd. dulc. recent. expreſſi*, tum datâ *Mixturâ* aliquâ ſuperius deſcriptâ, tum Lumbis *Oleo roſaceo*, *violaceo*, *Hyoſcyami*, aut *Scorpionum* inunctis, tum calentibus linteis, vel etiam *Sacculis carminativis* ſiccè calideque Abdomini impoſitis, tum denique *Clyſmatibus* è *Lacte emollientibus*, & *carminativo-anodynis*, bis vel ter infuſis. *Sacculus* quoque è *Salviâ*, *Meliſſâ*, *Origano*, *Anetho*, & *Chamomillâ*, *Vino* & *Aquæ* incoctus, expreſſus, tepideque lumbis applicatus juvat.

Quòd ſi Puerpera Infantem lactare nolit, tum vel impedit lactis proventum, vel illud jam præſens diſſipare ſtudet. Impeditur ſi *Oleum roſaceum* cum *Aceto* in *Unguenti* formam permiſtum linteo illinatur, & calidè Mammis imponatur. Vel *Unguentum* de *Succo Malvæ* cum æquali quantitate *Cerati Galeni* miſcent, linteo inducunt, & applicant. Aliæ Fœminæ *fæces Vini* vel ſolas, vel cum *Oleo roſaceo* aut *anethino*, aut *Lilior. alb.* mixtas imponunt. Omnes autem Mulierculæ in finem prædictum ſtrictè Mammas ligant, quò ſic tubuli preſſi Lac admittere nequeant. Lac autem, quod jam influxit, diſſipari poteſt *Epithemate* è *Farinâ*, *Melle*, *Croco*, *Salviâ*, *Meliſſâ*, *Cherefolio*, *Petroſelino*, *Menthâ*, & ſimilibus in *Cataplaſmatis* formam redactis, & calidiuſculè impoſitis. Aliæ *Mel ſolum* applicant. Aliæ fricatis priùs Mammis imponunt *folia Betæ rubræ*, nonnihil in foco calido marcida reddita, unde citò admodum Lac diſcutitur. Nonnullæ etiam ſimili modo *recens Petroſelinum*, *Cochleariam*, *Salviam*, *Mentaſtrum*, *Mentham criſpam*, *Anethum*, *Braſſicam*, *Verbenam*, *Fœniculum*, *Leviſticum*, *Cherefolium* & ſimilia probè contuſa, calefacta, & linteo craſsè impoſita ſæpè admovent. Dum autem talia applicantur, benè ſe munire debet Mulier à frigore externo, hoc enim ſi admittatur, Lac in mammis citò coagulare ſolet, & Inflammationes excitare. Ad Lac verò minuendum vel præcavendum, Fœminæ parum comedent, etiam, ubi neceſſitas aliâs urgebit, Venam ſibi aperiri curabunt, ac Alvum denique naturâ vel arte liberam tenebunt.

QUARTANA FEBRIS, *vid.* *Febris quartana.*

QUOTIDIANA FEBRIS, *vide Febris Quotidiana.*

RABIDI CANIS MORSUS, & RABIES CANINA, *vid. Canis rabidi Morſus.*

RACHITIS, vel RHACHITIS, eſt Morbus figuræ vitiatæ, in quo Capitis, Spinarum dorſi, Coſtarum, *Rachitis.*

Tibiarum, aliaque Oſſa ſuâ figurâ debitâ paulatim privantur, præternaturaliter intorquentur, incurvantur, atque ſic Hominem in adquirendâ debitâ ſtaturâ, magnitudine, & ambulandi potentiâ impediunt.

Affectus hic non adeo rarus eſt, olim tamen in Angliâ magis, quàm in aliis Regionibus endemius; quemque Infantibus ac Adoleſcentibus ferè proprium, peculiaribus Diſſertationibus deſcriptum publico dederunt *Gliſſonius*, atque *Mayow*, *Medici Angli*.

Cauſa. *Cauſa* autem, quæ ſenſim talem figuræ depravationem inducit, ferè juxta illos ſolet eſſe inæqualis ſucci nutritii diſtributio ad muſculoſas membrorum partes, unde fit, ut unis quidem muſculis parciùs, aliis largiùs nutritis, Membri os à probè nutrito muſculo fortiùs ſenſim trahatur, ſi adhuc molliuſculum extiterit, quàm à muſculo malè nutrito. Vel dicendum eſt potius, muſculos, qui minus nutrimenti acquirunt, breviores manere, eaque propter oſſa ad ſe magis adducere, cùm è contrario oppoſiti muſculi magis nutriti, ſicque longiores redditi oſſa ad ſe adducere nequeant.

Geneſis. Quæritur ergo hic, quid cauſæ ſubſit, ob quam muſculi aliqui non ſufficiens alimentum ad ſui elongationem acquirant? Quomodocunque res conſideretur, dicendum ſemper erit, impedimentum afferri, vel à nervulis quibusdam obſtructis, vel à porulis, per quos alimentales particulæ transcolari debent, infarctis aut conſtrictis, ſi non omnibus, ſaltem plerisque. Unde vel Spiritus animales debitâ quantitate non præſentes, atque tonum fibrarum nutriendarum dirigentes Alimenti ſufficientem admiſſionem impediunt; vel Pori ipſi à pituitoſo qualicunque aut auſteriuſculo liquore obſtructi nutritias transmittere moleculas nequeunt. Hæret ergo vitium quandoque in Partibus; quandoque in ipſis Humoribus. Quin ſæpius obſervatum eſt, tales Pueros Puellasve, cùm diu jam Affectus duràſſet, tandem in Maciem perfectam Partium minùs nutritarum incidiſſe, imò ſucceſſu temporis Tabem univerſalem adquiſiviſſe.

Diagnoſis & Prognoſis. Itaque difficulter admodum curabilis eſt Affectus, Ægrique curva membra, Spinam dorſi, Oſſa humeri vel brachii; imò Oſſa femoris ac Tibiarum incurvata adipiſcuntur: iisque ſine dolore per reliquam vitam inniti coguntur. Sed hâc ipſâ ratione tamen ad juſtam ſtaturam devenire vix unquam poſſunt, quin utplurimum Nani manent; niſi in principio ſtatim debitâ medendi methodo Affectum ſtrenuè debellare conati fuerimus. Notandum quoque eſt, ejusmodi Ægros tumentes ſæpius Articulos oſſium impetrare, quod ferè principium imminentis & mox ſubſequentis Rachitidis eſſe ſolet.

Curatio. In *Curatione* hinc primæ viæ à ſaburrâ pituitoſarum cruditatum ſunt liberandæ; viſciditas Maſſæ ſanguiguineæ tollenda, acor humorum corrigendus, ipſæque tandem ſolidarum

darum partium fibræ obſtructæ aut conſtrictæ in naturalem ſtatum reducendæ veniunt. Quibus Indicationibus cum ſucceſſu poterimus ſatisfacere, ſicubi ante omnia exhibeamus *Pulverem* ſequentem vel ſimilem *digeſtivum*:

℞. *Arcan. dupl. Mynſ.*
♁n. diaphor.
Radic. Aron. ana ℈j.
Sacch. alb. ʒß.
M. f. Pulv. ſubt. in 4. *doſ. æqu. divid. ad ch. quæ m. ac veſp. horâ ante paſtum cum Aquâ appropriatâ dabuntur.*

Dein Corpus purgabitur ſeqq. pulvere Infanti duorum annorum exhibendo; v. gr.

℞. *Mercur. dulc. opt. gr.* vj.
Scammon. ♀rat. gr. iiß.
Ebor. ppt. gr. iv.
Sacch. roſ. gr. vj.
M. f. Pulv. ſubt. d. ad ch.

Vel duo aut tres *Trochiſci hermetici* noſtri dabuntur mane devorandi, cum regimine diætæ. Vel denique *Syrupus Flor. Perſic. ad* ʒx. aut *Syrupus de Cich. cum Rhab. ad* ℥j. cum *Aqu. Chelid. major.* & *Cinamom.* propinabitur. Ejusmodi vel ſimile *purgans* ſingulis octiduis repetatur, donec Puerum in ſtatum meliorem devenire notabimus. Interea Maſſa ſanguinea corrigetur, edulcorabitur, atque attenuabitur *Remediis antatrophis*, quemadmodum exiſtunt v. g. *Pulvis antatrophus Scretæ*, *Specificum antihecticum Poterii*, *Pulvis ſtomachicus Birckmanni*; vel aliquis è ſequentibus in noſtrâ Praxi frequenter cum ſucceſſu felici uſurpatis inſerviet:

℞. *Radic. Ireos flor.*
Folior. Piloſell.
Cymbalar. ana ʒiß.
C. C. uſt. ppt. ʒiiß.
Diaph. ♂ial. ʒj.
Semin. Violar. ʒij.
Salis volat. Fuligin.
Regul. ♁n. medicin. ana ʒj.
Sacch. cand. alb. ℥iß.
M. f. Pulv. ſubt. d. ad ſcat. Doſ. ʒß. *ter de die.*

Vel ℞. *Panac. ſolut. alcal.* ℥ß.
Radic. Taraxac.
Aron. ana ʒj.
Galang. ℈j.
Dent. aprin. ppt.
♁n. diaph. ana ʒij.
Semin. Aniſ. ℈ij.
Sacch. cand. alb. ℥iß.
M. f. Pulv. ſubt. d. ad ſcatul. Doſis ut ſuprà.

Vel ℞. *Radic. Sigill. Salomon.*
Scrophular. ana ʒij.
Ocul. ♋. ppt.
Diaph. ♂tial. ana ʒj.
Sacchar. penid. ʒvj.
Salis polychreſt. ℈j.
M. f. Pulv. ſubt. d. ad ſcatul. Doſis m. ac veſp. ℈j. *vel* ʒß. *cum Juſculo aut Syrupo Capill. Vener.*

Vel ℞. *Radic. Ireos florentin.* ʒij.
Aron. ʒj.
Ebor. ppt.
♁n. diaph.
Mercur. dulc. opt. ana ʒj.
Pulver. folior. Lich. petr. ℈ij.
Sacch. roſ. tab. ℥j.

M. f. Pulv. ſubtil. d. ad ſcatul. & uſurpetur ut ſuperior.

Vel ℞. *Pulver. Adianth. nigr. ſive Trichoman.*

Rut. caprar. ana ʒiß.

Radic. Zedoar. ℈ß.

Corall. alb. ppt.

Semin. Violar. ana ʒj.

Specif. antihect. Poter. ℈ij.

Rotul. man. Chr. ſimpl. ʒvj.

M. f. Pulv. ſubt. uſurpandus ut ſupra. Vel *Sal volatile oleoſum Sylvii* quotidie m. ac veſp. ad guttas 3. 4. vel plures Infanti duorum, aut plurium annorum, cum *Syrupo ſceletyrbico*, vel *Syrup. de Eupatorio*, aut *Aquâ* vel *Ptiſanâ ordinariâ* dabitur. Imò ſæpius ejusmodi *Syrupus* ſolus juviſſe obſervatus eſt.

Curatio externa. *Externè* remediis omnibus anteferendus eſt uſus *Thermarum ſulphureo-argillacearum*, vel *Balneorum Aquæ dulcis* cum incoctione *Herbarum antiſcorbutico-nervinarum* ac *cephalicarum.* Tota ſimul Spina dorſi poſt *Balneum* mane ac veſperi per plures hebdomadas inungetur v. g. ſequenti *Unguento*:

℞. *Herbar. recentium*

Naſturt. aquat.

Salv.

Origan.

Chamædr.

Chamæpith.

Rutæ.

Flor. Calendul.

Melilot.

Chamomill. ana Mß.

Semin. Naſturt.

Aniſ. ana ʒiß.

Radic. Scrophular. rec.

Sigill. Salomon. rec. aa. ʒiij.

Inciſ. & contuſ. coque in

Medull. Oſſ. bubul.

Butyri rec. non ſalit. ana ℔j.

Vini albi vet. ℥iij.

Coquatur, donec Vinum omne, ac humiditas aliqua Herbarum evaporaverit; coletur dein, atq; concretum Balſamum pro Unguento uſurpetur. Membra interea faſciis arctis, Ocreis ac ſimilibus inſtrumentis involuta ligabuntur, ut Oſſa ſic & Muſculi æqualem nutritionem undique obtinere poſſint.

In *Diæta* commendabuntur Cibi minus viſcidi, tantillum aromatiſati; Carnes videlicet animalium teneriorum, volatilium inprimis; à craſſis autem, viſcidis ac lentis abſtinebitur. Motus corporis qualiscunque conciliabitur. Animi pathemata præcaveantur. Pro potu ordinario *Decoctum Radic. Graminis, Liquirit.* ac *Semin. Aniſ.* dabitur. Subinde guttulæ Vini albi generoſi ſimul concedentur. *Di*

RAMEX, vid. *Hernia.*

RANVLA LINGVÆ, vid. *Linguæ Ranula.*

RAVCEDO, vel RAVCITAS, BRANCHVS eſt Vocis aſperitas, vel etiam ſonoræ loquelæ imminutio aut ablatio, quâ Homines non niſi obſcuro, vel remiſſo ſono voces articulatas exprimere poſſunt. *Rauc*

Afficiuntur in hoc Symptomate variæ partes ad Vocem ſonoram proferendam contribuentes; inprimis Fauçes, *Pars affecta*

Fauces, Columella ſive Uvula, & aſpera Arteria cum Epiglottide.

Quòd ſi enim hæ Partes, quæ naturaliter lubricæ eſſe deberent, muco quodam viſcido ſalſo obductæ, vel etiam ab acri ſalino humore excoriatæ fuerint, ſicque aſperitudinem ſuperficiei acquiſiverint, tum aër, quantumcunque à motu illarum partium vibretur, & ad tremulam undulationem urgeatur, ſonum tamen ab exaſperatis Faucium & Bronchiorum lateribus, ad quæ in loquelæ actu fortiter allidere & appelli ſolet, clarum impetrare nequit. Imò omnes illi, quibus vel in Lue Venereâ, vel in aliis morbis Uvula aliæque Faucium partes exaſperatæ, vel planè exeſæ & ablatæ fuerunt, poſtliminiò raucam vocem habent.

Minùs frequenter autem rauca Vox gignitur ab exulceratione, aut exeſione Bronchiorum & Columellæ, per humorem viſcido ſalino-acrem & corrodentem factâ. Viſcidus autem ille humor è Maſsâ ſanguineâ Cacochymiâ fovente provenit, & quidem per arterias circulationis lege ad glandulosam affectarum Partium tunicam deponitur, inibique ſub nomine vel formâ *Catarrhi* transcolatus ſuam vim exercet. Sanguis talem Cacochymiam adipiſcitur plerunque ex Chylo è primis viis accedente vel viſcido-crudo, vel ſalino-acri, vel qualicunque ſalſarum particularum aſperitudine inquinato.

[Cauſa externa.] Præter hæc tamen, immediatè quoque *Cauſæ externæ* talem raucedinem inducunt, v. g. Aër frigido-auſteriuſculus, pulveribus ſubinde etiam variis, aut exhalationibus ſalſo-frigidis; item nebulis & vaporibus gelidis inquinatus, in primis ſi collum vel caput minùs probè munitum aliquandiu lambere poteſt; vel idem fumo ardentium Candelarum acri turgidus, ac diu in lucubrationibus nocturnis inſpiratus, ad talem raucedinem contribuit.

Porrò Cibi ſale aſperiuſculo præditi, quales ſunt Nuces, Piſces ſaliti, Caſeus admodum ſalſus, ac ſimiles Palatum, Epiglottidem & Fauces quoque exaſperant. Vociferatio dein nimia, diu continuata inter concionandum, humido-frigido exiſtente aëre, Organa vocis exaſperare valet. Lues denique venerea, atq; Gonorrhœa virulenta, quâ corroſivo-ſalinæ particulæ in ſanguineam maſſam delatæ, ac tandem per glandulas faucium & aſperæ Arteriæ ſecretæ fuerunt, aliqualem vocis raucitatem inducunt. In Phthiſi etiam circa finem morbi Raucitas oritur propter aſperæ arteriæ exulcerationem, vel excoriationem. Denique ſi quid vel in cibis vel in remediis exiſtat, quod ſuis ſalino-acribus particulis Faucium tunicam excoriare valet, illud omne raucam ſimul vocem producet.

[Prognoſis.] Incommodum hoc in Phthiſi confirmatâ parum eſt emendabile; in ablatâ per Luem ♀ eam aut Salivationem Uvulâ, aliiſve partibus Faucium, immedicabile. In aliis verò caſibus vox ſonora reſtitui poteſt, ſi aſperitas tunicarum auferatur, & lubrici-

bricitas naturalis reſtituatur; ſi inquam Catarrhus loco ſuo moveatur atque diſſipetur; quod quidem fieri poteſt tum remediis cauſam antecedentem expurgantibus, aut corrigentibus; tum medicamentis Fauces extergentibus. Ubi notandum tamen, ſæpè adeo tenacem eſſe pituitam, quæ Fauces & Bronchia oblinit, ut longo temporis ſpatio opus ſit ad eam abſtergendam.

Curatio. Itaque ante omnia *purgans* medicamentum exhibebitur, v. g. in Adultis:

℞. *Mann. Calabr. opt.* ℥iiß.
Crem. ♀ri ʒj.
Aqu. Veron. q. ſ.

Solve lento igne, & Colatura hauriatur ſummo mane jejuno ſtomacho calidè cum regimine Diætæ.

Vel ℞. *Spirit. Aniſ.* ʒj.
Aqu. Vit. Matth. ℈j.
Magiſt. Jalapp. gr. viij.
Solve lento igne, & adde
Syrup. Viol. purpur. ʒij.
Aqu. Cinam. cum Vin. ʒj.
M. f. Potiuncula d. ad Vitr. pro doſi matutinâ.

Vel ℞. *Nucl. Perſic. excort.*
Semin. Cucurbit. exc. ana ℈ij.
Piſtacior. excort. ʒj.
Magiſt. Jalapp. gr. viij.
Contuſis invicem probè affunde
Aqu. Scabioſ.
Malv. ana ℥j.
Cinam. ʒij.
Colaturæ expreſſæ adde
Syrup. Viol. ℥ß.
F. Potiuncula d. ad Vitr. pro doſi matutinâ.

Corpore purgato adminiſtretur *Venæſectio*, vel *Cucurbitulæ cum ſcarificatione* applicentur. Dein intus ſubinde *Eclegma* aliquot per cochlearia lambatur; v. gr.

℞. *Syrup. de Liquirit.*
Jujub.
Ol. Amygd. dulc. recent. expr. ana ℥j.
Mell. roſ. ℥ß.
Spec. diatrag. frig. ʒiß.
M. d. ad Ollam.

Vel ℞. *Diacod. Montan.*
Syrup. Bellid. min.
de Nicotian. ana ℥j.
Aqu. Malv.
Portulac. ana ℥ß.
♁n. diaph.
Bol. armen. ppt. ana ℈ij.
M. d. ad Ollam.

Vel ℞. *Pulp. Paſſul. min.*
Roob Juniper. vel Sambuc.
Syrup. de Tuſſilag. ana ʒvj.
Viol. purpur. ℥j.
Aqu. Lactuc. ℥iß.
Ocul. ♋. ppt.
Corall. rubr. ppt. ana ʒß.
M. d. ad Ollam.

Vel ℞. *Ol. Olivar. recentiſſ. non ſalit.* ℥j.
Syrup. Viol. purpur.
Papav. rhead.
Lichen. petr. vel
de Alth. Fern. ana ʒvj.
Miſc. d. ad Ollam.

Vel ℞. *Mucilag. Semin. Cydon. Aqu. Roſ. fact.* ʒß.
Syrup. Viol. purpurear.
Granat. acid.
de Liquirit. ana ʒvj.
Aqu. Portulac. ℥j.

Terr.

Terr. ſigillat. ℈iiiß.
M. d. ad Ollam.

Sub Formâ *Trochiſcorum* lambantur *Trochiſci bechici nigri*, vel albi de *Pulpâ Radicis Althææ*, vel ſeqq.

℞. *Mucilag. Gumm. Tragac. Aqu. Roſ. fact.* ℥ß.
Bol. armenat. ʒij.
Pulp. Radic. Conſol. major. ʒj.
Sacch. cand. alb. Aqu. Roſ. ſolut. q. ſ.
M. f. Rotulæ d. ad ſcatul. ac ſubinde lambantur.

Poſſumus quoque m. ac veſperi *Lac caprillum* vel *bubulum ad* ℥iv. *vel* vj. propinare, in quo *Flores Bellid. minor.* aut *Tuſſilag.* cum *Lichene petr.* ſi haberi poſſit, bullierint, *Saccharum*q; *candi* ſolutum ſit. Sed *Lac* hoc ipſum calidè bibendum erit. Vel loco ejus hauriri poteſt *Decoctum* aliquod *pectorale* v. gr. ſequens:

℞. *Radic. Alth. Liquirit.*
Tuſſilag. ana ℥ß.
Herb. Scabioſ.
Flor. Bellid. min. ana Mj.
Ficuum pingu. num. viij.
Siliquar. dulc.
Jujub. ana par. iij.
Paſſular. maj. exacin. ℥j.
Semin. Aniſ. ʒiß.
Inciſ. & contuſ. coquantur in vaſe dupl. in Aqu. fontan. Miiß. *In fine coctionis adde*
Mellis violac. ℥ij.
Colatura d. ad Vitr. ac inde bis vel ter de die Cyathus ℥iv. *calidè hauriatur.*

Si diuturna Raucedo fuerit, ipſeque Homo cholerico-ſanguineus extiterit, æſtivo tempore, potus *Acidularum* non ita frigidarum conveniet. In aliis complexionibus etiam potus *Thermarum Fabarienſ.* ſimiliumque *mineralium calentium* ſuadendus. Imò *Balnea* quoque ipſa, ſicut & *Pediluvia* non ſunt contemnenda. Quidam frequenti comeſtione *Pulveris* ſequentis Raucedinem diſcuſſerunt:

℞. *Semin. Cucurbit. vel Cucum. excortic.* ʒij.
Radic. Alth.
Terr. ſigillat. ana ʒj.
Sacch. cand. rubr. ℥ij. *vel* ℥iij.
M. & frequentiſſ. lambatur.

Pro potu ordinario, qui gelidus nunquam ſit, concedatur *Decoctum Hordei & Liquirit.* Ab acidis, ſalſis, & acribus abſtineatur Cibis. In *Juſculo carnis* ſubinde ʒj. *Spermatis Ceti recent.* ſoluta calidè ſatis hauriatur. Aër frigido-humidus, fumoſus & pulverulentus vitetur. Alvus quotidie naturâ vel arte reſpondeat. Collum, Pectus, & Caput maximè calidum teneatur, ſed nec reliqua Membra refrigerentur. Diæta.

REGIUS MORBUS, vid. *Icterus.*

RENUM CALCULUS, vid. *Calculus Renum.*

RENUM INFLAMMATIO, vid. *Nephritis.*

RENUM SCIRRHUS eſt Tumor Renis alterutrius indolens ac durus à Pituitâ glandulas & ſubſtantiam ejus opplente, incraſſatâ & induratâ oriun- Renum Scirrhus.

oriundus, cum ſecretionis Urinæ imminutione & ablatione contingens. Affectus rariſſimus, & qui utrũque Renem occupare totaliter nequit, nec facilè gignitur, quoniam citiùs ex Urinâ ſuppreſſâ, & inde natâ liquoris urinoſi in ſanguine abundantiâ Homo moreretur, quàm Scirrhus perfectus reddi poſſet. In alterutro autem Rene ſi genitus fuerit, cognoſcetur & curabitur inſtar aliorum Scirrhorum internorum; de quibus vide ſub Titulo de *Scirrhis*.

Renum Ulcus. RENVM ULCVS eſt morbus ſolutæ unitatis in Renum ſubſtantiâ, ab humoribus acribus ſalſis erodentibus, vel ab Arenulis aut Calculo, vel denique ab Inflammatione in Abſceſſum conversâ excitatus, cum materiæ purulentæ, quandoque ſimul cruentæ excretione, ac lumborum lancinante dolore plus minus diu durans.

Diagnoſis. Si Urinam hoc in Morbo inſpexeris, deprehendes eam ſubinde magis tinctam, ſed cum ſedimento albo mucoſo-purulento permixtam; quæ, ſi ſimul arenulas, vel calculos habuerit, veram *Nephritidem ulceroſam* deſignabit. Diutiùs durans Ulcus, totam Renis ſubſtantiam depaſcit, ut tandem non niſi craſſior membranoſus ſacculus, ſero forſan mucoſo repletus, remaneat: quemadmodum hoc in Cadaveribus exenteratis aliquoties heîc, & Tiguri olim, obſervavimus.

Prognoſis. Ut adeo Ulcus hoc minimè contemnendum ſit. Quod ſi enim inveteretur, Tabem ſ. Febrim hecticam poſt ſe trahit; in principio autem adhuc exiſtens ſui faciliorem deterſionem ac conſolidationem promittit.

Curat. Itaque in *Curatione* eo maximè eſt adnitendum, ut Ulcus maturè detergatur, & ad conſolidationem promoveatur: id quod remediis tam *internis*, quàm *externis* fieri debet ac poteſt. Ante omnia verò *Coloſtrum terebinthinatum*, quacunque demum à cauſâ Ulcus ſuam originem traxerit, propinabitur; v. gr.

℞. *Syrup. Flor. Perſic.*
de Cich. cum Rh. ana ℥j.
Aqu. Portulac.
Plantag. ana ℥vj.
Terebinth. Vitell. Ovor. ſol. ℥iij.
M. d. ad Vitr. pro doſi matutinâ.

Poſtmodum m. ac veſp. *Decoctum* aliquod *vulnerarium* dabitur, ſicuti Titulo de *Ulceribus* & *Vulneribus* deſcripta ſunt. Sequens etiam *Pulvis* m. ac veſp. ad ʒj. datus prodeſt:

℞. *Pulv. fol. Lichen. petr.*
radic. Conſolid. maj.
Corall. alb. ppt. ana ʒij.
Sacch. cand. alb. ℥vj.
M. f. Pulv. ſubt. d. ad chart. & ſumatur cum Roob Juniperi vel Sambuci.

Commendamus etiam uſum *Balſami de Copaiba*, vel *Olei Terebinth.* à *gutt.* viij *ad gutt.* xij. vel xv. m. ac v. in *Emulſione Amygd. dulc. ſumendi.* Vel proſunt. *Pilulæ terebinthinatæ* contra *Gonorrhœam* ſuo loco deſcriptæ.

Extus *Emplaſtrum ſticticum Crollii*, vel *Norimbergenſe* Lumbis applicetur.

Si Calculus, vel Arenulæ occaſionem Ulceri præbuerint, traumatica heic omnia proderunt quidem, ſed

pro

pro potu tamen ordinario *Decoctum* ſequens eſt diu propinandum:

℞. *Radic. Sarſæparill.*
Tormentill.
Filic.
Liquirit. ana ℥ß.
Raſur. Lign. Saſſafr. ℥iß.
Herbar. Anſerin.
Agrimon.
Hed. terr. ana Mj.
Semin. Fœnic. ʒiij.
Inciſ. & contuſ. tenuiter d. ad ſcat. Cochleare hinc plenum in duabus Aquæ fontan. Menſuris coquatur ad duritiem Ovi, coletur, & bibatur.

RENUM ABSCESSUS ſ. APOSTEMA eſt Tumor in ſubſtantiâ Renis ex Inflammatione prægreſſâ oriundus, inque Ulcus faceſſens. Vide proin titulos de *Nephritide*, & *Renum Ulcere.*

RENUM OBSTRUCTIO eſt Morbus conformationis, quo tubuli renales à materiâ mucoſâ, vel à calculis & ſabulo, vel à Vermiculis etiam infarciuntur, Urinæque ſufficientis ſecretionem impediunt. Conſule hinc titulos de *Calculo Renum*, & *Nephritide.*

RENUM VULNUS eſt Solutio continuitatis in ſubſtantiâ ſive parenchymate Renum, ab inſtrumentis aut rebus pungentibus, ſcindentibus, lacerantibus, ac terebrantibus producta. Res illæ vulnerantes ſunt vel *externæ*, v. gr. Gladius, Globulus ſclopetarius, &c. vel *interna*, nimirum Calculus major. Periculoſum Malum, ſi ſanguis Ægri cacochymicus fuerit; ſanabile verò adhuc, ſi ſanguinem dulcem habuerit. *Curatio* perficitur internis vulnerariis, ſicut in Renum Ulcere dictum; externè verò, prout Vulnus in genere tractatur.

RESPIRATIO LÆSA, *vide Aſthma.*

RHAGADES, *vide Fiſſuræ.*

RHYAS OCULORUM, *vide Oculorum Carunculam.*

RISUS SARDONIUS, *vide Convulſio.*

ROSALIA, *vid. Morbilli.*

ROSEOLÆ SALTANTES ſunt Puſtulæ rubræ ignis inſtar ardentes, atque per cutim corporis efflorescentes, ſubrotundæ, latiuſculæ, Lupini magnitudine comparentes. *Saltantes* appellantur, quia modò in hâc, modò in aliâ parte noviter affligunt, exurgunt, iterumque brevi diſparent.

Cauſam proximam dicimus eſſe Sanguinem ichoroſum, & ſalino-ſulphureum volatilem, ex arteriolis cutaneis exudantem, & ſubter cuticulam depoſitum. Hinc ii frequentiùs hoc incommodo affliguntur, qui tenuiori & acri Sanguine, vel ſcorbuticâ ejus diſpoſitione laborant; Horum enim ſanguis tales partes emittere, & ita proximam cauſam excitare valet. Rubræ ſunt Puſtulæ, eò quòd ſalia ſtagnantia extremitates venularum conſtringendo faciunt, ut ſanguinis guttulæ inibi obhære- Cauſa.

hæreant, ſicque rubicundam tincturam efficiant.

Progno-ſis. Quamvis autem hic Affectus in extremâ tantum cute verſetur, & ita ſubinde parum curetur, ſi tamen ſanatio illius procraſtinetur, ulceroſus quoque fieri poteſt, atque Cutim profundiùs erodere. Quod ſi etiam frigus externum membra corporis inclementiùs lambere poſſit, tunc retrorſùm pulſo ichore ſalſo acri, facilè Arthritis vaga, aut Membrorum Paralyſis ſubſequitur.

Curatio. In *Curatione* proin dabimus ante omnia *purgans* aliquod cum *Mercurio dulci*, ſub formâ *Pilularum*, aut *Potionis*. Si *Pilulæ* præſcribantur, cum hauſtu egregio *Aquæ Portulacæ*, vel *Cichorii* illæ ſumantur, ut ita dilutæ particulæ purgantes è Sanguinis maſſâ feliciùs depromere ac præcipitare queant corpuſcula ſalina peccantia. Si ſub formâ *Potionis*, tum *Mercurius dulcis* ad ℈j. adulto Homini ſimul cum *purgante* dabitur. Poſtea *Venæſectio* adminiſtrabitur, aut *Cucurbitulæ cum ſcarificatione* applicabuntur, etiam ſuper loca Roſeolis conſpurcata; nihil enim nocebit etiam puſtulas incidi. Deinceps m. ac veſp. doſis *Pulveris abſorbentis, diaphoretici*, cum hauſtu *Aquæ Fumariæ*, *Card. bened. Succiſæ*, *Scabioſ.* aut *Ulmariæ* concedetur; v. gr.

℞. *♁n. diaphor.*
Spod. ppt.
Corall. alb. ppt.
Diaph. ♂ial. ana ʒß.
M. f. Pulv. ſubt. in 4. part. æqu. divid. ad ch.

Vel ℞. *Pulv. Viperar. ppt.* ℈iiij.
C. C. philoſ. ppt.
Unicorn. mar. ppt.
Bezoard. min. ana ℈ij.
M. f. Pulv. ſubt. in 8. *doſ. æqu. divid. ad ch.*

In uſu talium continuandum, donec Maſſa ſanguinea, etiam poſt Roſeolarum diſparentiam benè correcta ſit; nimirum per dies 14. aut plures. Loco *Pulverum*, fortè nauſeam parientium, ſequentes *Pilulæ* inſervire poſſunt: v. g.

℞. *Extract. Sanicul. vel*
Pyrol.
Centaur. min. ana ℈ij.
Diaphoret. ♃vial.
Ocul. ♋. ppt.
Pulv. Viper. ppt.
Cinnab. nat. vel ♁n. ana ʒß.
Cum Eſſent. Beton. vel Trifol. fibrin. f. l. a. Pilulæ, piſi minoris magnitudine, quarum 8. *vel* 10. *m. ac veſp. capiantur, & quidem cum Sero lactis, quod acido lacte, aut fruſto ſtomachi vitulini aceſcente coagulatum fuit; vel etiam cum Decocto Lignorum.*

Si quis magis *Juſcula* amet *Herbis alterata*, tum alterari poterunt *Trifolio fibrino*, *Borragine*, *Scabioſâ*, *Chereſfolio*, *Beccabungâ*, *Ulmariâ*, *Numulariâ*, *Naſturt. aquat. Plantagine* qualicunque, *Lactucâ*, *Endiviâ*, *Apio ſelino*, ac ſimilibus.

Externè vix opus eſt remediis, quandoquidem per ſe evaneſcunt, ſi ex uſu internorum Sudor aliquis ſubinde prolectus fuit. Poterit tamen, ubi exulceratio quædam fieri incipit, vel *Unguent. album camphoratum*, vel Remedia externa.

Lini-

Linimentum Saturninum Zwelferi ſæpius illini.

RVCTVS NIMIVS STOMACHI, EREVXIS, eſt flatuoſi halitûs vaporisve per gulam & os cum ſonitu excretio. Hæc eructatio ſonora cum honeſtati & bonis moribus adverſa ſit, ac ſubinde etiam incommodum & moleſtiam Homini pariat; imò ſi diu continuetur, ſignum futuri aliûs morbi præbere poſſit, curari deſideratur.

Gignitur autem Ructus utplurimum ex imminutâ vel inordinatâ diſſolutione aut fermentatione aſſumtorum in ſtomacho: quam vitioſam Chylificationem ſive Dyspepſiam producunt, tum ipſum Menſtruum ſtomachi acido-fixis & irregularibus particulis præditum, quibus aſſumta imperfectè diſſoluta vapores ejusmodi flatuoſos excitant, eosque poſtmodum cum impetu per gulam emittunt; tum præternaturalis in ventriculo Fermentatio, ob quam ſimiliter Ructus & halituoſo-acres, ſubinde ardentes Flatus elevantur, atque cum impetu ſonoro in fauces propelluntur; tum etiam Cruditates in ſtomacho præexiſtentes, quæ dum chylificationem impediunt, eundem quoque effectum pariunt. Denique, ſi per lucubrationes frequentes & exceſſivas, per Febres lentas aut hecticas, aliosve Morbos; per Animi paſſiones; per Cibum, Potumve inconvenientem Liquor gaſtricus debilitatus ſit, tum in chylificationis opere plerunque etiam Ructus fiunt.

Curatio. *Curationem* ergo Ructuum excedentium (etenim lenes ructus ferè omnis Homo ſine moleſtiâ patitur, imò cohibere novit) aggredi oportet ante omnia præſcriptione *Vomitorii*, quo quidem omnis è ventriculo Cruditas expellitur; vel ſi à vomitu abhorreat Æger *Vinum medicatum purgans* præſcribatur; v. gr. ſeqq.

℞. *Radic. Cichor.* ℥vj.
Calam. aromat.
Ireos flor. ana ℥iij.
Herb. Meliſſ.
Origan.
Hepat. nob. ana Mj.
Summit. Abſynth.
Aneth. ana Mß.
Semin. Fœnic.
Aniſ. ana ℥iß.
Fel. Sen. opt. mund. ℥iß.
Rhab. elect.
Agaric. trochiſc. ana ℥ij.
Spic. Indic.
Cinam. opt. ana ℥j.
Salis Abſynth. ℈iiij.
Inciſ. contuſis, & Sacculo illigatis affunde
Vini albi veteris ℔iiij.
Aqu. fontan. ℔ij.
Stent per primam noctem in cineribus calentibus, poſtmodum quotidie mane cyathus ℥iv. exhauriatur, atq; elapsâ poſt horâ Juſculum capiatur.

Inter hæc ſequentis pulveris ℈j. ſemel quotidie ſumatur ſiccè, ad aciditatem fixam liquoris gaſtrici emendandam; v. gr.

℞. *Ocul. ♋. ppt.* ℈ß.
Corall. alb. ppt. ℈ij.
Cret. alb. Colon. ppt. ℈iß.

Ebor. uſt. ppt. ℨj.
Semin. Fœnic. ʒß.
Cinnam. elect. ℈j.
Radic. Zedoar. ℈ß.
Sacch. alb. ℥iß.
M. f. Pulv. ſubtil. d. ad ſcatul.

Singulis paſtibus autem ſequens *Tinctura* capiatur:

℞. *Elixir. propr. ſ. acid.* ℨij.
Eſſent. Abſynth.
Zedoar. ana ℨj.
M. d. ad Vitr. Sumantur 20. *vel* 25. *guttulæ cum primo hauſtu vel cochleari Juſculi, aut Potûs ordinarii.*

Extus regio ſtomachi m. ac veſp. illinatur calidè *Oleo Anethi*, *Abſynth. Nuc. moſchat.* ac *Balſ. Peruv.* Dein foveatur ſemper vel *Pelle*, vel *Sacculis carminativis calefacientibus*.

Borborygmi. RVGITVS VENTRIS, BORBORYGMVS, eſt Murmur vel ſonitus ventris in craſſis maximè Inteſtinis, haud infrequenter à flatu cum humore quodam tranſeunte excitatus. Dantur Homines utriusque ſexûs huic moleſtiæ ita obnoxii, ut vix in aliorum conſortio ſine ejusmodi ſonitu, aures offendente, verſari queant; indeque percupiant liberari.

Cauſa. Cùm autem Murmura Abdominis vix aliunde proveniant, quàm à Flatibus, quibus chyloſa excrementa propter acidos nimis Inteſtinorum ſuccos minus probè diſſolventes ac diluentes ſcatent; vel quibus ipſi Cibi flatulenti, ob compreſſum aërem intra ſe ſunt referti; nulla certior curatio ſperari poterit, quàm ubi Flatuum vaporoſorum proventus impeditur vel diſcutitur. Itaque dabitur ante omnia *Vinum medicatum purgans*, ſicuti ſub præcedenti *Ructuum* titulo fuit præſcriptum. Dein reliqua etiam ibi ſimul ordinata conveniunt; quibus tamen adhuc addimus uſum *Salis volatilis oleoſi*, per plures dies ad guttas 20. m. ac v. cum hauſtu *Aquæ Petroſelini Macedon.* vel *Naſturtii aquatici*, *Fœniculi*, & *Meliſſæ*, propinati. Æſtivo tempore autem uſus *Acidularum*, vel etiam *Potus Thermarum Fabarienſium*, *Plumbariarum*, aut aliarum ſimilium comendabitur, inter quarum uſum etiam *Balneum* per aliquot dies Homo ingredietur. In *Diætâ* à dyspeptis & flatulentis caveatur; Corpusque calidum teneatur.

RVPTVRA, vide *Hernia*.

SACER MORBVS, vide *Epilepſia*.

Salac. SALACITAS, APHRODISIASMVS, *Libido nimia*, eſt frequens & nimia ad congreſſus venereos propenſio atque ſtimulatio, à Seminis ſpecificâ turgeſcentiâ & acrimoniâ originem ducens. Huic moleſtiæ ſimul ſæpè iungitur *Priapiſmus* aut *Satyriaſis*; imò ſi Veneri nimium talis Homo indulgeat & litare ſatagat, tum ex frequenti Seminis profuſione laſſus tandem fit, Podagricus redditur, vel paulatim emaciatur; moriturus tandem etiam, niſi Salacitatem & Veneris œſtrum citò vel mitigaverit, vel planè extinxerit. Diagnoſis & Prognoſis.

Acri-

Acrimonia Seminis huic Affectui originem præbens, utpote genitalium partium nervos frequenter admodum ſtimulans ac titillans, produci ſolet nunc à Coitu quodam impuro; nunc à Cibis aromaticis, maximè nutrientibus, ſpumoſum Seminis ſuccum copioſè ſuggerentibus; nunc à Potu & comeſſatione frequenti, quando Vina inprimis generoſa offeruntur largiùs ac ſæpiùs haurienda; nunc ab Animo otioſo, curis & ſollicitudinibus planè vacuo, Fœminarumque conſortia plus nimium frequentante.

Quamobrem ſi Salacem & libidinoſum ejusmodi Hominem feliciter reſtituere, atque Continentiæ donum eidem conciliare cupias, ante omnia ſequentes dabis *Pilulas purgantes:*

℞. *Extract. Rhabarb.*
Pilul. Coch. ana gr. ix.
Reſin. Jalapp. gr. iv.
Camphor. gr. iij.
Cinnab. nat. opt. gr. vj.

Cum Ol. ſtillat. Succin. f. l. a. Pilulæ num. xv. *Inaur. d. ad ſcatul. pro doſi, ſummo mane capiendâ, cum regimine diætæ.*

Purgato Corpore etiam repetitis vicibus, *Venæſectio* quoq; inſtituatur; dein autem *antaphrodiſiaca Remedia* uſurpabuntur: inter quæ ſequentia non ſunt contemnenda; v. gr.

℞. *Semin. Rut.*
Agni caſti,
Lactucæ,
Portulac.
Nymphææ, ana ʒj.
Fol. Menth. ℈ij.
Sacch. Saturni ʒß.
Corall. alb. ppt. ʒiij.
Sacch. roſ. tabul. ℥iß.

M. f. Pulv. ſubt. d. ad ſcatul. Doſis mane ac veſperi ʒiß. *cum hauſtu Aquæ Lactucæ.*

Vel *Juſcula Sempervivo, Lactucâ, Portulacâ, Nymphæâ, Borragine, Bugloſſo, Agrimoniâ, Endiviâ, Acetoſâ*, &c. alterata quotidie; imò *Syrupi* è *Succo* talium *Plantarum*, non ſecus atque *Fructuum acidulorum* parati, & *Aquis Portulacæ, Nymphææ, Cichorii*, vel *Aquæ* ſimplici permiſti, ſub *Julepi* formâ frequenter cum fructu hauriri ſolent; noctu inprimis, ubi ſimul ſequens Pulvis aſſumtus proderit:

℞. *Nitr.* ♁*niat.*
Corall. rubr. ppt. ana ℈ß.
Sacch. Saturni gr. iij.
Camphor. gr. ij.

M. f. Pulv. ſubt. pro doſi nocturnâ.

Juleporum loco inſerviunt etiam *Emulſiones Seminum* 4. *frigid. maj.* cum *Semine Agni caſti, Rut. Lactuc.* &c. Æſtivo tempore bibantur *Acidulæ*, *frigidæq; Aquæ Balnea* inſtituantur. *Eſſentia* quoq; *Caſtitatis Mynſichti* minimè contemnenda, ad guttas 20. 30. quotidie cum *Emulſione* ſumta.

Extus *Folia Vitium, Salicis, Rutæ, Lactucæ, Sempervivi, Portulacæ, Nymphææ, Solani*, &c. *Aquæ* incoquantur, *Acetum rutaceum*, vel *roſaceum* permiſceatur, ad *Epithema* frigidiusculè circum Pudenda, & ad Lumborum regionem, imò ipſas quoq; plantas Pedum applicandum. *Laconica* in Thermis Externa remedia.

mis Plumbariis Lotharingiæ, forſan & alibi, etiã mirè Salacitatem tollunt.

Diæta.) In *Diætâ* Aër frigidiuſculus ſeligatur; Cibi non ſint eupepti nimis, nec aromatici & acres; Aliquandiu bibatur *Ptiſana Gallorum*, è *Decocto Liquirit. Hord.* & *Semine Coriandr.* parata. Animus à Fœminarum conſortio avertatur, & curis laboreque continuo detineatur.

SALIVATIO NIMIA, vide *Ptyaliſmus*.

SARCOCELE, vide *Hernia carnoſa*.

Sarco-epiplocele. SARCO-EPIPLOCELE, ſive *Hernia Carnoſa-omentalis* eſt Morbus auctæ magnitudinis, quando Omentum in carneam ſubſtantiam accreſcit & induratur; ſive dein id in Scroto, ſive in Umbilico contingat. Vide inter *Hernias*.

Sarcoma. SARCOMA eſt Subſtantiæ carnoſo-rubicundæ præternaturalis excreſcentia in Naribus, aut aliis etiam partibus contingens. Vide *Narium Ozænam*.

Sarcomphalon. SARCOMPHALON, eſt Excreſcentia carnoſæ ſubſtantiæ in Umbilico facta, ortum ducens à materiâ nutritiâ, per tubulos quomodocunque eroſos aut laceratos largiùs effuſâ, atque induratâ, eâque nunc miti & minus acri: unde *Sarcoma ſcirrhoſum* indolens evadit, quod nonnullis *Omphalocele carnoſa* audit, atque Geneſin, Diagnoſin, Prognoſin & Curam eandem cum Scirrho in genere agnoſcit; nunc acri, erodente, atque virulentâ, unde Tumor fit magis lividus, venis cœruleis interſtinctus, dolens, quemque Cancrum appellabis, vel ſaltem *Tumorem*, cum *Cancro* easdem Cauſas, Diagnoſin, Prognoſin & Curam admittentem. Vide proin Titulum de *Cancro*.

SARDONIVS RISVS, vide *Spaſmus Cynicus*.

SATYRIASIS, SATYRIASMVS, eſt Membri virilis tentigo ſubinde dolens, quandoque indolens. Vide *Penis Satyriaſis*. Satyriaſis.

SCABIES, *Pſora*, deſcribi poteſt, quòd ſit Obſtructio ulceroſa ac puſtuloſa Tubulorũ cutaneorum, cum dolore plus minus pruriginoſo Homines valdè moleſtans. Scabies.

Afficiuntur hinc Tubuli excretorii Gglandularũ ſubcutanearum, in quorum extremitatibus obhærens, atque guttulatim aucta Materia ſucculenta lymphatica, ſalſo-acris, nunc minores, nunc majores Puſtulas, cum elevatione cuticulæ producit. Pars affecta.

Cognoſcitur haud difficulter; dum in Cute totius corporis per intervalla comparet. Incipit utplurimum cum pruritu plus minùs vehementi, Homines ad fricandam ſcalpendamque Cutim ſtimulante; Dum igitur Cutis ita fricatur, tubuli illius valdè comprimuntur, compreſſique ſerum intra ſe ſalſum retinent, & accumulant, unde Cuticula nonnihil elevata pluribus in locis Exanthemata ſive Puſtulas efficit, pro diverſâ ſuccorum quantitate majores aut minores. Diagnoſis.

nores. Quod ſi autem præſens jam ſit Scabies, atque per Cutim hinc inde effloruerit, tum mirum ſæpè quantum Æger ab eâdem excruciatur; noctu præſertim ſub ſtragulis, vel ad fornacem calefactum, ubi incaleſcit, & ſtagnantes in puſtulis humores ſalſo-acres turgeſcendo in motum quendam celeriorem rapiuntur, pruritum inſignem, quandoque non ſine aliquali fervore lancinante excitantem: cujus ſtimulo dum Æger poſtea cum voluptate quadam cutim ſcalpit, fit ut iſta incaleſcat, rubeſcat, quotidie magis ac magis exulceretur, atque guttulas tandem ſeroſo-ſanguineas, è ruptis per fricationem puſtulis fundat; à quibus dein cruſtulæ, vel ſquamulæ in Cutis ſuperficie naſcuntur, eamque exaſperant. Quando autem ab acrimoniâ ſtagnantis Seri fibrillæ tubulorum plures eroduntur, ſicque guttulæ humoris plures confluunt, tum Puſtulæ hinc conſpicuæ oriuntur, quæ nunc majores & pauciores, nunc minores & plures, confertim quaſi in Cute conſpiciuntur, atque *coloris* reſpectu modò albicantes vel cineritiæ, modò rubeolæ, vel parùm fuſcæ evadunt. Ruptis puſtulis Sanies ichoroſa vel Lympha aquoſa flaveſcens, acris & pungens, vicina etiam loca inficiens effluit, ac ita Ulcuſcula poſt ſe relinquit, in cruſtulas, quibus teguntur, gelatinoſo-ſquamoſas, ac prurigi-noſas albicantes, quæ ſcalpendo furfuris inſtar ſæpiùs decidunt, terminantia. Sed ſquamulæ tamen iſtæ ſcabioſæ, cruſtæque longè minores, benignioresque ſunt, quàm in Leprâ. Affectus Infantibus atque Adultis, quibus laxior eſt Cutis textura, quibusque Cibi ſalſi porrecti nimium, aut in quotidianis deliciis fuerunt, familiaris ferè exiſtit.

Hinc *Differentiæ* Scabiei adducuntur variæ, eæque non niſi graduales; quos quidem gradus diverſa & quantitas & qualitas materiæ morbificæ producit. *Differentia.* Scabies certè eſt vel *ſicca*, in quâ Puſtulæ conſpiciuntur minores, albicantes, duriuſculæ, valdè pruriginoſæ, Cutim exaſperantes, ac ſaniem vel ſerum nullum fundentes; aut quæ inſtar Variolarum in cruſtulas ſquamoſas vel furfuraceas mutantur: *Scabies ſicca.* unde etiam *furfuracea* vel *ſquamoſa Scabies* audit; quæ ſi copioſè admodum magnam Cutis partem, ac inprimis regionem Articulorum occupavit, *furfuracea, ſeu ſquamoſa.* *Pſoræ*, vel *fœdæ Scabiei* nomine venire ſolet, & proximus eſt ad Lepram gradus. *fœda, ſeu Pſora.* Vel eſt *humida*, quæ itidem variat, & nunc *ulceroſa* eſt, varia hinc inde Ulcuſcula, ſaniem atque ſanguinem manantia commonſtrans; *humida, ulceroſa.* nunc *puſtuloſa*, magnas ubique, licet non ita copioſas Puſtulas albas, ceu totidem minores Abſceſſus, puris albi plenos oſtendens, *puſtuloſa.* ac frequentiùs in extremis partibus, Pedibus ſcilicet & Manibus conſpicua, unde etiam hæ partes non raro, ob Lymphæ copioſiùs intra tubulos ſuos ſtagnantis accumulationem, intumeſcunt, ardenteque dolore affliguntur.

Quod *Cauſas* Scabiei attinet, *proxima* non eſt alia, quàm Serum ſalſo- *Cauſa.*
acidum

acidum acre, quoad particulas ſuas irregulares, atque craſſiuſculas in tubulorum cutaneorum extremitatibus obhærens, ſenſim cumulatum, atque cuticulam, cujus poros tranſire nequit, in Puſtulas elevans. Cumque plures juxta ſe invicem exiſtentes extremitates tubulorum cutaneorum talem ſtagnantem Lympham ſæpè contineant, fit, ut etiam Puſtulæ plures in aliquo loco ſimul juxta ſe efflorescant. Acidum verò illud Serum, propter acrimoniam ſuorum corpuſculorum, nervoſas qualescunque vicinas fibrillas pungit ac lancinat, unde Pruritus contingit. Quod ſi dein acrimonia illius Seri major evadit, tunc extremitates tubulorum erodit, & ita ſubter cuticulam copioſiùs effluens, cumulatumque Puſtulas majores producit; id quod etiam contingit, ſi plures juxta ſe invicem propiùs ſitæ Puſtulæ minores in unam majorem coëant, ac ſuos invicem ſuccos commiſceant. Quando Salia lymphæ corrodentia etiam capillaria vaſcula ſanguinea erodunt, & hinc Sanguinem cum nutritio ſucco chyloſo accedentem corrumpunt, vel efferveſcentiam in eo quandam excitant, tum Puſtulæ ſanguineo purulentæ, majores minoresve, ceu totidem quaſi Furunculi exigui hinc enaſcuntur. Etenim ſuccus Lymphæ extravaſatæ ſtagnans haud difficulter cum appellentibus particulis ſanguineis putrefactivam ejusmodi fermentationem ſubire poteſt.

Cauſa remota. *Antecedens* & *Remota* Cauſa eſt omne id, quod ſubſiſtere facit Lympham in prædictis tubulis; Præſtat autem hoc 1. Craſſities, viſciditas, atque acida ipſius Lymphæ ſalſedo: quæ ſuarum particularum irregularitate & craſſitie poros tubulorum evadere ac transire nequit, ſed in extremitatibus facilè ſubſiſtit & ſtagnat. 2. Chylus ſalſus & nonnihil etiam crudus, frequenter ad Maſſam ſanguineam delatus, eiq; Cacochymiam ſalſam, vel ſcorbutico-ſcabioſam paulatim imprimens. Ad hunc verò Chylum producendum, ingeſti quotidie Cibi ſalſi contribuunt. Dum itaque Sanguis intemperie ejusmodi ſalſâ eſt infectus, Hominesque multum ad calidos fornaces hyberno tempore ſeſe calefaciunt, ac ita circulationem ſanguinis ad extremos Cutis poros valdè proliciunt, deinceps verò iterum frigido ſeſe aëri exponunt, fit, ut particulæ ſeroſæ in cutis extremitatibus à frigore conſtrictis ſubſiſtant, ac ita in motum inteſtinum actæ, exſpirantibusque volatilioribus corpuſculis, acriores redditæ Pruritum excitent, ac ulteriùs dein rodendo, Serumque magis alliciendo Puſtulas excitent. Hinc apud Infantes illos frequens eapropter notatur Scabies, quibus maturè Cibi ſaliti ſingulis diebus exhibiti fuerunt. Adultis verò, tenerâ Cutis texturâ gaudentibus, ſimiliter hoc contingit Malum, quando nim. uſui ſalſorum Ciboru indulgent. Apud omnes etiam Contagium aliquid facere poteſt, quando Sanus cum ſcabioſo ſub iisdem ſtragulis decumbit, vel quando eodem linteo Manus ſuas lavatas abſtergit. Poteſt & hæredi-

hæreditarium eſſe malum, vel ſaltem in Utero materno à peſſimâ diætâ prægnantis Matris cum ſucco nutritio acquiſitum. In Articulorum locis tendinoſis erumpit magis & copioſius, propter nutrimentum illarum partium magis chyloſum, tubuloſque cutaneos anguſtiores, per quos tranſire ac tranſpirare ſalino-peccans ſerum commodè nequit. Coloris ſunt varii Puſtulæ ſcabioſæ, propter diverſam miſcelam particularum ſalſo-acidarum & ſulphureo-pinguium. Squamulas & furfuraceas potiunculas efficiunt ſalino-oleoſæ atque etiam terreſtriores particulæ, phlegmaticis atque ſpirituoſis avolantibus ſenſim orbatæ, quæ cum ſiccatâ ſimul & arefactâ eroſâ cuticulâ in cruſtulas faceſſunt.

In *Prognoſi* nil dici poteſt ferè, niſi Affectum hunc moleſtum magis, quàm periculoſum exiſtere: ſubinde etiam diuturnum, quando videlicet tota Maſſa ſanguinea inquinata eſt copiâ ſalino-ſalſarum acidarumve particularum. Quòd ſi minùs purgato, præparatove corpore, externis remediis ſanaveris Scabiem, vel quando hæc ab aëre frigido aliâve ratione ſubitò ſiccata fuit, tum plerunque humores circulantes turbantur, atque Febris cum præcordiorum anxietate periculoſa, continuaque ſuccedit. *Critica* hinc Scabies, quæ morbos ſolvit, per materiæ ſalſo-morbificæ præcipitationem ad tubulos cutaneos, non ita confeſtim profligari debet. *Symptomatica* verò, quæ per ſe citra morbũ præcedentem accedit, & Hominem affligit, ſine morâ deb to modo curari poteſt. Fœda denique, ſquamoſa & furfuracea Scabies, niſi Sanguinis maſſa promtè & potenter corrigatur, in *Lepram* mutari ac terminari poteſt, id quod deterioris ſortis Hominibus aliquando evenire ſolet.

In *Curatione* Scabiei humidæ, puſtuloſæ, ſaniem vel lympham ſtillantis, Infantibus quidem damus *Purgans* ſubinde repetendum, ex *Trochiſcis Hermeticis Scretæ*, vel noſtris, de quibus pro numero annorum ætatis unus, duo, pluresve exhibentur. Vel de ſequenti *Mixturâ* mane ac veſperi duo plurave cochlearia itidem pro ætatis ratione per 15. dies exhibeantur: Curatio.

℞. *Syrup. de Cichor. cum Rhab.*
Flor. Perſic. ana ʒvj.
de Fumar. ℥iß.
Aqu. Card. bened.
Flor. Sambuc. ana ℥j.
Tinct. ♁ *n.* ʒj.
M. d. ad Vitr.

Vel ℞. *Syrup. Flor. Acac.*
Violar. vel Roſ. ſol.
compoſ. cum trib.
Aperit. Mind.
Bellid. min. ana ℥j.
Aqu. Fumar. ℥iij.
Cinam. Bugl. ℥ß.
Tinct. ♂ *t. aperit.*
Corall. ana ʒj.
M. d. ad Vitr.

Poſtea itidem mane ac veſp. horâ ante paſtum cum *Syrupo Violar.* vel *de Fumar.* dari poteſt *Pulvis* noſter *antipſorus* ſequens ad ℈j. vel ʒß.

hhh ℞. *Pulv.*

℞. *Pulv. Viperar. ppt.*
♁ n. diaph. ana ʒij.
Radic. Ireos flor.
Corall. rubr. ppt.
Diaph. ♂ tial. vel ♃ vial. aa. ʒj.
Cinnab. nativ. vel ♁ n. ℈iiij.
Sacch. alb. ℥j.
M. f. Pulv. ſubt. d. ad ſcatul.

Pulvis hic quoque cum *Conſervâ Fumar. Betonic. Bellid. min.* aut *Flor. Borrag.* & *Syrup. Capill. ♀ r.* permiſceri, atque ter vel quater quotidie magnitudine nuciſtæ exhiberi poterit; intercalando ſubinde adhuc lene aliquod *purgans*. Iſte autem Pulvis per 15. aut plures dies dabitur, imò ulterius in ejus uſu continuabitur, donec Scabies penitus ablata ſit.

Externa remedia.

Externa dein etiam *remedia*, poſt præparatum ſuperiori modo corpus, & ſanguinem mundificatum in uſum trahentur; quem in finem Balnea proſunt, compoſita ex *Herbis Scabioſ. Chamomill. Hyperic. Lapath. acut. Foliis Lappæ* utriusque, *Malv. Alliar. Geran. Robertian. Furfurib. Gypſo*, &c. *Aquæ fontan.* incoctis. Vel *Balneum minerale ſulphureo-* vel *aluminoſo-argillaceum* qualecunq; per octo pluresve dies in uſum trahetur. Sed nec *Unguenta* heîc negligenda, vel contemnenda ſunt. Habetur in hunc finem *Unguentum ad Scabiem* in Officinis pharmaceutic. Cui ſequens aliquod pro lubitu ſubſtitui poteſt:

℞. *Unguent. pomat.* ℥iiß.
Axung. Porci ℥j.
Reſinæ liquid. Vino probè lot. ℥ß.
Flor. 🜍ris.
Mercur. dulc. opt.
Tut. ppt. ana ʒiij.
Olei de Been. vel Jasmin. Hyperic.
Nuc. jugland. aut Roſ. q. ſ.
M. f. Unguent. ter quotidie ſcabioſis locis inungendum.

Vel ℞. *Axungiæ Aurigar.*
Aquâ Plantag. aut Vino albo ad conſiſtentiam Linimenti albi probè lotæ ℥ij.
Axung. Anat. vel porcin. vel Unguent. de Glycirrh. ℥j.
Lapid. Calam. ppt.
Flor. 🜍ris ana ℥ß.
Olei Hyperic. q. ſ.
M. f. Unguent. d. ad Ollam.

Scabi[es] Adu[lto]rum [cu]ratu[r].

In Scabie Adultorum humido-puſtuloſâ primùm ordinabitur *Vinum medicatum purgans*; v. g. ſequens:

℞. *Radic. Gramin.*
Sarſæparill.
Rhabarb. Monach.
Bryon. ana ℥ß.
Herb. Card. bened.
Fumar.
Scabioſ. ana Mj.
Flor. Bellid. minor. Mß.
Semin. Fœnic. ʒij.
Paſſul. minor. ℥j.
Fol. Sen. opt. mund. ʒx.
Radic. Helleb. nigr.
Rhabarb. elect. ana ʒiij.
Cinamom. optim.
⊖is polychreſt. ana ℈iiij.
Inciſ. contuſis, atque ſacculo illigatis affunde Vini albi veteris,
Aqu. fontan. calentis ana Mj.
Hinc mane quotidie cyathus exhauriatur.

Inter purgandum *Vena* quoque *Brachii* vel *Pedis ſecetur*. Singulis

octiduis, vel 15. diebus ſimul *Cucurbitulæ cum ſcarificatione* Dorſo, aliiſque corporis partibus applicabuntur, donec Scabies diſparuerit. Poſt *Vinum medicatum*, per plures hebdomadas mane ac veſperi ℈ij. vel ʒj. *Pulveris noſtri antipſori* ſupra deſcripti, cum hauſtu *Aqu. Card. bened. Fumar. Plantag. Ulmariæ*, aut *Pimpinell.* propinabitur. Hujus loco etiam *Tinctura* ♁*nii*, vel ♂*tis aperitiva*, aut *Eſſentia Viperarum ad* 30. *vel* 40. *guttas* pro doſi frequenter exhiberi poteſt. Nec nocet, interea ſubinde Scabioſum ad ſudorem invitare, idque propinato ſequenti vel ſimili ſudorifero:

℞. *Aqu. Fumar.*
Chereſol.
Ulmar.
Succiſ. ana ℥vj.
Roob Sambuc. vel
Juniper. ℈ij.
♁*n. diaph.* ℈j. *vel* ʒß.

M. f. Potio pro doſi, ante ſudorem in Lecto vel Laconico per plures dies ſemel quotidie expectandum, hauriendâ.

Proſunt dein quoque *Balnea Aquæ dulcis* ſupra deſcripta, vel *Balnea mineralia*, aut *Thermæ* in uſum ritè vocatæ. Neque etiam *Unguenta* ſuperius ordinata negligentur:

Vel ℞. *Unguent. diapompholyg.*
alb. camphor. ana ℥j.
Flor. ♀*ris.*
♁*n. diaph. ana* ʒij.
Mercur. præcipit. alb. ℈iiij.

M. f. Unguent. d. ad Oll. quo *ſcabioſa Membra hinc inde bis vel ter quotidie inungentur.* Vel *Decocto Scoriarum Reguli* ♁*nii*, utut fœtente admodum, aut *Aquâ noſtrâ phagedænicâ*, (quæ nihil aliud eſt, quàm *Aqua Calcis vivæ, per affuſionem ſufficientem ſolutionis Mercurii ſublimati, in Aquâ Roſarum, vel Plantagin. factæ, croceo colore tincta*) pluries calidè Membra lavabuntur, aut fomentabuntur.

Si Corpus fuerit probè mundatum, ipſaque ſanguinis maſſa depurata, & Scabies nihilominus contumax ſit, loco *Unguentorum* nonnulli *Cingulum mercuriale* ad lumbos alligant, aut de collo ſuſpendunt per plures dies: ſic Scabies inſenſibiliter diſparebit omnis. *Scabies contumax quomodo curanda.* Quod ſi verò hinc *Salivatio*, velut in delicatioris texturæ Hominibus fieri ſolet, excitetur atque oboriatur, tum ei medebitur, quemadmodum ſub titulo de *Ptyaliſmo* diximus. Imò ſunt, qui nec *Unguenta mercurialia* in fœdâ atque contumaci Scabie formidant, indeque provocatâ ſalivatione Hominis ſanguinem à Cacochymiâ ſcabioſâ perfectiùs liberare ſtudent; Sed Corp⁹ univerſalibus adhibitis optimè præparatum, ac per aliquot ſimul dies Balneis m. ac veſp. immiſſum ſit oportet, antequam Salivatio inſtituatur. *Cingulum mercuriale* parari poteſt v. g. *Unciam plus minus unam Hydrargyri Axungiæ porcinæ ſubigendo, hinc inter duplicatū pannum laneum rubrum extendendo*, atque ita *Cingulum pollicis latitudinem excedens* formando, cujus extremitates utrinque in Lumbis verſus Inguina protendant. Quòd ſi Scabies hâc ratione ſiccata diſparuit, plerunque remanebunt adhuc Maculæ rubicundo liventes, & eæ quidem aliquandiu duran-

durantes; donec tandem per Balnea aut Sudores repetitos iterum diſpareant.

Squamoſæ Scabiei Curatio. Qui *ſiccâ*, *ſquamoſâ* aut *furfuraceâ Scabie* detinentur, his ſimiliter vel *Vinum medicatum* ſuperius, vel ſequentes *Pilulæ purgantes* aliquoties concedentur:

℞. *Extract. panchymag. Croll.*
Helleb. nigr. ana ℈ß.
Mercur. dulc. opt. gr. xv.
Scammon. 🜍*rat. gr.* ij.
Cum Terebinth. f. l. a. Pilulæ num. xv. *Inaur. ſumantur pro doſi matutinâ.*

Dein *Thermarum* uſus concedatur, vel ſolutione *medicamentoſi Lapidis Crollii*, aut *Decocto Folior. Tabaci, Lapathi acuti, Lappæ major. in Aquâ Calcis vivæ*, vel *Vino facto* Membra diligenter abluentur. Denique *Decoctum Lignorum*, cum *Liquirit.* & *Radice Graminis*, ac *Ulmariæ*, *Vino* permixtum aliquandiu bibatur pro *Potu ordinario.*

Scabies critica. *Scabies* ſi fuerit *Critica*, vix abſque damno remedia applicueris externa; exceptis *Balneis*. Quin contenti eſſe debemus *internis diaphoreticis*, *abſorbentibus*, *ſiccantibus*: ubi *Serum Lactis* ab omni butyro caſeoque ſeparatum, cum incoctione *Ligni Guajaci*, *Radicis Chinæ*, & *Herbarum* aliquot *traumaticarum*, mane ac veſperi doſi ℥iv. potum egregiè Scabiem abſtergit.

Scabies ſicca Senum. *Scabies ſicca* in Senibus poſt purgatum aliquoties corpus ſequenti *Unguento* tollitur:

℞. *Unguent. nutriti* ℥iiij.
Olei laurin. ℥j.
Sulphur. commun.
Baccar. Laur. ana ℥ß.
Olei 🜿*ri p. deliquium.* ʒij.
M. d. ad Oll. Inungantur Partes ſcabioſæ bis vel ter quotidie.

Vel ℞. *Lithargyr. Argent. minut. contuſ.* ℥ij.
Aceti ℥iiij.
Coque ad tertias, tum adde
Olei Nuc. jugland. ℥iß.
Hyperic. ℥ß.
Ceruſſ. ℥j.
Coque iterum ad Unguenti conſiſtentiam, ſemper agitando. Hoc dein aſſerua in Cellâ.

Vel ℞. *Butyr. recent. non ſaliti, & Vino rubr. benè loti* ℥iiij.
Ol. Verbaſci.
Hyperic.
🜍*ris commun. ana* ℥ß.
Alumin. pulveriſ. ʒij.
M. f. Unguent. calidè inuengndum.

Quatuordecim dies poſt uſum hujus Unguenti *Balneum* uſurpetur *minerale*, vel *Aquæ dulcis*, cui incoctæ ſint *Herbæ Lapathi, Verbaſci, Hyperici, Chamomill. Melilot. Ulmar. Geranii Robert. Salviæ ſylveſtr. Plantag. Brunell. Tuſſilag. Scabioſ. Vinc. pervinc. Pyrol. Baccæ Juniper. Lauri*, v. g.

℞. *Radic. Lapath.* ℥iv.
Herb. Ulmar.
Pimpinell.
Polygon.
Brunell. ana Mij.
Salv. ſylveſtr.
Flor. Chamom.
Melilot.
Verbaſc. ana Mj.

Bacc.

Bacc. Lauri.
Juniper. ana ℥ij.
♀*ris commun.* ℥iiij.
Alumin. ℥iß.

Inciſ. & contuſ. inſuantur Sacculo, & Aquæ incoquantur pro Balneo.

[…]iu-

SCELOTYRBE, SCORBUTUS, STOMACACE, eſt Cacochymia ſalſa, ſubinde acida, in quâ ſalſæ acidove-ſalinæ, plus minus fixæ, aut craſſæ particulæ tantoperè Maſſam humoralem obruerunt, ut hinc propter Circulationem ejus vario modo impeditam, iterumq; forſan reſtitutam, quamplurima per totum corpus Symptomata, Hominem vehementiùs mitiùsve excruciantia excitentur. Unde *Scorbutus* plurium affectuum Syndrome potius, quàm unus aliquis morbus dici meretur.

[…] Endemius.

Cacochymia hæc in maritimis & ſeptentrionalibus Regionibus endemia eſt, & adeò communis, ut vix Homo reperiatur, qui non tantillum de eâ participet. Unde etiam Medicaſtri ibidem, quamprimum Æger querelas movere incipit, ſtatim ſcorbuticum Symptoma eſſe, Hominemque Scorbuto laborare dicunt. Graſſatur interea magnoperè per Hollandiæ, Seelandiæ, Daniæ, Sueciæ, Norvvegiæ, Friſiæ, atque Pomeraniæ tractus. Aliquando autem in his aliisve ſimul Regionibus à mari diſſitis, propter certam aëris intemperiem Morbus hic epidemicus, imò contagioſus obſervatus eſt. Hæreditarium quoque malum eſſe, omni caret dubio, imò vel à Marito in Uxorem, aut viciſſim traducibile.

Epidemicus.

Diagnoſis.

Si autem cum *Charletono diagnoſtica* Scorbuti *Signa* percurramus, tot illa ſunt, tamque differentia, ut mirum videatur, qui tam latè in Corporis partes morbus hic ſævire queat. Signa illa totidem exiſtunt Symptomata, quorum alia magis, alia minus familiaria Scorbuticis ſunt. Familiaria ſymptomata, eaque frequentiora (quis enim omnia recenſere poſſet?) ſunt 1. *Capitis dolores*, nunc tenſivi, punctorii, aut gravantes fixi; nunc vagi & incertis temporum intervallis recurrentes; nunc periodici, utplurimum veſperi affligentes, cum calore velut febrili conjuncti, atque ſudationibus matutinis iterum ceſſantes. Talibus verò Doloribus illi maximè affliguntur, quibus vel Hæmorrhoidum vel Menſium fluxus ſuppreſſus eſt. 2. *Sopor* aliquando *gravis*, cum torpore Spirituum affligens: qui ſubinde lentam Febrim, nunc continuam, nunc intermittentem pro comite habens, cum paroxyſmo ingruit, eoque ceſſante recedit. 3. *Vigiliæ* immoderatæ, hisque ſupervenientes Terrores, Metus, Triſtitia, ut & Deliria melancholica ſubitò enaſcentia, iterumque brevi evaneſcentia. 4. *Vertigines*, ſæpius Hominem corripientes, atq; interdum in Epilepſiam vel Apoplexiam terminantes. 5. *Convulſiones*, modò univerſales, modò particulares, ſubinde tonicæ, & cum rigidâ Membrorum contractione affligentes, adeo ut Ægri nullum articulum extendere queant. Hiſce Spaſmis

Symptoma Scorbuticorum. *Dolor Capitis.* *Sopor.* *Agrypnia.* *Vertigo.* *Convulſiones.*

cum Febriculâ. mis plerunque Febricula jungitur, nunc remittens, nunc iterum invaleſcens, cum vel ſine totius corporis horripilationibus, ac tremoribus. 6. *Paralyſis.* *Paralyſis*, nunc Corporis alterutrum latus totum affligens; nunc Crura, vel etiam Manus tantùm occupans, atque Colicæ dolores acerbiſſimos ſub Parheſeos nomine ſubſequens. 7. *Dolores hypochondriaci.* *Dolores hypochondriaci*, modò in Lumbos & inferiora corporis excurrentes, aut oberrantes; modò *Tabem* velut *dorſalem* cum acerbiſſimis tormentis poſt ſe trahentes. 8. *Dolores Pedum.* *Dolores Pedum* circa Talos & Plantas, macularum ſubinde prodromi. 9. *Arthritis vaga.* *Arthritis vaga*, *ſcorbutica* hinc dicta, in quâ loco maximè dolenti vivus impoſitus Lumbricus, exiliet, circumgyrabitur, & emorietur. 10. *Dolor Crurum tenſivus.* *Dolor Crurum* tenſivus, obtuſus, ὀστεοκόπος, in profundo latens, noctu ingraveſcens, mane autem poſt ſudationem aliqualem miteſcens. 11. *Dolores Ventris.* *Dolores Ventris* tenſivi, lancinantes, imò interdum Abdomen validè diſtendentes; ſed per intervalla magis, minuſque vexantes. 12. *Pleuritis ſpuria.* *Pleuritis ſpuria*, ſine tuſſi, aut ſputi excretione, cum pulſu minimè duro, ſed parvo, molli, & inæquali infeſtans; quandoque leni Febriculâ ſtipata. 13. *Dyſpnœa.* *Reſpiratio difficilis*, atque Pectoris anguſtia vel oppreſſio interpolata, abſque ſtertore, ſibilo, vel tuſſi afficiens; interdum tamen ita adaucta, ut Lipothymiam minetur, atque oculis caliginem ſuffundat. 14. *Palpitatio Cordis.* *Cordis Palpitatio*, & *Animi deliquium* non infrequens, ſubinde Scorbuticos è medio tollens. 15. *Fe... err...* *Febres erraticæ*, nunc lentæ & continuæ, nunc intermittentes, utplurimum cum pulſu inæquali, urinis ſcorbuticis, ſalino-craſſis, lixivialibus, vellicationib⁹ cutis & panniculi carnoſi, aliarumq; profundiùs latentium membranarũ validè moleſtis, caloribus volaticis, motibus convulſivis, affligens. 16. *Deg... tio... Vom... Pty... mus... Dia... rhæa* *Deglutitio læſa*, cum ſtrangulationis metu. 17. *Nauſea* atque *Vomitus* ſæpè inanes. 18. *Salivatio* tantùm non continua, cum ſalivâ ſæpè acidulâ. 19. *Fluxus Alvi* quandoque diurnus, aut nocturnus, ſæpè etiam ſanguinolentus. 20. *Alv... gnit...* Interdum & *Segnities Alvi*, vel pigra ejus ſolutio. 21. *Hæmorrhagiæ* nunc Uteri, nunc Ani, Narium, Pulmonum, aut Ventriculi cum Sanguinis ſæpè copioſi diſpendio. 22. *Urin... variæ* *Urinæ* admodum variantes, modò *tenues* & *citrinæ*; modò *craſſæ* & *albæ*; modò *rubræ* ac *lixivioſæ*, ſplendentes; modò *turbidæ* & ita permanentes; modò iterum clareſcentes, rubrumque ſedimentum inſtar farinæ latericiæ deponentes; vel interdum pituitoſa recrementa ſupra ſedimentum ſuſpendentes. 23. *Macu... diverſ... colore* *Exanthemata* ſive *Maculæ* Crurum, Dorſi, Pectoris, aut aliarum partium, nunc *rubicundæ*, & pulicum morſibus perſimiles, nunc *purpureo-nigricantes*, interdum mox ab eruptione diſparentes, aliàs diutiùs durantes, ac ad mortem uſque *infixæ*; imò etiam *malignæ*, ut in *ſquamas* indelebiles, vel in ipſam quandoque *Gangrænam* aut *Sphacelum* abeant; in ſenio tandem *ulceroſæ*. 24. *Tumor...* *Tubercula* dura, hinc inde ſparſa,

ſparſa, ac *Tumores magni* in Inguine aliiſque glandularum locis comparentes; indolentes ſæpè, ſed quandoque ad interiora penetrantes ac Paralyſin, vel Scirrhum cancroſum minitantes. 25. *Eryſipelas* cum Horrore, Languore, Anxietate, interdum & animi Deliquiis Hominem invadens; de loco etiam in locum migrans. 26. *Ulcera* Crurum, Surarum, Faciei, Pudendorum, &c. cutim exedentia, atque non pus aut ſaniem proferentia, ſed ſicca utplurimum, cruſtoſis & ad livedinem tendentibus labiis circumſcripta; aliquando in Cancrum deſinentia. 27. *Pedum Tumores oedematoſi, duri, renitentes*, cum tendinum aliquali rigiditate. 28. *Hydrops* Aſcites, vel Anaſarca, ſive Leucophlegmatia. 29. *Gingivarum intumeſcentia, laxitas, putrefactio, cruentatio*, unde Dentes nunc dolent, nunc vacillant, nunc nigredine fœdantur inſigni, ipſorum alveolis ab ichore ſubacido occupatis, & nonnunquam exeſis. 30. *Halitus Oris admodum fœtens*. 31. *Atrophia univerſalis*, vel *Macilentia* corporis, ob ſucci nutritii corruptionem aut penuriam accedens. 32. *Cardialgia*. 33. *Horripilationes* & *Phlogoſes* frequentes. 34. *Melancholia hypochondriaca* in Maniam etiam tranſire valens. 35. *Paſſiones hyſtericæ* haud infrequentes; ut plura adhuc alia ſymptomata prætercam.

Cauſas Scorbuti quod attinet, nil aliud dicere licet, quàm Corpuſcula ſalina juſto majori, imò ſæpius maximâ copiâ in Maſsâ humorali paulatim cumulata, Cacochymiam ejuſmodi ſalſam, in remiſſiore vel excellentiore gradu producere, à quâ dein Symptomata ſupra dicta, modò hæc, modò illa excitantur; certè non omnia in omnibus ſimul, nec eadem omnibus communia, aut quovis tempore ſingulis obvenientia. Propter iſtam verò quantitatis Salium diverſitatem contingit, ut Scorbutus apud hos quidem in principio, apud alios in augmento, apud alios in ſummo vigore, apud reliquos tandem in decremento exiſtere obſervetur. Pro temporis autem graduumque Scorbuti varietate, Symptomata quoque ipſa variant, & nunc numeroſa ac vehementia, nunc pauca atque mitia Hominem affligunt.

Salia porrò illa, quæ ſcorbuticam Diatheſin inducunt, ob figuræ ſuæ texturam ſpecificam, acrem nimirum, ſive vario modo acuminatam, Nervorum fibrillis præcipuè infeſta ſunt, ac illas ubicunque locorum arrodere, criſpareque tentant. Hinc non immeritò quæritur, utrum talia ſalina corpuſcula omnia ejuſdem ſint magnitudinis, ſoliditatis ac figuræ, vel an ſint diverſæ? Ac certè diverſâ in omnibus conformatione eſſe dotata, Symptomatum varietas indigitare videtur. Hinc etiam *Charletono* placuit tria Scorbuti genera præcipua conſtituere, quorũ *primum* à Sanguinis ranciditate, ſive ſulphureo-ſalinis corpuſculis ſimul exundantibus deducit; *ſecundum* à copiâ ſalino-fixarum terreſtrium, vel tartarearum particularum immediatè oriri credit;

Scorbuti genera tria.

credit; *tertii* denique ortum atque fomitem Acedini, ſive ſalino-acidis & ad fluorem deductis particulis, ſanguinem opplentibus attribuit. Ac revéra diverſiſſima ejusmodi Salia, nunc ſalſa, nunc magis acida, rariùs particulis ſulphureo-fixioribus ſociata heic accuſari debere, extra omnem poſitum eſt controverſiam; quoniam Symptomata diverſa non niſi à talium Salium differenti texturâ produci valent.

Diagnoſis differentiarum Scorbuti. Hoc autem opus, hic labor eſt illas ſcorbuticorum Salium differentias à ſeinvicem dignoſcere, quod quidẽ omnino ſciendum illi, qui feliciter curare Scorbutum cupit. Itaq; *Scorbutum à ſulphureo-ſalſa Cacochymiâ* (*à ſulphureo-ſalsâ intemperie.*) inductum prodere & indigitare poſſunt Maculæ, Exanthemata, Ulcera, Tubercula, Nauſea frequens, non ſine Vomitu, Cardialgia, Diarrhœa, ventris Tormina minus acuta & pungentia; Frequens ſanguinis Phlogoſis, Scotomia, Vigiliæ, Cephalalgiæ cum ardore affligentes, Melancholia ad Maniam inclinans, &c. *Scorbutum à Sale fixo, ſalſo, tartareo* (*à Sale fixo, tartareo.*) productum, indicant magis Dyspnœa frequens, Præcordiorum anguſtia, Lipothymiæ, Palpitatio Cordis, Torpor, Laſſitudo ſpontanea, Motus ſpasmodici, Dolores artuum vagabundi, Arthritisque vaga, Alvi ſegnities, Somnus profundior. In *Scorbuto per acida Salia copioſa excitato* (*ab acidis Salibus.*) frequentiores obſervantur Nervorum irritationes, Cutis horripilationes atque rigores, frigoris ſenſus in Occipite ac Spinâ dorſi, interdum per membra decurrens; Spasmi flatulenti, Convulſiones totales, Paſſiones hystericæ, ac hypochondriacæ; Alvus modò laxa, modò adſtricta, Triſtitia & Melancholia, Saliva ſubinde acidula, Vomitus & Ructus acidi, Exulcerationes cutaneæ varii generis, Cordis Tremores & Palpitationes, Lipothymiæ cum ſudore frigido, Odontalgiæ, Gingivæ eroſio & corruptio; Dentium vacillatio, Rheumatiſmi, Tumores ſcirrhoſi & cancroſi, ac ſimilia. Quod ſi denique contingat, ut Symptomata mixta Hominem affligant, mixta quòque Cauſa morbifica credenda erit.

Cauſæ externæ. In Cauſis *externis* atque *remotis* reponimus varia anteactæ Diætæ vitia, quæ vel in uſu Aëris, Cibi & Potûs, vel in Motu aut Quiete corporis; vel in Excretis Retentisve, vel in Somno, Vigiliis, atque Animi Pathematibus frequenter commiſſa ſenſim Dyscraſiam ejusmodi ſcorbuticam inducere potuerunt; idque per Chylum paulatim magis ac magis ſalſum redditum, ſcorbuticoque charactere infectum. Hinc in Regionibus ſeptentrionalibus, ac maritimis, in quibus Aër nebuloſus, craſſus, marinus, ſalſus, frigidiusculus, non ſecus atque Cibi dyspepti, ſaliti, acidi, fumo indurati, in quotidiano uſu exiſtunt, Scorbutus nimium quantum frequens, imò endemius eſt; (*Scorbutus endemius.*) dum in noſtris, vicinisque oris, ubi alia victûs ratio obſervatur, ſubindeque fontanæ, dulces, atque puriſſimæ Aquæ ſuis è fontibus bibi poſſunt, Scorbutus admodum raro Homines affligit.

Interdum

Interdum tamen hic Affectus hæreditarius exiſtit, dum per generationem facilè à Parentibus in Prolem derivatur.

In *Prognoſi* hoc eſt tenendum, Malum exiſtere diuturnum, idque tanto magis, quando auctum nimis radices firmiſſimas egit. Vix enim remedium datur, quod corruptam adeo ſanguinis maſſam à ſcorbutico charactere feliciter perfecteque liberare queat: quin ſi tantillum expellas furcâ, tamen usque recurret Malum. Unde Ægri tales continuè propemodum habent, de quo conquerantur; dum ſcorbutica ſalia modò in his, modò in illis partibus ſolidis labem quandam inſtituunt, iterumque relinquunt. Ut ita Scorbutici ſæpius quàm diutiſſimè vivere queant, modò obſervatis aliqualiter diætæ regulis ulterius Morbi augmentum præpedire, Symptomataque urgentiora mitigare voluerint. Deſinit verò tandem ſæpè Scorbutus in Febres lentas & Hecticas, Atrophiam, Ulcera, Phthiſin, Cachexiam, Hydropem, Catarrhos apoplecticos, atque ſimiles alios Affectus lethales.

In *Curatione* attendendum maximoperè eſt, ut primæ ſubinde viæ à ſordibus crudis liberentur; ut gaſtrici Liquoris dyſcraſia ſalino-ſulphurea, vel ſalſo-acido-fixa quàm optimè emendetur; eademque ſic operâ tota humorum circulantium maſſa edulcoretur, atque à copiâ ſalinorum corpuſculorum nimiâ ſtudioſè purgetur; ut denique Symptomata valdè urgentia ſimul mitigentur. In genere tamen notare oportet, neque *Venæſectiones*, neq; *acriores purgationes* quicquam boni præſtare poſſe, ſed potiùs multum nocere. Natura quippe heic, ſi aliâs ullibi, duci vult, non cogi. Temperata proin remedia in Scorbuto omni ſunt commendatiſſima.

Quòd ſi ergo Scorbutus originem traxerit ab *exundante Sale* plus minus volatili *ſulphureo*, tum primas vias vel propinato *emetico*, vel exhibito aliquoties *eccoprotico* eluere convenit; deinceps *alterantia remedia*, quæ Salia dicta temperare, easque per varias ſecretionum vias eluere, ac præcipitare, acrimoniam denique eorundem obtundere atque abſorbere valent, diutiſſimè in uſum vocabuntur. In hunc finem quotidie per vernum, autumnale, aut hybernum tempus potari poſſunt varii generis Decocta; v. g. *Scorbutus à Sale ſulphureo.*

℞. *Radic. Scorzoner.*
Cichor. ana ℥ß.
Oxylapath.
Gramin. ana ℥iij.
Herbar. Fumar. Mij.
Taraxac.
Ulmar.
Scab. ana Mj.
Flor. Geniſt. Calendul.
Bellid. min. ana Mß.
Inciſ. & contuſ. coqu. per quadrant. horæ in Aqu. fontan. Miij.
Colatura Vitello ovi, ſi fuerit opus, clarificata d. ad Vitr. Hinc m. ac v. bibantur unciæ 5. *vel* 6.

Vel ℞. *Radic. Chin.* ℥ß.
Fœnic.
Pimpinell.
Eryng.
Apii ana ʒij.
Herbar. Borrag.
Chamædr.
Scolopendr.
Hepat. nob.
Beccabung.
Flor. Sambuc. ana Mß.
Paſſular. minor. ℥j.
Inciſ. & contuſ. coqu. in q. ſ. Seri lactis per dimidiam horam, Colatura Menſurar. 2. *d. ad Vitr. & bibatur ut ſupra.*

Vel *Juſcula* m. ac v. exhiberi poſſunt *Herbis Taraxacon. Fumar. Beccabung. Cherefol. Pimpinell. Borragin. Endiv. Cardamin. Numulariæ, Chelidonii minoris, Hepaticæ nobil. Plantag.* &c. alterata. Subinde etiam *Lac amygdal. cum Semin. frigidis*, ex *Aquâ Fumar. Scabioſ.* & *Endiv.* paratum hauriatur. Æſtivo tempore autẽ vel *Acidularum*, vel *Lactis aſinini potus* per quinque, pluresve hebdomadas concedatur. Quorum loco alii *Lac caprillum*, ejusve *Serum* potare ſolent, *Herbis* ſupradictis quibusdam *alteratum*.

Scorbuti à ſale fixo tartareo.

Scorbutus autem à *Sale fixo tartareo* maximè exundante oriundus, ante omnia *Vomitorium* deſiderat; v. g.

℞. *Mercur. vit. corr. gr.* iij. *vel* iv.
Salis abſynth.
♁*n. diaph. ana gr.* vj.
Ol. ſtillat. Mac. gutt. ij.
M. f. Pulv. ſubt. d. ad ch. pro doſi.

Vel ℞. *Radic. Aſari tenerior.* ʒß.
Crem. ♀*ri* ℈ß.
Ol. ſtillat. Garyoph. gutt. j.
Sacch. gran. viij.
M. f. Pulv. ſubt. d. ad ch. pro doſi matutinâ.

Vel ℞. *Pulv. rad. Ipecacuanh.* ʒß.
D. ad ch. pro doſi.

Poſtea per aliquot dies *Sal* quoddam *volatile oleoſum*, doſi gutt. xx, aut xxx. cum *Aqu. Fumar.* m. ac veſperi horâ ante paſtum ſumatur. Hinc *Vinum medicatum aperitivum laxans* propinetur; v. gr.

℞. *Radic. Apii* ℥ß.
Ariſtol. rot. ver.
Cyper. ana ʒij.
Chinæ ʒvj.
Herb. recent. Naſturt. aqu.
Beccab. ana Mj.
Agrimon.
Hepat. nobil.
Cuſcut.
Card. bened. ana Mß.
Semin. Fœnicul.
Dauc.
Cortic. Winter. ana ʒj.
Fol. Sen. opt. mund. ℥j.
Radic. Helleb. nigr. ℥ß.
Rhab. elect. ʒij.
Salis Juniper. ʒj.
Inciſ. & contuſ. inſuantur Nodulo ex ſindon. rubr. Affunde
Vini albi veter. Mj.
Aqu. Fumar. Mß.
Stent per primam noctem in loco tepido, poſtea quotidie mane hauriatur cyathus unciarum quatuor plus minus.

Abſoluto Vino medicato ſequens *Pulvis* per integram ſeptimanam m. ac veſp. cum *Aqu. Naſturt. aqu.* & *Beccabung.* vel cum *Juſculo Herbis*

Borrag.

Borrag. Fumar. Endiv. Scabioſ. Hierac. &c. alterato capiatur:

℞. *Radic. Ireos flor.*
Aron.
Sigill. Salom. ana ʒij.
Semin. Naſturt.
Cochlear. ana ʒj.
Specif. ſtom. Pot.
Dent. Apr. ppt. ana ʒiß.
Corall. rubr. ppt.
Magneſ. alb. ana ʒiiß.
Sacch. penid. ℥iß.

M. f. Pulv. ſubt. d. ad ſcat. Doſis ʒß. *ad* ℈ij. *bis quotidie, cum Aqu. Scolopendr. & Cherefolii.*

Vel ℞. *Fol. ſiccat. Naſturt.*
Cochlear.
Trifol. fibr. ana ʒj.
Radic. Raph. ruſt. ℈ij.
Spod. ex Ebor. ppt. ℥ß.
Regul. ♁n. medic. ʒij.
Cubebar.
Garyoph. arom. ana ʒß.
Sacch. cand. alb. ℥iß.

M. f. Pulv. ſubt. d. ad ſcat. Uſurpetur ut prior.

Vel ℞. *Pulv. Viperar. ppt.*
♁n. diaph.
Raſ. Ebor.
Ocul. ♋. ppt. ana ʒij.

M. f. Pulv. ſubt. div. in 16. *doſ. æqu. ad chart.*

Vel ℞. *Pulv. Viperin.*
C. C. phil. ppt. ana ʒiiß.
Bezoard. miner.
Diaph. ♃vial. ana ʒj.
Cryſtall. alb. ppt.
Cinnab. ♁n. opt. ana ℈ij.

M. f. Pulv. ſubt. div. in 16. *doſ. æqu. ad chart.*

Quòd ſi Pulveres faſtidiat Æger, *Pilulæ*, vel *Eſſentiæ*, vel aut *Tincturæ* ſequentes dentur:

℞. *Extract. Fumar.*
Trifol. fibrin. ana ʒj.
Bezoard. miner.
Diaphor. ♂ial.
Radic. Aron. ana ℈ij.

Cum Oleo ſtillat. Garyoph. f. l. a. Pilulæ pondere duorum granorum. Hinc m. ac veſp. capiantur x. xij. *vel* xv. *pro doſi, cum Aqu. Naſturtii.*

Vel ℞. *Extract. Naſturt. aquat.*
Trifol. fibr.
Helen. ana ℈iiij.
Semin. Cochlear.
Ocul. ♋. ppt.
♁n. diaph.
Corall. rubr. ppt. ana ʒj.

Cum Ol. ſtillat. Cherefol. f. l. a. Pilulæ pondere gran. duor. Et inde x. *vel* xij. *pro doſi capiantur.*

℞. *Spirit. Salis arm. aniſ.* ℥ß. *vel*
Salis volat. oleoſ. Sylv. ʒvj.

Detur ad Vitr. Doſ. m. ac veſp. gutt. 20. *ad* 30. *cum Aqu. Scabioſ. Fumar. aut Card. bened.*

Vel ℞. *Tinctur. ♂t. aperit. vel*
♁n. ʒvj.

Detur ad Vitr. Doſ. 20. 30. *ad* 40. *gutt. m. ac veſp. cum Juſculo.*

Vel ℞. *Spirit. Cochlear.* ℥ß.
Eſſent. Trifol. fibr. ʒij.

M. d. ad Vitr. Doſis m. ac veſp. 25. 30. *ad* 40. *guttæ cum Aqu. Fumar.*

Vel ℞. *Spir. Naſturt.*
Trifol. fibr. ana ʒij.
Aniſ. ʒj.

M. d. ad Vitr. Uſurpetur ut præcedens,

 dens,

dens, & *quidem cum* ℥ij. *Deſtillati Hippenteror.*

Vel ℞. *Tinctur.* ♂*t. aperit. cum Succo Acetoſell. parat.* ℥j.
D. ad Vitr. Doſis ut ſuprà.

Vel ℞. *Tinctur. Corall. cum Nitr. parat.* ℥ß.
D. ad Vitr. Doſis ut ſuprà.

Vel ℞. *Tinctur. Corall.*
♁*n. ana* ʒij.
Eſſent. Zedoar.
Myrrh. ana ʒj.
Aqu. Cinam. cum Vin. deſtill. ʒij.
Miſc. d. ad Vitr. Doſ. ut ſuprà.

Vel ℞. *Elix. propr. ſine acid.* ʒij.
Eſſent. Trifol. fibr. ʒiß.
Abſynth. ʒj.
M. d. ad Vitr. Doſ. ut ſuprà.

Vel ℞. *Eſſent. Trifol. fibr.*
Cochlear. ana ʒij.
M. d. ad Vitr. Doſ. 20. ad 30. gutt. m. ac veſperi.

Æſtivo tempore vel *Thermæ Plumbariæ*, vel *Fabarienſes*; vel etiam, ſi ſtomachus ferat, *Acidulæ* cum debito regimine Diætæ bibantur.

Scorbutus à Sale acido reſoluto.

Denique *Scorbutus à Sale acido copioſo in fluorem adacto* oriundus requirit ante omnia primarum viarum expurgationem; & quidem hunc in finem modò *emeticum*, modò *catharticum* magis erit neceſſarium, ſequentibus aut ſimilibus ſub formulis ordinandum:

℞. *Salis Abſynth.*
♁*n. diaph.*
Gumm. gutt. ana gr. vij. viij. vel ix.
M. f. Pulv. ſubt. d. ad chart. pro doſi emeticâ matutinâ.

Vel ℞. *Vitrioli alb.* ʒß.
Ocul. ♋. *ppt.* ℈ß.
Ol. ſtill. Mac. gutt. ij.
M. f. Pulv. ſubt. d. ad ch. pro doſi matutin. emeticâ.

Vel ℞. *Corall. rubr. ppt.*
Salis Centaur. min. ana gr. v.
Mercur. dulc. ℈ß.
🜿*ri emet. gr.* ij.
Ol. ſtill. Garyoph. gutt. j.
M. f. Pulv. ſubt. d. ad ch. pro doſi.

Vel ℞. *Radic. Ipecacuanh.* ʒß.
Pulveriſata d. ad ch. pro doſi matut.

Vel ℞. *Oxyſacch. emet.* ℥ß.
Syrup. de Fumar. ʒj.
Aqu. Naſturt. aqu.
Borrag. ana ʒij.
M. d. ad Vitr. pro doſi matut. in Adulto.

℞. *Rhabarb. elect.* ℈iiß.
Crem. 🜿*ri* ℈ß.
Scamm. 🜍*rat. gr.* iij.
M. f. Pulv. ſubt. d. ad ch. pro doſi purgante.

Vel ℞. *Syrup. de Cich. cum Rh.* ℥ij.
Aqu. Plantag.
Fœnic. ana ℥ß.
Cinnam. opt. ʒij.
Confect. Hamech. ʒiß.
Mercur. dulc. ℈j.
M. f. Potio d. ad Vitr. pro doſi.

Vel ℞. *Radic. Jalapp.* ℈j.
Salis Abſynth. gr. v.
Scammon. 🜍*rat. gr.* ij.
Mercur. dulc. opt. gr. xv.
M. f. Pulv. ſubt. d. ad ch. pro doſi.

Poſt purgans ſtatim per aliquod tempus uſurpetur *Pulvis abſorbens*, acido reſiſtens, ſimulque ſulphura vel

ſalia

ſalia volatilia oleoſa ſanguinis balſamica exaltans; v. gr.

℞. *Corall. alb. ppt.*
♁n. diaph.
Spod. ppt. ana ʒij.
Ol. ſtillat. Garyoph. gutt. viij.
Sacch. alb. ʒvj.

M. f. Pulv. ſubt. de quo ſingulis trihoriis ʒß. *vel* ℈ij. *capiantur.*

Vel ℞. *Cryſtall. alb. ppt.* ʒij.
Corall. rubr. ppt.
Lact. Lun.
Cret. alb. colon.
Bezoard. min. ana ʒj.
Semin. Fœnicul.
Naſturt. ana ℈ij.
Sacch. alb. ℥iß.

M. f. Pulv. ſubt. d. ad ſcat. ſingulis trihoriis ʒß. *ſumatur.*

Vel ℞. *C. C. uſt. ppt.*
Mandib. luc. piſc. ppt.
Unicorn. foſſil.
Diaph. ♂ial.
Specif. antihect. Poter. ana ʒiß.
Ol. ſtillat. Meliſſ.
Carv. ana gutt. iv.
Sacch. alb. ℥iß.

M. f. Pulv. ſubt. d. ad ſcat. uſurpetur ut ſuprà.

Vel ℞. *Panac. ſol. alc.* ℥j.
Rad. Ireos flor. ʒij.
Semin. Aniſ. ʒj.
Sacch. cand. alb. ʒvj.

M. f. Pulv. ſubt. d. ad ſcat. Singulis quadrihoriis ℈ij. *vel* ʒj. *capiatur.*

Vel ℞. *Specif. antihect. Pot.*
Radic. Aron. pulv.
Ocul. ♋. ppt. ana ʒij.
Semin. Aniſ. ʒj.
Cubeb. ʒß.
Sacch. cand. alb. ℥ij.

M. f. Pulv. ſubt. d. ad ſcat. uſurpetur ut ſuprà.

Poſt, aut præter Pulveres etiam conducunt *Salia volatilia oleoſa*, aut *Tincturæ* ſuperius præſcriptæ. Placet inprimis ſequens:

℞. *Aqu. Fumar.*
Plantag. ana ℔j.
Limatur. Mart. ℥ß.
Ol. ☿ri per deliquium ℥j.

Coque invicem parum, donec liquor Tincturam nigricantem acquiſiverit, quam dein filtratam doſi 30. aut 40. guttarum, cum ſequenti vehiculo m. ac veſp. per longum tempus, dimidiâ ante paſtum horâ exhibebis:

℞. *Aqu. Naſturt. aquat.*
Fumar.
Scabioſ.
Plantag. ana ℥ij.
Cinam. cum Vin. deſtill. ℥j.
Elæoſacchar. Fœnic. ℥ß.
Garyoph. ʒij.

M. d. ad Vitrum.

Poteſt etiam, imò debet ſubinde inter uſum ejuſmodi *martialium remediorum, purgans lene* exhiberi; inprimis *Infuſum fol. Senæ cum Rhabarb.*

Deſtillatum Fimi equini ſequenti modo paratum, cum *Tincturâ* quâdam *antiſcorbuticâ* etiam ad aliquot hebdomadas propinari poteſt:

℞. *Herb. recent. Naſturt. aquat.*
Beccabung.
Scabioſ.
Chereſol.
Agrimon.
Cochlear.
Trif. fibr. aa. Miij.

Radic. Raph. ruſtic. ℥ij.

Fimi Caballi Avenâ nutrit. bolos xij. *pluresve. Inciſa invicem miſce, & affuſâ parum Aquâ Fumar. atque Florum Acac. deſtilla in Balneo Maris ex Cucurbitâ vitreâ. De Liquore deſtillato dein tres unciæ pro doſi exhibeantur mane ac veſperi.* Vel *Juſcula Herbis Naſturt. Saniculæ, Alchymill. Hepat. nob. Fumar. Cherefol. Borragin. Agrimon. Scabioſ. alterata*, per duas aut tres hebdomadas m. ac veſp. hauriri poſſunt. Eaſdem quoq; *Herbas ſiccatas*, addito quoque *Trifolio fibr.* ſicut *Infuſum fol. Thée* cum felici ſucceſſu per longum tempus uſurpare licet.

Æſtivo tempore conducit potus *Acidularum* vel *Thermarum Piperinar.* aliarumve, cum regimine *Diætæ*, & uſu *Pulveris alcalino abſorbentis*, quemadmodum eſt *Magneſia alba* ad ʒiß. ſingulis alternis diebus veſperi ante cœnam capienda.

Quod attinet jam Symptomata Scorbuti quamplurima, illis ſuo modo alibi dicto medendum eſt.

Scirrhus. SCIRRHVS eſt Tumor indolens, durus, cuti concolor, à lymphâ viſcidiore in glandulis aut viſceribus congeſtâ, vel à fœculentiori ſanguine, qui ſale acido fixo, ac particulis terreſtrioribus inquinatus eſt, in parte quadam accumulato & indurato, originem ducens.

Ex hac igitur definitione patet, per Scirrhum nihil aliud intelligi, quàm Viſcerum aut Glandularum duritiem indolentem. Interdum tamen & illi Tumores, qui ſub cute, aut interſtitiis muſculorum, à coacervatâ tenaciore lymphâ oriuntur, ſub Scirrho comprehenduntur, & in Lue venereâ, ac ſcelotyrbicâ Diſpoſitione ſatis frequentes ſunt, aliâs *Nodorum*, aut *Gummatum gallicorum*, vel etiam *Gangliorum ſcorbuticorum* nominibus cogniti. Non abſimiles iiſdem quoque ſunt Arthriticorum *Tophi*, antequam calcis aut lapidis duritiem nacti ſunt, qui etiam ſtatim, atque geniti ſunt, animadverti ſolent. Gu ta ca, glu

Quamdiu Scirrhus intra limites ſuos hæret, certè nulli dolorum ſenſus in affectis Ægrum partibus laceſſunt, quia humores eundem conſtituentes nullam adhuc erodentem qualitatem contraxerunt. Durus etiam eſt tumor, cutique concolor, vel præternaturalis nullus apparet color. Quamprimum autem acrimonia humoribus Scirrhi imprimitur, utplurimum inde *Cancri*, ſive *Carcinomatis*, atque *Ulcerum dyſepuloticorum* generatio contingit. Dil ſit.

Cauſa proxima ſeu materia Scirrhi, eſt Lympha tenax, lenta ac viſcida, fæculentis & terreſtribus particulis cum aciditate quadam conjunctis imbuta, vel Sanguis fœculentus, craſſus, acidus. Iſti autem humores non confertim & ἀθρόως, ſed pedetentim in partem affectam deponuntur, ac tandem majori quantitate congeſti, nec per vaſa lymphatica debitè propulſi, durum indolentemq; hunc Tumorem efficiunt. Inter *Cauſas antecedentes* omnis Cacochymia, vel Cachexia, aut Cacopraxia viſcerum & humorum, anſam Affectui Ca

huic

huic contumaci præbere ſolet. Nam quo fœculentior ac torpidior eſt ipſe Chylus, Sanguisq; ac Lympha contaminatior, eò faciliùs etiam tales in corpore Tumores excitantur. Quod verò *Cauſas* attinet *procatarcticas* & *externas*, imprimis heic Aër craſſior ac fœculentior nebularum ſqualone infectus accuſari poteſt. Sed & Aqua gelida ramentis tophaceis, aut lapidis calcarii enormiter imprægnata terreſtres ſuas particulas in glandulas aut viſcera deponendo huc contribuit; unde in quibusdam Regionibus *Scirrhus*, *Strumæ*, *Scrophulæ*, *Bronchocele*, & inde ſubſequentes adhuc pejores Affectus, uti ſunt *Cancer*, *Lepra*, *Ulcera eſtiomena*, *Pædarthrocace*, ac *Flatus ſpineus*, ſive *Spina ventoſa* endemii quaſi morbi ſunt. Porrò Cibi viſcidi, craſſi, & concoctu difficiles, fœculentum ſanguinem procreando culpantur. Vina quoque auſtera, acida, ex Uvis immaturis expreſſa, aut ♀ris fumo nimium infecta, pendula vel rancida, non ſecus atque Cereviſia haud probè defœcata ac recentior, vel vetuſtior quoq; aceſcens occaſionem Malo præbent. Accuſari quoque ſolet potus ſive frequens, ſive ordinarius Aquarum putealium, vel paludoſarum, multis particulis terreſtribus, limoſis, aliisve imprægnatarum. Accuſantur corporis exercitationes intermiſſæ, ſomnusque protractior, pigrities, torpor, atque excrementorum ſecretiones retardatæ; Triſtitia crebra ac profunda, cum ſexcentis aliis hujus commatis, quæ Sanitati noſtræ obeſſe queunt.

Differentia.

Scirrhus multifarias admittit differentias, etenim longè alius eſt, qui *Infantes* prehendit, & alius qui *Adultis* accidit: nam quo rarior aut tenerior corporis eſt textura, eo faciliùs in eodem tumores tolluntur; cùm ex adverſo ſolidior ac durior habitus magis curationi reſiſtat. Sic differt quoque *recens* ab *inveterato*, quorum hic iterum diſpeſci poteſt in *legitimum* ſeu *exquiſitum*, qui ferè omnem curationem reſpuit, ac facilè propter cutis livorem apparentem in Cancrum degenerare poteſt; & *nothum*, cui alii humores aut alii ſymptomata conjuncta ſunt. Alius porrò per ſe à ſuis tantùm cauſis dependens paulatim congeritur, & inſenſibiliter quaſi incrementa capit; alius Morbos non ritè tractatos vel malè judicatos inſequitur. Denique *alius* eſt in ipſis Glandulis, uti ſunt *Scrophulæ*, tam *tectæ*, quàm *exulceratæ*; *alius* ipſamet Viſcera interna occupat, unde Lienis, Hepatis, Pulmonum, Renum, ac Cerebri quandoque durities ſ. Scirrhus obſervari ſolet; *alius* ſub ipſis perioſtiis, aut inter tendines, circa articulationes, vel etiam in muſculorum interſtitiis hærere ſolet, unde *Tophi*, *Nodi*, ac *Gummata* Arthritide, Scorbuto, aut Lue venereâ laborantium producuntur.

Prognoſis.

Cùm igitur ex antecedentibus innoteſcat, Scirrhum eſſe ſpeciem tumorum ſatis contumacium, qui aliquando nullam ferè amplius curationem admittat, ideo ex ipſis recenſitis differentis bonum aut malum ipſius even-

even-

eventum pronunciare poterimus. Quando Scirrhus vetuſtus magisque exquiſitus exiſtit, ac partes nobiliores occupat, vel prope easdem ſtabulatur, obſcurumque intra ſe dolorem fovet, aut inſuper livore quodam tinctus apparet, tum periculoſus quoque eſt, in Cancrum facilè mutabilis, aut certè curationem difficillimè admittens. Non tamen, uti aliquorum mos eſt, ab eorundem tractatione frivolè ſe Medicus ſubducere debet, antequam efficacia diu remedia in ſubſidium adhibita fuerint; quoniam ſubinde per opem diligentem adhibitam Tumores ejusmodi diſcuſſi fuerunt.

Curatio. In ipsâ *Curatione* ante omnia *Indicationes* competentes formandæ ſunt, quarũ prima tendit ad Cauſæ proximæ imũtationem, attenuando & incidendo ejusdem lentorem, ſecernendo terreſtres ac fœculentas particulas, ſicque corrigendo qualitatem ejus, ita ut è parte affectâ, vel ſimpliciter iterum reſorbeatur per vaſa lymphatica, ſanguinique immiſceatur; vel omninò è corpore eliminetur per *evacuantia*, tum *univerſalia*, uti ſunt Catharſes, Diureſes, Diaphoreſes; tum *particularia*, uti ſunt *Salivam moventia*, *Errhina*, *apophlegmatizantia*, *bechica*, *Fonticuli*, *Hæmorrhoidumq́ venarum apertio*. Altera *indicatio* reſpicit *Cauſarum antecedentium imũtationem*, ubi neceſſariò Sanguini ac Lymphæ ſuus vigor reſtituendus eſt, qualitatesq; ſanitati convenientes iisdem introducendæ: cui intentioni quidem favebunt omnia remedia *antiſcorbutica*, quæ variant etiã pro ſanguinis aut lymphæ variâ diſpoſitione corpus p. n. afficiente. *Indicationes*, quæ à Cauſis formantur externis, comprehendunt debitum rerum non naturalium uſum. Quando igitur hic Affectus non ſolùm Adultos prehendit, verùm etiam ſæpiùs, ut ex differentiis patet, Pueros & Infantes ad mortem usque comitari ſolet, idque ſub nomine ac titulo vel *Pædatrophiæ*, vel *Febris hecticæ*, *Infarctûs* ac *Obſtructionis tubulorum* v. g. *lacteorum*, & *Glandularum Meſenterii*, *Strumarum*, & *Scrophularum* circa collum apparentium, *Infarctûs* quoque ac duritiei veſicularum pulmonalium à materiâ ſebaceâ oppletarum; tum verò horum ſingulorum tractationem ſuis videre locis quisque poterit. Cùm verò heic *Scirrhum* potiſſimè *externum* conſideremus, ideo omnis curationis ſcopus eò tendere debet, ut tam per externa, quàm interna, ſi opus fuerit, remedia eundem radicitùs extirpare tentemus. Ubicunque igitur in parte aliquâ Scirrhus ad tactum ſeſe prodit, nullumque periculum latentis Cancri adſit, audacter eidem impone *Emplaſtrum de Cicutâ*, *Oleo philoſ. Saponis*, vel *Oleo è Spongiis deſtillato* imprægnatum, quod triduano deinceps intervallo renovandum, ejusque uſui tamdiu inſiſtendum eſt, donec tumor omnino ſublatus ſit. Interim remedia quoque interna uſurpari debent; ubi laudari poteſt *Mercurius dulcis* aliis *purgantibus* commixtus, aut *Mercur. corallatus*, cum *Extracto Hellebori* ſociatus, vel etiam *Pilulæ hydropicæ*,

dropicæ , ſi corpus purgationes expoſcat. Infantibus ſufficient *Trobiſci hermetici*, vel *Mixtura* ſequens:

℞. *Syrup. ſcelotyrb.*
aperitiv. Mindereri.
Roſ. ſolut. comp. ana ℥iß.
Aq. Cochlear. vel Cardamin. ℥j.

M. ad Vitr. de quâ m. ac v. Cochlearia duo exhibeantur, cum debito regimine ipſius Infantis.

Ex internis reſolventibus ac invertentibus, virtute aperiendi prædita ſunt omnia amara, uti ſunt *Abſynthium*, *Carduus bened. Centaur. minus*, *Fumaria. Ariſtol. rot. ver. Vincetoxicum*, *Virga aurea*, *Aloë*, *Myrrha* & ſimilia. Sic etiam omnia, quæ ſale volatili oleoſo acriori gaudent, uti *Cochlear. Naſturt. aquaticum*, *hortenſ.* ac *Ind. Cardamine*, *Raphanus ruſt.* ac ſimilia, quæ *antiſcorbutica* appellantur, heic proficua ſunt. In hunc cenſum quoque referuntur reliqua *Salia volat. urinoſa* ac *oleoſa*, è *Plantis* ac *Animantibus* ſingulari artificio parata. Egregiam hîc quoque laudem merentur omnia *aperitiva* ♂*alia*, *diaphoreticæ Calces* ex ♁*io* paratæ. Nec minoris æſtimari debent *Extracta* atque *Eſſentiæ* Plantarum, occulto alcali refertarum, ſpiſſiores: vel earundem *Decocta* aut *Infuſa*. Haud ita diu eſt, quòd poſt malè judicatas Variolas in Puellâ ſexenni, Tumores ſcirrhoſos in brachiis atque axillis enatos impoſitione *Emplaſtri de Cicutâ* cum *Mercurio vivo* miſti, per aliquot hebdomadas continuatâ, ac uſu *Syruporum laxantium* ſuperiùs deſcriptorũ feliciter ſuſtulerim, qui ſenſim ſenſimq; ſic evanuerunt; ſed niſi dextrè tractati fuiſſent, in Pædarthrocacem funeſtã dubio procul abiiſſent.

Eſt & alius ſubinde Tumor tactui renitens, copioſiori etiã à congeſto ſero ortus, qui nondũ tamen Scirrhi nomine appellandus eſt, ſed ſolummodo titulum *Infarctûs Viſcerum* habet: quò pertinent *Lien magnus*, *Hepar nimis adauctum*, & ſimiles, qui recentes quidem à *Tumore ſcirrhoſo* diſtinguuntur; diutiùs autẽ durantes tandem quoq; ipſum in Scirrhũ degenerant. Contra hunc Affectum non ſolùm heîc prædicta conducunt, ſed & nobiliora *hydragoga*, ac quævis *diuretica*, ſerum copioſiùs evacuantia convenient, quorum doſes pro diverſitate ætatis, temperamenti, aut ſexûs imminuuntur, vel augentur. Infantibus autem, poſt uſum *Trobiſcorum hermeticorum*, aut *Syrupi laxantis* & *aperitivi*, præſertim ſi totum Abdomen intumeſcat, reſiquo corpore *Atrophiâ* tabeſcente, *Scrophuliſq;* Collum occupantibus, ſummoperè proficuum erit *Specificum antatrophum*, de quo ſingulis diebus ter vel quater, ſtatis horis à ℈ß. ad ℈j. aut ʒß. cum *Aquâ Fumar. Naſturt. Scabioſ. Card. bened. Syr. Bellid.* exhibeatur, intercalando ſubinde dictos *Syrupos laxativos*, aut *Trochiſcos hermeticos*. Plura de *Infantium ſcirrhoſis Affectibus* peti poſſunt ex elegantiſſimo Ettmülleri *Valetudinario infantili*. Vide etiam titulum de *Atrophiâ*.

Quod *Diætam* attinet, Morbo affectis omnia acida, nimis refrigerantia, lacticinia, Caſeus, Fructus crudi, Caro vetula, tendinoſa, & quæcunq; Diæta.

duræ concoctionis ſunt, Aquæ item inſalubres ſuperiùs recenſitæ nocent. Cumque hic Affectus interdum Vino deditis contingere ſoleat, atque Spiritûs Vini abuſus Duritiem viſcerum tandem poſt ſe trahat, in hiſce etiam moderamen erit obſervandum Liquoribus aſſumendis. Quanquam autem Scirrhus intemperiei ſiccæ annumeretur, ac eapropter humectantia expoſtulet, ea tamen neutiquam infrigidantia eſſe debent, utpote à quibus facilè Lympha viſcidior, ac ad motum ineptior reddi, indeque nimium diſtenta vaſa lymphatica, ruptaque exitialem Hydropem excitare poſſent. Melius proin eſt, ſi Cibis ac potulentis omnibus temperatè calida ac aperientia immiſceantur. Sal etiam temperatum uſu veniat in cibis, cùm inſtar egregii condimenti quisquilias internas reſolvendo ac obſtructiones tollendo proſit; hinc & Salia quæcunque artificialia heic laudantur, ſubinde exhibita. Ab Acidulis tamdiu eſt abſtinendum, donec Scirrhus omninò ſublatus, ac Viſcerum mollities reſtituta ſit; ſecus enim eadem incomoda, quæ ab infrigidantibus, metuenda eſſent. Corporis exercitationes moderatæ ac evacuationes debitæ neceſſariæ ſunt; Ira verò ac Mæror valdè vitentur.

SCOTOMIA, vid. *Oculorum Viſûs imminutio.*

Scrophulæ.

SCROPHVLÆ ſunt Tubercula plura, majora, minorave, circa Collum in alterutro vel utroque latere, è Glandulis per Lymphæ cumulationem atq; ſtagnationem obſtructis enata, utplurimum indolentia, quandoq; etiam leni dolore homines moleſtantia.

Par affe[ctus]

Affectus hic glanduloſus præcisè Glandulas Colli usq; ad genas & maxillas occupare ſolet, & quidem nunc plures ſimul, nunc pauciores, aliquando vix unam & alteram. Frequenter affligit Pueros, rariùs Adultos.

Diag[no]ſis.

Scrophulæ omnes tumore duriusculo ſeſe cognoſcendas præbent; obſervabis autem illas inſtar globulorum majorum minorumve, in lateribus Colli ſubter cutim ferè mobiles. Interdum etiam Glandula ejusmodi intumefacta tenaciùs adhæret Maxillæ inferiori, ut moveri commodè nequeat. Præterea Tumores hi plerunque ſunt ſcirrhoſi ac indolentes; aliquando tamen etiam, fortè duriùs aut malè tractatæ, inflammantur, atque in Abſceſſus degenerant benignos; imò interdum citra Inflammationem, factâ quadam humoris ſtagnantis & corroſivi redditi agitatione, in Ulcera ſerpentia, maligna, atque diuturna mutantur, quæ à noſtratibus appellari conſueverunt, *der Wurm*. Color cutis interea, dum glandulæ dictæ intumeſcuut, immutatus permanet.

Cauſ[a].

Ortum trahunt Scrophulæ à Sale quodam acido-fixo, irregulari, ſed blando tamen, in ſanguinis maſſâ collecto, tandemque ad glandulas illas, ſub Febri quadam ephemerâ plus minus ſenſibili, cum Lymphâ præcipitato. Sal verò illud irregulare viſcidum

dum à Chylo ſimili charactere imbuto, qualem victus illaudabilis exhibet, ſubminiſtratur; unde Infantes Mendicorum, & Pauperum, quibus non niſi Cibi dyspepti, viſcidi, atque intempeſtivi contingunt, magis quàm alii huic malo ſunt obnoxii. Vidimus tamen etiam ditiorum Hominum Pueros, qui nativâ Sanguinis viſciditate pituitosâ laborantes, ex victu malo iſtum quoque Affectum impetrârunt. Quòd ſi Sal quoddam acido-acre in pituitâ glandularum deliteſcens motum quendam adipiſcitur, tum circum circa rodendo, pungendo, vel Inflammationem parit, vel Ulcus ſordidum, malignum, glanduloſum excitat. Impetrare verò poteſt motum, ſi Emplaſtra vel Cataplasmata illum conciliantia applicueris, emolliendi nimirum virtute gaudentia. *Indureſcunt* illæ glandulæ, atque in *Scirrhos* promtè mutantur, quoniam pituitoſo-lymphaticus humor confertim tubulos atque poros illarum implet, indeque ſtatim major aquoſorum corpusculorum pars diffluit per vias quascunque apertas. Quòd ſi proin permittamus humorem talem diu ſubſiſtere, facilè degenerabit in Scirrhos duriores, atque diuturniores. Quibus Sanguis tali charactere eſt inſtructus, illis cum aliquali Febri ephemerâ intra paucas horas Glandulæ prædictæ inſigniter elevari poſſunt. Qui Pueri Achoribus & Favis ſunt obnoxii, illis quoque tales Scrophulæ familiares exiſtunt. Quo magis ergo tales ſalſis, pituitoſis, ac phlegmaticis Cibis nutriveris, eo procliviores quoque reddes ad tales Affectus.

In *Prognoſi* hoc tenendum, tales Scrophulas plerunque vel ſolâ Diætâ benè obſervatâ diſcuti, vel uſu diſcutientium & diaphoreticorum diſſipari poſſe. Quando autem corroſivo quodam ſale refertæ ſunt, tum in Ulcera plus minus maligna, exedentia, ſordida mutantur; tardiùs ſanabilia, ſi jam tota maſſa humoralis acido acri Sale viſcoſo penitus inquinata fuerit. *Prognoſis.*

Hoc igitur Malum ut feliciter præcaveatur, debita medendi methodus eſt inſtituenda. Si proin Febris ephemera adfuerit, loco purgantis dabimus *Clysma emolliens* atque *detergens*, ſimulque per aliquot dies internè *Pulveres diaphoretico-abſorbentes* cum vehiculo convenienti concedemus, ſudoremque unum ac alterum promovebimus. *Curatio.*

Externè verò ſolùm lintea *fumali* quodam *pulvere* prunis inſperſo fumigata calidè circumplicabimus. Si Febris abfuerit, aut ceſſaverit, *purgans* tum ſtatim offeremus, quod in ſeſe *dulcificatum* optimè *Mercurium* continebit; v. gr. pro Puero ſex annorum:

℞. *Mercur. dulc. opt.* ℈ß.
Antim diaph. gr. iv.
Scammon. Sulphur. gr. vij.
Crem. ♀*ri gr.* ij.
Sacch. roſat. gr. vj.
M. f. Pulv. ſubt. d. ad ch. pro doſi.

Vel de noſtris *Trochiſcis hermeticis ſex ſeptemve* mane jejuno ſtomacho comedendos exhibebis; atque interea extus ſacculum è *farinâ Avenæ*, *pulvere*

vere Radic. Scrophular. Spongiarum combuſtarum, Spongitis calcinati &c. compoſitum, calidè applicatum aliquandiu tenebis, donec Scrophulæ diſparuerint.

Si *inflammentur* Tubercula hæc, tum *maturantia* apponentur, atque tali prorſus tractabuntur methodo, qualis ſub Abſceſſibus, vel Furunculis indigitata fuit.

Si verò in *Ulcera phagedænica* & *ſordido-maligna* convertantur, tunc intus quidem ſingulis hebdomadis *purgans* cum *Mercur. dulci* dabis, ſimulque *Decoctum Lignorum* atque *Herbarum vulnerariarum* propinabis man. ac veſp. cum *Tincturâ* quadam *traumaticâ*, aut *Pulvere abſorbente*, v. gr. è *Diaphor. ♂ial. Bol. armenat. Ocul. ♋. ppt. ♁n. diaph. Corall. rubr. ppt.* & ſimil. Extus verò Ulcus quotidie cum *Eſſentiâ Myrrhæ, Aloës, Euphorbii, Thuris, Ariſtoloch. long.* vel cum *Aquâ Calcis viv. phagedænicâ* elues, poſtea carptis linteorum filis *Melli roſaceo*, aut prædictæ *amaricanti Tincturæ* priùs immerſis diligenter implebis, deſuper impoſito *Emplaſtro ſtictico Crollii*, vel *Diachalciteos*, vel *Diapalmate*. Si ita diu continuando nihil obtineas, tum *Mercurium præcipitatum rubrum*, cum *Pulvere Calcis vivæ*, atque *Radicis Scrophular.* permiſtum ſiccè Ulceri immittes, atque hinc, cùm opus fuerit, iterum *Decocto vulnerario* & ſupra dictâ *Tincturâ* elues, ſicque perges, donec Glandula ulceroſo-ſcirrhoſa tota conſumta, & exeſa fuerit. Tandem ubi nullam ampliùs ſaniem malignam, nullaque labia ulceris liventia & dura obſervaveris, reſiduum Ulcus ordinariâ methodo perſanabis.

SCROTI HERNIA, *Oſcheocele*, vide *Hernia Scroti*.

SCROTI INFLAMMATIO eſt Tumor illius cum rubore, & ardente dolore conjunctus, à ſtagnatione Sanguinis & Lymphæ in vaſculis capillaribus originem ducens. *Scroti Inflammatio.*

Cognoſcitur facilè ex dictis, produciturque ea ratione, quâ aliæ qualeſcunque Inflammationes gigni ſolent. Occaſionem inprimis dant contuſiones, attritiones in equitatione violentâ, fricationes crebræ ac vehementes. *Geneſis.*

In *Prognoſi* notandum, quod facilè diſcutiatur, ſi humores nondum ſint extravaſati, modò benè tractetur Inflammatio. Quod ſi autem extravaſati fuerint illi, tùm verò facilè corrumpuntur, atque Abſceſſum gignunt, ſubinde diu durantem, ſi cacochymicus Homo fuerit. *Prognoſis.*

In *Curatione* proin, ubi primæ viæ ſaburram cruditatum habebunt, eam *Clyſmate extergente* atque *emolliente* evocabis; v. g. *Curatio.*

℞. *Herb. 5. emollient. ana* Mj.
Scordii.
Agrimon.
Meliſſ. ana Mß.
Radi. Ariſtoloch: long.
Lil. alb. ana ℥ß.
Flor. Calendul.
Chamom.
Melilot. ana Mß.
Semin. Cumin. ʒij.

Inciſ.

Inciſ. & contuſ. coqu. in ſ. q. Aqu. fontan. Colaturæ ℔j. *adde*

Olei roſac. ℥ij.

Elect. lenitiv. vel de

Hier. picr. Logad. ℥j.

M. f. Clyſter ſtatim injiciendus.

Poſtea *Venæſectio* inſtituatur, ſi nihil adſit, quod vehementer impedire queat. Intus verò *Pulveres* & *Mixturas diaphoreticas*, ſicuti in Febri Ephemerâ, aliavè continuâ, concedemus. Extus denique primùm ſequenti Pulvere Inflammationem diſcutere conabimur:

℞. *Farin. Tritic. vel*

Secalin. probè ſicc. ℥iij.

Boli armenat. ℥j.

Cret. alb. coloniens. ℥ß.

Camphoræ ʒiß.

M. f. Pulv. ſubt. d. ad ch. & cum linteis mane ac veſperi applicetur calidè.

Si hoc Remedium non juvet, tunc *Sacculi* parentur è *Floribus Sambuci*, *Scabioſâ*, *Agrimon. Betonic.* & *Scordio* vel *Alliariâ*, hique alternatim *Lacti* aut *Vino* incocti, valideque expreſſi ſæpius calidè applicentur, donec Inflammatio ſit diſcuſſa. Hiſce verò non-operantibus, applicare poterimus *Ceratum ſantalinum*, vel ſequens:

℞. *Ceræ Virgineæ* ℥j.

Olei roſacei ʒvj.

Tutiæ ppt. ʒiß.

♃*n. diaph.* ʒj.

Camphoræ ʒß.

M. f. Ceratum.

Vel denique *Spiritus Vini camphoratus* cum *Rore minerali*, ſive *Spiritu vitrioli philoſophico*, *Aquâ Solani*, *Spermatis Ranarum*, *Tutiâ*, *Saccharo Saturni*, & *Mercurio dulc.* cum linteis ſæpiùs calidè admovebitur.

Si Inflammatio in Abſceſſum & Ulcus tendat, tunc *maturantia*, aliaque applicando totum Affectum eo modò ſanabis, qui ſub titulo de *Abſceſſu* expoſitus invenitur.

SCROTI EXCORIATIO eſt cuticulæ Scroti vel per nimiam attritionem ſub equitatione, vel per frictionem crebram & vehementem in Pruritu excoriatio; unde fibræ Cutis non amplius tectæ facilè à qualicunq; externo corpore incidente læduntur, moleſtumque dolorem inferunt; usque adeo ut cum Ani Intertrigine hic Affectus ferè coincidat, inque *Ulcuscula manantia*, *Mariſcas*, aut ſimilia *Exanthemata* mutari poſſet, niſi rectè citoque ipſum curemus. *Scroti Excoriatio.*

Curare autem & perſanare haud difficulter poterimus, modò intus *Potionem* quandam *diaphoreticam*, ex *Aqu. Flor. Samb. Lactuc. Card. ben.* aut *Fumariæ*, & *Roob Sambuc.* vel *Juniperi* factam aliquoties propinemus; atq; extus inungemus vel *Sebum commune*, vel *Axungiam Cervi* cum *Oleo roſaceo*, aut *Lil. albor.* & *Axungiâ Tinctorum, Färberunſchlitt*; vel *Butyrum recens*, in quo contuſa *folia recentia Quercûs* ac *Hederæ terreſtris* cocta fuerint; vel *Unguentum album camphoratum* cum *Lapid. Calamin. ppt.* & ♃*nio diaphoret.* Plura vide ſub titulo de *Intertrigine*. *Curatio.*

SCROTI PRURITUS eſt ſenſatio quædam triſtis & incommoda fibril- *Scroti Pruritus.*

fibrillarum Scroti membranacearum, quâ Homines ad fricandum crebrò ſollicitantur. Malum eſt moleſtum ſatis, ſi diu duret, vel fibrillæ graviùs irritentur. *Cauſa.* Oritur autem à Sero ſubſalſo, è ſanguinis maſſâ in tubulos membranarum Scroti depoſito, & partim tranſpirante aut exſudante, partim ſub cuticulâ ac intra tubulos ſubſiſtente, tumque lancinante, aut leniter pungente. Mittit ergo Sanguis arterioſus hoc ſerum ſalſum, quod ex frequenti ac ſimul nimiâ Vinorum ingurgitatione, Ciborumque ſalſorum comeſtione per Chylum intra ſe cumulavit. Præbet occaſionem Quies nimia, quâ ſerum ejusmodi non ſufficienter per omnes cutis poros exhalat (exſpirat tamen ex parte magis per poros Scroti, quatenus ab ambientibus indumentis calidius ſervatum fuit) & hinc in tunicarum Scroti poris ac tubulis ſubſiſtit, ſicque non rarò ſudorem cum pruritu, interdum verò pruritum ſolum ſine ſudore excitat. Huc facit etiam Inguinum ac Perinæi ſudor frequens & ſalſus, qui Scroti membranam extimam lambendo prurientem quoque dolorem producit. Commeſſationes, Compotationes, atque Exercitationes corporis nimiæ, ut & æſtivi Solis calor exceſſivus, ſudorem ex iſtis partibus copioſum eliciendo ſimiliter anſam huic Affectui præbent, qui tanto moleſtior etiam evadit, quanto crebrior & vehementior fricatio inſtituitur, à quâ certè plus ſemper humoris ſalſi extrahitur.

Prognoſis. Moleſtia hæc, uti facilè cognoſcitur, ita nihil etiam mali portendit, niſi quod ſubinde nimia fricatio Scabiem poſt ſe trahat, vel Excoriationem atque Inflammationem inducat; facilè tamen & hanc curabilem, ſi cacochymus valdè Homo non fuerit, ſalſedineque humorum corroſivâ caruerit.

Cur. *Curatio* Pruritûs, ſi levior fuerit, à Medico nulla expoſcitur; ſi verò gravior, frequentior, & diuturnior extiterit, tum ad eum diſcutiendum Corpus ante omnia purgabitur; v. gr. in Adultis:

℞. *Maſſ. Pilular. Marocoſt.*
Extract. cathol. ana ℈ß.
Mercur. dulc. opt. gr. xij.
Reſin. Jalapp. gr. iij.
Ol. deſtill. Succ. q. ſ.
M. F. l. a. Pilulæ num. xv. *Inaur. d. ad ſcat. ſumantur pro doſi.*

Vel ℞. *Syrup. de Spin. cervin.* ℥iß.
Aqu. Plantag.
Endiv. ana ℥vj.
Cinam. ℨij.
Elect. è Succ. Roſar. ℨj.
M. f. Potio d. ad Vitr. pro doſi matutinâ.

Purgato corpore Scrotum, Inguina & Perinæum bis quotidie *calente Vino*, cui *Salvia*, *Origanum*, *Furfur*, *Meliſſa*, *Malva*, & ſimilia fuerint incocta, abluatur, linteoque tenero calente iterumq; exſiccetur. Subinde Æger *Laconicum* vel *Balneum Aquæ dulcis* ingrediatur, poſtea ſudorem ſupra dicto *Vino* abſtergat; ac denique Scrotum calentibus linteis blandè ſiccet, foveatque.

A Corporis exæſtuationibus, commeſſa-

meſſationibus, compotationibus nimiis, ac frequentibus, non ſecus atque à fricandi conſuetudine abſtineat. Salita plurimum Alimenta fugiat. Otium blando Corporis motui miſceat. Plethoricus etiam vel jejunando, vel ſectâ Venâ, aut ſcarificatâ cute, ſanguinem minuat.

SCROTI TVMOR OEDEMATOSVS, vide *Hernia aquoſa*.

SCROTI CANCER eſt Tumor durus, liventibus hinc inde venis interdum ornatus, maximè dolens, utplurimum ſimul Teſticulum unum vel alterum in conſenſum trahens, à collectione & ſtagnatione Humorum ſalino-acidorum, valdè acrium, in Scroti vel Teſticuli tunicis atque glandulis oriundus.

Affectus è levi principio, tuberculo videlicet duro, glanduloſo, ſcirrhoſo, vel in Teſticulo, vel extra illum, ab Humoris viſcido-ſalino-acidi ſtagnatione naſcitur. Hoc enim Tuberculum, ſi vel per ſe ſine emollientium applicatione, vel poſt talium impoſitionem, adeoque ſiniſtram tractationem, novum uſque & uſque humorem admittat, tum ſenſim grandeſcit, *latentemq́* ita *Cancrum* efficit, qui, ſi minor adhuc fuerit, non adeo dolet, Hominique facultatem munia ſua utcunque obeundi concedit; ſin verò magis ac magis accreſcat, doloremque paulatim acerbiorem inducat, tum verò *Cancri* naturam jam perfectè induit, nullasque Homini inducias concedens, ad quærenda undique remedia compellit. Durus itaque tum evadit Tumor, minor primùm, poſtea ſenſim major, plerunque Teſticulum ſimul cum Scroto occupans: qui ſi indolens ſemper fuerit, nullis pungentibus, aut terebrantibus doloribus moleſtus, *Scirrhus* potiùs, vel ſi mâvis, *Sarcocele*, *Hernia carnoſa* appellabitur. Si autem frequentibus punctionibus, acerbisque doloribus Hominem excruciare *Tumor* hic pergat, ſi varicoſis etiam Venis, aut purpureis ſaltem ſtriis Scrotum hinc inde contaminetur, vel ſi jam ipſorum Vaſorum ſpermaticorum funiculum ſimul occupet, ac nullo tamen adhuc loco partis unitas ſoluta fuerit, tum *Cancer latens*, aut *occultus* nuncupatur, vel *Hernia* certè *cancroſa* vocari poteſt. Quod ſi denique Tumor alicubi apertus, & exulceratus ſit, ſaniemque valdè ſordidam, acrem, corroſivam, ſtylos argenteos fortè immiſſos ſtatim arrodentem, cum immanibus doloribus fundat, *Cancer* jam *exulceratus* dicitur, deploratus is reverâ, in quo ſanies circumquaque rodens ac exedens, ſubſtantiam Scroti ac Teſticuli prorſus corrumpit, ſiderat, atque putrefacit. Cœterũ producitur hic Cancer eo modo, quo *Cancer Mam̃arum*, de quo ſuo jam actum eſt loco. Contuſio Teſticuli atque Scroti inter equitandum, vel per acceptos ab Inimico ictus & verbera, fortè & Coitus frequens, vehemens, atque diuturnus nimis, poſt aſſumta aphrodiſiaca crebriùs remedia, huc non parum contribuit.

Difficillimus curatu eſt *Morbus*, niſi *Prognoſis.*

niſi ſectione exſtirpari queat ; quod tamen ſine præſentaneo vitæ periculo fieri nequit, ſi ſpermatica jam vaſa ſimili malo fuerint infecta. Plerunque tales Homines inter immanes cruciatus Hectici evadunt, & ita lentâ morte tandem conſumti intereunt. In principio Mali tamen ſperare adhuc quid licet, per Tumoris diſcuſſionem, internis magis quàm externis remediis tentandam.

Curatio. In *Curatione* itaque Cancrum adhuc latentem externis medicaminibus tangere noli ; facilè enim cum immanibus cruciatibus exulceratur, ac ita prorſus inſanabilis redditur. *Interna* autem heic remedia proſunt valdè *diſcutientia*, & *acidum corroſivum deſtruentia*, quorum diuturnus uſus eſt commendandus. In Exulcerato autem Malo, non interna ſolùm, verùm etiam externa deſiderantur remedia, quæ omnia verò uſurpantur juxta methodum in *Cancro Mammarum* præſcriptam.

Scroti Scirrhus. SCROTI SCIRRHVS, Tumor eſt durus, prorſus indolens, cuti concolor, ab humore ſeroſo-pituitoſo, minùs acri, in glanduloſâ Teſticulorum, vel membronoſâ Scroti ſubſtantiâ collecto, ſtagnante, incraſſato, atque prorſus indurato oriundus. Venire ſolet ſub nomine *Sarcoceles*, vel *Oſcheo-Sarcoceles*. Generatur hinc eodem modo, ſicut alii *Scirrhi*, vel *Excreſcentiæ* etiam *carneæ*, per appoſitionem plurimarum particularum vel pituitoſarum, vel gelatinoſo-ſanguinearum, adeoque nutritiarum ; unde pars tandem in molem aſſurgit. Videre hinc licet *Scirrhi* in genere, aut *Herniæ carnoſæ* in ſpecie Geneſin & Curationem, ſuis locis prolixiùs deſcriptam.

Scr[oti] Ab[sces]ſus. SCROTI ABSCESSVS, ſive APOSTEMA, eſt Tumor Scroti, vel Teſticuli, à generatione & collectione Puris productus, dolore pulſante plus minùs vehemente moleſtus, ex Inflammatione prægreſſâ utplurimum naſcens; atque in *Ulcus* ſubinde *diuturnum*, ac *ſordidum* tendens. Prehendit itaque hic Morbus nunc ſolas Scroti Tunicas, nunc Teſticuli alterutrius ſubſtantiam ; & quidem cum Febri modò intenſiore, modò remiſſiore. Si Scrotum ſolum patitur, Febris remiſſior, Affectus mitior, atque haud difficulter curabilis erit; ſi verò Teſticulus ſimul ſit affectus, malum pernicioſius, & facilè in Gangrænam Sphacelumque lethalem progrediens obſervatur.

Cura[tio.] Abſceſſus igitur probè examinandus venit, antequam tangatur. Si cancroſi quid latitare ſubolfacias, noli omnino tangere, quia ſic à qualibuscunque demum remediis applicatis exulceratur, Ægrotique miſeriam immedicabilem poſt ſe trahit. Si verò nil cancroſi adſit, ulterius explorandum, an Abſceſſus maturatus ſit, nec ne? Si prius, tractabitur per *malactica*, *emollientia*, *maturantia*, & tandem *rumpentia* ; maturatum enim Apoſtema ſine morâ aperiendum venit, idque arte, ſi ſponte non rumpatur. Atque ita inſtar Abſceſſûs vel Apoſtematis in

in genere, ſuo loco expoſiti, tractatur, tandemque mutatum in Ulcus per detergentia, acidum abſorbentia, atque conſolidantia, ad cicatricem perducendum venit.

…te …us. SCROTI VLCVS, eſt ſoluta in tunicis Scroti, vel Teſticuli ſimul ſubſtantiâ continuitas, ab humoribus acribus, vulnere, vel etiam abſceſſu procedens.

…gno- ac …feren- Malum eſt non dolore ſolùm, quandoque acerbo, ſed & ſorditie, diuturnitate, ac ſymptomatum varietate moleſtum; Quod nunc *Malignum*, *venereum*, *cancroſum*, ſordidam, aquoſam, acrem, corroſivam ſaniem fundens, adeoque difficillimè curabile eſt, in ſinuoſum vel fiſtuloſum etiam Ulcus facilè tranſiens: nunc *Benignum*, pus æquale, album, minimè fœtidum reddens, ex Abſceſſu benigno, ſine gravioribus accidentibus enatum, & hinc felicius, citius, atque facilius ſanabile exiſtit.

…eneſis …Cura- Gignitur proin curaturque hoc *Ulcus*, ſicut *Ulcera* omnia in genere, præprimis nervoſas partes occupantia, de quibus ſub Titulo *Ulceris* fusè egimus.

…croti …lnus. SCROTI VVLNVS, eſt ſoluta unitas, in Scroti membranis, ſubinde & ipſo ſimul Teſticulo apparens, ab Inſtrumentis pungentibus, terebrantibus, ſcindentibus, contundentibus, ac perforantibus producta; variiſque ſymptomatibus, ſubinde febrilibus, ſtipata.

…ifferen- Vulnera hæc nunc majora ſunt, nunc minora, nunc profundiora, nunc magis ſuperficiaria, cum vel ſine teſticulorum læſione inflicta, ſtyli exploratione facilè cognoſcibilia. Hinc in *Prognoſi* de eorundem eventu diverſimodè judicandum. *Prognoſis.* Etenim ſuperficiaria Vulnera, in quibus nec teſticulus, nec vaſorum ſpermaticorum funiculus eſt laceratus, nec nervi inſignes puncti aut laceri redditi fuerunt, ſanantur haud difficulter; idq; tanto facilius, ſi nullâ Æger cacochymiâ ſalſo-acri, ſcorbuticâ aut venereâ laboraverit. Quando autem ſecus ſe res habet, & ſimiles quædam modò dictæ circumſtantiæ in Scroti Vulnere obſervantur, ſi Febris ardens, ſi convulſivi Motûs, ſi Gangræna & Sphacelus ſuperaccedant, tum conclamatum eſſe de Homine prorſus judicabis.

Curatio. In *Curatione* proin Vulnus ſimplex ſuperficiarium ordinario modo tractabitur. Nimirum eluetur ſubinde injectione ex *Decocto Radic. Apii, Filicis, Ariſtoloch. Herb. Sanic. Pyrol. Geran. Robert. Gratiol. Alchymill. Centaur. min. Myrrh. Aloës*, &c. in *Vino* aut *Aqu. Calc. viv.* facto. Dein *Unguentum digeſtivum Hildani* qualibet deligatione cum turundis, aut carptis linteorum filis immittetur, deſuper *Emplaſtrum diapalma*, vel *ſticticum Crollii* ponendo. Denique, ſi opus fuerit, pars adhuc *Fomento* tegetur, linteo nimirum, quod *Vino* immerſum fuerit calenti, in quo *cephalicæ* & *nervinæ* Plantæ decoctæ fuerint. *Venæſectio* interea in Brachio quoque inſtituetur. *Decoctum vulnerarium*,

quale apud Vulnera præſcriptum legi poteſt, quotidie mane ac veſperi propinabitur. Simul etiam pro re natâ *Diaphoreticum* unum & alterum præſcribetur. Alvus *Suppoſitorio* vel *Clyſmate emolliente* ſollicitabitur, ni ſponte laxa fuerit. Pro ordinario potu *Decoctum Radic. Scorzoner. Caryophyllat. Gramin. Liquir. Hordei integri, Raſur. C. C. Semin. Aniſ. Coriandr. Herb. Sanicul. Agrimon.* &c. bibatur. Diætaque exacta ſervetur.

Vulnus gravius. Quòd ſi Vulnus fuerit gravius, cum puncturâ, cæſurâ, vel laceratione nervorum, membranarum, imò Teſticuli ipſius, tum ſtatim *Vena brachii* ſecanda, ac *intus* non ſolùm *Decoctum vulnerarium* propinandum, ſed ſimul *Pulveres* & *Mixturæ antiſpaſmodicæ*, ſicut in Cutâ Convulſionum præſcriptæ reperiuntur, ordinari debent, ac diligenter uſurpari. *Extus* verò ea uſurpanda, quæ in Vulneribus Nervorum ſuo loco commendata fuerunt: videlicet eluendum Vulnus eſt cum *Vino*, in quo *Lardum*, *Myrrha*, *Aloë*, *Verbaſcum*, *Salvia*, *Betonica*, *Sanicula*, &c. ſint decocta. *Injectiones* fient ex *Succo Folior.* ac *Flor. Verbaſci*, cum *Tincturâ Aloës*, *Myrrhæ*, *Maſtichis*, *Saniculæ*, *Hyperici*, *Salviæ*, *Pyrolæ*, &c. Fila carpta hinc tali *Tincturæ* & *Succo* immerſa Vulneri immittentur. *Emplaſtrum ſticticum* vel *Opoteldoch* imponetur, ac denique *Fomentum* ſuperaddetur ex *Vino*, cui *nervinæ Plantæ* fuerint incoctæ, cum *Camphorâ*, *Myrrhâ*, &c. Quando poſt plures deligationes, pus laudabile prodit, tum ſimplex *digeſtivum Hildani* uſurpabitur, *Balſamo Tolutano*, de *Copaiba*, *Peruano*, vel cuicunque alii *Vulnerario* permixtum; ſed & ab hujus uſu ſenſim abſtinebimus, quando cicatricem vel è profundo jam enaſci obſervabimus.

Hæmorrhagiam, ſi quæ fortè aderit, ſedabimus *ſtegnotico pulvere*, cum *Albumine Ovorum*, *Stupæ* vel *Crepitui Lupi* impoſito, & applicato.

Convulſiones ſi acceſſerint, antiſpaſmodica intus dabuntur; extus autem Fimus bubulus recens, adhuc calidus, vel calefactus applicabitur.

Secu- nar- rete- SECVNDINARVM RETENTIO, eſt Molis illius carneo-vaſculoſæ, poſt excuſſum in Partu Fœtum, præternaturalis intra Uterum aſſervatio, cum ſubſequente utplurimum Febre, Hæmorrhagiâ uterinâ, Imbecillitatibus Cordis, Lipothymiis, aut aliis etiam Symptomatibus.

Cauſ. *Cauſæ* ſunt variæ, quæ illam Molem intra Uterum ſubſiſtere faciunt; nimirum 1. Cervicis Uteri conſtrictio, ſtatim poſt excluſum Fœtum, ab admiſſo fortè aëre frigido, aut à morâ Secundinam enitendi, propter imbecilles parturientis vires, contingens. 2. Secundinæ firmior cum ſubſtantiâ Uteri cohæſio, ſive magnâ, ſive parvâ ſui parte: quæ producitur utplurimum ab humore quodam viſcoſo, Secundinæ atque Uteri partes invicem glutinante; quod aliàs *Secundinæ adnaſcentiam* vocant. Vel Uterinæ partes poſt Fœtum excluſum ſtatim conſtrictæ portiunculas

tiunculas Secundinæ fortiùs detinent, ſicque citam ſeparationem impediunt. Accidere etiam poteſt, ut tempore ingravidationis, ab humoribus acribus corroſivis portiunculæ & Uteri & Secundinæ erodantur, hincque per accedentes particulas balſamico-nutritias ſibi invicem adnaſcantur, & ſic poſt Partum adhuc remaneant.

Retinentur hinc Secundinæ nunc diutius per plures dies, aut hebdomadas, nunc brevius per pluſculas ſolùm horas, quæ in naturali ſtatu ad minimum quadrantis horæ ſpatio poſt Fœtum excluſum, ſimul excerni deberent. Si diutius retinentur, tum non rarò per partes, easque ſideratas cum inſigni fœtore prodeunt; ac interea Febrim continuam, frequenter malignam & funeſtam, ſæpius cum Uteri Sphacelo in Puerperâ excitant. Quandoque etiam ſine corruptione ſui magnâ in Utero per plures hebdomadas remanent, ac Febrim lentam continuam inducunt, quæ ſtatim nihilominus ceſſat, quamprimum excuſſæ fuerunt Secundinæ. Ita Fœminam tractavi in cujus tertio partu Secundina ad ſextam usque ſeptimanam retenta fuit, ſed quæ inde ad extremam propemodum Maciem ex Febri malignâ aut hecticâ, citra notabilem dolorem deducta fuit. Remittente verò tandem nonnihil Febri, ex repetito uſu Balnei Aquæ dulcis, cum incoctione Plantarum emollientium parati, Secundinam excrevit, vix ullâ ſui parte corruptam; atque hinc ſtatim ceſſante penitus Febri, Mulier paulatim vires ſanitatemque integram recuperavit, quæ antea nullis omninò aliis remediis, nec artifice quoque manu, propter Uteri Cervicem nimis arctè conſtrictam inutiliter adhibitâ, ab illâ carneâ Mole liberari potuit. Fit etiam aliquando, ut Secundina ex unâ quidem parte ab Utero ſeparata ſit, ex alterâ verò eidem adhuc firmiter adhæreſcat, vel etiam adnata ſit, unde fit, ut Lochia ex locis Uteri ſeparatis copioſè admodum fluant, non ſine periculoſis Puerperæ imbecillitatibus, interdum cum morte ipsâ ſubſequente, quoniam vaſa Uteri, à Secundinæ mole continuè adhuc diſtenti, probè contrahi, & ita nimium ſanguinis effluxum cohibere nequeunt.

Curatio.

Ad excutiendam proin Secundinam variis Obſtetrices auxiliis utuntur; quamprimum enim Parturiens ſuum enixa eſt Fœtum, hicque ab umbilicali funiculo liberatus eſt, tum ulterius Parturientem eniti jubent Secundinam, atq; ut hoc tanto citius, feliciusque contingat, volunt, ut Puerperæ vel in Vitrum objectum aërem crebrò & vehementiùs efflent; vel Anhelitum ſæpè cohibeant, & Abdomen per ſuos muſculos probè comprimant; vel ut Cœpam albam dentibus mordicent, & aliquid ſucci inde deglutiant; vel ut ſubinde tuſſiant; naribus etiam interdum ſternutatorium pulverem attrahant, quò hinc ſternutatio contingat. Atque his modis ſtudent Secundinam ab Uteri ſubſtantiâ nec infeliciter, nec ineptè ſeparare, ubi dein vel unico nixu à Parturiente excludi ſolet. Ut autem illa tan-

to melius ſeparetur ab Utero, Obſtetrices peritæ inſuper Funiculũ umbilicalem per vices quoque leniter velut mulgendo extrahere conantur. Hiſce verò nihil efficientibus, *Pulverem* exhibent ſequentem vel ſimilem, cum hauſtu *Aquæ Lil. alb. Flor. Til. Cinam.* aut ſimilis capiendum:

℞. *Putamin. Avellan. ſubtiliſſ. tritar.* ℥ij.
Caſſiæ ligneæ ver.
Borac. venet.
Caſtor. ppt. vel
Teſticul. equin. ppt. ana ʒj.
Croc. oriental. ver. ℈ij.
Sacch. cand. alb. ℥ij.

M. f. Pulv. ſubt. d. ad ſcatul. Doſis ℈ij. *vel* ʒj. *ſemel vel aliquoties intra ſpatium ſex horarum.*

Vel ℞. *Oſſ. Dactylor. ppt.* ℥iß.
Cinnam. elect.
Flor. Lil. alb. ppt.
Anth. ana ℥j.
Cubebar. ʒß.
Borac. venet. ℈j.

M. f. Pulv. ſubt. cujus doſis ʒß. *ad* ʒj. *in Juſculo, vel Aquâ Artemiſ. Lil. alb. Beton.* &c.

Vel ℞. *Secundinæ humanæ ppt.*
Pellicular. Ventriculi Gallinacei ppt. ana ℥iß.
Trochiſc. de Myrrh. ʒj.
Carabe ℈ij.
Sacchar. cand. alb. ℥ij.

M. f. Pulv. ſubt. cujus doſis ʒj. *in Aquâ Lil. alb. vel Vino capienda.*

Addunt alii quoque *Radices Rubiæ Tinct. Ariſtol. rotund. ver. Folia Sabinæ, Artemiſ. Semina Aniſ. Fœnic. Sileris montani*, aliaque.

Si his aut ſimilibus nihil proficitur atque Cervix Uteri nimis anguſtata ſit, maneatque, tum *Oleum Verbaſci, Violar. Roſar. Lil. alb. Amygd. dulc. Hyper. Chamomill.* aliave *emollientia* ſæpiùs illinantur. Vel *Scordium, Alliaria, Malva, Alth. Artemiſ. Betonic. Majoran. Abrot. Mentha, Sabin. Meliſſ. Puleg. Matricar. Baccæ Juniper. Laur. Pomum Colocynthid.* cum vel ſine *Scoriis Reguli Antimonii* in *Aquâ ſimplici*, vel *Vino* diluto, aut *Lixivio* decoquantur, atque vapor inde emergens per Infundibulum intra Vaginam matricis aliquoties admittatur. Aut loco vaporis *Fumus* excipiatur à pudendis, ex *Myrrhâ, Galliâ moſchatâ, Moſcho, Ambrâ, Flor. Lil. alb.* ac *Roſar. incarnatar.* prunis inſperſis paratus. *Sacculi* quoque ex antecedentibus parati *Vinoque* incocti Pubis regioni applicentur.

Si neque hæc quicquam juvant, atque Secundina tenaciter Utero adhæreat, artifice peritâ, cautâque manu opus eſt, ſive Obſtetricis, ſive obſtetricantis Medici aut Chirurgi. Umbilicali videlicet Fœtûs Funiculo, qui è pudendis dependet, ad femur parturientis alligato, Obſtetrix manum intra Uterum demittat, atque Secundinam quærat, inventam prehendens, ab Uteri ſubſtantiâ, quantum poſſibile, ſeparet, ſenſimque ſeparatam extrahat, fruſtillatim etiam, ſi integram habere nequeat. Sed cave at probè ab Uteri dilaceratione, utpote quam promtè Gangræna ac Sphacelus ipſe ſubſequeretur. Si quid nihilo-

nihilominus in Utero remanſerit, ſenſim in putrilaginem verſum cum Lochiis prodit. Hoc verò tempore intus bis quotidie *Vulnerarium Decoctum*, aut *Infuſum folior. Thée, Snicul. Virg. aur. Betonic. Milleſol. Piloſell.* &c. propinabitur; uſque dum nulla amplius fœtida materia ex Utero Puerperæ profluat. Sed inſimul *alexipharmaca* remedia, ſicut in Febri malignâ, diligenter in uſum vocabuntur.

di- tre-

SECVNDINÆ PVTREFACTIO, eſt ejuſdem ſolito diutius poſt partum in Utero detentæ corruptio, ſideratio, atque in putrilaginem fœtidam converſio. Id quod ſemper Febrim, eamque utplurimum malignam & deleteriam (propter circulantem Sanguinem putrilaginoſis moleculis infectum, indeque magnoperè turbatum) poſt ſe trahit.

In hoc itaq; caſu Secundina expellenda, modo heîc ſupra notato, ſimulque *Remedia antifebrilia*, & *alexipharmaca* in uſum vocanda, planè ſicut in *Febri malignâ* fieri debere notavimus. Interea *Juſculis conſumatis*, etiam ſubinde *Cichorio*, *Apio*, *Borragine*, *Naſturt. Fumar. Beccabung. Endiviâ*, *Scabioſâ*, *Succiſâ*, &c. alteratis, Puerpera reficienda atque nutrienda venit.

go.

SERPIGO, eſt Ulcus aliquod cutaneum, exedendo continuè ad vicinas quaſque partes ſerpens, adeoque idem cum *Herpete* Affectus, quem vide ſuo loco expoſitum.

atio

SIDERATIO eſt corruptio partium ſolidarum qualiumcunque, ſive dein per exulcerationem, de quâ ſub titulo de *Ulceribus*, id fiat, ſive per *Gangrænam*, *Sphacelum*, *Exeſionem*, aut *Cancrum* contingat, de quibus ſuo etiam loco agitur.

SINGVLTVS eſt Convulſiva quædam & ſubſultoria fibrarum Oeſophagi nervearum, hinc & Diaphragmatis contractio, quâ natura rem Nervis impactam, aut extus ſaltem moleſtam excutere molitur. *Singultus.*

Affici in hoc Malo ſolet expanſum Oeſophagi nerveum, & quidem à materiâ quadam acri, irregulares ſalino-viſcidas particulas habente; dum enim hæc ſuis ſpiculis fibrillas Oeſophagi moleſtè, nec tamen ita acriter aut corroſivè vellicat, pungit, vel certâ quadam ratione comprimit, fit, ut elater dictarum fibrarum excitatus eas cum aliquali impetu contrahat, inque hac violentâ contractione excutere, ac à ſe amoliri ſtudeat rem moleſtantem; cumque fibrillæ illæ connexæ ſint cum fibris muſculorum Diaphragmatis, aut etiam Thoracis, hinc & hæ ſimul partes in conſenſum tractæ, ob ſpirituum, quibus turgent, vim elaſticam auctam ſpaſmodicè contrahuntur, vel ſubſultoriè concutiuntur, atque per aëris quandam in palato vibrationem, reciprocamque alliſionem, ſub ſimultaneâ vel citâ admodum inſpiratione contingentem, ſonitûs alicujus cauſa evadunt. *Pars affecta. Cauſa & modus productionis.*

Res illæ moleſtantes ſunt v. gr. corpuſcula ſalino-auſteriuſcula, ſero

tantillum viſcido involuta, quæ facilè in tunicis Oeſophagi obhærent. Hinc etiam Vapores, vel ſalſo-flatulentæ particulæ in Ventriculo collectæ tale quid producere poſſunt. Inprimis autem Fructus horæi, flatulenti, viſcoſo-ſalinum humorem præbentes, Salia plus minus auſteriuſcula, virulenta quoque, uti in malignis, acutiſque Febribus, Paſtæ farinaceæ, Panis recens è clibano extractus & comeſtus, Caſeus, ac ſimilia heic accuſari ſolent.

Progno-ſis. Malum eſt interim moleſtiâ magis, quàm periculo qualicunque incommodans; In acutarum Febrium tamen ſummo vigore ferè mortem deſignat, ex Inflammatione, aut Sphacelo Ventriculi contingentem. Adeoque utplurimum pro ſigno tum lethali habetur, licèt aliquot jam Ægros tractaverim Febribus ejuſmodi laborantes, & circa ſtatum illarum Singultu afflictos, qui tamen ab uſu diligenti præſtantiſſimorum alexipharmacorum intra paucos dies cum ipſo Morbo ceſſavit.

Curatio. In *Curatione*, ſi Febris adſit, *Emulſiones frigidorum Seminum majorum* ac *minorum* ſunt exhibendæ, cum *Aquâ Fumar. Succiſ. Portulac.* paratæ. Sed & *Tinctura Corallorum*, vel *Mixtura ſimplex* Danj. Ludovici ad guttulas ſubinde quaſdam addenda. Nec omittendus uſus *Cryſtall. alb. ppt. Ocul.* ♋. *ppt. Bezoard. min. Terr. ſigill. Corall. alb. ppt. Ebor. uſt. ppt.* &c. *Sal Abſynthii, Card. bened. Artemis.* vel ſimile aliud ad ℈ß. dari quoque aliquoties poterit. Imò C*amphora ad gr.* iij. *cum* ℈ß. ♁ *n. diaph.* Cinnab. ♁ *n. opt.* & *Lapid. prunell. aa. gr.* vj. quibusdam ſimiliter vicibus exhibita conducit.

Si abeſt Febris, hauſtus *Aqu. Cherefol. Card. bened. Scab. Flor. Til.* aut ſimilis Singultum facilè tollit. Facit idem *Spiritus Aniſi, Anth.* vel *Ceraſ. nigr.* cum *Aquâ Cinam. Meliſſ. Calaminth.* &c. ad cochleare unum vel alterum datus. *Spir. Salis arm. aniſ. Sal volatile oleoſum*, &c. interdum ad ℈ß. data cum vehiculo conveniente, multum quoque proſunt. *Elixir* qualecunque *ſtomachicum* ſimiliter juvat cochleatim datum. *Tragema* ex *Cinamom. Caryophyll. Radic. Cal. arom. Zedoar. Cyper. Cubeb. Ocul.* ♋. *ppt. Corall. rubr. ppt. Matr. perl. ppt.* ⊖e *Abſ.* & *Saccharo*, uſurpatum ſubinde idem præſtat. Sed & citiſſimè juvat, ſi ſpiritum diu ſatis cohibendo, interea fortiter ac ſæpè deglutitionis actum exerceamus, ac ſi quid in palato haberemus. Hâc ratione ceſſat quantocyùs ipſe Singultus. Si regionem ſtomachi ſimul *Oleo Anethi, Chamomill. Rutæ, Aniſ. Fœnic. Nuciſt. Balſ. Peruv.* &c. inungere velimus, diſcuſſionem Singultûs quoque promovebit.

SIRONES MANVVM, ſunt Puſtulæ veſiculares, parvæ, cineritiæ, vel albicantes, ſerum ſalſum, pungens, lancinans, ac pruritum excitans continentes, ſicque pruritu nec levi, nec infrequenti hominem moleſtantes; aliquando etiam Vermiculos, Sirones Manuum.

miculos, vel Ovula verminoſa includentes.

Hæ Puſtulæ ab ichore ſeroſo-ſalſo Sanguinis arterioſi ſubter cuticulam depoſito, inibique concreto, hærente, ſtagnante, cuticulamque elevante, oriuntur, & quidem in Volis manuum, ſubinde & Plantis pedum efflorescentes utplurimum Ovula verminoſa, vel jam vivificatos inde Vermiculos, granulis arenæ minores, in ſeſe continent, qui per microſcopia adcuratè conſpecti, corpuſcula monſtrant albicantia, cum ſex pedibus nigricantibus, quorum binis caput utrinque ſtipantibus, cuniculos ſub Epidermide agere, & oblongos velut ſulcos jugiter trahendo, ſimulque oſculis ſuis frequenter rodendo inſignem pruritum excitare creduntur. *Acarum* vocant talem vermiculum, cujus deſcriptionem exhibet Clariſſ. *Rohault Tract. Phyſ. Part. I. c.* 21. Ovula autem iſta, è quibus tales *Acari* prodeunt, primam ſuam originem debent Inſectis volatilibus, à quibus in varia edulia diſperguntur; cum his autem eduliis poſtea in ventriculos hominum deglutiuntur, cumque in ipſo fortè non ſuperantur, ac diſſolvuntur, tum Chylo permixta ad ſanguinem transmittuntur, & hinc ad Glandulas cutis miliares depoſita, cumque Ichore ſalſo ſubſiſtentia blando poſtmodum earum partium calore vivificantur, & excluduntur.

Diagnoſis. Cognoſcuntur ex ſolo aſpectu facilè, nec quid periculoſi ſignificant; etenim facili operâ extinguuntur, & diſſipantur.

In hunc finem intus quidem corpus purgabis *remedio*, *Mercurium* ſimul *dulcem*, ad deſtruendos cum ovulis Vermiculos ſanguinis, recipiente; v. g. in Adulto: *Curatio.*

℞. *Extract. panchymag.* ℈j.
Mercur. dulc. gr. xv.
Reſinæ Jalapp. gr. iij.
Ol. ſtill. Rut. q. ſ.

M. f. Pilulæ num. xv. *Inaur. d. ad ch. pro doſi matutinâ, cum regimine diætæ ſumendâ.*

Vel ℞. *Radic. Jalappæ* ℈j.
Mercur. dulc. opt. gr. xv.
Crem. ♀*ri gr.* v.
Reſin. Scammon. gr. iv.

M. f. Pulv. ſubt. d. ad chart. pro doſi matutinâ.

Vinum hinc *medicatum alterans*, aut *leniter* ſimul *purgans* concedatur, quemadmodum in *Scabie* ordinari ſolet. Vel prodeſſe ſequens poteſt ad corrigendam cauſam antecedentem:

℞. *Radic. Mechoacann.*
Ariſtoloch.
Vincetox.
Calami. arom. ana ℥iiß.
Rhab. elect. ℥ß.
Herb. Meliſſ.
Agrimon.
Hepat. nob. ana Mj.
Tanacet.
Summit. Cent. min. ana Mß.
Fol. Senn. opt. mund. ʒx.
Semin. Aniſ.
Baccar. Junip.
Cortic. Wint.
Salis Cichor. ana ʒj.

Inciſ.

Inciſis, contuſ. & ſacculo inditis affunde

Vini albi veteris ℔iv.

Aqu. fontan. ℔ij.

Stent primâ nocte in loco tepente, poſtea ſingulis mane cyathus exhauriatur.

Pulvis ſequens *abſorbens* quoque valet:

℞. *Pulv. Serpent. vel Viper. ppt.*
Diaph. ♂*ial.*
Ocul. ♋. *ppt.*
♁*n. diaph.* ana ʒiß.
Corall. rubr. ppt.
Ebor. ppt. ana ʒj.
Sacch. alb. ℥j.

M. f. Pulv. ſubt. d. ad ſc. cujus ℈ij. *vel* ʒj. *m. ac v. in Vino vel Aqu. Card. ben.* vel *cum Decocto Lignorum, quod ſimul cum fructu heic bibitur quotidie ad Cyathos aliquot, ſumatur.*

Extus aperiri debent, ſi poſſunt, *Sirones*, ac ſequens dein *Unguentum* inungatur, etiam quando aperire acu illas non licet:

℞. *Unguent. pomat.* ʒiij.
Mercur. dulc. opt.
Flor. Salis armon. ♀*rat.*
Tut. ppt.
♁*n. diaph.* ana ʒß.
Olei Abſynth. ℈j.

M. d. ad Ollam.

Vel ℞. *Unguent. Diapomphol. aut de Ceruſſ.* ℥ß.
Lap. Calam. ppt. ℈iiß.
Myrrh. pulver.
Aloës pulveriſ. ana ʒß.
Mercur. præc. alb. aut rubr. ℈ij.
Olei Aneth. q. ſ.

M. f. Unguent. d. ad Oll.

Vel ℞. *Unguent. pomat.* ℥ß.
Pulv. Radic. Helleb. alb.
Myrrh. ana ℈ij.
Alumin. ℈j.
Caryoph. arom. ℈ß.
Flor. ♀*ris* ʒj.
Spir. Vin. camph. ℈ij.

M. f. Unguent. d. ad Oll.

Poſſunt etiam Sirones ſive apertæ, ſive clauſæ foveri crebrò cum *Spiritu Vini camphorato*, *Spiritu Abſynth. Anthos. Spir. Sal. armon. ſimpl.* aut *oleoſo* qualicunque; *Spiritu matricali*, *Oleo* ♀*ri per deliq. Aquâ Calcis vivæ ſimpl.* vel cui *Mercurius vivus*, *Tanacetum*, *Oxylapathum*, *Bryonia*, *Abſynthium* & ſimil. ſint incocta.

SODA, vide *Ardor Ventriculi.*

SOMNAMBVLATIO, NOCTAMBVLATIO, eſt Affectio quædam præternaturalis ſenſuum internorum, quâ Homines ſomno ſatis profundo ſopiti, ex forti nimis objectorum quorundam impreſſione in Cerebri medullam, indeque obortâ imaginatione, cogitationisque potentdeterminatione è lecto ſurgunt, obambulant, & varias vigilantium actiones peragunt, idque nunc apertis, ſed nihil tamen cernentibus, nunc etiam clauſis oculis. *Somnambulatio.*

Reperiuntur ad hunc Affectum præ aliis proclives Cholerico-melancholici, qui etiam ſubinde mortis periculum incurrunt, quando nimirum ſomno ſopiti è lecto ſurgunt, & hinc inde progrediundo, vel per feneſtras ſeſe præcipitare, vel in fluvi- *Progreſſio.*

os

os decidere, vel ignem ſuccendere, vel de ſcalis delabi, vel alio etiam modo gravem læſionem incurrere poſſunt; quemadmodum exemplo non uno veritatem rei hujus demonſtrare licet. Ubi dormientes ſuam ſecuti imaginationem loco verarum tutarumque viarum, quas permeare geſtiunt, alias periculoſas offendunt, easque perſequendo ſeſe inſcii atque inviti præcipites fortè dant, gravemque læſionem corporis, lapſum periculoſum, vel mortem quoque ipſam incurrunt. Quemadmodum ſi quis in infimæ Ædium contignationis aliquo conclavi per longum ſat tempus noctes transegit, ac ſubinde per feneſtram fortè in ſomno egreſſus obambulavit, poſtea autem in Cubiculo ſummæ contignationis dormire incipit, facilè, per feneſtram more conſueto progreſſurus, ex alto delabi poteſt.

Producitur incommodum hoc, quando ab objectis externis, interniſve medullares Cerebri fibræ tubuloſæ fortiter ſatis perculſæ, tales impreſſiones poſtea adeo firmiter retinent, ut in ſomno deinceps profundo fibrillæ, atque in his hoſpitantes ſpiritus ab illis certo modo agitati Animam ad has illasve cogitationes ſtimulent, unde Spirituum directione mutatâ, influxus illorum ad artuum muſculos magis, quàm ad ſenſuum organa determinatur, ſicque motus machinæ totius ſubſequitur, tamdiu durans, donec Homo executus ſit, quicquid Anima in ſomno faciendum eſſe judicaverit. Hinc quibus ex ſuæ temperiei naturâ Spiritus partim cholerico-ſive ſalino-oleoſo-volatiles, partim etiam acidiuſculo-craſſiores obtigerunt, Somnambulationi magis obnoxii, quàm quivis alii obſervantur; eo quod Spiritus ejusmodi ſuas acceptorum motuum determinationes, per Cerebri medullares tubulos ac poros, in his diutiùs retinent, quàm in aliis temperaturis.

Ad evitanda itaque talium Hominum pericula bonum eſt, ſi verno & autumnali quidem tempore *Vinum* aliquod *medicatum purgans* hauriant, ex *ſpleneticis*, & *hepaticis* Plantis cum *purgantium* additione compoſitum; Æſtivo autem *Acidulas* bibant, cum debito regimine diætæ. Si Venas quoque Brachii bis vel ter per annum ſibi aperiri curent, & ſanguinem ad octo vel decem uncias extrahi concedant. Si denique è lecto ſurgentes non ſolùm in loco ſecuro expergefiant ſtatim, ſed fuſtigationem ſimul vel cæſionem cum virgis experiri cogantur. In potu ordinario Vinum album Aquâ dilutum bibant. *Vinum* interea *medicatum* ſequens eſſe poteſt: Curatio.

℞. *Radic. Apii, Cichor.* *ana* ℥ß.
Gramin. ℥ij.
Herb. Hepat. nob. Anſerin. aa. Mj.
Scolopendr.
Flor. Calendul.
Anth. ana Mß.
Semin. Aquileg.
Carv. ana ʒiiß.
Fol. Sen. opt. mund. ʒx.
Radic. Helleb. nigr. ʒvj.
Salis Tamar. ʒiß.
Cinam. opt. ʒij.

mmm *Inciſ.*

Inciſ. & contuſis affunde

Vini albi veter. ℔iiiß.

Aqu. fontan. ℔ij.

Stent per noctem in loco tepido. Poſtea ſingulis matutinis horis cyathus exhauriatur plenus.

Subinde noctu *Julepus* prodeſt; v. gr.

℞. *Aqu. Gramin.*

Scolopendr.

Lactuc.

Portulac. ana ℥iß.

Syrup. de Nymph.

Rub. id. ana ʒix.

M. d. ad Vitr. pro 2. *doſibus.*

SONITVS AVRIVM, vid. *Aurium Tinnitus.*

SONTICVS MORBVS, nihil aliud eſt quàm *Epilepſia*, de quâ ſuo loco.

SPASMVS, vid. *Convulſio.*

Spaſmus flatulentus.

SPASMVS FLATVLENTVS, eſt unius vel alterius Muſculi in cruribus, ſuris, vel manuum, pedumve digitis contingens violenta atque dolorifica contractio, plus minus diu durans, & membrum ſimul verſus unam partem validè torquens; Vide etiam Titulum *Convulſionis.*

Spaſmus Cynicus.

SPASMVS CYNICVS, eſt Convulſio particularis Oris, ubi Muſculus latus ab unâ duntaxat parte contractus Os ita diducit, ut imaginem Canis ringentis exhibeat.

Cauſa.

Oritur ab acido, vel auſtero pontico Sale, fortè ad nervulos illius muſculi delato, eosque ſpasmodicè ita criſpante, vel contrahente, ut inde per labiorum diductionem violentam ac invitam exprimatur ferè imago Canis ringentis & irati. Provenit illud Sal ex arterioſo utplurimum ſanguine, indeque ad partem affectam deponitur vel præcipitatur. Occaſionem verò præbet Aër externus frigido-rigidus, Potus gelidus, Ira vehemens, aut ſimile quid, quo Labiorum magis quàm aliarum partium fibræ nervoſæ afficiuntur & conſtringuntur. Scorbutica Cacochymia quoque ſuum huc contribuit calculum.

Cura.

Curatio per univerſalia & ſpecialia inſtitui poteſt, ſicut in Convulſione generali, de quâ ſuo vide loco.

SPASMVS OCVLI, v. *Strabiſmus.*

Sphacelus.

SPHACELVS, SPHACELISMVS, NECROSIS, *Eſthiomenos*, *Sideratio*, *Mortificatio*, *Corruptio*, *Putrefactio*, eſt totalis Partium, non mollium tantùm, ſed & durarum mortificatio, cum fœtore inſigni, nigredine, frigore, ac ſenſûs tactûs integrâ ablatione conjuncta, originem à ſanguinis atque ſpirituum animalium influxu penitus ceſſante ducens. Differt proin non niſi gradualiter à Gangrænâ, in quâ aliqualis adhuc adeſt ſuccorum vitalium influxus.

Pars affecta.

Subjectum ſive *Partes affectæ* heic modò hæ, modò illæ poſſunt eſſe; cùm nulla in Corpore noſtro pars exiſtat, ſive interna ſive externa, dura vel mollis, quæ Sphacelo affligi nequeat. Experientia Practicorum infinita hoc docet; obſervavimus & nos Faciem, Brachia, Manus, Crura, Pedes, Tibias, Digitos, Scrotum

tum; imò quoque partes internas, Inteſtina, Meſenterium, Hepar, Lienem, Pulmones, Omentum, Uterum, aliasque partes Necroſi corruptas. Cerebrum quoque poſt acceptum Vulnus grave, vel in Phrenitide ſphacelatum notârunt alii. Imò ipſam quoque Cordis ſubſtantiam ſideratam, in Homine Peſte interempto, inventam fuiſſe tradiderunt *Helmontius* atque *Thomas Bartholinus*. Inprimis autem deprehendimus illas Partes, quæ paucis gaudent nervis, vel etiam à Corde remotiores ſunt, ac ita ſufficientem difficiliùs accipere poſſunt ſuccorum vitalium influxum, frequentius, quàm alias, ſiderari.

ma. *Cauſa proxima* Sphaceli eſt ferè tubulorum in affectâ Parte dilaceratio, vel deſtructio, Gangrænam utplurimum ſequens, in quâ ſucci ſtagnantes adquiſitâ acrimoniâ corroſivâ ſpiculis ſuis ſcindentibus fibrillas quaſcunque obvias ſolvunt, ſicque efficiunt, ut ſolutâ tubulorum compage circulatio nunquam reſtituatur, ſed pars emortua & nigra reſcindenda, ſeparanda, & abjicienda ſit, ſenſu omni, propter ſpirituum animalium influxum planè deperditum, privata.

tece- *Antecedenter* hinc ad tales Morbos conferunt particulæ ſalino-acidæ, acres, quæ partim occaſione Intemperiei ſive nativæ, ſive adventitiæ, partim occaſione Diætæ vitioſæ ad Sanguinis maſſam copioſiùs adfluunt, eamq; ad ſtagnationes ejusmodi maximè idoneā reddunt. Sed & Morbi quidam vel maligni nimis, vel malè curati Necroſin poſt ſe trahere valent. Hinc Peſte, Variolis, aliisque malignis Febribus interempti, has aut illas partes internas habebunt ſideratas. Vidimus ante aliquot annos in exenteratione Filii cujusdam noſtratium Senatorum, Variolis extincti, quamplurimas Hepatis portiones, Lienis ſpongioſam ſubſtantiam, & pleraſque Meſenterii Glandulas tumentes, ac prorſus ſideratas.

Inter Cauſas *procatarcticas* atque externas Aër gelidus multum ad hocce Malum contribuere ſolet: hinc in regionibus maximè frigidis, prout ſunt Norvvegia, Grœnlandia, Iſlandia, &c. non ſecus atque in Alpibus noſtris Helveticis, plures hyberno tempore Naſo, Auribus, atque Digitis orbantur; quando videlicet à particulis gelidi aëris valdè rigidis fibræ dictorum membrorum nimis conſtrictæ ad ſiderationem trahuntur: quod tanto citiùs contingit, ſi rigida gelu membra igni confeſtim luculento, vel calido admodum fornaci admoveantur. Interdum Alvi pertinax ſuppreſſio; Membranarum nimia tenſio, v. g. in Herniis; Vaſorum exinanitio magna in Hæmorrhagiis; Eryſipelas, Inflammatio & Gangræna; Urinæ ſuppreſſio, Lymphæ aut Sanguinis acrioris ſtagnatio; Morſus animalium venenatorum; Hydrops; Iliaca paſſio; Fracturæ & Luxationes; Vulnera & Ulcera cacoëthea; Nervorum atque Tendinum lacerationes; Compreſſiones & ligationes nimis arctæ Membrorum in Fracturis; *procatarctica & externa.*

Fracturis; frigidorum, vel nimis adſtringentium applicationes in inflammatis, aut ſugillatis per contuſionem Membris, Gangrænam & Sphacelum excitare, aut poſt ſe trahere ſolent.

Diagnoſis. Quod *Diagnoſin* concernit, ſigna præſentis Sphaceli manifeſta atq; pathognomonica ſunt ſequentia: Partis affectæ livor aut nigredo, tumor item aliqualis, isque mollis, cadaveroſus, maximè frigidus, nullo apparente arteriarum pulſu, nullo præſente dolore, ut hinc citra ullum ſenſum Tactûs ſcalpellum profundè ſubter cutim adigi poſſit; Fœtor intolerabilis partis ſphacelatæ, ab exhalatione ſulphureo-ſalinarum particularum ortus; Febris continua, Gangræna plerunque, aut Inflammatio prægreſſa, &c. Quæ accidentia pleraque, ſi non omnia facilè è ſuccis ſtagnantibus, horumque particulis, à materiâ Mundi ſubtiliſſimâ rapido motu percurrente, celerrimè agitatis, rotatis, hincque in fibras fortiter allidentibus, easque corrodentibus explicari poſſunt.

Prognoſis. Quoad *Prognoſin*, ſi Gangrænæ præſenti non ſtatim ex arte occurratur, tum in Sphacelum certò abit, quoniam ſucci continuò magis ac magis coagulantur, vaſa obſtruunt valdè, nervos comprimunt &c. unde neceſſariò mortificatio producitur. Sphacelus autem perfectionem ſuam adeptus, niſi ferro ſtatim & igne radicitus extirpetur, immedicabilis exiſtit; ſerpit enim promtè, ac vicinas usque & usq; partes invadendo Hominem citò jugulat; quamobrem juxta *Ovidii* monitum, quidquid corruptum planè eſt,

Enſe recidendum, ne pars ſincera trahatur.

Ad ſalutem hinc terminatur Sphacelus incipiens, ſi auxilio à medicamentis generoſis allato, omnia ſymptomata tolerabilia evadunt, ac ſenſim planè remittunt, ſi circulatio humorum reſtituitur, ſiderata & emortua pars membrorum à ſanâ ſubtus latente ſeparetur. Ad mortem verò tendit Morbus, ſi neque generoſiſſimis medicamentis quid efficitur, neque ſymptomata mitigantur, ſed potius ingraveſcunt de momento in momentum, pars nigreſcit, ſenſu omni privatur, exiccatur paulatim, refrigeſcit, & cadaveroſum de ſeſe odorem, ſive fœtorem intolerabilem ſpargit, ſi ſudor à toto corpore frigidus promanat, atque jectigationibus, deliriis, ſingultu, Æger defatigetur, tandemque imbecillitates, deliquia, horrores, atque tremores ſuperveniunt, quos horrida mors illicò ſubſequitur.

In *Curatione* eò cura mox omnis eſt advertenda, ut pars corrupta ac emortua à ſanâ promtè beneque ſeparetur, ne pars ſana ſimul labem adipiſcatur. Itaque ſi ſpes ſit, non niſi Cutim, cum aliquâ ſubtus latentium partium ſubſtantiâ, ſideratam eſſe, profundæ mox ſcarificationes faciendæ, usque dum ſanguis aliquantillum effluat, vel dolor quoque ex hâc operatione percipiatur; ſic novo ad partem ſanguini acceſſus facilitabitur, *Curat*

tur, ſanguis quaſi emortuus evacuabitur, & circuitus humorum felicius reſtituetur. Sed factâ ſcarificatione mox calentes maximè *Fomentationes* adhibendæ, diligenterque ac frequentiſſimè iterandæ ſunt; v. gr.

℞. *Radic. Angelic.* ℥j.
Ariſtoloch. utriusq;
Imperator.
Scorzoner.
Petaſitid. ana ℥ß.
Herbar. Alliar. vel Scord.
Abſynth.
Beton.
Origan.
Meliſſ. ana Mß.
Card. bened.
Scabioſ.
Rut.
Flor. Sambuc.
Calendul.
Chamomill.
Primul. ver.
Baccar. Laur.
Juniper. ana Mj.
Myrrh. elect.
Oliban. ana ℥ß.

Inciſ. & contuſ. coque per vices in Vino albo veteri, Lintea dein huic Decocto immerſa, expreſſaq;, affuſo Spiritu Vini camphorato, vel *Tincturâ Aloës & Myrrh.* vel *Elixiri matricali*, quàm calidiſſimè fieri poteſt, applicentur; ſingulisque ferè bihoriis repetantur. Alii *Aquam Calcis vivæ, Urinam hum. Fimum bubulum, caballinum, vaccinum*, aut *columbinum* cum fructu ſimiliter adhibent in Fotu.

Intus tamen ſimul antifebriles pulveres ac potiones dabuntur interea, dum extus iſta peraguntur. Et quando obſervabitur, corruptam carnem à ſanâ jam ſeparari, tum verò *Unguenta digeſtiva* cum *Eſſentiâ Myrrhæ* ac *Aloës* miſta inungentur, deſuper *Emplaſtrum diapalmæ* ponetur, ac *Fomentum* denique ſuperaddetur, ſicque paulatim ſeparatis portiunculis ſideratis, reliqua inſtar Ulcerum aliorum extergentur atque conſolidabuntur.

Operatio Amputationis.

Quando autem Pars uſque ad os ſubjectum penitus emortua obſervatur per factas hinc inde profundas inciſiones, tum unicum ſervandi reliqui corporis remedium eſt, mortuæ partis omnimoda extirpatio amputatione vel uſtione perficienda. Modus autem amputationis ſequens nobis maximè tutus, atq; commodiſſimus videtur. Ante omnia implorato Divini Numinis auxilio Æger *Mixturis cardiacis, blandè ſpirituoſis* refocilletur ac roboretur; deinceps Inſtrumenta reliquaque ad Operationem neceſſaria parentur, inque pulchrum atque Operatori commodum ordinem Tabulæ imponantur, ut ita in promtu ſint. Poſtmodum Æger Scamno convenienti inſidere jubeatur, & vinculis, ſi opus, famulo aſſidenti alligetur; dein Operator, ſi v. gr. Pedem ſphacelatum altiori ſcamno firmis ſatis faſciis connexit, Cutim unâ cum muſculis ſeu carne ſubjectâ ſurſum verſus ſanam partem validè ſatis retrahat, quò ſic poſt amputationem factam cutis illa os obtegere valeat; vinculo hinc injecto valido partes illas probè retractas ſervet;

vet; cujus ſtrictæ ligaturæ medio non tantùm nimia Hæmorrhagia præpeditur, ſed & Dolor multum minuitur aut præcavetur. Factâ ſic ligaturâ, in ſanâ parte, tres ad minimum transverſos digitos latâ, Cutim carnemque usque ad os ſcalpello falcato circumcir ca diſſecet, ita ut perioſtium ſimul undique pertundatur, quod poſtmodum eo in loco, cui ſerra admoveri debet, abradendum. Quo facto mox Operator Serram huic rei aptatam Oſſi applicet, ejusque firmâ celerique agitatione Os pertundat, atque detruncet. Factâ ſic amputatione, nonnulli ſtatim actuale cauterium arteriis ac venis ſanguinem copioſè effundentibus applicant; alii verò hanc uſtionem damnantes, tantùm imponunt ſtupam cannabinam AlbumineOvorum ebriam, pulvereque Crepitûs Lupi aliove ſtyptico conſperſam; vel quadruplicatum Linteum, Liquori ſtyptico imerſum ſolum adhibent, hincq; bubulâ inſuper veſicâ truncum obtegunt ac involvunt, quò ſic ſanguis, ſi præter ſpem efflueret, hâc ipsâ veſicâ excipi, coagulari, & ita ulteriorem Hæmorrhagiam ſiſtere valeret. Hoc autem ſic facto Membrum probè deligandum & per duos tresve dies reliquendum eſt. Poſtmodum autem ligatura ſolvenda, Vulnusque factum debito modo tractandum eſt, usque dum Cutis undiquaque ſupernata, & ad Cicatricem perducta ſit.

SPINA VENTOSA, vid. *Pædarthrocace.*

SQINANTIA, *nil aliud eſt quam Angina, ſuo loco expoſita.*

STAPHYLOMA, eſt Uveæ Oculorum tunicæ extra Corneam, vulnere aut eroſione apertam, procidentia, Uvæ acinum cœruleo-vel lividonigricantem referens. Vid. *Oculorum Uveæ Affectus.*

STEATOMA, eſt Tumor cyſticus, ſive proprio folliculo concluſus, ac materiam ſebo vel adipi ſimilem in ſeſe continens, aliâs indolens, atque mollis, cuti concolor, in his illisve corporis partibus, cutim inter & muſculos utplurimum naſcens.

Differt magnitudine, atque duritie, majus enim aliud, molliusve altero exiſtit; ſed indolens ſemper, atque cuti concolor, ſi nullam humor in eo ſtagnans malignitatem habuerit.

Facilè cognoſcitur cyſticus ejusmodi Tumor per indolentiam, mollitiem atque cuti reliquæ concolorem ſtatum tumoris ſubter cutim hinc inde mobilis. Sed difficulter ſimul dixeris, an *Steatoma*: vel *Meliceris*, vel *Atheroma* eapropter exiſtat; qui certè tres folliculoſi Tumores non niſi differente mollitie à ſeinvicem diſtinguuntur; Etenim *Atheroma* omnium eſt molliſſimus, quippe materiam pulti ſimilem continens, atque in capite utplurimum enaſcens. *Meliceris* medium locum tenet, materiam Mellis conſiſtentiâ & colore propemodum præditam complectens. *Steatoma* autem durior reliquis eſt, utpote ſpiſſioré ſevo, vel caſeoſis particulis ſimilem mate-

materiam fovens. Vidim⁹ nos atq; feliciter extirpavimus Tumorē ex *Atheromate* & *Steatomate* mixtum, pugni ferè magnitudine Scapulæ ſiniſtræ Virginis adultæ inſidentem, qui intra ſe pultaceam ſimul & ſebaceam continuit materiam. Oritur Tumor ejusmodi è tenui principio, ſenſim autem novâ accedente materiâ augetur, tandemque in molem, magnitudine magis quàm dolore moleſtam, accreſcit.

Cauſa proxima igitur è dictis patet, quod ſit nimirum materia ſebacea; hæc verò ex ſanguine ad Partem affectam per circuitum jugiter moto defertur, & quidem non ſub formâ *Sebi*, ſed pituitoſo-caſeoſarum aut craſſiorum particularum eò deducitur, quæ dein ſui morâ exhalantibus particulis aquoſo-volatilioribus ad ejusmodi conſiſtentiam ſevo ſimilem coagulatur. Probabile eſt autem, per poros hos aut illos plus juſto dilatatos, vel ruptos etiam (quod inprimis ab aliquo ictu, vel compreſſione quadam præcedente, in partibus membranoſis contingere ſolet) materiam è ſanguine pituitoſam exſudare, interque membranas ſub cute & muſculis colligi, ſenſim ob ſalia fixa minus acria, vel certè humori viſcido terreſtri ac pingui incluſa, incraſſari, ac ita paulatim cumulatam ejusmodi ſebaceum corpus effingere. Præexiſtit ergo in maſſâ circulante Humor jam talis, in ſimilem materiam coagulabilis, isque è Chylo nonnihil crudiore ac pituitoſo ſæpius adveniente producitur. Intra folliculum colligitur proprium Humor talis, quoniam veſiculæ aut loculi membranacei ſufficientes ſubter cutim in panniculo adipoſo-carnoſo adſunt, qui eum recipere valent.

Nullum ex hoc Tumore periculum imminet, niſi diuturnâ ſui morâ, & interveniente maſſæ humoralis acrimoniâ, particulæ corroſivo-acres acceſſerint, atque è Tumore benigno malignum reddiderint, facilè tum dolentem, erodentem, atque in Ulcus phagedænicum abeuntem. *Prognoſis.*

In *Curatione* extirpatio venit inſtituenda; ubi corpus ante omnia ſemel aut bis expurgandum *Pilulis* cum *Mercurio dulci*, vel *Vino medicato purgante*, quemadmodum in *Scabie* commendavimus. *Curatio.*

Poſtmodum *Vinum traumaticum* cum *Decocto Lignorum*, imò *Eſſentiâ* quoque aliquâ *Myrrhæ* atque *traumaticâ* eſt aliquandiu propinandum. *Externa.*

Exterius in principio hujus Tumoris *diſcutientia Emplaſtra* conveniunt, quem in finem *Emplaſtrum de Ranis Vigonis cum triplo Mercurii*, vel *Diaphoreticum*, aut *Oxycroceum* aliquamdiu imponi poteſt. Quando autem hoc nihil obſtante Tumor augetur, & in molem ſenſim majorem accreſcit, tum extirpatio per chirurgicam Operationem ſuſcipienda venit. Antequam verò huc deveniamus, videndum, num Tumor ſub cute liberè hinc inde moveri queat, an verò tendini alicui affixus hæreat? In priori caſu Cutim cruciatim, vel ſaltem amplè incidere oportet usque ad ipſum Folliculum, ut hinc poſtea

integer

integer ſeparari & erui queat. In poſteriori autē caſu ſimul cum Cute Folliculus incidendus, aperiendus, materiaque eximenda eſt, hincque Folliculi tunica undiquaque extrahenda, ac quantum poſſibile, prope tendinem (hoc tamen nullatenus læſo) reſcindenda. Vulnus demum hâc ratione factum debito modo extergendum atque conſolidandum venit.

Sterilitas virilis. STERILITAS VIRILIS eſt Symptoma ablatæ facultatis generandi, quâ Vir aliquis ſui ſimile producere nequit.

Cauſa diverſa. Sterilis Vir redditur diverſiſſimas ob cauſas, & quidem 1. Obſtructurâ genitalium vitiatam, quando vel à nativitate difformia illa obtinuit, ſive planè ad coitum inepta, ſive ad fœcundum modo illum inutilia; quemadmodum v. g. novi Juvenem egregium, jamque plurium annorum maritum, qui cum Uxore quidem congredi poteſt, ſed gignere tamen hactenus nequivit, eò quod Virga ipſius non in extremitate, ſed ad latus inferius ſit aperta, per quam & Urina, & per conſequens etiam Semen profluit, cumque hoc rectâ ad Uteri cervicem lineâ ejaculari nequeat, eapropter ſterilis hucusque creditus fuit, cùm aliâs nullo alio defectu laboret. Vel quando ab ictu, vulnere, ulcere, aliisque infortuniis Genitalia ita oblæſa fuerunt, ut poſtmodum negotio generationis vacare amplius haud poſſint. 2. Ob Seminis vitia, quando vel planè nullum ſecernitur, v. g. in Caſtratis, in Herniâ carnoſâ, Teſticulorum obſtructione, Scirrho, aut cancroſâ diſpoſitione, in Vaſis deferentibus, aut ſeminalibus Veſiculis obſtructis, alioque modo ita oblæſis, ut ſemen nullum exhibeant. Vel quando generatur quidem Semen, ſed juſto aquoſius, aut viſcoſius illud ac iners, ſpirituoſâque aurâ plaſticâ carens, quale quidem à Cachecticis, Cacochymicis, nimis obeſis, &c. producitur. Vel quando Semen acre nimis, ſalſum, venereâ qualitate imbutum è ſanguine ſecernitur: ſicut in Hominibus ſcorbuticis, Lue ♀ eâ affectis, &c. contingit. Vel denique, quando ſufficiens haberi Semen nequit, propter nimiam corporis exercitationem quotidianam, aut continuas animi ſollicitudines & curas graviores, triſtitiam, mœrorem, &c. 3. Sterilis quoque eſt Vir propter *Impotentiam*, quæ nihil eſt aliud, quàm ablata facultas coëundi cũ Fœminâ, propter deficientem Virgæ erectionem. Erigi autem hæc nequit, vel quia muſculi ipſius, atq; carnoſæ fibræ in ſpongioſâ ejus ſubſtantiâ, ſpirituum influxu carent debito; dum ſive ex levi quodam Catarrho apoplectico, ſive aliâ quacunque ratione Nervi obſtruuntur, ſicque flacciditas tanta Membro conciliatur, ut hinc erigi, inflari, rigidumque fieri amplius nequeat. Contribuit huc etiam utriusq; Teſticuli exſectio. Contribuunt refrigerationes corporis crebræ, uſus Ciborum refrigerantium, aquoſorum, ſalinorum &c. potus Aquæ vel Cereviſiæ non optimæ notæ quotidianus.

4. Atque

4. Atque hæ ſunt naturales Sterilitatis virilis cauſæ, quibus an Impotentia per incantationem, ſive ligulæ conſtrictionem, *daß Neſtel knüpffen*, accenſere debeamus, neſcimus. Faſcinationes tamen ejusmodi ſubinde contingere, ac à malefériatis Hominibus produci, poſt tot viſas auditasque obſervationes, dubitare minimè audemus. Quomodo autem, & per quæ media tales Homines ſua maleficia inſtituant, hactenus ediſcere neque attinuit, neque licuit. Præſtatur opus forſan per naturalia, ſed nobis nondum cognita remedia. Fortè etiam multum ſuperſtitionis phyſicæ intercedere poteſt, ut Malefici tales adhibitis à ſe mediis ſuccedentem effectum adſcribant, qui tamen immediatè ſolius Satanæ operationi attribuendus venit, quando in ejusmodi rebus naturalibus per ſe nulla vis aut facultas tale quid producendi exiſtit, vel exiſtere poteſt.

Diagnoſis. Cœterum Affectus hic cognoſci haud difficulter poteſt, ſimulque ſciri, à quanam ille cauſâ dependeat. Videtur tamen, non adeo facilè eſſe, rem divinare, quando Vir in matrimonio vivit, ſuumque Mariti officium Conjugi viriliter ſatis præſtat; utrum ſcil. Conjugii ſterilitas Viro vel Uxori ſit attribuenda? Verùm examinatis probè circumſtantiis ſingulis res in apricum prodibit, facileque cognoſcetur, cujusnam Conjugis culpâ prolis propagatio non ſuccedat.

Prognoſis. In *Prognoſi* Sterilitas Virilis per ſe nullum habet periculum; ſi tamen à paralyſi muſculorum Virgæ provenit, obſervatione noſtrâ prodromus fuit graviorum Apoplexiæ inſultuum, horumque lethalium. Si à defectu Seminis, per Scirrhum cancroſo-fungoſum, provenerit, prædicit quoque mortem ex Hecticâ maximè doloroſâ.

Curatio. In *Curatione* tenendum hoc ſtatim, neque Caſtratis, neque Teſticulorum Scirrho, Cancro, carnosâ Excreſcentiâ laborantibus, neque Genitalium abſciſſionem, gravem vulnerationem, ſtructuram à nativitate inconvenientem paſſis, ſimilibusque aliis, generandi facultatem vel dari, vel ablatam reſtitui poſſe.

Sterilitatis ab impotentiâ. Contra *Impotentiam* autem Virilem, non ſecus atque pro obſtructorum in Teſticulis vaſorum reſeratione, proque Seminis malè conſtituti correctione *Remedia* convenientia, & potiſſimùm quidem *Aphrodiſiaca* in uſum trahi ſolent. Hinc ſi *Impotentia* talis proveniat à *Paralyſi*, aut debilitate majore minoreve muſculorum Virgæ, intus quidem ſtatim *purgantes Pilulas* ſequentes, corpore priùs per exhibitas aliquot *Salis polychreſti*, vel *Salium lixiviorum* doſes præparato, dabis:

℞. *Maſſ. pilul. Marocoſtin.* ℈j.
Reſin. Jalapp. gr. iij.
Ol. ſtill. Piper. gutt. ij.
Cinnab. nat. opt. gr. vj.

M. f. l. a. Pilulæ num. xiij. *Conſperſæ pulvere Cinam. d. ad ch. ſumantur pro doſi ſummo mane, ac intra* 15. *dies bis reiterentur. Poſtea intus dabimus ſequentia:*

℞. *Eſſent. Succin.*
Beton. ana ℈iiij.
Zedoar.
Ambr. ana ℈ij.
Ol. ſtillat. Garyophyll. gutt. xij.

M. d. ad Vitr. m. ac veſp. ſumantur 26. 30. 40. guttæ pro doſi, cum hauſtulo Vini generoſi, aut cum Decocto Succolatæ Indorum in Lacte parato.

Vel cum hâc eadem *Succolatâ* ʒß. *aut* ʒj. ſequentis *Tragematis* capiatur bis quotidie:

℞. *Specier Imperator.* ʒij.
Diambr. ʒj.
Semin. Eruc.
Seſam.
Paſtinac. ſylveſtr. ana ℈ij.
Moſch. orient. ver.
Ambr. gryſ. ana ℈j.
Sacch. alb. ℥iv.

M. f. Pulv. ſubt. d. ad ſcatul.

Vel ſequens *Electuarium* convenit:

℞. *Conſerv. Anth.* ℥iß.
flor. Tunic.
Electuar. diaſatyr. ana ʒvj.
Nuc. Indic. condit. ʒij.
Zingib. condit. ʒj.
Spec. diamoſch. dulc. ℈ij.
Semin. Eruc.
Napi,
Garyophyll. arom. ana ʒß.
Ambr. gryſ. cum Sacchar o terend. gr. xv.
Syrup. de Cinamom. q. ſ.

M. f. Electuar. d. ad Ollam. Doſis eſt Nuciſtæ magnitudo aliquoties de die.

Vel ℞. *Conſerv. Flor. Borrag.* ℥j.
Citr. vel Aur. ℥ß.
Elect. diaſatyrion. ʒij.
Succolat. Indor. opt. ʒvj.
Nuc. Indic. cond. ℈ij.
Spec. diambr. ʒj.
Semin. Cinaræ ℈iiß.
Eruc. Nigell. ana ʒß.
Ambr. gryſ. cum Sacch. terend. gr. xij.

M. f. Electuar. d. ad Fictile.

Si cui magis arrident *Morſuli aperientes & aphrodiſiaci*, ſequentes capere ſæpius poteſt:

℞. *Radic. Satyrion. cond.*
Succolat. Indor. opt. ana ℥ß.
Nucl. Pinear.
Piſtacior. ana ʒiij.
Confect. Alk. compl. ʒj.
Cinam. opt.
Caryophyll. arom.
Zingiber. cond. ana ʒß.
Semin. Napi
Fænic. ana ℈ij.
Ambr. gryſ.
Moſch. orient. ana ſacch aro terendor. gr. vj.
Sacch. albiſſ. Aqu. Cinnam. ſol. ℥xx. *vel* ℥xxiv.

M. f. l. a. Morſuli d. ad ſcat. Subinde aliquid lambatur.

Huc referendum eſt *Secretum* illud *Henrici* IV. *Regis Gall.* ad Semen multiplicandum, Virilitatemque reſuſcitandam atque confortandam, cum fructu multoties uſurpatum:

℞. *Nucleor. Avellanar.*
Pinear.
Piſtaciar. ana. ℥ij.
Cerebri duorum Paſſerum, vel ʒß.
Stinc. marin.
Radic. Satyrion. rec. ana ʒix.
Sacch. cand. alb. ℥j.

Teſticu-

Teſticulor. Capri priùs aſſator. num. ij.

Omnia invicem inciſ. & contuſ. coque cum Lacte vaccino, & per ſetaceum transmitte: quod primâ vice non tranſit, iterum coque, & transmitte inſtar Caſſiæ, donec omnia ſint transmiſſa, tum adde

Semin Eruc.
Cœpar.
Napi,
Galang.
Zingiber.
Cinamom.
Cardamom. ana pulveriſat. ℈ij.
Ambr. gryſ. ℈ß.
Sacch. albiſſ. ℔ß. *vel* ℔j. *cum Aqu. Meliſſ. vel Cinamom. ſolut.*

F. l. a. Morſuli, quorum doſis eſt ʒij. *vel* ʒiij. *ſemel aut bis quotidie.*

Sunt qui Membrum quoque ſuum non ſine fructu ſequenti *Unguento* inungunt mane ac veſp. quotidie:

℞. *Galliæ moſchat.* ʒj.
Specier. diambr.
diamoſch. dulc. ana ℈ß.
Zibeth. gran. iv.
Pulveris Croci gr. vj.
Olei Amygd. dulc. rec. expr. q. ſ.

M. f. Unguent. ad inungendam penis glandem.

Præterea *Balneum Aquæ dulcis* cum incoctione *Herbarum cephalico-nervinarum*, vel *Thermarum ſulphurearum* uſus quotidianus convenit. *Vinum* bibatur moderatè, ſed optimum. *Cibi* ſint delicati, optimum ſuccum præbentes, benè aromatiſati. *Animus* ſit curis vacuus, neque Iræ, neque Triſtitiæ nimium indulgens. Corporis *motus* ſint moderati &c.

Eadem remedia ac medendi methodus etiam convenit eo in caſu, ubi Semen eſt vel ſpiſſius vel aquoſius, ac utrobique iners. *Quando Semen eſt aquoſum ac iners.*

Si à *Lue venereâ* ſit corruptum, & acrius juſto, tum demulcentibus *Emulſionibus Amygdalar. dulc. Pinear. Semin. frig. major.* nec non *Decocto Lignorum*, & *Pulveribus abſorbentibus* ♁ *n. diaph. Corall. rubr. ppt. Ebor. ppt.* &c. eſt corrigendum. Lues venerea etiam optimè qualicunque demum curâ venit extirpanda. Æſtivo tempore *Thermæ Fabarienſes, Leucenſes, Plumbariæ*, vel aliæ hauriantur. *Corruptū in Lue venereâ.*

Semen in *Scorbuticâ Cacochymiâ* ſalſo-aquoſius juſto corrigitur longo uſu *Remediorum antiſcorbuticorum*, quæ cum *Emulſionibus amygdalinis, Eſſentiâ Trifolii fibrini, Spiritu Cochleariæ, Fœniculi,* &c. ſunt ſumenda. *Scorbuticâ cacochymiâ.*

Si Obſtructi fuerint quocunque modo tubuli Teſtium, tum iidem hi ſpirituoſi Liquores cum *Eſſentiâ Ambræ*, & *Aquâ Cinam. cum Vin. deſtill.* permiſti quotidie bis vel ter ad 26. guttas cum *Succolatâ* ſumantur. Vel *Sal volatile oleoſum* in uſum ſimilem trahatur. *Tragema* quoque ſuperius, vel *Morſuli* præſcribi poſſunt, diu admodum uſurpandi. *Obſtructio Teſticulorum.*

STERILITAS MVLIEBRIS, eſt Symptoma facultatis generatricis in Muliere extinctæ, quo ea ſibi ſimilem prolem ex congreſſu cum Marito concipere atque producere nequit. *Sterilitas muliebris.*

Cauſa in Uteri vaginâ. Contingit hæc vitio nunc Vaginæ uterinæ, nunc Uteri, nunc Teſticulorum. Vagina Uteri ſi imperforata ſit, ſi per ſe, aut ſimul cum Utero prolapſa, ſi Glandulæ ipſius ſint obſtructæ, vel ſi hæ Lympham mucoſam acriuſculam, aut copioſam nimis eructent, occaſionem Sterilitati præbere poſſunt, quatenus ſub hoc ſtatu aura maſculini Seminis vel obliteratur, & inviſcatur, vel propter obſtructiones varias etiam in Cervice uterinâ contingentes penetrare, aut certè ad maſſam humoralem Fœminæ pertingere, inibique, prout nonnullorum ſententia eſt, tendentiam & directionem motûs Spirituum ad Ovaria ſuſcitare nequit.

Cervice. Cervicis uterinæ culpâ ſteriles ſunt Fœminæ, quando illa ſimiliter imperforata exiſtit, vel aliàs firmiter ita clauſa, ut ſpiritui Seminis maſculini plaſtico tranſitum omnem deneget; vel quando laxa nimis exiſtit, Semenq; modò admiſſum ſtatim iterum elabi ſinit.

Utero ipſo. Uteri vitio idem contingit, quando ejus ſubſtantia vel dura nimis, obſtructa, ſcirrhoſa, aut etiam cancroſa evaſit, ut ſufficienter expandi nequeat pro Fœtu continendo; aut ſpiritum Seminis maſculini tranſire non ſinit per poros, ſive Fallopii tunicam; vel quando ſubſtantia eadem Uteri flaccida nimium, oedematoſa, aut putredini qualicunque obnoxia exiſtit: in quo ſtatu Ovula utcunque fœcundata neque retinere ac fovere, neque nutrire valet.

Tubis Fallopianis. Si porrò Tubæ Fallopianæ imperviæ quomodocunque extiterint, & ita vel ſeminali auræ, vel Ovulis tranſitum non concedant, Sterilitas quoque contingit.

Ovariis. Tandem Ovaria ſcirrhoſa, cancroſa, oedematoſa, pinguedine obſita, viſcoſis humoribus obſtructa, flaccida, item hydropica, aut corruptis etiam Ovulis ſcatentia Sterilitatem inducunt.

In temperamento & al. iisq. rebus. Si præterea Fœminæ temperamento gaudeant ſanguineo-bilioſo, & Hæmorrhagiis uterinis ſint obnoxiæ; ſi nimiis corporis exercitationibus, ſi largiori quotidie potui Vini, Cibis quin & aquoſis, ſalſis, nimium aromaticis indulgeant; ſi Lue tandem ♀ eâ corruptæ fuerint Fœminæ, Sterilitatē quoq; ſibi contrahunt. Menſium ſuppreſſionem huc aliqui referunt, ſed vidimus aliquas nondum menſtruatas concepiſſe tamen & genuiſſe.

Diagnoſis & Prognoſis. Cognoſcitur Sterilitas per ſe, Cauſæ verò illius ex circumſtantiis ſupra dictis peti debent. In *Prognoſi* nihil peculiare dicendum, nullum enim Affectus per ſe periculum vel portendit, vel poſt ſe trahit.

Curatio. In *Curatione* ad Cauſas attendendum; Imperforatio quidem Chirurgicam Operationem requirit, ſuo loco indigitatam.

Obſtructiones verò Glandularum vaginalium, Uteri ipſius, imò Ovariorum, adeoque & Menſium ſuppreſſiones, deſiderant reſerationem ſui per *purgantia, aperientia, detergentia*, hinc & *reſolventia* ad *blandè volatilia.*

latilia. Quem in finem omnis illa medendi methodus, quam in *Suppreſſione Menſium* commendare ſolemus, heic convenit. Inprimis autem poſt Corpus benè præparatum uſumque *Decocti aperientis* ac *reſolventis*, in quo *Scrophulariæ*, *Filipendulæ*, *Dictamni*, *Rhabarbari Monachorum*, *Ariſtolochiæ*, *Meu*, ac ſimiles radices inprimis adhibitæ fuerunt, convenit *Potus* ac *Balneum Thermarum Leucenſium*, *Piperinarum*, *Embſenſium*, *Carolinarum*, aut *Plumbariarum*. *Balneum* item *Thermarum ♀reo-argillaceo-nitroſarum*, v.g. *Badenſium*, *Schintzenacenſium*, *Fabarienſium*, *Wisbadenſium*, ac ſimilium.

Si *Lues ♀rea* in culpâ extiterit, hæc perſananda erit, ac ita forſan Fœcunditas conciliabitur; quod tamen rarò contingit in tali corporis conſtitutione.

Si *Scorbutus* Sterilitatem produxerit, omnis ad Scorbuti curationem attentio dirigi debet.

In *Temperamento pituitoſo*, *obeſoq;* nimis procedendum, ut in Menſium ſuppreſſione.

Si *Hæmorrhagia Uteri* exceſſiva fuerit frequens, tum corrigetur abſorbentibus, blandè incraſſantibus, acrimoniam ſanguinis edulcorantibus, quæ ſimiliter in temperie ſanguineo-bilioſâ acri conducunt: v.gr. Corpus *Rhabarbaro in ſubſtantiâ ad* ʒj. dato purgabitur; hinc *abſorbentes Pulveres* dabuntur; æſtivo tempore *Acidulæ*, vel *Juſcula Lactucâ*, *Endiviâ*, *Portulacâ*, *Brunellâ*, *Plantagine* &c. alterata per aliquot hebdomadas potabuntur. *Lac aſininum* debito cum regimine potum ſimiliter convenit.

In *Oedematoſâ* ac *flaccidâ diſpoſitione Uteri*, methodus ea curandi obſervabitur, quam in *Anaſarcâ* ſuo loco commendavimus.

In *Scirrho* & *Cancro Uteri*, curatio inſtituetur planè ſicut in talibus, ſuo loco, Affectibus dictum eſt.

In *Prolapſu Vaginæ* vel *Uteri* ipſius itidem remedia uſurpabuntur, quemadmodum ſub Titulo indigitatum de *Procidentiâ Uteri*.

Denique Sterilitas à *malâ Diætâ* procedens, hujus debitâ correctione tolletur.

STERNUTATIO NIMIA, eſt Symptoma excretionis narium depravatæ, quo natura, quicquid Narium fibrillis moleſtum ineſt, atque gravius vellicat, cum vi quadam ac impetu, non ſine pectoris & capitis concuſſione, imò cum ſpaſmodicis fibrarum contractionibus expellere conatur. *Sternutatio nimia.*

Laborant heic principaliter, atq; irritantur nervoſæ, Nariũ interioris, tunicæ, fibrillæ quæ fortius irritatæ non ſolùm proximas qualeſcunq; membranulas nerveas, ſed & Diaphragmatis, Pectoriſq; muſculos in conſenſum trahunt, ita ut per horum violentam contractionem ſpiritum cum impetu è Pulmonibus ejiciant, ac per Naſum expellant, dum interea ſimul fibrillæ Narium valdè contractæ eniti, & amoliri à ſe ſtudent moleſtantes qualeſcunque acres particulas. *Pars affecta.*

Cauſa. *Cauſa* proin Sternutationis vel *interna* eſt, vel *externa*. *Interna* eſt Humor ſalſo-acriuſculus, in Coryzâ v. g. copioſè è Glandulis tunicæ Narium exſudans, hincq; vicinas ſtatim fibrillas ſtrenuè vellicans. *Externam* cauſam faciunt ſternutatorii pulveres naribus immiſſi; vel pulviſculi acres qualescunque, & odores naribus moleſti, in aëre, quem haurimus, volitantes; vel Aër nebuloſo-humido-rigidiuſculus, in quo diutius verſamur. Etiam ſolares radii in Narium tunicam incidentes ſimile quid præſtare valent; ſaltem unam vel alteram ſternutationem efficere ſolent.

Progno-ſis. Si nimis frequens contingat Sternutatio, quemadmodum novi intra horæ ſpatium plus quam ducenties & amplius Fœminam quandam ſternutaviſſe, metus eſt, ne vel in Cerebro nimis concuſſo Vas aliquod rumpatur, & ita Apoplexia gignatur; vel Vaſa pulmonum frangantur, cùm ſubſequente Hæmoptoe, aut Aſthmate ac Phthiſi; vel Hernia aliqua excitetur.

Curatio. Adeoque & hic Affectus contemni non debet; quin ſuâ indiget *Curatione*, quam inſtituere licebit præmittendo *Purgans* aliquod cum *Mercurio dulci*, vel ſequens:

℞. *Spirit. Anth.*
Aqu. Vit. Matth. ana ʒß.
Reſin Jalapp. gr. viij.
ſolutis lento igne, adde
Syrup. de Beton. ʒij.
Aqu. Cinam. ʒj.
M. d. ad Vitr. pro doſi matutinâ.

Poſtea *Infuſum Folior. Thée*, *Beton. Beccabung. Sanicul. Roſar. rubr.* bis de die ſumatur, ſaltem ad præcavendum Affectûs crebriorem inſultum. Imò ſimul quandoque *Ebur. ppt.* ♁ *n. diaph. Ocul.* ♋. *ppt. Terr. ſigill. Cinnab.* ♁ *n. corr. ad* ʒß. exhibebitur.

Extus vel *Aqua tepida*, vel *Lac tepidum*, vel *Decoctum Radic. & Herb. emollient.* cum vel ſine tantillo *Lixivii communis*, ſæpè Naribus immittatur. *Fricatio* quoque frontis inter duo ſupercilia ad Naſi ſummitatem valida, ſternutationem non rarò impedit.

STOMACACE eſt *Scorbutus*, quem vide ſuo loco expoſitum.

Stran-ria. STRANGVRIA eſt Symptoma depravatæ excretionis Urinæ, in quo Æger hanc crebrò non niſi guttatim, cum ardore & dolore excernere cogitur.

Diffe- Dyſu- Differt hinc à *Dyſuriâ*, in quâ plus Urinæ, nec ita frequenter, cum difficultate ac dolore, ſed non ſemper cum ardore excernitur: ab *Iſchuriâ*, in quâ nulla prorſus Urina redditur, ſive dein ſtimulus ad mingendum adſit, ſive non: ab *Incontinentiâ* denique, in quâ Urina ſine ardore aut labore continuè profluit, nec retineri ab homine poteſt. *Iſchu-* *Inco-nent-*

Cauſ- Vitii veſi- Contingit Stranguria 1. *Vitio Veſicæ*, hujusque *Sphincteris* orificium cingentis, quando nimirum frequentiſſimè ad excernendum ſtimulatur, ſive à muco acido-acri qualicunque, ſive à pure acri, ſive à calculis majoribus aut minoribus, ſabulove aſpero.

Quando

Quando etiam Veſicæ ſuperficies interior excoriatur, ac ſuo naturali, quo obtecta eſſe deberet, muco privatur, hincque ab Urinâ qualicunque accedente ſtatim ad mingendum ſtimulatur. Quando denique pars hæc aut illa Veſicæ, ſive ab humore acido-acri, ſive à Calculi alicujus aſperitate corroditur & exulceratur: qualis affectio, non ſecus atque Excoriatio Senibus non rarò obtingit, præſertim ſi carnosâ ſimul Herniâ ſcrotum validè per ſuum pondus deorſum trudente laborent. 2. Contingit *Vitio Urethræ*, quando interna hujus ſuperficies à Semine aliove humore acri in Gonorrhœâ virulentâ excoriatur, ipſumque Semen acre & venereum continuè per excoriatæ Proſtatarum glandulæ orificia in Urethram profluit. 3. *Vitio* ipſius *Urinæ*, quando hæc acido-ſalino-acris, & quaſi fervida è ſanguine per Renum canaliculos profluit: quod non rarò bibulis, frigore oblæſis, ſcorbuticis, atque Cereviſiam recentem nondum defœcatam bibentibus, aut aliis evenit, quibus Sanguis ob ſalium fluorem in Febribus acutis, aut his illisve morbis aceſcit.

[…]am […]thra. · […]um […]inæ, · […]rogno-[…]. (margin notes, cut off)

In *Prognoſi* Stranguria omnis curabilis eſt, exceptâ illâ Senum, quæ ſubinde quidem mitigatur, ſed plerunque tamen illos, nunc plus, nunc minus mitigata, ad mortem usque comitatur, tandemque Inſultus apoplecticos, vel Maraſmum, vel Hydropem lethalem poſt ſe trahit. Qui verò majori Veſicæ Calculo laborat, quàm ut per Urethram tranſire queat, huic etiam talis Affectus multum obtingit, ſed mitigatur cum tempore, quando Calculus muco copioſo ita obducitur, ut ſuâ aſperitate ſtimulare amplius nequeat.

In *Curatione* ſi Stranguria proveniat ab aciditate & acrimoniâ Urinæ per Cereviſiæ novellæ potum inductâ, hauſtu uno alterove *Spiritûs Vini*, vel *Spiritûs Frumentorum*, vel *Spiritûs Ceraſorum nigrorum* tollitur. Sed & *Elixir Vitæ Mathioli*, vel qualecunque aliud ſtomachicum per cochlearia ſumi poteſt cum fructu. Si quis autem talia ſpirituoſa bibere neſciat, & Abſtemius ſit, ei conſulimus unum vel alterum hauſtum *Emulſionis Seminum frigidorum majorum* cum ʒß. *Corall. rubr. ppt.* & ℈ß. *Pulveris Cinamom. Cubebar. Caryophyll. arom. Cubeb.* vel *Galangæ*. Pari modo *Tragema ſtomachicum* ex ſequentibus convenit: Curatio.

℞. *Specier. Imperat.*
Diagalang. ana ʒj.
Seminis Melonum,
Pap. alb. ana ℈iiij.
Ocul. ♋. *ppt.*
Corall. rubr. ppt. ana ʒiß.
Pulv. rad. Liquirit. ℈iiiß.
Sacch. alb. ℥iiß.

M. f. Pulv. ſubt. d. ad ſcat. Doſ. m. ac veſp. ʒij. cum *vehiculo conveniente.*

Qui oleoſa graviter olentia *non formidat*, is cum fructu aliquoties 12. vel 15. guttas *Olei deſtill. Tereb.* vel *Baccar. Junip.* cum hauſtu *Emulſionis* prædictæ, vel *Decocti Rad. Filic. Gramin. Liquir.* & *Ligni Saſſafras* hauriet.

In

In *Stranguriâ* ab *Arenulis*, vel *Calculo* proveniente convenit *Decoctum* ſequens:

℞. *Radic. Filic.*
Caryophyllat.
Alth. ana ℥iij.
Herb. Sanicul.
Pyrol.
Plantag.
Flor. Chamomill.
Melilot. ana Mß.
Jujubar. par. iv.
Semin. Fœnic. ℥ij.

Inciſ. & contuſ. coque in Menſuris duabus Aqu. fontanæ per dimidiam horam, Colatura d. ad Vitr. de quâ ter quotidie propinentur unciæ quatuor calidè.

Vel cum *Decocto Radicis Filicis* & *Caryophyllatæ Emulſio* paretur *Seminum frigidorum*, & de hâc, *Syrupo de Althæâ Fern.* tantillum edulcoratâ, ter quotidie hauſtus exhibeatur, cum ℈j. *Ocul.* ♋. *ppt.* vel *Balſam. de Copaiba guttis* vj. Si dolor valdè urgeat, etiam *Semen Papaveris albi*, aut *guttulæ ſex* vel *octo Eſſentiæ Opii liquidæ*, Emulſionibus immitti ſubinde poſſunt. Vel ſequens etiam *Pulvis* ordinetur *anodynus*, *abſorbens*, *acido reſiſtens*, renes atque veſicam blandè detergens:

℞. *Pulv. Radic. Liquirit.*
Ocul. ♋. *ppt.*
♃*n. diaph.*
Semin. Milii ſolis ana ℥j.
Melonum ℥ij.
Papav. rhead. ℥iß.
Sacch. cand. alb. ℥iij.
Gumm. Arabic. ℥ij.

M. f. Pulv. ſubt. d. ad ſcat. Singulis bihoriis ſumatur cochleare ſemiplenum ſiccè lambendum. Vel quandoque *Pilulæ terebinthinatæ* cum *Balſamo de Copaibâ* & *Theriacâ cæleſti* dentur.

In *Diætâ* omnia nimis ſalſa, fumo indurata, acida, viſcida, lenta, dyſpepta vitentur. Vinum non niſi tenue, album, vetus, bonum, diureticum modicè concedatur.

Si Stranguria provenit à *Veſicæ Scabie*, *Excoriatione*, vel *Ulcere*, tum remedia ſub Veſicæ morbis indigitata in uſum vocari debent.

Ortum verò ducens à *Vappeſcentiâ* & *Acore Seri ſanguinei*, ſalibusve in fluorem acido-acrem reſolutis, remedia deſiderat partim totam Maſſam ſanguineam valdè diluentia, partim abſorbentia & edulcorantia, partim denique, ſi neceſſitas multum urgeat, anodyna. Heic certè primæ viæ ſequenti *Potione* ante omnia expurgabuntur:

℞. *Caſſiæ recent. extr.* ℥iß.
Aqu. Gramin.
Scabioſ. ana q. ſ.

Solve ſuper ignem lenem, cola, & adde

Syrup. Flor. Perſic. ℥vj. *vel de Cichor. cum Rhab.* ℥v.
Aqu. Cinam. ℥iß.

M. f. Potio d. ad Vitr. pro doſi matutinâ.

Poſtea *Decoctum* ſequens pro ordinario Potu ſemper bibatur largis etiam hauſtibus:

℞. *Radic. Filic.* ℥iij.
Chin. ℥vj.
Gramin. ℥ß.
Raſur. Lign. Saſſaphr. ℥j.

C. C.

C. C. uſt. ʒiij.
Semin. Fœnic. ℥ß.
Inciſ. & contuſ. coque per integram horam in Aqu. fontanæ Menſ. vj. *Colat. d. ad Ampullas vitreas.*

Cum hoc Decocto etiam *Emulſiones Seminum frigidorum* parari, ac ſubinde ad aliquot uncias hauriri poſſunt; v. gr.

℞. *Semin. 4. frig. major. ana* ʒij.
Lactuc. ʒiß.
Amygd. dulc. rec. excort. ℥ß.
Aqu. Gramin. vel
Portulac. vel
Decoct. ſuperioris ℥xiij.
F. l. a. Emulſio, cui adde
Syrup. de Alth. Fernel. ℥ij.
Detur ad Vitrum.

Æſtivo tempore *Acidulæ*, vel *Thermæ Piperinæ*, aut *Plumbariæ*, vel aliæ cum bono regimine diætæ uſurpentur in potu. Vere autem vel Autumno, imò inprimis Majo menſe *Juſcula* Herbis *Naſturtiorum*, *Plantaginis*, *Borraginis*, *Fumariæ*, *Beccabungæ*, *Cherefolii*, &c. alterata maximè conducunt. His adde ſequens *Tragema* diligenter uſurpandum:

℞. *Specier. dianth.*
diatr. ſantal. ana ʒiß.
Corall. alb. ppt.
Ebor. uſt. & ppt.
Ocul. ♋. *ppt.*
Radic. Liquirit.
♁ *n. diaph.*
Dent. apr. ppt. ana ʒij.
Sacch. alb. ℥iv.

M. f. Pulv. ſubt. d. ad ſcat. Mane, veſperi ac noctu cochleare ſemiplenum etiam ſiccè deglutiatur.

Quandoque *Sal volatile oleoſum* cum ſuperiore *Decocto*, vel *Aquâ Graminis*, *Scabioſ.* &c. mane ac veſperi ad 20. aut 30. guttas datur cum ſucceſſu. Diuturno autem ſubinde uſu remediorum opus eſt ad hunc Affectum corrigendum.

Si ab Excoriatione Urethræ & virulentâ Gonorrhoeâ malum fuerit excitatum, remedia in tali Gonorrhoeâ commendata in uſum heic etiam vocabuntur. *Diæta* in omnibus acido reſiſtens obſervetur.

STRVMA eſt Tumor Glandulæ unius vel plurium Colli ſcirrhoſus, indolens, cuti concolor, magnus aut parvus, ſenſim ex ſucco allabente pituitoſo-viſcido, coagulato oriundus. *Struma.*

Glandulæ heic Colli afficiuntur; cùm aliarum partium glandulæ Scirrhorum magis, quàm Strumarum nomine veniant. *Pars affecta.*

Differt Struma à *Bronchocele*, quæ eſt violenta membranarum Colli diſtenſio potius, quàm Glandularum intumeſcentia: à *Scrophulis* autem, quod hæ numero plures, nec ita grandes, nunc ſubitò cum Febri ephemerâ, nunc paulatim enaſcantur. Struma autem utplurimum ſolùm unicam, rarò duas vel tres Glandulas, niſi utrinque in lateribus Colli, affligit, & ſubinde in magnam molem ita accreſcit, ut pendula ſit, ac antrorſum vel retrorſum trudi queat. *Differt à Bronchocele, à Scrophulis.*

Differunt hinc Strumæ reſpectu *magnitudinis*, *ætatis*, *cohærentiæ cum cum vicinis partibus*, ac *loci*. Sunt enim nunc *majores*, nunc *minores*; *Strumarum diverſitas.*

 recentes

recentes & adhuc *molliores*, vel *inveterati* & *duriores*; in *lateribus colli*, vel *antrorſum* ſuper *jugulum*, aut *retrorſum* in *nuchâ*; ſub cute *mobiles*, ac ſubinde *pendulæ*, vel *membranis* muſculorum *firmiùs connexæ*; *rotundæ*, aut *figuræ inæqualis*; *Puerorum* vel *Adultorum*.

Cauſa. Gignit verò has Strumas proximè quidem Humor pituitoſo-lentus in poris atque tubulis Glandulæ hujus aut illius ex maſſâ ſanguineâ collectus, ob lentorem facilè ſubſiſtens, ab accedente novâ ſenſim materiâ auctus, tandemque abſcedentibus & exſpirantibus particulis aquoſo-ſpirituoſis, inſpiſſatus atque induratus. Suppeditat ergo Sanguinis maſſa talem lentam pituitam, eamque per circulationem trudit intra poros ac tubulos Glandulorum Colli. Viſcoſa hæc eſt & craſſa materia, ſine acrimoniâ, quippe ex aquoſo-caſeoſo-terreſtribus, in coagulum minus acre concreſcentibus particulis compoſita. Subſiſtit in his magis quàm aliis Glandulis, quoniam homines illas aëreo frigori expoſitas tenent, ob quod dein Cutis, cum ſubjectis Glandularum tubulis haud difficulter conſtringitur, ac ita per pororum & tubulorum anguſtationem occaſio præbetur, ut faciliùs heic morbifica cauſa ſtagnet, quàm alibi, ubi ampliata magis per ambientē calorem vaſcula manent. Potus Aquarum aliorumque Liquorum admodum frigidorum & glacialium frequens, per ſimilem in deglutitione conſtrictionem tubulorum, unde & Glandularum pori ſympathicè anguſtantur, non parum quoque ad hunc Affectum confert. Hinc in Valleſiâ, Stiriâ, multisque aliis montoſis regionibus Strumæ frequentiſſimæ exiſtunt. Dantur & Aquæ puteales frigidæ, quæ quotidie potæ ſimilem effectum producunt. Porrò & Cibi varii lenti ac viſcidi, pituitoſo principio ſcatentes Strumas gignunt. Inprimis etiam accuſamus nimias vociferationes, vehementiores conatus parturiendi, aut alvi fœces extrudendi, quatenus tunicas Colli ob cohibitum ſpiritum valdè expandunt.

In *Prognoſi* Strumas juniores ac recentes inveteratis curabiliores credimus, præprimis apud Juvenes aut Pueros adhuc. Inveteratas autem nemo facilè, niſi per exciſionem ſuſtulerit. *Prognoſis.*

Quòd ſi ergo diſſipare Strumam velis, ne id hyberno tempore, quo remediorum effectus admodū debiles exiſtunt, tentare geſtias; ſed reliquis anni menſibus, inprimis autem verno vel autumnali tempore negotium hoc ſuſcipies, quoniam hoc fortunatior in curando evades. Nimirum Corpus aliquoties intra ſpatium 15. dierum purgabis ſeqq. *Pilulis*, Adulto præſcribendis; v. gr. *Curat.*

℞. *Maſſ. Pilul. Emanuel.* vel *Marocoſt.* ℈j.
Reſin. Scammon. gr. iij.
Mercur. dulc. opt. gr. xv.
Ol. ſtillat. Aniſ. q. ſ.

M. f. l. a. Pilulæ num. xv. *conſperſ. pulv. Cinamom. d. ad ſcat. Sumantur mane pro doſi cum regimine Diætæ.* Pueris & Adoleſcentibus *Pulveres* dabis

dabis ex *Radic. Mechoacann.* cum *Mercur. dulc.* v. g. pro Puero x. annorum:

℞. *Radic. Mechoacann. gr.* xv. *vel*
Jalapp. ℈ß.
Mercur. dulc. opt. gr. xij.
Scammon. ♁*rat. gr.* ij. *vel* iij.
Sacch. roſ. gr. viij.
M. f. Pulv. ſubtil. d. ad ch. pro doſi matutinâ.

Poſtea Lunâ decreſcente, h. e. toto illo tempore inter Plenilunium & Novilunium *Pulvis contra Strumam* uſurpetur ſequens vel ſimilis:

℞. *Spongiar. marin. incinerat.*
Lapid. Spongit.
Radic. Scrophular.
Oſſis Sepiæ ppt. ana ℥iij.
Cinam. opt. ℥j.
Cubebar.
Zingib.
Piper. long. ana ʒij.
M. f. Pulv. ſubt. d. ad ſcat. Doſis ʒj. *ſingulis diebus, bihorio poſt Cœnam,* vel mane cum *Melle*, aut *Syrupo Violar.* Habetur & in Officinis *Pulvis contra Strumas*, ſimili virtute gaudens. Quando Novilunium adeſt, tum ab uſu Pulveris deſiſtendum, donec Plenilunium redierit, atque tum de novo idem ſumendus. Sic per decretionis lunaris dies, aliquot vicibus remedium uſurpabitur, donec Struma diſſipata planè fuerit.

Extus Struma *Oleo Scorpionum Matth.* vel *Oleo Lacertarum*, *Oleo Philoſophor.* aut *Scarabæorum* quotidie inungi poteſt. Tentare etiam licet diſcuſſionem Tumoris per diuturnam impoſitionem *Cataplaſmatis* ſeqq. vel ſimilis:

℞. *Radic. Scrophular.*
Ariſtoloch. rot. ver.
Spongiar. uſtar.
Gallar. uſtar.
Cochlear. uſtar. cum teſt. aa. ʒij.
Semin. Urtic. ℥j.
M. f. Pulv. ſubtilis, qui cum ſ. q. Lixivii ſarmentor. Vitis coquatur in formam Cataplaſmatis, quod calidè ſemper & crebrò applicetur.

Emplaſtrum diaphor. Mynſ. de Cicutâ, Diapalm. de Ranis Vig. cum Mercur. de Baccis Laur. diligenter etiam uſurpabitur.

Si penſilis, vel ſub cute mobilis ſit Struma, inciſâ cute integra eximetur, vulnusq; inde factum ſolito more curabitur. Si verò tendini cuidam pertinaciùs adhæſerit, & ſic reſpirationem Hominis valdè moleſtet, tum inciſâ cute Struma undique ligata usque ad Tendinem, & probè quidem conſtricta, vel reſcindatur ſtatim, vel linquatur, donec ſponte decidat. Atque tum demum factum Ulcus per extergentia & conſolidantia ſanabitur. Sunt qui *cathæreticis & exedentibus Remediis* Strumam erodendo ſenſim abſumunt; ſed crudelis hæc eſt, diuturna, atque ancipitis eventûs curatio, adeoque vix niſi à periſſimo Chirurgo ſuſcipienda.

Notandum eſt hoc, quod ab uſu ſuperius allegati Pulveris Struma quidem aliquando diſpareat, ſed inſimul tamen corpus macie infeſtetur, ac ſi Homo plenè ac planè nutritionem omnem amitteret. Sed Strumâ ſic diſſipatâ,

ſipatâ, vigenteque appetitu, brevi ſtructura & habitus corporis redintegrabitur.

Stupor. STVPOR in genere, *Narce*, *Narcoſis*, Ἀναισθησία, eſt ſenſûs Tactûs in aliquâ vel pluribus corporis noſtri partibus abolitio, eaque vel *generalis*, plures ſimul partes, imò integrum quandoque latus affligens, ſubinde cum motu ſimul ablato; vel *ſpecialis*, in parte unâ ſolâ contingens.

Differentia. Quando motus & ſenſus ſimul abolentur, non ſimpliciter *Stupor*, ſed *Paralyſis* vocatur, de quâ ſuo loco. Aliquando tamen Stupor præcedere ſolet Paralyſin.

Diviſio. Stupor etiam eſt nunc *totalis*, quando pars integrè ſenſu Tactûs privatur; nunc *partialis*, quando ſenſus ille tantùm eſt diminutus, ſicque vulgò membrum dicitur obdormiviſſe.

Particularis Stupor. *Particularis* Stupor in unâ vel alterâ tantùm parte ſolâ ſpectatur, ſive dein illa pars ſimul reſoluta ſit ſive non. Quemadmodum v. g. in Ano vel Veſicâ contingere poteſt aliqualis Stupor, unde Homines dein ſegniores evadunt ad excrementa reddenda, utpote ſtimulum vel non ſentientes planè, vel tardè obſervantes. Si verò ſimul heic Paralyſis accedat, etiam excrementa invitis profluent. Aliâs in Apoplecticis, vel Hydropicis interdum aliqualis ejusmodi Stupor, imò in Maniâ quoque talis contingit, ut duplici vel triplici ſæpiùs doſi purgantium opus ſit, ad ſtimulum egerendi procurandum. Ita & in Cute, Membranis, atque Viſceribus internis ejusmodi Stupor ſolitarius produci ſolet, ut non ſentiant objecta externa.

Stupor etiam nunc *perfectus* eſt, quando ſenſus Tactûs in aliquâ parte planè eſt abolitus; nunc *imperfectus*, quando ex parte retinetur, ſed inſimul depravatur, adeoque moleſtam aliquam fibrarum agitationem, eamque plus minus doloroſam in parte quadam percipit. Atque ad hunc *imperfectum Stuporem* referre licet 1. illam Membri cujusdam ſic dictam *Obdormiſcentiam*, cum ſenſu formicationis in cute, quando pars ſic affecta non percipit oblata objecta, propter ſenſum depravatum in parte contingentem, ac ſi integer Formicarum diſcurſus per illam procederet. Hoc verò illis evenit, qui vel arctè nimis membrum quoddam ligârunt, vel diu nimis uni membro incubuerunt, ſicque & Sanguinis & Spirituum circuitum impediverunt. 2. *Senſationem* illam *incommodam*, quæ interdum Dentibus inter maſticandum, inprimis quando auſtero vel vitriolico humore imbuti fuerunt, accidere ſolet: quam Affectionem partim *Hæmodiam*, partim *Stuporem Dentium* appellant. 3. *Senſum* quoque illum *ſummè dolorificum*, qui membris, inprimis manuum pedumque digitis frigore primùm magno obrigeſcentibus, ſed repentè iterum excalefactis obtingit, ad radices Unguium penetrantem, unde Germanis *da Näglen* vocari conſuevit, appellatione ab Unguibus petitâ.

Cauſa

Cauſa Stuporis omnis eſt vel ablata prorſus, vel imminuta perculſionis ſeu vibrationis actio in fibrillis membranarum ſenſibilibus, ab objectis qualibuscunque externis in ſtatu naturali ortum ducens. Ineptæ redduntur fibrillæ ad talem perculſionem ſive vibrationem naturalem recipiendam à compreſſione, vel obſtructione quadã, & hinc oriente flacciditate, vel diſciſſione, dilaceratione, eroſione, aut nimiâ refrigeratione & conſtrictione, aut à forti nimis ligatione, unde à Spiritibus animalibus ſive fluido nerveo irradiari, motusque ad Tactûs ſenſum neceſſarios adipiſci nequeunt; vel ſi tantillum influunt Spiritus, imperfectus tantùm, imò non rarò depravatus Senſus, cum aliquâ formicationis perceptione excitatur. Quomodo autem hæc omnia contingere queant, ex ætiologiâ *Paralyſeos*, ſuo loco traditâ, peti debet.

…gno- & …gno·

Uti verò Affectus hic facilè cognoſcitur, ita ſubinde, ſi à causâ quadam internâ obſtruente provenit, Apoplecticos ferè inſultus præſagire ſolet. Curabile tamen ſic eſt malum, non ſecus atque Stupor à ſolâ compreſſione vel forti nimis ligaturâ, aut à refrigeratione magnâ proveniens. Qui verò diſciſſionem, eroſionem, aut dilacerationem Nervulorum ſequitur Stupor, omni remedio caret, ſanarique nequit.

…atio.

In *Curatione* Stuporis influxus Spirituum animalium eſt procurandus; obſtructi hinc ſi fuerint Nervi, *Paralyſeos* curatio inſtituetur. Si ligati nimis, ſolvetur ligatura, & Parti libertas concedetur; ſi compreſſi valdè, cauſa comprimens tolli debebit. Si à refrigeratione nimiâ provenerit, membra vel nive fricabuntur, vel in aquam fontis puram frigidam primùm, hinc ſenſim in tepentem immergentur, neque confeſtim igni vel foco admovebuntur, quia ſic facilè Gangræna ac Sphacelus oborirentur; vel Spiritu Vini frigido lavabuntur, atque fricabuntur.

SVDAMINA, HYDROA, vid. *Papulæ*.

SVFFOCATIO VTERI, vid. *Matricis Suffocatio*.

SVFFVSIO, vid. *Catarrhacta*.

SVGILLATIO, ECCHYMOMA, ECCHYMOSIS, eſt ſtagnatio vel effuſio guttularum ſanguinearum in extremæ cutis poros atque tubulos, cum vel ſine tumore ac dolore affligens, atque ruborem primò, deinceps, cùm ſanguis grumeſcit, livorem poſt ſe trahens, tandem etiam, ubi diſſipari incipit, flaveſcens. Veteres, in exhibendis ac variandis nominibus ſubinde præter neceſſitatem curioſi, *Vibices*, *Molopes*, *Stigmata*, *Peliomata* appellârunt, ſi à verberibus provenerit Malum; ſi autem à fracturâ, lapſu, contuſione, ictu, aliaque cauſâ magis violentâ productum ſit, *Plagam* nominârunt; *Ecchymoſin* denique, ſi à cauſâ internâ fuerit ortum. Huc referri debet *Hypoſphagma*, ſive *rubicunda Macula* in Oculi albo enaſcens. *Sugillatio.*

Patet hinc, omnes Partes corporis huic Affectui expoſitas eſſe; eumque nunc ab internis, nunc maximè & fre- *Subjectum.*

frequentiſſimè ab externis cauſis antecedentibus produci, videlicet à contuſione, caſu ex alto, ictu, verberibus, percuſſionibus, & ſimilibus. A quibus vel comprimuntur valdè, vel rumpuntur Vaſcula ſanguinea, ut hinc Sanguis in tubulis ſubſiſtens, vel è ruptis vaſculis effluens, talem colorem efficiat. Quòd ſi à gravi contuſione, vel ictu & verberibus acceptis non Sanguis tantùm, ſed & Lympha copioſè ſtagnet, Tumor inde liveſcens intra pauca momenta, nunc major nunc minor enaſcitur.

Prognoſis ac Curatio. Affectus nec difficilis nec periculoſus, quem præcavere interdum poſſumus, ſi ſtatim poſt contuſionem ictumque acceptum, parti læſæ frigidam qualemcunq; rem, putà Aquam, lapidem, claves, vel meliùs longè *Spirit. Vini, Lilior. Convallium*, aliumve calentem applicemus. Inprimis, ſi Tumor jam factus eſt, *Spiritus Vini ſimplex*, vel *camphoratus*, aut quiscunque alius calidè applicatus, non ſolùm Tumorem omnem probè diſcutere, ſed & inſimul factam jam coloris à ſanguine ſtagnante mutationem penitus diſſipare valet. Sunt qui *muriaticam Aquam ſalitæ Braſſicæ* innatantem calidamque redditam, in hanc rem ſumunt; alii *Herbas Salviæ, Meliſſæ, Betonicæ, cephalicasq;* alias *Vino* incoquunt, & lintea huic immerſa calidè ſæpiùs admovent. *Spiritus* quoque ſuprà dicti *Butyro cocto* immiſti, & ſugillatæ hinc Parti inuncti proſunt. Imò *Spongia Vino albo calenti*, vel *Decocto* modò dicto immerſa, & Parti calidè applicata effectum præſtat laudabilem. Si in Abſceſſum tendat ſugillatorius Tumor, maturandus, aperiendus, ac ſuo modo inſtar Ulceris curandus eſt, de quo vide Titulum de *Abſceſſu*.

SVPERPVRGATIO, vid. *Hypercatharſis.*

SVPPRESSIO MENSIVM, vid. *Menſium Morbos.*

SVPPRESSIO ALVI, vid. *Alvi Morbos.*

SVPPRESSIO HÆMORRHOIDVM, vid. *Hæmorrhoidum Morbos.*

SVPPRESSIO LOCHIORVM, vid. *Lochiorum Morbos.*

SVPPRESSIO VRINÆ, vid. *Iſchuria.*

SVPPRESSIO NOCTVRNA, vid. *Ephialtes.*

SVRDITAS, vid. *Auditus abolitus.*

SYNANCHE, vid. *Angina.*

SYNCOPE CARDIACA, vid. *Lipothymia.*

SYNOCHVS, vid. *Febris continua.*

TABES DORSALIS eſt conſumtio carnis in dorſo incipiens, & hinc per totum corpus tranſiens, cum cruciatibus tantillis lumborum, laſſitudine, Febriculâ lentâ, &c. Ægrotantem affligens. *Tabes dorſal.*

Tales Homines in dorſo primùm & ſucceſſivè extenuantur, ſpina prominet, & vermiculationis ſenſus, cum titillatione ſubitò per dorſum decur- *Diagnoſis.*

decurrente frequenter percipitur. Rariſſima noſtro ſeculo Tabes, niſi fortè nomen, conjecturante *Williſio*, mutatum ſit in *Gonorrhœam*; vel uti hariolamur, etiam in *Comedones*.

Cauſa verò hujus Mali duplex inprimis ſtatui poteſt, & quidem vel frequens nimis Spirituum animalium effuſio in Venere crebriore, aut Seminis continuo profluvio; vel deſtillatio ſive Catarrhus quidam Spinæ dorſi. Hinc duplex enata *Tabis* hu-
en- jus differentia, *venerea* una, *catarrhalis* altera: quarum *illa* crebrior exiſtens, vel à nimis frequenti Seminis in Venere diſpendio, vel à continuo putrilaginoſæ ſaniei è partibus genitalibus profluvio in Gonorrhœâ, unde ſucci nutritii penuria neceſſariò ſequitur, vireſque exſolvuntur, producitur: *hæc* verò catarrhalis Tabes ex deſtillatione, aut ſtagnatione quadam Lymphæ in lumbis, aliiſque dorſi vertebris contingente oritur, comiteſque habet partium iſtarum frequentes, ſubinde & acerbas lancinationes, dolores & cruciatus. Hunc verò Affectum cum aliis fortè melius *Lumbaginem* appellabis, quamdiu inprimis illi anſam dat Lympha quædam viſcoſo-acris in tubulis circa Vertebras dorſi ſtagnans, membranulas à ſeinvicem divellens, nervos comprimens, ſicque Spirituum animalium ſufficientem in partes influxum præpediendo Atrophiam inducens, in quâ Dorſum maximè quidem conſumitur, ſicut in Tabe intereâ Femora ferè ac Pedes contabeſcunt, ita ut eapropter Ægri vacillante ac languido inceſſu progredi cogantur. Denique Crinones vel Comedones in Spinæ dorſi poris cutaneis numeroſè hoſpitantes, per continuum pruritum Spiritus animales nimis exagitando, ac ita poros tubulorum criſpando, nutrimenti partium diſtributionem & appoſitionem quoque impediunt.

In *Prognoſi* dicendum, Tabem dorſalem eſſe morbum quidem diuturnum, ſed tamen per ſe haud lethalem, licet quandoque conſumtionem univerſalem poſt ſe trahat. Prognoſis.

Curatio Tabis quidem dorſalis catarrhalis ſive *Lumbaginis* non differt à curatione *Doloris Iſchiadici* vel *Arthriditis vagæ*, unde eadem quoque ibi commendata remedia huc quadrant. Curatio.

In *Tabe venereâ* autem à Venæſectionibus & purgationib⁹ abſtinendū; externè verò tota Spina dorſi ſeqq. *Linimento* bis quotidie inungenda venit:

℞. *Olei è Flor. Slotan.*
Spir. Lumbric. terreſtr. ana ℥j.
Adipis human.
catellor. ana ʒß.
M. d. ad Ollam.

Vel ℞. *Unguent. nervin.*
Adipis canin. ana ʒvj.
Olei Rutæ,
Chamomill.
Baccar. Junip. ana ʒij.
deſt. Majoran.
Lavendul. ana ℈j.
Spir. Lumbr. terr. ʒß.
M. f. Unguent. d. ad Ollam.

Internè ſequens valet *Conditum* diligenter uſurpatum;

℞. *Conſerv.*

℞. *Conſerv. Flor. Bugloſſ.*
Meliſſ. ana ℥iß.
Condit. Nuc. Ind. ʒj.
Diaph. ♂ *ial.*
♃ *vial. ana* ʒiß.
C. C. *phil. ppt.* ʒj.
Matr. perl. ppt. ʒß.
Syrup. Flor. Tunic. q. ſ.

F. Mixtura mollis d. ad Fictile, hinc m. ac veſp. Nucis magnitudo capiatur.

Sequentia *Juſcula* alterata & aliquamdiu m. ac veſp. ſumta magnoperè etiam proſunt:

℞. *Juris gallinac. leviter ſalit.* Mj.
Radic. Scorzoner. rec. num. 8.
Fol. Inthyb.
Borragin. ana Mj.

Mixt. & inciſa coque aliquamdiu; de colato Juſculo poſtmodum m. ac v. hauſtus calidè ſumatur.

Ita quoque conducit *Gelatina Corn. Cerv.* cum *Pedibus Animantium, gallinaceâ carne*, & *Succo Citri, Sacchariq;* tantillo facta.

In *Diætâ* Cibi euchyli & eupepti commendantur cum Vini generoſioris modicâ potatione. Alvus quotidie aperta ſit; laxiorem *amygdalinâ Emulſione* cohibere oportet. Ira reliquaque Animi vehementiora pathemata cane pejus & angue fugienda.

Talpa topinaria. TALPA TOPINARIA eſt Tumor cutis capillatæ Capitis, Ficu nonnihil major ac latior, aliâs rotundus, duriusculus, rubicundus, inter Cutim & Pericranium à ſtagnante viſcido Sero proveniens, diuque ſatis durans, antequam ad exoptatam ſuppurationem perveniat.

Cognoſcitur facilè ex dictis, nec magnoperè à *Furunculo* vel *Phymate* aliorum Cutis locorum differt.

In Curatione hinc *Cataplasmata emollientia* ac *maturantia* in uſum vocanda, quemadmodum Capite de *Abſceſſu* monuimus. Ruptus Abſceſſus eſt extergendus, & ad conſolidationem promovendus; ſicuti Capite de *Furunculo*, & *Ulceribus* fusè diduximus. *Cur.*

TARANTISMVS, vid. *Chorea S. Viti.*

TEMVLENTIA vel EBRIOSITAS, eſt frequens & quotidiana ſeſe inebriandi conſuetudo cum principum facultatum paulatinâ læſione. *Temulentia.*

Crapulam quidem producit larga Liquorum inebriantium potatio, quæ in ſtomacho vacuo effectum citiorem, quàm in eodem cibis repleto producit. *Ebrioſitatem* verò ſive perpetuum bibendi deſiderium excitat indeſinens papillarum nervoſarum palati, gulæ & oeſophagi ſtimulatio, à tartareo-ſalſo-viſcoſo Stomachi humore facta: ut non malè Bibuli tales enuncient, ventriculi ſui tunicas Vini tartaro perpetim ſitiente eſſe oblinitas. Inducit denique hanc bibendi conſuetudinem quotidiana occaſio, perpetuumque Bibulorum conſortium. Nec Viris tantùm accidit, ſed Fœminas ſubinde reperias æquè bibulas, & quotidie ebrias. *Cauſ.*

Quando igitur talia Bacchi exercitia ſtrenua tandem Artuum tremorem, Senſuum torporem, Cachexiam, Ratiocinationis debilitatem, Negligentiam ſui, rerumque ſuarum, Aſthma,

Aſthma, Hydropem, ſive pectoris ſingularem, ſive univerſalem, Affectus ſoporoſos denique, Epilepſiam, Apoplexiam, ac ſimilia mala inducere valent, meritò non tantùm diſſuadetur hæc bibendi exercitatio, ſed & medicamentorum quorundam uſu, quantum poſſibile, *faſtidium Vini*, & *Abſtemietas* procuratur, vel procurari ſaltem tentatur.

o. Ante omnia itaque Vini uſus ſenſim eſt adimendus, neque niſi in prandio & cœnâ ejus libra tantùm unica pro potu concedenda. Si Bibuli quid ultra deſiderent, vel *Aqua fontana*, vel *Cereviſia*, vel *Hordei*, *Ligni Saſſaphras*, aut *Radicis Graminis Decoctum* erit dandum. Atque hâc ratione continuabitur, donec planè deſueverit Homo Vinum bibere. Hunc in finem quoque ſi temperare ſibi minimè poſſit, velut captivus aliquamdiu teneatur, usque dum Vini faſtidium ceperit. Si verò nec tali modo quicquam proficimus, tum demum arte qualicunque Vini deſiderium è medio tollatur; quo quidem fine potiti ſubinde fuerunt, ſi modò *Anguillam* Vino potando immiſerunt, modò viſcoſas *Althææ*, *Malvæ*, *Conſolidæ majoris*, aut nauſeabundas *Ebuli*, *Aſari*, *Sambuci*, *Bryoniæ*, *Mechoacannæ*, aliasve *Radices*, vel etiam recentia *Tabaci folia*, aut fruſtulum *Vitrioli Martis*, vel *Vitrioli communis*, vel tantillum *Limaturæ Cupri* aut *Aurichalci* in nodulo ligatum imerſerunt.

Teneſmus. TENESMVS eſt frequens per alvum egerendi conatus, ſed is ferè irritus, dum ſingulis egeſtionibus nil niſi mucoſo-alba, ſubinde tantillum ſanguinolenta materia, vix unciæ quantitate, miris cum Ani cruciatibus excernitur. Affectus nunc ſolitarius, nunc Diarrhœæ, Dyſenteriæ, aut Hæmorrhoidibus cœcis, fluentibusve acribus conjunctus.

Omnis autem Teneſmus immediatè oritur ab irritatione fibrarum Muſculi Sphincteris Ani; quam irritationem ſive frequentem ſtimulationem utplurimum Humor mucoſus ſalſo-vel acido-acris, è Glandulis Inteſtinorum ad Anum jugiter depoſitus, ſuaque viſcoſitate Sphincteris fibris adhæreſcens excitat. Aliquando tamen etiam Vermes acuformes, ſive Aſcarides, numeroſè in Ano geniti & cumulati, id efficiunt, licet non adeo potenter, dum plerunque duntaxat pruritum ferè continuum producunt. In Diarrhœâ, vel Dyſenteriâ Humor talis mucoſo-acris ex ſuperioribus Inteſtinis ad Alvum præcipitatur. Hæmorrhoides etiam cœcæ, ob ſanguinis ſtagnantis ardorem intra Anum, vel eædem ſanguinem acrem ſalſum fundentes Teneſmo occaſionem præbent, ſed illi ſimul mitiori, dum nihil ferè cum iſto egerendi deſiderio excernitur. Denique Ulcus Ani, & quando Fiſtula, rectum Inteſtinum tangens aut pertundens, ſaniem acrem Sphincteri communicat, eumque ſtimulat, Teneſmum efficit. Quando autem ſub hâc ſtimulatione non tantùm Inteſtini mucus omnis abraditur, ſed inſimul vaſcula quædam hinc inde eroſa aperiuntur, — Cauſa.

untur, ſanguiniſque guttulas quaſdam effundunt, tum mucus, qui excernitur, ſtriis rubicundo-ſanguineis tingitur. Cauſam hanc *proximam* interdum quidem circulans humorum maſſa ſuppeditat per glandulas Inteſtinorum; interdum verò propiùs ſubminiſtrant, ipſa aſſumta ſive Medicamina purgantia, ſive Alimenta ſalſo-acria, acida, fermenteſcibilia, copioſiùs una vice ingeſta. Atque hinc *remotè* Commeſſationes aut Compotationes nimiæ, Ira exceſſiva, Aër nimis frigidus & humidus, aliæque cauſæ, Diarrhœam vehementem, vel Dyſenteriam quoque ipſam producentes, Teneſmo ſimiliter anſam dant.

Facile hinc eſt vel ex ſolâ Ægrotantis relatione Symptoma hoc, ejuſq; cauſam cognoſcere. In *Prognoſi* verò Affect⁹ hic per ſe affligens, vel non niſi ab Aſcaridibus, aut Hæmorrhoidibus cœcis proveniens plus moleſtiæ quàm periculi in ſe tenet. Habet enim id Teneſmus, ut ſingulis ferè quadrantibus horæ ad excernendum ſtimulet, & cogat. Præterea appetitus plerunque eſt dejectus, ſitis urget interdum; ſomnus eſt irrequietus, quandoque febriles ſimul phlogoſes torquent, attamen citra diſcrimen. Ubi verò Teneſmus eſt Dyſentericus, vel in malignâ, ac varioloſâ Febri urget, tum certè frequenter lethalis eſt, quippe Gangrænam & Sphacelum internum poſt ſe trahens.

Diagnoſis & Prognoſis.

Curatio.

In *Curatione* ſtatim ad Cauſam tum proximam, tum antecedentem reſpiciendum eſt. Mucus Alvi viſcido-acris, à ſuperiore forſan Inteſtinorum contignatione deſcendens, expellendus eſt per exhibitionem *Remedii purgantis*, præcipuè *Rhabarbarini*: v. gr.

℞. *Rhabarb. elect.* ʒj.
Mercur. dulc. opt. gr. xv.
Crem. ♀*ri.* ℈ß.
M. f. Pulv. ſubtil. d. ad ch. pro doſi, cum Juſculo, vel hauſtu Aquæ Plantaginis ſumendâ.

Vel *Ptiſana* ſequens *laxativa* duabus aut tribus doſibus conſecutivè propinetur:

℞. *Pulpæ Tamarindor.* ℥j.
Coqu. in ſ. q. Aquæ fontan. Colaturæ ℔iß
Infunde Radic. Caryophyllat.
Scorzoner.
Rhab. elect. ana ʒij.
Liquir. ʒiß.
Hordei integr. ʒij.
Semin. Fœnic. ʒiß.
Fol. Senn. mundat. ℥j.
Stent per noctem in loco calente, poſtridie mane bulliant parum, Colaturæ ℥x. *adde*
Syrup. Capill. ♀*r.* ℥ij.
Detur ad Vitr. quotidie mane unciæ quatuor hauriantur.

Dein pro ordinario potu *Decoctum Furfuris*, C. C. *uſt. Hordei integri, Semin. Coriandr. Aniſ.* &c. bibatur. Atque ſequens *Pulvis* vel *Electuarium* frequenter capiatur:

℞. *Unic. foſſil.*
Terr. ſigillat.
Corall. rubr. ppt. ana ʒj.
Sanguin. Dracon. ver.
Nuc. moſch. ana ℈ij.
Sacch. cand. alb. ʒvj.

Laud.

Laud. opiat. gr. iij.

M. f. Pulvis ſubt. d. ad ſcat. Doſis ℈ij. *ſingulis quatuor vel quinq; horis.*

Vel ℞. *Conſerv. Roſ. rubr.* ℥vj.
Flor. Tunic.
Plantag. ana ℥ß.
Conditur. Nuciſt. ʒiß.
Zingiber. ʒß.
Lapid. Hæmat. ppt.
Bol. Arm. ppt.
Ebor. uſt. ppt. ana ℈ij.
Mithrid. Damocr. ʒiß.
Syrup. Cydon. q. ſ.

M. f. Elect. d. ad Oll. Singulis triboriis capiatur magnitudo caſtaneæ.

Clyſma frequens, ſed ad aliquot tantùm uncias ſæpè injiciatur, v. gr. ſeqq. *detergens*:

℞. *Radic. Lil. alb.*
Alth.
Rhab. Monach. ana ʒij.
Herb. Malv.
Mercurial. ana Mj.
Marrub. alb.
Meliſſ. Abſynth.
Flor. Chamomill.
Verbaſc. ana Mß.
Semin. Lini ℥ß.
Aniſ. ʒiß.
Hordei mundat. ℥ß.

Inciſ. & contuſ. coque in mediâ parte Lactis & Aquæ, de Colaturâ hinc ſingulis ſex horis quatuor unciæ cum tantillo Mellis roſacei, atque Olei Lini infundantur.

Sunt qui frequentia *Suppoſitoria* ex *Theriacâ*, *Axungiâ cervinâ, caninâ, anſerinâ*, aut *urſinâ* intrudunt.

Proſunt quoque *Vapores calidi* Ano frequenter excepti, ex *Decocto Furfuris*, *Hordei*, *Herbar. Malv. Alth. Salv. Origani*, *Flor. Chamomill. Melilot. Verbaſc. Fol. Plantag. Quercûs, Salicis*, &c. in *Aquâ* facto. *Spongia* quoque huic *Decocto* immerſa, & frequenter Ano calens applicata juvat. Imò *Sacculus* è *Flor. Chamomill. Meliloti* & *Verbaſci* factus, *Lactiq;* vel dimidiæ parti *Aquæ* incoctus, hinc expreſſus & frequenter ad Anum applicatus, ſimiliter conducit. *Theriaca Andromachi* cum *Zibetho*, atque *Oleo deſt. Aniſi* Umbilico imponitur.

In Cibis *hordeacea*, *avenacea*, *farinacea Juſcula*, vel per ſe, vel *Apiio*, *Borragine*, *Saniculâ*, *Hepaticâ nobili*, &c. ulterius alterata capiantur. Salita nimis, acido-acria fugiantur.

Teneſmo dyſenterico ſimili ratione, ut modò dictum eſt, medemur. Ab Hæmorrhoidibus autem proveniens Malum remedia contra Hæmorrhoides requirit, de quibus ſub Titulo Hæmorrhoidum agitur. Aſcarides ſi adfuerint, *Clyſmate detergente* ex *amaris* compoſito frequenter alvus eluatur; v. gr.

Radic. Lil. alb. ℥ß.
Gentian. ʒij.
Herbar. Matricar.
Marrub. alb.
Artemiſ.
Abſynth. ana Mß.
Mercurial. Mj.
Semin. Santon. ʒij.
Aniſ. ʒj.

Inciſ. & contuſ. coqu. in ſ. q. Juſculi carnium, Colaturæ ℥viij. *adde*
Olei Lumbr. terr.
Rutæ ana ℥ß.

 Sacch.

Sacch. cand. alb. ℥j.

M. f. Clyſma ſubinde injiciendum.

Si Ulcus vel Fiſtula adfuerit, curabitur methodo, ſuo loco deſcriptâ.

Si à Comeſſationibus aut Compotationibus provenerit, tum vel *Rhabarbarinum purgans* dabitur, vel *Vomitorium* exhibebitur, ad ſaburram vitioſam promtè expurgandam. Poſtridie autem purgationis *Eſſentia Myrrhæ, Calami arom. Zedoar. Abſynth.* uſurpatur ad 25. aut 30. guttas pro doſi ante prandium vel cœnam.

TENTIGO, vid. *Matricis Tentigo.*

Terminthus.

TERMINTHVS, eſt ſpecies Puſtularum ſanguinolentarum, in Tibiis plerunquè apparentium, ac Terebinthi grana ſimilitudine referentium, vel ut aliis placet, Ciceris figuram æmulantium. Puſtulæ hæ primùm ſub aliquali nigredine vireſcunt, dein fuſcæ evadunt, ob Sanguinem fœculentum iisdem contentum, qui ſi erumpat, Mororum ſucco ſimilis videtur.

Cauſa.

In productione *Terminthorum* notandum, in Corporibus impuris, à vinolentiâ & pravorum ciborum nimiâ ingeſtione vitiari priùs Lympham, Sanguinemque ſcorbutico-fœculentum reddi, hos dein humores in membris noſtri corporis declivioribus facilè ſubſiſtere; præſertim verò in Tibiis, ac circa glandulas Cutis miliares ita accumulari poſſe, ut in ejusmodi Tubercula haud difficulter abeant; maximè ſi Crura aliàs inclementiùs fricentur, aut à nimio æſtu, vel à frigore intenſo, vel à Culicum Muſcarumve morſibus valdè divexentur; ab iſtis enim cauſis tubuli glandularum diſtorti ichorem ſub cute diffuſum facilè retinent.

Puſtulæ hæ à *Roſeolis ſaltantibus* non niſi in hoc differunt, quòd illæ magis eleventur, ac fuſcæ appareant, hæ verò *Roſeolæ* magis gregariæ, latiores ac depreſſioris rotunditatis exiſtant, roſeo admodum colore præditæ, majorique cum pruritu ac vellicatione noctu inprimis afficiant.

Nullum coeterà diſcrimen portendunt *Terminthi*, indicium præbentes impuritatis humorum ſimpliciter; ſed malè tractati in deterius malum, Gangrænam videlicet & Sphacelum præcipitare membra poſſunt.

In *Curatione* ergo non ſtatim obediendum eſt *Marci Aurelii Severini* præcepto, Terminthum ſimpliciter exſcindendum eſſe volenti, quin ſatius eſt priùs materiæ coctionem, per impoſitionem maturantium, procurare, aut levi vulnuſculo lanceolâ inflicto, cruorisq; factâ expreſſione, *digeſtivum* vel *Ægyptiacum Unguentum* cum *Mercurio præcipitato* applicare, tandemque curationem, poſt debitam Ulcusculi deterſionem, per topica ſine morſu ſiccantia abſolvere. Interim Cauſæ procatarcticæ hujus Affectûs partim tollendæ ſunt, partim emendandæ. Si verò à Lue venereâ, aut Diſpoſitione ſceletyrbicâ Tubercula fuerint orta, tum univerſalium Remediorum uſus præmittendus erit; *Purgans* nimirum aliquod cum *Mercurio*

curio dulci exhibendum; *Cucurbitulæ cum ſcarificatione* applicandæ dorſo; vel *Venæſectio* inſtituenda. *Decoctum Lignorum* cum *Herbis traumaticis* mane ac veſperi eſt propinandum. *Pulveres* ſimul *diaphoretico-abſorbentes* ex ♁ *n. diaph. Ocul.* ♋. *ppt. Corall. rubr. ppt. Diaph.* ♂ *ial. aut* ♃ *vial.* &c. dandi. Frigus nimium eſt fugiendum, non ſecus atque Æſtus exceſſivus. Stagnanti putridæ ac paludoſæ Aquæ Pedes non ſunt immergendi, neque alio rerum impuriorum contactu contaminandi.

Haud abſimilis Terminthо, imò eadem cum illo Puſtula eſt *Morum*, *Avicennæ* ſic dictum, quod circa Anum & muliebre Pudendum aliquando apparet, ac ratione coloris *Mori fructum* refert, eodemque modo Sanguinem ſubnigricantem, Mororum ſucco ſimilem, preſſum, fundit, ſicuti *Terminthus*. Hinc & eandem cum Terminthо curationem requirit; *Univerſalia remedia* ſemper, ſicut & in reliquis Exanthematibus cutaneis præmittendo.

TETANVS, vid. *Convulſio*.

TESTIVM INFLAMMATIO, eſt Tumor alterutrius vel utriusque Teſticuli, cum dolore ardente & pulſante, nonnunquam & Febri aliquali continuâ Hominem affligens.

Oritur inſtar omnium Inflammationum à Sanguine, forſan & Lymphâ quadam ſtagnante intra vel extra ſua vaſcula in Teſticulis; idque vel propter lentorem & auſteritatem quandam acido-ſalinam Sanguinis transeuntis, facileque in anguſtiſſimis tubulis obhærentis; vel propter Vaſorum dictorum conſtrictionem ab externo frigore qualicunque acquiſitam; vel propter contuſionem, vulnus, ictum, aliamve injuriam externam, vaſcula teſtium facilè rumpentem, atque ſanguinis extravaſationem procurantem.

Diagnoſis. Affectus ex tumore, ardore, pulſante dolore, rubore, Febri junctâ plus minus intensâ continuâ, ſiti, inquietudine &c. cognoſcendus; neque *Prognoſis.* ſpernendus, quoniam facilè in Gangrænam, Sphacelum, Scirrhum fungoſo-carnoſum degenerare, ſicque mortem accelerare poteſt.

Curatio. *Curatio* autem eo planè modo inſtituenda venit, quem in *Scroti Inflammatione* ſuo loco expoſuimus.

TESTIVM TVMOR SCIRRHOSVS vel CANCROSVS, vid. *Hernia carnoſa*.

TESTIVM ABSCESSVS, vid. *Scroti Abſceſſus*.

TESTIVM VLCVS, vid. *Scroti Ulcus*.

TESTIVM TVMOR VARICOSVS, vid. *Hernia varicoſa*, *ſive Cirſocele*.

Thoracis Fiſtula. THORACIS FISTVLA, eſt Ulcus ſinuoſum, ab humoribus ſeroſoſalſis corrodentibus inter muſculos Thoracis productum, & ad Coſtæ alicujus Os carioſum plerunque terminatum; nunc ſine, nunc cum Febrî aliquâ lentâ vel hecticâ diutiſſimè Hominem affligens.

Cauſæ. Exoritur eodem quo omnes aliæ Fiſtulæ modo, adeoq; eandem quoque cum ipſis *Curam* ſortitur. Vide proin, quæ ſub Titulo de *Fiſtulis* habentur.

THORACIS HYDROPS, vid. *Hydrops Pectoris.*

Thoracis Vulnus. THORACIS VVLNVS, eſt ſolutio continui in Pectore facta à re quadam violentâ, extus vel pungente, vel contundente, urente, cædente, lacerante, aut perforante.

Differentia. Hinc Vulnera talia diverſa exiſtunt, & quidem vel *cæſim*, vel *punctim*, vel *per contuſionem*, *dilacerationem* aut *uſtionem* inflicta. Alia dein ſunt *ſuperficiaria*, alia *profundiùs penetrantia*, etiam intra Pectoris cavum; alia *ſine*, alia *cum læſione Pulmonum* facta; alia *levia* & *exigua*, alia *gravia*, *magna* & *vehementia*; alia *cum*, alia *ſine Hæmorrhagiâ* notabili contingentia; alia denique *ſine*, alia *cum Febri continuâ* plus minus vehementi, aliiſque ſymptomatibus excruciantia. Pleraque cum Reſpirationis offenſione contingentia.

Prognoſis. Hinc & magis minuſque periculoſa evadunt: periculo certè non vacant, ſi Pectoris cavum penetrando Pulmones, vel Mediaſtinum, Pericardium, Cor, aut Diaphragma oblæſerint; vel ſi Vaſa majora ſanguiveha aperuerint, unde ſanguinis larga profuſio, ſubinde intra Pectoris cavum facta ſit, Cordis veluti ſuffocationem poſt ſe trahens.

Curatio. *Curabis* itaque Vulnus Thoracis quidem ſuperficiarium facilè, ſicut alia quævis Vulnera, de quibus ſuo loco. Vulnus autem ad interiora penetrans ſine Pulmonis læſione ordinariâ methodo tractabis, ſed cannulam inter Coſtas in cavum Thoracis tamdiu infiges, donec obſervaveris, ne quidem guttulam amplius puris è Thorace profluere. Hoc autem dein Vulnus vel ſolo *Crollii Emplaſtro ſtictico* ad cicatricem perduces; immittendo turundam ſiccam, vel ſolâ *Tincturâ Myrrhæ*, aut *Balſamo* qualicunque *vulnerario*, cum *Melle roſaceo* permiſto, imbutam.

Si Pulmo ſimul ſit vulneratus cum Hæmorrhagiâ, intus exhibebis Remedia in *Hæmoptoe* commendata, extus autem ordinario modo deligationem cum Cannulæ immiſſione inter Coſtas inſtitues. Ceſſante Hæmorrhagiâ intus *Decoctum pectorale traumaticum* m. ac veſp. propinabitur ad ℥iv. (vid. Titulus de *Ulceribus*, aut *Vulneribus*) addi ſemper poterit doſis vel *Balſami Tolutani*, aut *Indici* ad ℈ß. vel *Pulveris Saniculæ*, *Lichenis petræi* &c. cum ♁*n. diaph. Corall. rubr. ppt. Bol. armen. ppt.* &c.

Si Cor vel Tunicæ hæ aut illæ internæ læſæ fuerint, ad præcavendas Convulſiones *Mixtura Cardiaco-ſpaſmodica* cochleatim dabitur: v. gr.

℞. *Aqu. Flor. Conſol. regal.* ℥iß.
omnium. ʒx.
Borrag.
Pæon. ana ℥j.
Syrup. de Semperviv. ʒvj.
anodyn. ℥ß.
Confect. Alk. ʒj.
Cinnab. nat. opt

Ungul

Ungul. Alc. ppt. ana ʒß.
Miſc. d. ad Vitrum.

Præter *Decoctum traumaticum*, quod ſimul *Folia Betonicæ*, *Salviæ ſylveſtr. Succin. Hepat. nobil.* continebit, etiam *Eſſentia Succini*, *Myrrh. Numular. Hyperici* &c. guttatim exhibebitur.

Extus Vulnus deligabitur cum Cannulæ argenteæ vel plumbeæ intruſione. *Digeſtivum Unguentum* Cannulæ inungendum continebit *Mel roſaceum*, *Pulv. Myrrhæ*, *Radicis Ariſtoloch. rot. ver. Scrophulariæ*, *Flor. Calendul.* &c. vel ſoli *Eſſentiæ Myrrh. Aloës*, *Ariſtoloch.* &c. Turundæ intingentur, atque intrudentur, ſuperimponendo *Emplaſtr. Diapalm.* vel *de Sperm. Ranar.* vel *Sticticum Croll.* vel *Opoteldoch.* Tandem ſi Inflammatio ſimul adfuerit, applicatur quoque *Fomentum* ex *Decocto Herbarum cephalico-traumaticarum* in *Vino* factum.

Ubi Coſta una vel altera quoque fracta, aut globulo ſclopetario contrita fuerit, diutiſſimè Cannula in Vulnere permanebit, atque carpta fila linea ſicca Oſſibus Coſtarum in ſingulis deligationibus imponentur; vel *Tincturâ Myrrh. Aloës*, *Calam. arom. Cyperi*, *Ariſtoloch. rot. ver. Garyophyll. arom.* priùs imbuentur. Deſuper aliquid de *Unguento digeſtivo Hildani*, cum *Eſſentiâ Myrrhæ* & *Aloës* ponetur, ac tandem *Emplaſtro Diapalmæ*, vel *Diachalcith.* Vuln⁹ tegetur, ſimulque *Fomentum* ſuperius præſcriptum applicabitur. Quibus ſic ritè in uſum vocatis, tandem fruſtula Oſſium paulatim prodibunt, ac ita tandem natura callum producet, Coſtasque redintegrabit. Quo facto Cicatrix ſuperinducetur, imponendo ſola *Emplaſtra* leniter ſiccantia, quemadmodum inprimis eſt *Diapalma*. Intus dabuntur quæ in omnibus *Fracturis Oſſium* commendari ſolent.

Tandem in principio cujuſcunque Vulneris thoracici *Venæſectio* adminiſtranda venit; primæ viæ *Clyſmate emolliente* extergendæ. In *Diætâ* ab omnibus auſteris, acidis, ſalſis, valdè acribus eſt abſtinendum. Loco *Vini*, *Decoctum Saniculæ*, *Saſſaphr. Pulmonariæ*, &c. propinabitur. Ira atque Triſtitia fugiantur; in Aëre temperatus ſemper calor præferetur.

De reliquis Accidentibus & Circumſtantiis, vid. Titulus de *Vulneribus* in genere.

TINEA, eſt Scabies fœda, ulceroſa, ſquamoſa & cruſtoſa, totam cutim capillatam Capitis occupans, eamque prorſus corrumpens, cum crebris doloribus pungentibus, lancinantibus ac rodentibus, capillorum defluvio, & odore fœtido Hominem affligens. *Tinea.*

Morbus ſordidos, mendicoſque Pueros, imò & Adultos invadens; quibus nulla Cutis probè extergendæ cura eſt, quique Caçochymiam ſimul humoralis maſſæ ſalſo-acrem ſcorbuticam fuerunt adepti. *Subjecta.*

Diſtingui poteſt, reſpectu majoris vel minoris corruptionis, in *Ichoroſam*, in quâ Ulcuſcula Cutis, ſanioſum ac fœtidum ichorem per poros hinc inde manantia, adſunt; *ſquammoſam* ſeu *furfuraceam*, in quâ, dum ſcal- *Differentia.*

ſcalpunt Ægri, ſquamulæ, vel furfuri ſimiles particulæ delabuntur; & *Ficoſam*, in quâ Cutis ita corrumpitur & exeditur, ut hinc inde carnis rubicundæ crudæque portiunculas quasdam nudas repræſentet.

Diagnoſis. Quando igitur ſimile quid in capillatâ, imò fortè & aliâ parte cutis Capitis obſervatur, horridum ſæpè aſpectu, *Tineam* vocare licebit. Ubi rari erunt pili, ſparſi per Caput, multi eroſi; Color cutis ſqualidus, & rubicundo-lividus, vel variegatus; Faciei autem color luridus, Habitusque corporis cachecticus.

Cauſa. Si *Cauſas* velimus indagare hujus Mali, Veteres quidem ac plures Neoterici Medici Humores accusârunt ſalino-acres, corroſivos, acidos, intra cutaneas glandulas collectos, ſtagnantes, erodentes, atq; ſic paulatim Cutim corrumpentes, quod quidem in ſquamosâ vel furfuraceâ Tineâ hactenus facilè admittimus; ubi oleoſæ ſimul ſive pingues particulæ cum ſalinis ſociatæ in ſquamulas convertuntur, Cuticulam erodentes, ac ita Cuti inſidentes. In reliquis autem Tineæ ſpeciebus à curioſis Medicis hodie Animalcula ſive Vermiculi microſcopiorum optimorum beneficio detecti fuerunt, ex ovulis Inſectorum, in radices Pilorum, & Cutis ſpiracula, glandulasque plus minus copioſè depoſitis, ſenſimque vivificatis oriundi, qui ſubtiliter rodendo non tantùm Cutis, ſed & Capillorum ſubſtantiam arroderent, & exederent, inſtar Tinearum veſtes depaſcentium: unde & Nomen exortum forſan erat. Ovula iſta verminoſa cum Cibis pejoris ſucci deglutiuntur, & hinc in Chylum atque Sanguinem abeunt, cum quo dein ad Glandulas cutis capillatæ Capitis, ſordidiùs, negligentiùs habitæ, deponuntur, ac ſenſim cumulantur; fortè tamen & alioſum plurima ejusmodi Ovula ablegantur, ubi minùs vivificantur.

Prognoſis. In *Prognoſi* Tinea non contemnendum eſt malum; mitior quidem ſi fuerit, ſanari adhuc poterit; ſi verò gravior, magisque inveterata extiterit, cum prolixâ Cutis exeſione & corruptione, totiusque humoralis maſſæ Cacochymiâ, tum curatu difficilis erit, imò recidivam facilè patitur; contagioſa etiam ſubinde eſt, & Hecticam denique poſt ſe trahit.

Cura. Quòd ſi proin curare Tineam velimus, ſtatim Corpus purgabitur non ſemel tantùm, ſed aliquoties intra hebdomadam cum ſequente vel ſimili remedio; v. gr. Puero decem annorum præſcribetur ſequens:

℞. *Pulv. Radic. Mechoacann.*
Mercur. dulc. opt. ana ℈ß.
Scammon. 🜍*rat. gr.* iv.
Crem. 🜿*ri gr.* ij.
M. f. Pulv. ſubtil. d. ad ch. pro doſi matutinâ, cum Sacchcaro & Aqu. Fumar. vel cum Syrupo de Fumar. aut Capill. ♀*r. ſumendâ.*

Vel ℞. *Syrup. de Cich. cum Rhab.*
Flor. Perſic. ana ℥j.
Aqu. Plantag. ʒx.
Cinam. ʒß.
Diacydon. lucid. ℈j. *vel* ℈ij.
M. d.

M. d. ad Vitr. pro doſi matutinâ.

Deinceps intus per longiſſimum tempus ad corrigendam Maſſam ſanguineam, nunc quidem *Juſcula plantis Naſturcinis* alterata, nunc *Deſtillatum equinum*, nunc ſimplices *Naſturcinarum herbarum Aquæ ſtillatitiæ*, m. ac veſp. horâ ante paſtum ad ℥iij. vel plures propinabuntur. Vel ſimul *Decoctum Lignorum* bibendum, imò guttulæ xv. vel xx. *Tincturæ traumaticæ*, vel *Corallorum*, ♄ *nii*, *Martis aperitiv. Myrrhæ, Aloës* & *Ariſtoloch.* dabuntur; vel *Pulvis* ſequens aut ſimilis exhibebitur:

℞. *♄n. diaph.* ʒij.
Ebor. phil. ppt.
Ocul. ♋. *ppt.*
Cryſtall. alb. ppt.
Diaph. ♂ial.
Pulv. Serpent. aut Viper. ppt.
Rad. Calam. arom.
Scrophular. ana ʒj.
Sacch. cand. alb. ℥iß.

M. f. Pulv. ſubt. d ad ſcatul. Doſis ℈ij. *vel* ʒj. *m. ac veſperi.*

Sequens *Apozema* quoque non eſt contemnendum, ſi Æger bibat modò, v. gr.

℞. *Radic. Calam. arom.*
Chelid. major.
Scrophular.
Caryophyllat. ana ʒij.
Herb. Matricar.
Card. bened.
Beton.
Sanic.
Pyrolæ.
Hepat. nob. ana Mß.
Semin. Aniſ.
Aquileg. ana ʒiß.

Inciſ. & contuſ. coque in ℔iiij. *Vini albi veteris, & totidem libris Aquæ fontan. ad duritiem Ovi, in fine coctionis adde Mellis roſac.* ℥iij. *Colatura hinc detur ad Vitrum; Doſis m. ac veſperi* ℥iij.

Extus Capitis Cutis tegenda non eſt remediis tenacibus & adſtringentibus, ſed ſtatim à pilis omnibus liberanda, & hinc calente Liquore ſeqq. vel ſimili abſtergenda venit:

℞. *Radic. Gentian.*
Scrophular.
Sigill. Salomon.
Calam. aromatic. ana ℥ß.
Herb. Aneth.
Abroton.
Matricar.
Abſynth.
Salv.
Meliſſ.
Rutæ,
Fumar.
Scordii, vel
Alliariæ ana Mj.
Folior. Sabin. ℥ß.
Tabac.
Semin. Cynæ ana ʒiij.

Inciſ. & cont. coque in Lixivio vel mediâ parte Vini; Lintea dein huic decocto immerſa calidè Capiti applicentur, quod prius Spiritu Vini camphorato, atque Eſſent. Myrrh. Aloës &c. ablui poterit.

Deterſo probè Capite, ſi *ſquamoſa* tantùm vel *ichoroſa* fuerit Tinea, *Unguentum Enulæ*, cum aliis conveni- entibus mixtum inungetur; v. gr. *Remedia ad Tineã ſquamoſã, ichoroſam.*

℞. *Unguent. Enul.* ℥iß.

qqq *Pulv.*

Pulv. Baccar. Laur.
Myrrh.
Staphid. agr. ana ℥j.
Flor. Sal. armon. ♀*rat.* ʒß.
Mercur. viv. ſalivâ extinct. ℈iiß.
Ol. Nucum jugl. q. ſ.
M. f. Unguent. d. ad Ollam.

Vel ℞. *Olei Nucum* ℥iß.
Abſynth. ℥ß.
Spicæ ʒiß.
♀*ri fœtid.* ʒj.
Ciner. Bufon. ℈iiij.
Tabac. ℈ij.
Myrrh. pulveriſ. ʒij.
M. d. ad Ollam, inungatur bis vel ter de die.

Sunt qui prius eluunt totam Cutim *Tincturâ Myrrh. Aloës, Staphid. agr. Tanaceti, Croc. Abſynth. Rhabarb. Enul. Centaur. min.* &c. cum *Spiritu Vini tartariſato* extractâ; vel etiam ſolo *Oleo* ♀*ri per deliquium*; & dein *Unguenta* vel *Lavamenta* applicant.

Ficoſa. Si *ficoſa* fuerit *Tinea*, cum plenariâ Cutis corruptione, tum *Dropax* ſive *Emplaſtrum picatum tenaciſſimum* applicari debet, cumque eo dein Cutis omnis corrupta auferenda; v. gr.

℞. *Pulv. Radic. Scrophular.*
Sigill. Salomon.
Gentian. ana ℥ß.
Fol. Sabin.
Semin. Rut.
Staphid. agr.
Cynæ ana ʒj.
Myrrh.
Aloës ana ℈iiij.
Picis & Terebinth. ana *q. ſ.*
M. f. Emplaſtrum tenaciſſimum Cuti applicandum. Detractâ hinc Cute, ſtatim Caput vel *calente Hominis Urinâ*, vel *Decocto* ſuperiore *Herbarum* in *Lixivio*, vel *Spiritu Vini camphorato* cum *Eſſentiâ Myrrh. Aloës* &c. abluendum; Dein pro re nata *Unguentum digeſtivum* cum *Pulvere Myrrh. Colopho..* ♁ *n. diaphor. Corall. rubr. ppt. Folior. Betonic. Chamædr. Salviæ* &c. imponetur; ac deſuper *Emplaſtr. Diapalmæ, Diaſulph. Ruland.* vel *de Baccis Lauri*, aut ſimile imponatur. Tandem & *Sacculus Herbar. in Vino coctus*, & *expreſſus* calidè applicetur, usque dum curatio ſic paulatim fuerit abſoluta.

TINNITUS AURIUM, vid. *Aurium Tinnitus*.

Tonſillarum Inflammatio. TONSILLARUM INFLAMMATIO, eſt Tumor iſtarum Glandularum cum rubore, ardore, & pungitivo dolore affligens, atque deglutiendi difficultatem, ſubinde quoque Febrim, Sitim, Dyſorexiam poſt ſe trahens.

Cauſa. Oritur à Sanguine & Lymphâ acri, bulliente vel turgeſcente, in Vaſis ſanguineis minimis Tonſillarum, forſan à causâ quadam externâ conſtrictis, cumulatâ & ſtagnante. Suppeditat materiam Chylus juſto acidior & acrior, Sanguinem ad ſtatum turgeſcentiæ & viſciditatis evehens; quem ſtatum ab aſſumtis Cibis ſalſis & aromaticis, Vino etiam generoſo, vel Spiritu Vini adquirit; præprimis ſi ante jam Maſſa ſanguinea ob diuturnos errores Diætæ acida vel auſtera evaſerit.

Diagnoſis. *Dignoſcitur* hic *Tumor inflammatorius*

torius à *Tumore pituitoſo* facilè; in *Inflammatione* enim Amygdalæ rubent, ardent, parumque muci viſcoſi exhibent; in *pituitoſo Tumore* nullis ardor Palati percipitur, nulla rubedo cernitur, & Amygdalæ majorem quantitatem muci, ſcreatu exhibent. Datur autem mixtus quoque Affectus, ubi Amygdalæ & inflammatæ ſunt, & nihilominus copioſo muco ſimul obſitæ. In *Inflammatione* porrò Febricula adeſt utplurimum, cum ſiti & anorexiâ; in *Tumore pituitoſo* autē nulla Febris affligit, nec ſitiunt Ægri, ſed eſuriunt potius, & tamen ob deglutiendi difficultatem, omnibus hiſce Tumoribus communem, comedere ſatis non poſſunt. In *mixto Tumore* medio modo habent Ægri. Diſtinguitur etiam *Inflammatio Tonſillarum* ab *Anginâ*, loco affecto, etenim in Anginâ non Tonſillæ, ſed Muſculi ſive pharyngæi ſive laryngæi inflammantur. Denique à *Brunellâ* differt, in quâ non tantùm Amygdalæ, ſed tota Palati atque Linguæ tunica inflammationem cum ariditate, ſubinde & nigredine patitur. Aliquando una tantùm, ſubinde utraque inflammatur Amygdala.

Progno- Quoad *Prognoſin* tenendum, Inflammationem hanc plerunque curari & ſanari feliciter, ſed poſſe tamen, ſi Febris comitetur maligna, Ægrum per ſuffocationis modum ad mortem præcipitare. Terminatur etiam nunc per diſcuſſionem, nunc per Abſceſſum & Exulcerationem. Si una tantùm Tonſilla patitur, tum minus longum, minuſque periculosum eſt malum, quàm ſi ambæ ſint inflammatæ, ubi metus ſuffocationis non ſine ratione grandis incutitur.

Curatio inſtituitur primò per *Diſcutientia*, & ſi his nihil proficiamus, per *maturantia* & *Abſceſſum promoventia*. Statim igitur alvus *Clyſmate emolliente* ac *detergente* eluatur; v. gr. Curatio.

℞. *Radic. Lil. alb.*
Endiv.
Alth. ana ℥ß.
Herb. 5. emoll.
Salv. ſylveſtr.
Brunell. ana Mj.
Flor. Melilot.
Chamom. ana Mß.
Semin. Aniſ. ʒij.
Inciſ. & contuſ. coqu. in ſ. q. Aqu. fontan. Colatur. ℔j. *adde*
Elect. lenit. ℥j.
Olei Violar. ℥ij.
M. f. Clyſter ſtatim injiciendus.

Poſtmodum *Vena* Brachii alterutrius *ſecetur*, & ſanguis ad 8. uncias emittatur. Intus mox dentur *Diaphoretica*; v. gr. mane ac veſp. ſeqq. *Potiuncula* propinetur:

℞. *Aqu. Scabioſ.*
Flor. Sambuc.
Fumar.
Brunell.
Syrup. Granat. acid. ana ℥ß.
Roob Sambuc.
♁*n. diaph. ana* ℈iß.
M. d. ad Vitr. pro doſi.

Per vices *Mixtura* ſequens præbeatur cochleatim:

℞. *Aqu. Card. Mar.*
Succiſ.

Nymph. ana ℥j.
Syrup. Gran. acid.
Rub. id. ana ℥ß.
Roris mineral. ʒiß.
♁*n. diaph.*
Ocul. ♋. *ppt. ana* ʒß.
M. d. ad Vitrum.

Poſtridie *Venæ ſublinguales* aperiantur, ſi Inflammatio nihil minuta fuerit. Interea *Gargarisma diſcutiens* in uſum calidè trahendum eſt frequenter, & cum Siphone blandè inſpergendum, v. gr. ſequens aut ſimile:

℞. *Herb. Salviæ, Succiſ.*
Scabioſ.
Brunell. ana Mj.
Semperviv. maj.
Flor. Malv. hortenſ.
Sambuc. ana Mß.
Cancror. fluviat. viv. & contuſ. num. vj.
Inciſa & contuſa coque in Aqu. fontan. ℔iij. *In Colaturâ diſſolve*
Roob Dianuc. ℥ij.
Diamor. ℥j.
Roris mineral. ℥iß.
M. ad Vitr. Crebrò hinc calefiat, & tepidè Palato inſpergatur.

Vel ℞. *Aqu. Brunell.*
Flor. Sambuc.
Spermat. Ranar. ana ℥vj.
Flor. Liguſtr. ℥iv.
Roris mineral. ℥iß. *vel*
Nitr. pur. ʒj.
Mucilag. Semin. Cydon. Aqu.
Plantag. extr. ℥j.
Roob Dianuc. ℥ij.
Sambuc. ℥j.
M. detur ad Vitr. & uſurpetur uti ſuperius.

Extus Collo inungatur *Oleum Amygd. amarar. Lil. alb. Roſar. Violar. Chamomill.* aut ſimile, ſimulque applicetur *Emplaſtrum de Meliloto*, vel *de Spermat. Ranar.* vel *Lana ſuccida*, vel *Sacculus Cineribus* qualibuscunque, aut etiam *Fimo columbino* ſicco repletus.

In uſu ejusmodi remediorum per unum & alterum diem continuabimus, usque dum vel Inflammatio discutiatur, vel nulla diſcuſſionis ſpes amplius affulgeat. Notabis tamen, ſubinde per ſex aut octo dies ejusmodi Inflammationem durare poſſe, donec perfectè diſcutiatur, præcipuè ſi Glandulæ ſimul lympham mucoſam excernant, non niſi cum ſcreatu projiciendam.

Curatio Apoſtematis Tonſillarum.

Quando autem ſpes diſcuſſionis omnis amiſſa eſt, quando Tumor augetur, Dolor pulſativo-ardens accedit, Febriculaque intenditur cum Cephalalgiâ maximè torquens, tum verò *maturantia* in uſum vocanda ſunt; eumque in finem *Gargarisma* ſequens præſcribendum; v. gr.

℞. *Cancror. fluviat. vivent. num.* ij.
Radic. Lil. alb. ℥ß.
Fol. Alth.
Parietar.
Brunell.
Flor. Liguſtr. ana Mj.
Melilot. Mij.
Ficuum pingu. num. iij.
Croci opt. ʒj.
Inciſ. & contuſ. coqu. in ſ. q. Aqu. fontan. vel Lactis ad ebullit. ſecundam.

Colatura

Colatura expreſſa cum Siphone gargarizetur ſæpius calidè.

Eundem effectum præſtat *Lac calidum ſaccharatum* & *gargarizatum*; præprimis, ſi *Crocus*, *Ficus*, *Folia Alth. Malv. Violar.* &c. eidem incocta fuerint. Ejuscemodi autem Gargariſatio ſubinde ad plures dies eſt continuanda, donec Abſceſſus maturatus ſit & ruptus. Interea ad impediendam Ægri ſuffocationem quotidie ferè *Clysma emolliens* atque *detergens* eſt immittendum. *Juſcula* quoque non infrequenter vel ad aliquot tantùm cochlearia ſunt propinanda. Neque *Mixturæ diaphoretico-cardiacæ* uſus intermittatur.

terna poſte- ris ſill. atio.

Extus circa Collum applicari ſolet vel *Emplaſtrum de Meliloto*, vel *Cataplasma ex Nido Hirundinum*, *Floribus Melilot. Chamomill. Verbaſc. Semin. Lin. Herb. Salv. agreſt. Parietar. Alth. Malv. Fimo columbin. Fimo Vaccino*, *Albo græco* &c. invicem inciſis, cum *Melle* & *Lacte* ſubactis, atque inter duo lintea applicatis. Prius tamen ſemper Collum *Oleo Chamomillæ*, *Roſar.* vel *Verbaſc.* inungatur calidè.

Quòd ſi Abſceſſus inde ruptus ſit, tum Ulcus ſic factum exſpuit pus immane quantum fœtens; hinc extergendum probè, conſolidandumque erit *Gargarismate* facto ex *Aqu. Plantag. Brunell. Scabioſ. Succo Apii*, *Melle roſaceo*, &c. calidèq; ſæpius inſperſo. Poſt quod lambendum dein eſt *Roob Sambuci*, cum *Syrup. de Beton. Melle Roſac. Antim. diaph. Corall. rubr. ppt.* & *Aqu. Brunell.* vel *Plantag.* permixtũ. Imò & ſemel vel aliquoties Sudor cum hauſtu *Aqu. Scabioſ. Plantag.* & *Roob Sambuc.* proliciatur. Ac tandem finitâ Curâ corpus leniente quodam expurgetur.

Tonſillarum Tumor pituitoſus.

TONSILLARVM TVMOR PITVITOSVS, eſt earundem magnitudo aucta ab Humore ſeroſo viſcido, intra poros, in quos è maſſâ ſanguineâ ſecretus fuit, ſubſiſtente & accumulato oriundus, cum deglutiendi difficultate, ſed ſine dolore aut ardore, ſine inflammatione, rubore Amygdalarum, aut Febri Hominem moleſtè affligens.

Cauſa.

Lympha itaque Sanguinis viſcida atque tenax in Tonſillas depoſita heic meritò accuſatur, quæ ex Chylo ſimili charactere infecto provenit. Chylus verò talem viſciditatem adipiſcitur à Cibis ſalſis, acidis, dyspeptis, craſſis, frequenter vel copioſè comeſtis, atque in Ventriculo hinc malè digeſtis. Verùm & Potus ſive Aquæ, ſive alius Liquoris gelidus, ut & Aër frigidus, non ſolùm diu inſpiratus, ſed & extus Caput vel Collum nudum lambens, ſicque fibras ac tubulos ejus conſtringens ad talem Tumorem contribuere ſæpius conſuevit.

Diagnoſis.

Haud difficile eſt Tumorem ejusmodi vel per ſolam Palati inſpectionem cognoſcere; Conſpicitur enim vel alterutra vel utraque Tonſilla plus minus tumida, atque Humore cineritio, viſcido, tenaci undique obſita; ubi interdum ipſa Uvula ſimul tali Tumore pituitoſo inficitur, Dolor adeſt

vel nullus, vel exiguus; certè nullus percipitur ardor; ſaltem ſi deglutire volunt Homines, laborem atque dolorem quendam, ſed minimè ardentem, percipiunt: qualis interdum & in Auris meatu, vel circa Aurem in maxillæ articulo accedit, quando deglutire volunt.

Progno-ſis. In *Prognoſi* hic Affectus non eſt faciendus periculoſus, niſi, quando Serum ita accumulatur, ut Epiglottidem prorſus deprimat, atque ita ſpiritum omnem intercipiat.

Curatio. *Curatio* inchoanda eſt per *Clyſma* aliquod *detergens*; v. gr.

℞. *Radic. Ariſtol. rot.*
Imperat.
Lil. alb. ana ʒij.
Herb. Malv.
Alth.
Salv.
Meliſſ.
Mercur. ana Mj.
Flor. Sambuc.
Chamom. ana Mß.
Semin. Fœnic. ʒij.
Lin. ʒvj.
Inciſ. & contuſ. coque in ſ. q. Aquæ fontan. Colat. ℔j. *adde*
Mell. roſac.
Elect. de Hier. Log. ana ʒvj.
Olei Chamom.
Violar. ana ℥j.
M. f. Clyſter ſtatim injiciendus.

Sed & Corpus ſimul mox purgabitur; v. gr.

℞. *Syrup. de Cich. cum Rhab.* ℥iß.
Rhamn. Cathart. ʒvj.
Aqu. Scorzoner.
Brunell. ana ʒvj.
Cinam. ʒij.
Scammon. 🜍*rat. gr.* ij.
M. f. Potio d. ad Vitr. ſumatur mane pro doſi, cum regimine diætæ.

Vel ℞. *Rhab. elect.* ℈ß.
Magiſt. Jalapp. gr. vj.
Scamm. 🜍*rat. gr.* ij.
Crem. 🜿*ri gr.* xv.
Ol. ſtillat. Garyoph. gutt. j.
Sacch. ℈ß.
M. f. Pulv. ſubt. qui vel per ſe, vel cum Roob Sambuc. aut Conſervâ Violarū permixtus mane ſumo exhiberi poteſt.

Poſt *Purgans* ſubinde *Potio diaphoretica* v. gr. ex *Aquâ Card. bened. Scabioſ. Naſturt. aqu. Cherefol. Apii ſelini*, *Folior. Sambuc. Fumar.* cum *Roob Juniper.* vel *Sambuc. Elect. Diaſcord. Frac. Sale volat. oleoſ.* vel *Tinct.* ♁*n.* vel *Mixtur. ſimpl.* & *Pulveribus diaphoreticis.* Frequenter etiam *Infuſum Thée* ac *Betonic.* vel *Decoctum Granorum Coffée toſtor.* cum *Cinam.* & *Croco* calidè ſorbilletur.

Dein *Gargariſma* ſequens tepidè ſæpius inſpergatur:

℞. *Herb. Brunell. Scab.*
Salv. Semperv. maj. ana Mj
Flor. Liguſtr. Malv. hort. ana Mß
♋*. fluviat. viv. num.* vj.
Inciſ. & contuſ. coqu. in
Aqū. fontan. ℔ij. *vel* ℔iij. *ad tert. part. conſ. In Colaturâ diſſolve*
Roob Dianuc. ℥iß.
Diamor. ℥j.
M. d. ad Vitr. & cum Siphone Palato ſæpius inſpergatur.

Sunt qui ſubinde guttas quasdam *Spiritus Vitrioli* permiſcent, vel *Aceti filtrati* aliquid. Atque ſic ex uſu

uſu talium Mucus ab Amygdalis averruncabitur ſenſim, tandemque poſt aliquot dierum elapſum Tumor omnis ceſſabit.

Extus Collum *Oleo Lumbricor. terr. Chamomill. Anethi*, &c. bis quotidie inungetur, ſimulque *Lana ſuccida nigra* circumligabitur; vel *Emplaſtr. de Meliloto* applicabitur: aut *Sacculus Flor. Chamom. Cineribusve* repletus & calefactus imponetur.

TONSILLARUM ABSCESSUS eſt Tumor earundem ab Humore ſanguineo-lymphatico in pus mutato oriundus. Abſceſſus hic vel *maturus* eſt, & rumpendus, ſi natura ipſa hoc non fecerit. Rumpitur ſi *Gargariſmati Succus Allii, Ceparum* vel *Apii*, &c. permiſceatur: Vel *non eſt maturu*, hinc ad maturitatem deducendus, penitusque ſanandus per remedia ſuperius ſub *Tonſillarum Inflammatione* indigitata.

TONSILLARUM ULCUS eſt ſolutio unitatis in alterutrâ Amygdalâ ab Humore vel purulento, vel ſeroſo-acri corroſivo producta. Ex Abſceſſu plerunque provenit; quod curabitur, ſicut ſub *Tonſillarum Inflammatione* dictum. Si verò ſine præcedente Abſceſſu à materiâ ſeroſo-ſalſo-acri exedente procedat, tum Corpus ſtatim eſt benè purgandum, remedio quodam ſuperius de *Tonſillarum Tumore pituitoſo* notato; Dein *Eſſentia Myrrhæ* bis vel ter quotidie ad 15. vel 20. guttas cum *Decocto Lignor.* vel *Traumat.* aut *Aqu. Plantag. Sanic. Beton.* &c. danda, vel *Eſſentia Traumatica* qualiscunque concedenda. *Gargariſma* interim frequenter tepidè inſpergatur ex *Decocto Herbar. traumatic.* inprimis etiam *Millefol. Artemiſ. Geran. Robert.* cum *Melle roſaceo, Succo Apii, Cancror. fluviat. recent. expreſſ.* aut *Cancris* his contuſis & unâ cum Herbis in Aquâ & Vino decoctis. *Mel roſaceum* cum ♄ *n. diaph. Ebor. ppt. C.C. phil. Diaph.* ♃ *vial.* &c. etiam ſubinde lambatur.

TONSILLARUM CARO SCIRRHOSA LARDO SIMILIS, *Speckdrüſen im Halſs*, eſt magnitudo earum præternaturaliter aucta, ab Humore nutritio pingui tenaci, in carnem Lardo ſimilem concreſcente, atq; ſenſim rictum Palati opplente oriunda. *Tonſillarum Caro ſcirrhoſa.*

Creſcit hic Tumor ex tenui principio, ſed paulatim augetur, ſuccedente continuè novo humore nutritio. Ab initio fibrillæ plures vel pauciores per aliqualem Humoris acrimoniam nonnihil eroduntur, unde extillans humor gelatinoſo-nutritius corruptus in materiam Lardo ſimilem coagulatur. Præbet hinc occaſionem Humor ſeroſo pinguis, & ſalino-acris, ex Chylo, vel aliunde in Maſſam humoralem deveniens. Hinc Lue vereneâ laborantes ſubinde, propter Lympham acrimoniâ corroſivâ infectam, tali malo affliguntur. Poteſt & Hypochondriacis atque Scorbuticis evenire. *Cauſa.*

Cognoſcitur ex intuitu hoc Malum, dum albicans & Lardo ſimilis excreſcentia in Tonſillis, ſubinde & circa illas in Iſthmo Palati enaſci, paulatim- *Diagnoſis.*

& Progno-ſis. latimque ita augeri cernitur, ut tandem ſuffocationem induceret, niſi debitis remediis imminueretur. Atque ſi Tumor infra Amygdalas quoque pullulet, ablatusque denuò ſuccreſcat, Malum ferè indelebile erit, Hominemque vel ſubitò tandem ſtrangulabit, vel paulatim extenuabit, & per Hecticam Febrim è medio tollet.

Curatio. *Curatio* hujus Affectûs difficilis evadit. Dandum autem eſt ante omnia *Purgans* quoddam, & quidem *mercuriale*, v. gr. ſequens:

℞. *Radic. Jalapp.*
Mercur. dulc. opt. ana ℈j.
Scamm. 🜍*rat. gr.* ij.
Crem. 🜿*ri* ℈ß.

M. f. Pulv. ſubt. d. ad ch. Sumatur cum Juſculo vel alio liquore.

Vel ℞. *Syrup. de Cich. cum Rhab.* ℥ij.
Aqu. Fumar. ʒvj.
Scab. ℥ß.
Cinam. ʒij.
Diacydon. Lucid. ʒj.
Mercur. dulc. opt. gr. xv.

M. f. Potio d. ad Vitr. pro doſi.

Poſt Purgans m. ac veſp. in uſum trahatur ſequens *Decoctum*:

℞. *Radic. Scrophular.*
Apii.
Scorzoner.
Calam. arom. ana ʒij.
Herb. Card. bened.
Agrimon.
Grat. Dei.
Hepat. nob. ana Mj.
Summit. Abſynth.
Centaur. min. ana Mß.
Semin. Fœnic. ʒij.
Inciſ. & contuſ. coque in
Aquæ fontan. Menſ. iv.
Vini albi veteris Menſ. j.

De Colaturâ m. ac veſp. horâ ante paſtum tres vel quatuor unciæ hauriantur calidiuſculè. Sumi ſimul poſſunt ſemper 20. vel 25. guttæ *Eſſent. Myrrh.* vel *Salis volat. oleoſi*, vel *Tinct.* ♂*is aper. Corall.* ♁*nii*; vel *Liquoris Terræ foliatæ* 🜿*ri*, &c. Si *Pulvis* non ſit adverſus Palato, ſequens dabitur:

℞. ♁*n. diaph.*
Radic. Scrophular.
Ebor. phil. ppt.
Pulv. Viper. ppt. ana ʒij.

M. f. Pulv. ſubt. divid. in 16. doſ. æqu. ad ch. Sumantur m. ac v. cum Juſculo, vel Aquâ Fumariæ, aliâve deſtillatâ.

Extus *Cathæretico remedio* ſenſim abſumenda eſt Excreſcentia; fit autē hoc, ſi tangatur *Spiritu Vitrioli*, vel 🜍ris frequenter, ac deſuper *Gargariſmate* calente iterum Fauces eluantur, quale componi poteſt ex *Decocto Lignorum & Plantarum traumaticarum* in *Aquâ ſimplici.* Alia *Cathæretica* vix locum in hoc caſu habent, aut certè cum magnâ circumſpectione ſunt adhibenda. Si quid forfice reſecari poteſt, id omnino fiat. Atque hâc methodo pergatur, donec Tumor omnis fuerit abſumtus. Quoniam autem plerunque in inferiore Faucium parte, quouſque Chirurgus videre nequit, radix quædam hujus mali relinquitur, è quâ poſtea de novo repullulare poteſt Tumor, hinc proponenda venit, prorſusque inſtituenda *Cura ſalivatoria*, ad eum modum, quem in *Lue vènereâ* commendavimus. Hâc demum

demum ratione tutum à novo Morbi inſultu fore credimus Ægrotantem; præſertim ſi in Diætâ errores amplius nullos committat, atque ab impuro coitu ſibi caveat.

TORMINA VENTRIS ſunt Dolores Inteſtinorum à variis cauſis oriundi, Hominemque plus minus intensè affligentes. Ad *Colicam* penitus referenda credimus hæcce *Tormina*, utpote in quâ Canalis Inteſtinorum diverſimodè affligi & torqueri ſolet. Niſi vocabulum *Torminum* ſpeciatim ad illos Dolores referre velimus, qui ab aſſumto *purgante acriore* producuntur, quanquam & hi ſub *Colicæ* nomine venire debeant, atque commodè poſſint. Vide proin Titulum de *Colicâ* ſuo loco.

TRACHOMA vel DASYMMA eſt Aſperitas internæ Palpebrarum ſuperficiei, à tuberculis, Milii ſeminum magnitudinem ferè æquantibus, doloreque gravativo moleſtantibus oriunda. Vid. *Palpebrarum Trachoma*.

TREMOR MEMBRORVM eſt imbecilitas Tendinum in partibus membranoſorum, à Spirituum animalium per plures tubulos obſtructos impeditâ irradiatione proveniens, quâ quis membra, inprimis Brachia aut Manus, vel etiam Caput totum firmiter tenere nequit, ſed reciprocâ agitatione perpetim ultro citroque movet. Vid. *Manuum Tremor*.

TREMOR CORDIS, vid. *Cordis Tremor*.

Trichiaſis. TRICHIASIS eſt pilorum curvorum ac brevium in Ciliis oculorum excreſcentia, unde bulbus oculi frequenter pungitur. Vid. *Oculorum Ciliorum Trichiaſis*.

Tuſſis. TVSSIS eſt muſculorum Diaphragmatis, ſubinde & Thoracis atque Fibrarum pneumonicarum plus minus frequens, valida, ſpasmodica, & ſonora contractio atque concuſſio, quâ natura, quicquid tracheas Pulmonis, fibraſque ejus nerveas qualitate quâcunque acri vellicat, exaſperat aut pungit, eniti ex ſe & explodere conatur; idque beneficio inſpirati modò aëris, qui cum impetu ſæpè in exſpiratione validâ excutitur ſecumque in externas auras rapit, quidquid ibi moleſtum eſt. Differt hinc ab *Exſcreatione ſimplici*, in quâ ſine ullâ pectoris concuſſione, quicquid faucibus moleſti inhæret, à muſculis variis palati, aliiſque pectus conſtringentibus, non ſecus atque Saliva exſcreatur.

Pars affecta. *Partem primariò affectam* dicimus eſſe Pulmonem, quoad fibrillas præprimis nervoſas veſicularum & aſperæ arteriæ; à quibus dein muſculi Reſpirationi dicati ſimul in conſenſum trahuntur. *Secundariò* etiam aliquando Ventriculus cum fibris ſuis irritatis in culpâ exiſtit.

Cauſa. *Cauſa* igitur *proxima* Tuſſis dicitur, quicquid Diaphragmatis atque Pulmonis fibras motrices ſive mediatè, ſive immediatè irritare, & ad validam contractionem atque concuſſionem ſtimulare valet. Facit

hoc 1. Humor viſcidus, pituitoſus, ſalſo-plus minus acris, (*Catarrhum* vocant *craſſum*, emollitione indigentem) ſuis ſpiculis fibrillas crebrò pungens & lancinans: qualis humor plerunque è ſanguine, in quo per chylum ſimili charactere infectum cumulatus fuit, in tunicas Pulmonis glanduloſas deponitur, indeque in veſiculas atque tracheas ejusdem ſegregatur. 2. Inflammatio Pulmonis, unde Tuſſis maximè doloroſa, ſicca, cum Febri & reſpirandi difficultate exoritur. 3. Calculi in veſiculis Pulmonum, è terreſtri pituitoſi humoris materiâ, per intercurrens acidum conglutinatâ, naſcentes. 4. Humor ſeroſo-limpidus, ſalſus, ſive Catarrhus tenuis aquoſo-ſalſus, copioſè è glandulis pneumonicis exudans, unde Tuſſis à materiâ tenui ortus dicitur. 5. Pulveres varii generis in aëre circumvolitantes, ac per inſpirationem in Pulmonis veſiculas depulſi, cumulatique, à quorum aſperitate fibræ facilè ſtimulantur. 6. Apoſtema ſive Abſceſſus, nunc magnus & unus, nunc plures minores, ſive Vomicæ Pulmonum, à quarum mole comprimente, puriſque, ſi vomicæ rumpantur, effluentis acrimoniâ ſimiliter fibræ ad excretionem ſtimulantur, atque in libero ſuo ad reſpirationem facilitandam motu impediuntur. 7. Ulcus hinc Pulmonum, ſimiliter continuè propemodum, quoad materiam ſuam purulentam acrem, irritans & ad excernendum ſtimulans. 8. Inflammatio & Abſceſſus Pleuræ, lobum Pulmonis vicinum lancinando Tuſſim ſiccam excitans. 9. Scirrhus Pneumonis, per compreſſionem continuè irritando, ſubinde & Lympham acriuſculam copioſius eliciendo, ſimiliter Tuſſim ſiccam cum Dyſpnœâ, & paulatinâ Macie producens, niſi ſcirrhoſitas in tempore emollita diſcutiatur. 10. Anguſtia pectoris ſive nativa, ſive adquiſita, unde Pulmones ſtimulati frequenter, inprimis quando Lympha per anguſtatos tubulos tardius decurrit, & hinc ex parte ſubſiſtens cumulatur, Tuſſim plus minus ſiccam excitant. 11. Empyema ſive collectio Puris in cavitate pectoris, à quo Pulmonis membrana ſtimulatur. 12. Aquæ hydropicæ in Pectoris eadem cavitate collectæ, atque hinc ſalſedine ſuâ membranam Pulmonis ſtimulantes. 13. Cruditas acido vel ſalſo-acris tenax, Ventriculi plicis plus minus copioſè impacta, quæ fibras Oeſophagi immediatè, hinc & per conſenſum Diaphragmatis membranas ad convulſivam contractionem ſtimulando Tuſſim ſiccam cauſatur. 14. Vermes Stomachi aut Inteſtinorum, ſubinde rodendo ac lancinando fibras membranoſo-nervoſas tum earum partium, tum etiam Diaphragmatis ac Pulmonis per conſenſum ad Tuſſim ſiccam producendam conferunt. 15. Aër frigidus, aut frigido-humidus diu multumque inſpiratus, glandulas Pneumonis contrahendo, tubuloſque anguſtando, Lymphæ ſtagnationem, vel etiam accumulationem, & hinc Tuſſim inducit. Cui

tamen

tamen accedunt aliæ adhuc Cauſæ *antecedentes* & *procatarctica*; præcipuè *Cibi* ſalſi, acido-acres, auſteri; *Potus* gelidus, aut acido-auſteriuſculus; refrigeratio membrorum extremorum, aut totius etiam corporis, inprimis ſi antea æſtuaverit: Non enim quid novi eſt, à potu gelido per æſtuantem gulam largiter hauſto, vel etiam ab alio corporis, priùs admodum calentis, ſubitaneo refrigerio Tuſſim productam fuiſſe. 16. Ita & repercuſſi Achores, retropulſa, per externa poros occludentia Unguenta, Scabies; Tranſpiratio in patulis capitis, colli ac pectoris poris, ſub radiis lunaribus, vel hyberno tempore ſubitò cohibita; ſalſos in corpore noſtro Humores accumulando ad hunc Affectum contribuunt. 17. Neque raro Febres continuæ, per materiæ morbificæ exonerationem in ſubſtantiam Pneumonis, Tuſſim excitant, nunc cum, nunc ſine Partis exulceratione. 18. Sanguis in Hæmoptyſi in veſiculas & branchia Pulmonum effuſus, atque ſtimulans tuſſire quoque facit. 19. Vulnus Pectoris & Pulmonis huc etiam referendum tandem venit.

Tuſſis verò producitur, quando Pectus & pulmonum Veſiculæ, hinc & Tracheæ, â muſculorum thoracicorum atque diaphragmaticorum vehementi & ſubitaneâ contractione, veluti ſpaſmodicâ, comprimuntur, ſicque aër modò inſpiratus cum impetu quodam excutitur, in exitu hinc inde allidendo, externumque ſimul aërem ad motum trementem cogendo ſonitum producit, materiamque irritantem, ſicubi in tracheis fortè minus tenax extiterit, ſecum aufert, ſive ex toto, ſive ex parte.

Si materia exiſtat copioſior aut tenacior, tum unico Tuſſis ictu expelli minimè poterit, hinc partim tenacitas illa minui, Catarrhusque emolliri, partim viæ magis lubricæ reddi debent. Opus etiam eſt pluribus extuſſitionis actibus, quando materia profundiùs intra Pulmonis ſubſtantiam impacta hæret. Cooperantur ad hanc validam Pulmonis compreſſionem, adeoque ad Tuſſim, etiam Muſculi Abdominis, per conſenſum ſimiliter irritati, atque vehementer ſubitoque contracti, Abdomen comprimentes.

Enaſcuntur hinc variæ Tuſſis *differentiæ*; etenim 1. Alia eſt *ſicca*, ſine Humoris excretione contingens; alia *humida*, cum Humoris plus minus copioſi extuſſitione Hominem torquens. 2. Alia *idiopathica*, ab Humore in Pectore ſubſiſtente nata; alia *ſympathica*, quando cauſa ejus extra Thoracem in Ventriculo vel Inteſtinis &c. hæret. 3. Alia *vehemens* & *crebra*, quæ, ſi ſicca fuerit, *ferina* nuncupatur; alia *mitis* & *rara*; utraque vel *ſicca* vel *humida*. 4. Alia *ſpaſmodica* ſive *convulſiva*, ab acrimoniâ acido-auſterâ Humoris proveniens; alia *non ſpaſmodica*. 5. Alia *critica*, quâ Morbus acutus ſive Febris continua ſolvitur; alia *ſymptomatica*, etiam ſine Febri Hominem affligens. 5. Reſpectu *durationis*, alia *recens*; alia *inveterata* ac *diuturna*. Ita novimus, *Tuſſis differentia.*

 qui

qui per viginti annos & ultra Tuſſi fuerunt excruciati. 7. Reſpectu *cauſarum*, alia ab hâc, alia ab illâ proveniens.

Diagnoſis. In *Diagnoſi* facilè omnes hæ Tuſſium differentiæ cognoſcuntur. Ubi tamen hoc addendum, quod Tuſſes à Catarrhis frigidis, ſalſis, pituitoſis oriundæ, plerunque circa veſperam, atque ſub calore ſtragulorum, ingraveſcant & vehementiores reddantur. Tuſſis ferè omnis aliquandiu durat, niſi à Stomachi cruditatibus fuerit orta, quibus excuſſis & illa ceſſat. Quandoque etiam hæc concuſſo nimis Stomacho nauſeam ac vomitum ſimul producit. A Catarrhis autem oriunda tempus requirit, ſub quo vel tenues illi craſſari, vel craſſi attenuari, ac ita paulatim exſcreari poſſint. Jungitur Tuſſis variis Morbis & Symptomatibus aliis, v. gr. Febribus, Empyemati, Hydropi Thoracis, Peripneumoniæ, Pleuritidi, Aſthmati, Vulneribus atque Ulceribus Pulmonis &c.

Prognoſis. Quoad *Prognoſin*, etſi omnis ferè Tuſſis aliquamdiu duret, non tamen eapropter ſimiliter & æquè periculoſa eſt. Si nulla Pulmonis corroſio, exulceratio & putrefactio; nulla Febris inflammatoria & maligna; nullus Catarrhus ſuffocativus; nullus Pectoris Hydrops; nullum Empyema; nulli Spasmi adfuerint, periculum vitæ portendere nequit. Si quid verò tale junctum exiſtat, Hectici Morbi, adeoque Tabis præſentis, aut futuræ indicium eſſe poterit. Tuſſis à Vermibus Inteſtinorum, à Stomachi Humoribus lentis & viſcidis producta omni periculo caret.

Cur. Tuſſ. In *Curatione*, ſi felix eſſe cupias, ad Cauſam Affectûs benè attendito, medendique methodum juxta illam inſtituito.

Abſceſſ. Ulc. &c. Quòd ſi ergo Ulcus, Abſceſſus, Scirrhus, Vomica, Hæmoptoe, Inflammatio Pulmonis in culpâ fuerit, curatio adhibenda venit talis, qualis in Phthiſi, Peripneumoniâ, Pleuritide, Hæmoptyſi, Vomicâ &c. ſuis locis abundè tradita reperitur.

Ab Empyem. &c. Si Empyema, Pectoris hydrops, Vulnus, Gibbus, aut anguſtia Thoracis, Tuſſim produxerint, curatio ſuis locis quoque videnda.

à Catarrho craſſo, viſcido. Quòd ſi materia viſcida, craſſa & lenta, ſive Catarrhus craſſus Tuſſim excitaverit, nullaque Febris adfuerit, *Vinum medicatum* cum *Agarico* eſt præſcribendum, ſequenti vel ſimili modo:

℞. *Radic. Tuſſilagin.* ℥j.
Helenii.
Ariſtol. rot. ver. ana ʒiiß.
Scillæ ʒij.
Cortic. Lign. Guajac.
Lign. Saſſaphr. ana ʒiij.
Herb. Veron.
Card. bened. ana Mj.
Hyſſop.
Pulmonar. ana Mß.
Flor. Bell. min. Pij.
Semin. Fœnic. ʒiß.
Fol. Sen. opt. mund. ʒx.
Spic. Indic. ʒiß.
Agaric. troch. ℥ß.
Paſſular. maj. exac. ℥j.
Cinnab. nativ. opt. ℈iiß.

Inciſ.

Inciſ. & contuſa inde nodulo ex ſindon. rubr. affunde

Aqu. ferventis Menſ. j.

Quando refrixit, miſce denuo

Vini albi veteris Mj.

Relinque ita, & quotidie mane cyathum plenum propina.

Vel ſequentem *Potionem* aliquoties capiendam præſcribe:

℞. *Mann. calabrin.* ℥iiß.
Crem. 🜿*ri.* ʒß.
Aqu. Veronic.
Scabioſ.
Marrub. alb.
Hyſſop. ana q. ſ.

Solutionem colatam vel per ſe propina, vel adhuc ʒij. *Aquæ Cinamomi prius miſce, & hauriendam præbe.*

Interea ad mitigandam Tuſſim, viſciditatemque Catarrhi emendandam ſequentia, modò hæc, modò illa in uſum trahi diligentem debent: v.g. pro Eclegmate:

℞. *Olei Amygd. dulc. rec. expr.* ℥j.
Syrup. de Eryſimo Lobel.
Hyſſop.
Oxymelit. ſquillit. ana ʒvj.
Aqu. Cherefol.
Veron. ana ℥j.

M. d. ad Vitr. Subinde cochleare plenum lambatur.

Vel ℞. *Syrup. de Jujub.*
Bellid. min.
Aqu. Hyſſopi.
Marrub. alb. ana ℥j.
Specier. diair. ſimpl.
Spir. Sal. armon. anis. ana ℈ij.

M. d. ad Vitr. ſumatur cochleatim.

Vel ℞. *Ol. Amygd. dulc.* ʒiß.
Axung. canin. ʒiij.
Spermat. Cet. rec. ʒiß.
Spir. Sal. arm. aniſat. ℈ij.
Eſſent. Croc. ʒß.
Specier. diair. ſ. ʒj.
Syrup. de Eryſ. ℥iß.

M. d. ad Oll. ac ſubinde cochleare plenum lentè deglutiatur.

Mane ac veſperi *Decoctum pectorale* ſimul exhibeatur, ſequentem vel ſimilem in modum:

℞. *Radic. Scrophular.* ℥ß.
Calam. arom.
Ariſtol. rot. ver. ana ʒij.
Herb. Hed. terr.
Card. bened.
Veron. ana Mj.
Hyſſop.
Flor. Bellid. min. ana Mß.
Jujubar. par. iv.
Ficuum pingu. par. iij.
Semin. Aniſ. ʒij.

Inciſ. & contuſa coque in
Aqu. fontan.
Vini alb. vet. ana Mj.

Per quadrantem horæ; de Colaturâ m. ac veſp. ℥iiij. *calidè hauriantur.*

Rotulæ hinc vel *Morſuli* ſeqq. ſimul lambantur:

℞. *Radic. Ireos florent.* ℈iiij.
Liquirit.
Ocul. ♋. *ppt. ana* ʒij.
Extract. Helen. ℈j.
Confect. Alk. compl. ℈ij.
Sacch. alb. Aqu. Veron. ſol. ℥iiij.

M. f. Confectio in Rotulis, irrorandis Ol. ſtillat. Fænic. gutt. iv. *d. ad ſcatul.*

Cum ipſo Decocto m. ac veſp. *Sal. volatile oleoſum*, vel *Spiritus aniſ.*

aut *fœniculatus Salis armoniaci*, *ad guttas* 20. *vel* 30. exhiberi poteſt.

Si inclinet Æger ad ſudorem, ſequens ſudoriferum aliquoties propinetur, & hinc ſudor eliciatur:

℞. *Aqu. Veronic.*
Flor. Sambuc. ana ℥j.
Hyſſop. ʒvj.
Roob. Sambuc. vel Juniper. ℈ij.
♁ *n. diaph.* ℈j.
M. d. ad vitr. pro doſi aliquoties repetendâ.

Potus Infuſi vel *Decocti Fol. Thée* cum *Hyſſopo*, *Meliſſâ*, *Polio*, *Pulegio*, *Veronicâ*, *Flor. Bell. min. Croco* &c. in *Aquâ* facti non contemnendus quoque eſt, *Saccharo cand. albo*, aut *Syrupo de Lichene petr. Bell. min.* &c. edulcoratus.

Sunt qui cum fructu quandoque *Spiritum Ceraſ. nigr. rectificatum* ſuper *Saccharum candid. album* vel *inciſas Ficus* & *Paſſulas majores exacinatas* accendunt, deflagrare permittunt, hincque reſiduum adhuc calidè deglutiunt.

Miſce etiam ſeqq. invicem, & inſtar *Coffée* ſolius bis quotidie uſurpa:

℞. *Granor. Coffée toſt. & pulveriſat.* ℥vj.
Pulv. Radic. Liquirit. ℥iiij.
Croc. oriental. ver. ʒij.

Cochleare plenum quotidie mane ac veſp. coque in ℔j. *Aquæ fontanæ*, *in Colaturâ diſſolve Sacch. cand. alb. q. ſ. ad gratam dulcedinem*, *& ita calidè admodum ſorbilla.*

Denique ſequentem *Syrupum* frequenter cum ſucceſſu uſurpatum ſæpius vidimus:

℞. *Radic. Helen.*
Squill.
Calam. aromat.
Liquirit.
Tuſſilag.
Ireos florent. ana ʒiij.
Flor. Bellid. minor.
Herb. Veronic.
Pulmonar. ana Mj.
Puleg.
Hyſſop. ana Mß.
Jujubar. par. iv.
Ficuum pingu. par. iij.
Semin. Fœnic. ʒij.
Paſſul. maj. exacin. ℥iß.
Inciſ. & contuſa coque per ſemihoram in Aqu. fontan. Miß. *ad finem adde Mellis Violac.* ℥iij. *Poſtmodum in colato Liquore diſſolve*
Sacch. cand. alb. ℔j.
Coque ad Syrupi tenuioris conſiſtentiam, *de quo ſæpè cochleare unum & alterum lambatur.*

In Tuſſi à *ſabulo* & *calculis* Pulmonis, eadem remedia conveniunt.

Pro Potu ordinario detur *Decoctum Radicis Liquirit. Gramin. Ireos florent. Semin. Aniſ.* &c. ſi Febris adſit, eâ verò abſente *Vinum album vetus* cum immerſione *Radic. Helen.* & *Herb. Praſii*, *Pulmonar. Meliſſ. Veron.* bibendum præbeatur. In Cibis omnia fugiantur acida, auſtera, dyspepta; Aër vitetur frigidus & humidus. Pediluvia uſurpentur. Pectus quotidie *Oleo Chamomill.* inungatur, vel *Unguento* pectorali.

Si

Si autem Lympha tenuis & acris Tuſſim produxerit, *incraſſantia*, *abſorbentiaq;* in uſum trahenda veniunt, non omiſſis ſubinde *anodynis*, vel *opiatis*. Ante omnia autem *Leniens* aliquod dabitur; v. gr.

℞. *Syrup. de Cich. cum Rhab.* ℥ij.
Aqu. Plantag. ℥j.
Cinam. bugl. ʒij.
Elect. è Succ. Roſ. ʒiß. *vel* ʒij.
M. f. Potio d. ad Vitr. pro doſi.

Vel ℞. *Mann. Calabr.* ℥iiß.
Crem. ♀*r.* ℈iß.
Aqu. Beton. q. ſ.
Solve lento igne, Colatur. adde
Aqu. Cinam. bugl. ʒiiß.
F. Potio d. ad Vitr. pro doſi.

Vel ℞. *Syrup. Flor. Acac. vel Perſic.* ℥iij.
Aqu. Borrag.
Fœnic. ana ʒvj.
M. f. Potio d. ad Vitr. pro doſi, Adulto dandâ.

Si quis *Pilulas* magis deſideret, ei ſeqq. dabis:

℞. *Maſſ. Pilul. è Succ. Crat.*
Extract. panchymag.
Rhabarb. ana gr. vij.
Reſin. Jalapp. gr. iij.
Cinnab. nat. opt. gr. viij.
Ol. ſtillat. Succin. vel Roriſm. q. ſ.
M. f. l. a. Pilulæ num. xv. *Inaur. ſumantur mane pro doſi.*

Si Alvus ſatis libera non ſit, tum *Clyſma* quoque infundetur detergens: v. gr.

℞. *Radic. Ariſtoloch.*
Pimpinell.
Cyper.
Alth. ana ʒiiß.
Herb. Mercurial.
Malv. ana Miß.
Beton.
Salv. ana Mj.
Semin. Lini ℥ß.
Aniſ. ʒij.
Flor. Chamom.
Melil. ana Mß.
Inciſ. & contuſ. coque in ſ. q. Aqu. fontan. In Colatur. ℔j. *diſſolv.*
Elect. de Hierâ picr. Log. ʒvj.
Ol. Chamom. ℥iß.
⊖*is Gemm.* ℈j.
M. f. Clyſter. ſtatim infundendus.

Poſtmodum *Vena Brachii*, ſi opus videbitur nihilque ſit quod impediat, *ſecabitur*, ſanguisque ad 8. vel 10. uncias pro re natâ extrahetur.

Interea ſequentia *demulcentia* per vices dabuntur, ad branchia Pulmonum lubricanda, Nervulos demulcendos, acrimoniam Lymphæ edulcorandam & abſorbendam; illamque per vias Urinæ aut Sudoris expediendam. v.g.

℞. *Syrup. de Jujub.*
Diacod. Montan.
Aqu. Malv.
Flor. Acac. ana ℥j.
Spec. diatrag. frig. ℈ij.
M. d. ad Vitr. Sumatur cochleatim.

Vel ℞. *Syrup. de Succo Nicotian.*
Farfar.
Papav. rhead.
Aqu. Heder. terreſtr.
Beton. ana ℥j.
M. d. ad Vitr. Sumatur itidem per cochlearia frequenter.

Vel ℞. *Ol. Amygd. dulc. rec. expr.*

Syrup.

Syrup. Papav. rhead. ana ℥iß.
Aqu. Borrag. ℥j.
Spec. diatrag. frigid. ʒj.
M. d. ad Oll. Per cochlearia detur.

Tragema etiam ſequens frequenter lambatur:

℞. *Spec. diatrag. frigid.* ʒij.
Terr. ſigillat.
Corall. rubr. ppt.
Ocul. ♋. *ppt. ana* ʒiß.
Sacch. cand. alb. ℥iß.
M. f. Pulv. ſubt. d. ad ſcatul.

Vel *Rotulæ* aut *Trochiſci* ex *Pulpâ rad. Althææ* lambantur crebrò. Vel ſequentes præſcribantur:

℞. *Succin. alb. ppt.*
Corall. rubr. ppt.
Bol. Armen. ppt.
Spec. diatrag. frig. ana ʒj.
Confect. Alk. inc. ℈ij.
Mucilag. Gumm. Trag. Aqu. Betonic. extr. ʒij.
Sacch. cand. alb. Aqu. Plantag. ſolut. ℥iij. *vel q. ſ.*
M. f. Rotulæ, aut Trochiſci, dentur ad ſcatul.

Electuaria dein etiam conveniunt v. gr.

℞. *Conſerv. Roſ. rubr. ſ.* ☉*l.* ℥ß.
Flor. Tunic.
Tuſſilag.
Bellid. min.
Betonic.
Salv. ana ʒij.
Confect. Hyac. inc. ʒj.
Ocul. ♋. *ppt.*
Specif. antihect. Poter. ana ℈iiß.
Diacod. Montan. q. ſ.
M. f. Elect. d. ad Oll. Singulis triheriis aliquid capiatur.

Singulis ferè noctibus horâ ſomni de ſeqq. *Pilulis anodyno-abſorbentibus* aliquæ capiantur:

℞. *Maſſ. Pilul. è Styrac.* ʒß.
Extract. Liquirit.
Fumar. ana gr. xv.
Succin. alb. ppt. ℈j.
Laud. opiat. gr. j.
Elix. propr. q. ſ.
M. f. l. a. Pilulæ num. LVI. Conſperſ. pulv. Liquirit. d. ad ſcat. Sumantur 6. vel 7. pro doſi.

Vel ℞. *Theriac. cœleſt.*
Extract. Betonic.
Conſol. maj. ana ℈ß.
Succin. alb. ppt.
Cinnab. nat. opt. ana ʒß.
Laud. opiat. gr. ij.
Ol. ſtillat. Roriſm. q. ſ.
M. f. l. a. Pilulæ num. XL. Conſperſ. pulv. Liquir. d. ad ſcat. Sumantur 5. pro doſi.

In *Diætâ* Aër calidus minus eſt conveniens; Cibi aromatici, ſalſi & acres fugiantur, aciduli autem, non quotidie & ſemper comeſti, convenire poſſunt; ſicut reliqui omnes, qui nonnihil incraſſant. Somnus bonus. Quies non rejicienda. Ira nocet valdè. *Cucurbitulæ cum ſcarificatione* ſubinde dorſo applicatæ proſunt. Capiti *Cucupha* imponatur, & ita ſemper geſtetur. *Suctio Fumi Tabaci* commendanda, ſed modicè. Diæt

Si Tuſſis lenis ac ſicca originem traxerit à fumo, vel pulveribus, tunc *Eclegmata* cum *Oleo Amygd. dulc. rec. expr.* commendanda, ſicut ſupra. Vel *Oleum Olivarum recens minimeq; ſalitum* cum *Sacch. cand. alb.* quandoque lambatur. A Fi aut verib

lambatur. Vel *Butyrum recens non ſalitum* cum *Melle* ſubinde lambendum detur.

li- *tu.* Si Tuſſis à gelido potu, glandulas quasdam obſtruente, ſcirrhosque minante oriatur, tum *Juſcula calentia*, & *Potus calidi* crebrò propinentur, v. gr. *Decoctum Gran. Coffée toſtor.* cum *Pulvere Liquirit. Croci* & *Sacch. cand. alb.* vel *Decoctum* qualecunque *pectorale* incidens: vel *Infuſum Fol. Senn. Betonic. Veronic. Meliſſ. Beccabung.* vel *Juſcula Herbis Naſturcinis alterata*; eousque continuanda, donec omnis Tuſſis fuerit abacta.

ſsis in- *terata.* Tuſſis *inveterata* cum rejectione phlegmatis plus minus copioſi, originem trahens à Vomicâ imperfectè curatâ, ubi manſit continuè foramen Pulmonis, ſed corroſione ulterius non procedente, vix perfectè curatur; mitigatur tamen, ſicubi diutiſſimè ſequens *Tragema* in uſum vocetur:

℞. *Pulmon. Vulp. ppt.*
Pulv. Fol. Lich. petr. ana ʒiiß.
Diaphor. ♃ *vial.* ʒj.
Sacch. cand. alb. ℥j.

M. f. Pulv. ſubt. d. ad ſcat. Singulis 5. horis ℈ij. *vel* ʒj. *detur.* Vel *Eſſentia Myrrh. Maſtich. Croci*, *Hyperic. Numular. Bellid. min. Sanicul. Fumar. Plantag.* &c. *à gutt.* xviij. *ad* xxv. pro doſi m. ac veſperi propinetur.

Tuſſis Prægnantium mitigatur quoque *oleoſis* ac *pinguibus* cum *Melle* datis intermixtis ſimul *abſorbentibus Pulveribus* &c. Etiá *Rotulæ* ſupra notatæ ex *Mucilag. Gumm. Tragac.* crebrò lambantur.

In omni tandem Tuſſi Pectus cum fructu inungi poteſt *Axungiâ Capon. Murium alpin. Canis, Anſer.* cum *Oleis Lin. Chamomill. Verbaſc. Spermat. Cet. Pulv. rad. Ireos flor. Croci*, ac ſimil. vel *Unguentum Alth. reſumtiv. Fernel.* in hanc rem adhibeatur.

TYMPANITES, vid. *Hydrops Tympanites.*

VAGINÆ VTERINÆ AFFECTVS, vid. *Matricis Vaginæ Morbi.*

VARI, vid. *Jonthus.*

VARIOLÆ ſunt Exanthemata ſive Puſtulæ in ſuperficie totius corporis, cum Febri continuâ, plerunque acutâ, enaſcentes, primùm rubicundæ, dein ad ſuppurationem tendentes & albicantes, à pituitâ ſalſo-acidâ ac ſulphureâ viſcidâ, in tubulis cutaneis hinc inde extravaſatâ & ſtagnante ortum ducentes. *Variolæ.*

Nimirum in plerisque Hominibus vel ab ipsâ nativitaté ſemen Variolarum, ſive fermentum varioloſum in circulante Sanguine oberrat, acido-auſtero ac pituitoſo charactere præditum, vel in ſolidis fortè partibus hinc inde per aliquod tempus, plures aut pauciores annos immotum ſubſiſtit. Fermentum hoc procul dubio è recrementitiis Humorum Matris circulantium particulis enaſcitur, quod dein occaſione certæ alicujus qualitatis Aëris, quem inſpiramus, in motum ſuſcitatum, ſuisque è ſedibus deturbatum, & Sanguini communicatum; vel, ſi prius in Sanguine exti- *Geneſis earum.*

extiterit, ſpecifico motu quodam agitatum, reliquas humorum circulantium particulas ad alicujus turgeſcentiæ ſtatum evehit, unde *Febris* excitatur *continua*, quoniam turgeſcens ille Sanguis rectè amplius circulari nequit, ſed in anguſtiſſimis tubulis obhæreſcit, obſtructiones Glandularum ſubcutanearum parit, ac ita quoad motum inteſtinum maximè auctum febrilem corporis ſtatum indeſinenter fovet, usque dum heterogeneæ atque rejectaneæ particulæ per criticum quendam motum à compedibus ſuis liberatæque ſeparatæ extravaſentur, ac ad extremæ cutis poros devolutæ, indiesque cumulatæ, ceu Criſis Febreos, primò quidem Maculas, dein Puſtulas inflammatorias, ac demum parvulos Abſceſſus, quemadmodum Variolæ ſunt, progenerent. Quòd ſi hinc Criſis illa perfecta fuerit, omnesque heterogeneæ particulæ è Sanguine præcipitatæ ſint, cum Febris plenâ remiſſione; ſi, inquam, recrementa varioloſa ad extremam cutim depoſita obſerventur, neque vel profundior Cutis vel interna Viſcera ſimili materiâ infecta exiſtant; ſi materia morbifica non adeo acris, venenata, atque corroſiva fuerit, tum ſatis feliciter Pueri ejusmodi Variolas ſuperabunt. Si autem eadem materia valdè acris, & corroſivâ quadam aciditate imbuta erit, tum imperfecta plerunque Morbi ſolutio cum Ægrotantis pernicie contingit, niſi exhibita alexipharmaca præſtantem in expellendo Veneno efficaciam exercuerint.

Signa *diagnoſtica* imminentium Variolarum ſunt, Æther peculiariter malignus, quo plures ſimul Infantes eodem Morbo affici deprehenduntur; Inſultus febrilis, cum dolore Capitis ac Ventris, plerunque etiam Vomitibus variis, Appetitu dejecto, Terroribus in ſomno, Siti, Laſſitudine, Inquietudine, Oculis aquoſis, ac luridis: quibus ſubinde accedunt ſimul Convulſiones, eruptionem Puſtularum proximè antecedentes. Secundo, tertio, quartove hinc die in Facie primùm, dein & paulatim in reliquo corpore apparere incipiunt punctulæ, vel maculæ exiguæ rubicundæ, ceu erupturarum Variolarum indicia. Præſentes autem jam Puſtulas indicant dictarum macularum, ceu totidem Inflammatiuncularum incrementa, earundemque dein elevationes in Puſtulas primò rubras, valdè ardentes, dein ſenſim albicantes, humoreque ſanioſo ſeu purulento turgeſcentes. Circa nonum à primâ eruptione Macularum diem, Variolæ in perfecto ſuppurationis gradu plerunque exiſtunt, ac deinceps totidem dierum ferè ſpacio perfectè exiccantur atque diſparent, remanentibus tantùm maculis & cicatriculis, non rarò foveolas poſt ſe relinquentibus. Puſtulæ autem nullæ, utcunque maturæ, per ſe rumpuntur, ſaniemque ſuam inſtar aliorum Abſceſſuum, effundunt, ſed unguium digitorum ope ab ipſismet Ægris dilaceratæ ſæpè aperiuntur, ita ut ſaniem quandoque ſeroſam atque cruentam exhibeant. Quando autem clauſæ Dia- ſis.

relin-

relinquuntur Variolæ, tum materia in illis contenta partim ſubtilior reddita per inſenſilem tranſpirationem in auras abit, partim etiam magis magisque incraſſata & indurata cruſtulas efformat, ſquammasve, quæ tandem, ſuccreſcente novâ epidermide, vel ſponte decidunt, vel fricatione digitorum auferuntur. Dum interim Variolæ probè erumpunt, ſicq; maſſa ſanguinea benè depuratur, Febris remittere ſolet, Ægerque iterum cibos appetere incipit. Aliquando autem, eadem Febris, non obſtante illâ eruptione, ſubſiſtit continuò, ſignumque præbet imperfectæ vel tardioris particularum heterogenearum ſecretionis. Denique Variolæ etiam Nares, Linguam, Palatum, aliasque internas Partes afficere ſolent. Dum ad perfectionem tendunt, totum Caput tumere inſigniter incipit, hincque Oculorum palpebræ claudi, & ſæpè per octo pluresve dies clauſæ manere obſervantur.

rogno- ſ.

Quoad *Prognoſin*, ſi Variolæ ſunt magnæ, pauciores, albæ, latæ, probè elevatæ, circulo maximè rubicundo cinctæ, cum Febris remiſſione, tum ſignum præbenr ſalutare, Ægrique perfectè, etiam citra deformes cicatrices ac foveolas, curabuntur. Si autem pallidæ evadunt, nullo circulo rubro ardente cinctæ, planæ magis quàm elevatæ, plus minus numeroſæ, ſive magnæ ſive parvæ, in medio foveolam habentes, tardè admodum & difficulter erumpentes, adque perfectionem minimè tendentes, tum ſemper periculoſæ exiſtunt, inprimis ſi ſimul Febris acuta, cum vel ſine Petechiis nigricantibus comitetur, neque facies, aut manus ac pedes in tumorem aſſurgant. Convulſiones vel Anxietates hiſce ſuperaccedentes Pueros è medio ſemper tollunt. Periculoſæ quoque, quæ totam ita corpôris ſuperficiem opplent, ut hæc velut unicâ tantùm cruſtâ, cùm exiccari incipiunt, obtecta appareat; quoniam ita Tranſpiratio omnis aufertur, atque Defluxioni ad Pectus lethali anſa præbetur. Periculoſæ iterum, imò lethales plerunque, quibus jam apparentibus Febris acuta non remittit, ſed continuè cum ſiti, dyſorexiâ, ἀναισθησία, frequentibus horripilationibus durat; quarum cruſtæ duræ admodum evadunt, poſtquam laceratæ ſanguinem magis, quàm purulentam materiam exhibent: ubi Cutis ſic dura, ſicca atque aſpera evadit. Periculoſæ denuò, in quibus Tranſpiratio planè ceſſans Cutis texturam irrigare atque mollem reddere nequit; ubi aridæ admodum ſunt Fauces, cum deliriis, magnâ inquietudine & jectigatione membrorum. Nec periculo vacant, quæ ſimul internas occupant Partes, quas utplurimum ſiderant ſeu Sphacelo afficiunt mortifero. Si Oculorum bulbos Variolæ prehendant, niſi exactè præcaveatur, cicatrices viſui nocivas poſt ſe relinquunt. Quando Palpebræ clauſæ ſunt, tum probè curandum, ut, diſparente Capitis tumore, ſimul Palpebræ, quæ ſibi invicem cruſtoſâ pituitâ connexæ ſunt, aperiantur, ac ita probè notetur, utrum Oculorum Bulbi

ſubtus bene ſe habeant nec ne? Solent videlicet Lachrymæ, dum clauduntur Oculi, inviſcari, ac in tenacem pituitam mutari, quæ ipſa dein illam conglutinationem Palpebrarum producit.

Curatio. In *Curatione*, antequam varioloſæ appareant Maculæ, nimirum in principio, ſi Febris nondum acuta & fortis ſit, ſequens *Purgans* exhibere licet Puero trium annorum:

℞. *Mercur. dulc. opt. gr.* vij.
Scammon. ♁*rat. gr.* iiij.
Crem. ♀*ri gr.* j.
Sacch. alb. gr. v.
M. f. Pulv. ſubt. d. ad ch. Exhibeatur ſtatim pro doſi.

Vel pro Puero bimulo:

℞. *Syrup. de Cich. cum Rhab.*
Roſ. ſ. ſ. ana ℥iij.
Mercur. dulc. opt. gr. v.
Aqu. Fumar. ℥ß.
M. d. ad Vitr. pro doſi.

Si jam primus vel etiam ſecundus ab Inſultu febrili dies præterfluxit, tum ad primas ulterius vias eluendas *Clysma* injici poteſt, niſi alvus inſigniter prius ſoluta fuerit, aut Æger admodum reſtiterit; v. gr.

℞. *Rad. Scorzon. Cich. Lil. alb. aa.* ℥j.
Herb. Malv. Branc. urſin. Rut.
Flor. Chamomill. ana Mß.
Bacc. Juniper.
Semin. Fœnic. ana ℥j.
Inciſ. & contuſ. coqu. in ſ. q. Juris carnium ſaliti, Colaturæ ℥vj. *pro Puero ſexenni adde*
Mellis roſac.
Ol. Lil. alb. ana ℥ß.
M. f. Clyſter ſtatim injiciendus.

Poſtmodum ſtatim ad uſum *diaphoreticorum* eſt accedendum, atque eapropter m. ac v. doſis ſeqq. *Pulveris* dabitur quocunque modò:

℞. ♁*n. diaph.*
C. C. phil. ppt.
Viper. ppt.
Bezoard. min. ana ʒß.
M. f. Pulv. ſubt. div. in 8. doſ. æqu. ad ch. pro Puero à 5. ad 12. annos nato.

Si *Anxietas magna præcordiorum* ante eruptionem adſit, etiam *bezoardicus Pulvis* ſequens præbeatur:

℞. *Pulv. bezoard. Sennert. gr.* xvj.
Lapid. bezoard. orient. gr. iv.
M. f. Pulvis ſubtil. in 2. doſ. æqual. div. ad ch.

Sed ſimul *Mixtura diaphoretico-alexipharmaca* cochleatim propinabitur:

℞. *Aqu. Fumar.*
Scabioſ. ana ℥iß.
Syrup. Capill. ♀*r.* ʒvj.
Confect. Alk. inc. ℈ij.
Eſſent. Myrrh. ℈j.
Spir. Sal. arm. Fœnic. ℈ij.
Bezoard. min. ℈iiß.
M. detur ad Vitrum.

Vel ℞. *Aqu. Fl. Til.*
Beccabung.
Fl. Sambuc. ana ℥j.
Syrup. de Nymph. ʒvj.
Spir. C. C. vol. ℈j.
Bezoard. min. ʒß.
M. detur ad Vitrum.

Si *Convulſiones* vel adſint, vel metuantur, *Pulvis* ordinabitur ſequens:

℞. *C. C. phil. ppt.*
Bezoard. min. ana gr. viij.
Cinnab. nat. opt. gr. iv.
Sacch. alb. gr. vj.

M. f.

M.f. Pulv. ſubt. div. ad ch. in 2. doſ. æqu.

Inter uſum talium *Pulverum* ſequentes etiam *Mixturæ diaphoreticæ* cochleatim ſæpius exhibitæ proſunt; v. g.

℞. *Aqu. Fumar.*
Succiſ. ana ℥iß.
Syrup. Fl. Tunic. ʒvj.
Ebor. ppt.
Ocul. ♋. *ppt.*
Unicorn. foſſil. ana ℈j.
M. ad Vitrum.

Vel ℞. *Aqu. Fl. Samb. Card. ben. aa.* ℥iß.
Ulmar. ℥j.
Syrup. Rub. id. ℥ß.
♄*nii diaph.*
C. C. phil. ppt. ana ℈j.
Julep. roſac. ʒiß.
M. ad Vitrum.

Si *Convulſiones* adſint vel metuantur:

℞. *Aqu. Ulmar. Fl. Til. ana* ℥j.
Rutæ,
Syrup. Pœon. ana ℥ß.
anodyn. ʒß.
Liqu. C. C. ſuccinat. ℈j.
Ungul. Alc. ppt.
Bezoard. min. ana gr. xv.
Sacch. roſ. tab. ʒiß.
M. ad Vitrum.

Quod ſi his non obſtantibus Variolæ erumpere cunctentur, ad fortiora eſt accedendum, volatilioribus nim. particulis gaudentia; v. gr.

℞. *Eſſent. Myrrh. cum Spirit. Sal. arm. parat.* ʒj.
Aqu. Fumar. ℥ß.
Julep. roſ. ʒj.
M. ad Vitr. Dentur ſingulis trihoriis guttulæ 30. ad 40.

Vel ℞. *Nucl. Perſic.*
Amygd. dulc. rec. excort. ana ʒj.
Semin. Melon.
Cucumer.
Card. bened.
Napi ana ʒiß.
Aq. Fumar.
Scabioſ.
Ulmar. ana ℥ij.
F. l. a. Emulſio cui adde
Julep. roſac. ℥ß.
Magiſt. ♄*nii* ℈ij.
C. C. phil. ppt. ʒß.
M. ad Vitr. Detur tribus vel quatuor doſibus.

Mixturæ cochleatim hauriendæ ſequentem in modum quoque parentur:

℞. *Aqu. Card. Mar. Succiſ. ana* ℥iß.
Fœnicul. ℥ß.
Syrup. Capill. ♀*ris.* ʒiij.
è tot. Citr. ʒiß.
Spirit. C. C. purior. volat. ℈j.
Bol. armen. ppt.
Bezoard. min. ana gr. xv.
Rot. man. Chriſt. ſ. ʒij.
M. ad Vitr.

In uſu talium *Diaphoreticorum* tamdiu eſt pergendum, donec Variolæ penitus eruperint, Febris omnis ceſſaverit, & Appetitus redierit, ſi non integer, ſaltem aliqualis.

Pro Siti interea præbeatur *Decoctum Raſur. C. C.* vel *Decoctum Lentium*, cum *Paſſulis & Liquirit.* Vel etiam *Herbæ Scabioſ. Fumar.* aut *Agrimon.* uſurpantur.

Si Infantem habes remedia reſpuentem, fallere poteris ſeqq. *Pulvere*

 quem

quem ſenſim ordinario potui immiſcere licet:

℞. *Ebor. ppt.*
Ocul. ♋. ppt.
♁ n. diaph.
Bezoard. min. ana ℈ij.
Sacch. alb. ʒij.
M. f. Pulv. ſubt. d. ad ch.

Quoties bibit Infans, Vaſculum eſt commovendum, ſic inſenſibiliter ſimul *Pulvis* deglutietur.

Interea etiamſi appetat Æger, parum nihilominus cibi eſt concedendum, ſed ſolis juſculis carnium, vel hordeatis &c. nutriendus; à terrore, irâ, & ſimilibus eſt muniendus.

Diarrhœa. Si *Diarrhoeâ* incommodum pariat, detur *Emulſio Amygdalarum*, cum *Decocto Scabioſæ*, vel *Hordei* bibenda; *Cremor* etiam *Hordei* in eſcam cedat. intus verò *Pulvis* exhibendus, qui *diaphoreticus* ſit, & ſimul abſorbeat; v. gr.

℞. *Unic. foſſ.*
C. C. uſt. ppt.
Bol. Arm. ppt.
♁ n. diaph. ana ʒß.
Sacch. alb. ʒj.
M. f. Pulv. ſubt. ad ch. propinetur ſenſim cum Emulſione.

Appetitus poſt maturas Variolas, aut etiam ante rediens, ſatiandus eſt non acidis, non ſalitis, ſed eupeptis, & ſuccum laudabilem præbentibus.

Quando autem Variolæ retrocedunt ſubitò, aut diſparere incipiunt, antequam ad maturitatem pervenerunt, atque hinc Anxietas præcordiorum, cum Febreos exacerbatione ſuperacceſſerit; ſicque metus imminentis proximè mortis incutiatur; tum *Cardiacis volatilia* admiſcenda & frequenter propinanda ſunt: v. gr.

℞. *Aqu. Borrag.* ℥j.
Plantag.
Naſturt.
Fl. Til. ana ʒvj.
Syrup. Card. bened. ℥ß.
Julep. roſ. ʒij.
Confect. Alk. inc. ℈ij.
Pulv. bezoard. Senn. ʒß.
Salis volat. Viper. ℈ß.
M. d. ad Vitrum. Exhibeatur cochleatim.

Vel ℞. *Aqu. cardiac. offic.*
Veronic.
Fl. Conſol. regal. ana ℥j.
Syrup. Flor. Tunic.
Granat. acid. ana ʒiij.
Spirit. volat. C. C. aut Viperar. ℈j.
Confect. Alk. inc. ʒß.
Bezoard. min.
Ebor. ppt. ana ℈j.
M. ad Vitr. Detur per cochlearia.

Externè quoque ſeqq. *Epithema* Pectori eſt applicandum, etiamſi Variolis undique ſit conſperſum:

℞. *Aqu. Roſar. incarnat.* ℥ij.
Meliſſ.
Spirit. Ceraſ. nigr.
Vini camphorat. ana ℥j.
Roris mineralis vel
Spirit. Salis arm. urinoſ. ʒiij.
M. ad Vitr. Applicetur cum linteis calidè ſæpius.

Tandem ſi Æger *Clyſma* admittat, injici ſtatim ſequens poterit:

℞. *Radic. Lil. alb.*
Alth. ana ʒiij.

Radic.

Radic. Angelic. ℥j.
Herb. Mercurial.
Rut.
Agrimon. ana Mß.
Flor. Chamomill. Pij.
Semin. Carv.
Bacc. Laur. ana ℥iß.
Inciſ. & contuſ. coqu. in Aquâ muriaticâ Braſſicæ ſalitæ, vel in Jure carnium probè ſalito, Colaturæ ℥vj. *vel* viij. *pro ratione ætatis, adde*
Ol. roſac.
Mellis roſac. ana ℥ß.
M. f. Clyſter ſtatim injiciendus.

Interea ſimul Juſcula optima concedantur diligenter.

Quòd ſi in principio erumpentium Variolarum Macula una vel altera in hoc aut illo Oculi bulbo appareat, tum ſtatim illa eſt *Collyrio* quodam diſcutienda, quo minus inde Puſtula varioloſa viſui deleteria evadat; *Collyrium* ſeqq. hactenus nos nunquam fefellit:

℞. *Aqu. Chelidon. major.* ℥j.
Fumar.
Fœnicul. ana ℥vj.
Tutiæ ppt.
Ocul. ♋. *ppt. ana* ʒß.
♁*n. diaph.* ℈j.
Mucilag. Sem. Cyd. Aqu. Plantag. fact. ℥j.
M. d. ad Vitr. Inſtilletur ſæpius tepidè in Oculum, donec Macula diſpareat.

Palpebrarum coalitus, dum Facies adhuc tumet, corrigi & tolli nequit; detumeſcente autem eâ, cruſtæ, quibus Palpebræ coaluerunt, priùs ſunt valdè emolliendæ, antequam Palpebræ ipſæ diducantur; ſi enim illas juſtò citiùs divulſeris, tanta debilitas & teneritudo iiſdem inducitur, ut poſtliminiò frequenter levi arreptâ occaſione inflammentur, ac doleant. Cruſtarum emollitio melius non peragitur quàm vel *Cremore Lactis*, vel *Lacte tepido* frequentiſſimè applicato, admixto, ſi lubeat, *Croco pulveriſato*; vel admiſſo frequenter admodum *Fotu* aut *Vapore*, ex *Decocto Piſorum* vel *Caffeé ferventi exhalante*; vel tandem ſeqq. *Epithemate:*

℞. *Aqu. Scabioſ.*
Portulac.
Malv. ana ℥iß.
Mucilag. ſem. Pſyll. Aqu. Plantag. fact. ℥ß.
M. ad Vitr. Caleſiat ſæpiùs, linteaq; ei intincta applicentur. Sicque permittatur res Naturæ, donec ſponte Æger Palpebras diducere & aperire queat.

Denique Foveæ poſt Variolas præcaventur, ſi vel in principio ſtatim tota Facies illinatur *Albumine Ovorum*, atque *Foliis Auri* obtegatur; aut ſi *Epithema* conficiatur ad modum *Collyrii*, totaque Facies linteis eidem calefacto intinctis continuè foveatur; v. g.

℞. *Aqu. Leviſtic.*
Taraxac.
Chelidon. maj.
Fœnicul. ana ℥iv.
Lapid. calamin. ppt.
Tut. ppt.
Terr. ſigillat. ana ʒiij.
M. ad. Vitr.

Quod

Quòd ſi autem Variolis ſuus permittatur curſus, tum circa earum maturitatem Facies ſæpiùs de die *Cremore Lactis* aut *Hordei* cum *Aqu. Plantag.* cocti; vel *Cremore Oryzæ*; vel *Oleo roſaceo, Lil. alborum, Ovor.* atque *Seminum Cucurbit. Cucumer. Melon.* &c. frigidè expreſſo, frequentiſſimè inungatur calidiuſculè. Eodem tempore convenit ſimul maximè *Vapor* è *Decocto Piſorum* vel *Cicerum* fervente exhalans, atque in Faciem ſæpiſſimè admiſſus, qui poros jugiter aperiendo impedit, quò minus ſanies varioloſa ſuis ſpiculis profundiùs ſerpere queat. Interim diu admodũ liberum aërem frigidum fugere debet Æger, donec Maculæ penitus diſpareant.

Variolis tandem ſic diſparentibus, atque Symptomatibus febrilibus ceſſantibus, Corpu sdenuò purgandum eſt *Potione lenitivâ*: qualis pro Puero ſexenni eſſe poteſt ſequens:

℞. *Syrup. de Cich. cum Rhab.* ʒvj.
Flor. Perſic. ℥ß.
Elect. è Succ. Roſar. ʒß.
Aqu. Fumar. ʒvj.
Cinnam. Bugl. ʒj.
M. ad Vitr. detur mane pro doſi.

Diæta ſit, quemadmodum in Febribus acutis.

Nares, ſi à Variolis oppletæ ſunt, curantur, atque à Polypo vel Ozænâ præſervantur, ſi exigua è *Butyro recenti* non ſalito, cum *Succo Fœniculi* vel *Plantaginis*, atque *Pulvere Tutiæ* permixto, parentur *Suppoſitoria*, atque Naribus indantur frequenter.

Quandoque Variolæ Ulcuſcula ſerpentia poſt ſe relinquunt, quæ non feliciùs ſanaveris, quàm frequenti inunctione *Unguenti albi camphorati*, aut *digeſtivo Hildani*; ſuperimponendo *Emplaſtrum de Spermate Ranarum*.

VARIX, eſt Tumor Venarum nodoſus, cœruleus, plerunque indolens, in quo Venæ præternaturaliter ampliantur, interdum digiti craſſitiem excedunt, & hinc inde, ubi valvulæ exiſtunt, in nodos vel tubercula majora minorave elevantur. *Varix.*

Varices ejusmodi obſervantur maximè in Artubus inferioribus Hominum obeſorum, etiam Fœminarum prægnantium, in quibus ſimul quandoque Venæ per Inguina decurrentes non ſine dolore quodam tenſivo valdè expanduntur. Nonnunquam & in Temporibus, Teſticulis, Vaſis ſpermaticis, Ano ac Pudendis muliebribus exſurgunt, ac moleſtæ evadunt. Quanquam tumentes Pudendorum Venæ aliâs ſub Hæmorrhoidum cœcarum nomine venire ſoleant. Equites hinc, Bajuli, Curſores, Fœminæ prægnantes, Scorbutici ac Hypochondriaci plures, & qui totâ die inter laborandum ſtare coguntur, huic Affectui præ aliis obnoxii ſunt. *Pars affecta.*

Occaſionem verò hiſce Venarum Tumoribus præbet cruditas, craſſities, lentor, & fœculentia Humorũ, indeq; contingens remiſſior Sanguinis venoſi motus. Hinc qui multum delectantur acidis, auſteriuſculis, craſſis, lentis Cibis, illi Succum chyloſum craſſum accumulant, ex quo dein lentor ac *Cauſ*

viſciditas

viſciditas paulatim maſſæ ſanguineæ inducitur. Præſente verò tali Humorum lentore, ſicubi à mole Uteri prægnantis, aut Viſcerum abdominis in Obeſis, Venæ iliacæ & crurales premantur; vel ſi Homines inter laborandum continuè ſtent, ſicque muſculos crurales validè ſemper conſtringant, tum venæ quoque comprimuntur, Sanguinisque per illas motus tardior evadit; vel ſi in frequenti quis coitu ſeſe vehementer ac diu exerceat; aut multum equitando, vel pondera gravia portando muſculos diverſos vehementer contrahat, tum certè Sanguis aliâs jam lentus & viſcidus, tardiore per Venas motu circulatur, ſicque eas magis diſtendendo varicoſas reddit, ubi ſimul in locis valvularum, quibus copioſiùs incumbit, majorem expanſionem, adeoque *Nodos* efficit. Varices tanto *grandiores* evadunt, quanto craſſior ac viſcidior eſt Sanguis, aut quanto magis premuntur ipſæ Venæ. *Cæruleæ* verò ſunt ob Sanguinem craſſum transparentem.

Progno-ſis & Curatio. Rariùs curari ſolent vel ſanari poſſunt Varices, quia, quamdiu indolentes exiſtunt, neque rumpuntur, parum incommodi faceſſunt, ſicque negliguntur. Quamprimum autem vel acerbiùs dolent, vel rupti ſanguinem effundunt, vel Ulcera aut Cutis Excoriationem poſt ſe trahunt, tum non contemnendi ſunt. Quoties hinc ſanguinem copioſiùs fundunt, mox *actuali Cauterio* Hæmorrhagia eſt ſiſtenda, aut *Aquâ* vel *Liquore ſtyptico* locus fovendus; aut alia in Hæmorrhagiis ſuo loco commendata applicanda. Vix tamen melius ad ſanguinem ſiſtendum euporiſton eſt, quàm *Crepitus Lupi* impoſitus; aut *Stercus ſuillum*, quod vel *ſiccatum*, vel cum *Spermate Ranarum ſubactum*, *Lanæ coactæ*, *Stupæ*, aut *Pileo antiquo* incluſum, *combuſtum* ac Vulneri adſperſum mox omnem Hæmorrhagiam ſiſtit. Sic etiam imponi poſſunt linteola madefacta in *Aquâ*, in quâ *Vitriolum Martis*, ac *Alumen rupeum* ſoluta ſint. Ita tamen membra ſunt liganda, ne refluo ſanguine motus omnino intercipiatur, aliâs enim periculum eſſet disruptionis Varicum ſub ipsâ ligaturâ, ob ſanguinem in circulari motu ſuo impeditum.

Exulceratio & Pruritus. Interdum accidit, ut Venæ varicoſæ, in pedibus præcipuè, aut aliæ capillares, propter vaſorum lymphaticorum circumpoſitorum disruptionem exulcerentur, ac ob acriorem Lympham Pruritus intolerabilis excitetur, Partium vicinarum exeſionem poſt ſe trahens. Quamobrem *Emplaſtrum de Spermate Ranarum* cum *Camphorâ*, vel *Emplaſtrum gryſeum* ſ. *de Lapide calaminari* foveis ulceroſis, priùs linteo carpto repletis, imponi poterit. Nonnunquam bono cum fructu inſperguntur *Pulveres exiccantes*, v. gr. *C. C. uſtum* cum *Maſtiche* ac *Thure tritum*, & in *impalpabilem pollinem* redactum, cui tantillum de *Mercurio dulci* addi quandoque ſolet. Sic etiam *Flos Plumbi cinericei*, *Agaricus petræus*, *Ceruſſa* ♄nii *Nitro ſpoliata*, ſi applicentur, conducunt. Sunt qui reliquis omnibus præferunt *Aquam*

phagedænicam linteo exceptâ, ac Ulceri applicatam, deſuper impoſito *Emplaſtro ſiccante*. *Cerotum* etiam *ſimplex* admotum, omnes Varicum dolores mitigat. Aliâs à *Thermis ♀reis*, uti ſunt *Badenſes*, *Habſpurgenſes Helveticæ*, à *Chalcantinis* item *Acidularum*, aut *Mercurialibus*, *Sandarachinis*, *Fabarienſibus*, Varices ulceroſi radicitus extirpari poſſunt, præſertim ſi Æger inculpatâ victûs ratione uſus fuerit; Bibuli enim nullam convaleſcendi ſpem habere poſſunt.

Interim Varices aliquando, præcipuè in Senibus, ſunt critici, pro quibus tollendis Vena incidi poteſt varicoſa, ſanguisque fœculentus emitti, hinc verò membrum *Decocto Plantarum adſtringentium* cum ligaturâ ſtrictâ foveri, ſic tumentes Venæ diſparebunt, tanto id magis, ſi interna *remedia antiſcorbutica* non fuerint neglecta.

Quod *Venas Ani tumentes* attinet, earum curationem ſub titulo de *Hæmorrhoidibus* expoſuimus. Sic & Venarum ſpermaticarum Varices vid. ſub Titulo *Herniæ varicoſæ*. Uteri denique & Vaginæ uterinæ Varices tractavimus ſub Capite de *Matricis Hæmorrhoidibus*.

Venena.

VENENA ſunt Concreta naturalia, quæ, ſive extus corpori applicata, ſive intus aſſumpta, illud deſtruunt, ac tales ſæpè Ægritudines producunt, quas Veteres nuncupârunt Morbos occultarum qualitatum. Notandum heîc ſtatim, Venena modò in Spiritus animales, modò in Sanguinem, modò denique ſimul in Partes ſolidas agere, naturalemque talium partium texturam mirum quantum afficere ac deſtruere.

Spi… ani… qui…

Spiritus animales ſunt corpuſcula ſubtiliſſima, fluidiſſima, naturæ plurimùm aëreæ, cum intermixtâ Mundi materiâ ſubtili, quæ magnâ ſui parte per inſpirationem à Pulmone excepta, in poros extremitatum Venæ pulmonalis ſe inſinuant, atq; ita cum ipſo Sanguine ventriculo Cordis ſiniſtro illapſa, ejus naturalem vitalemque motum promovent, ac deinceps per arterias carotides ad Corticem Cerebri evecta, ibidem per poros corticalis ſubſtantiæ à novis continuò ſuccedentibus particulis ad medullarem ſubſtantiam baſinque Cerebri detruduntur, & hinc in nervorum principium intro ſuſcepta, ac per eosdem ulterius promota ſenſus atque motus efficiunt. Quæ cum ita ſe habeant, haud difficulter patet, *Venena* in Spiritus animales ac ſanguineam maſſam agere, dum quævis in ſenſu atque motu aliquam mutationem producunt.

Sed & eadem Partes ſolidas mutare ad oculos ſatis patet, quando Membra corporis à Venenis corrodi, factâque corroſione gangrænata enecari videntur. Modus autem, quo quidem hoc contingit, Veteribus occultus remanſit; Neoterici verò certis experimentis ſuffulti credunt, moleculas Venenorum maximè acutas, &, ut chymicè loquamur, Sale acerrimo, eoque ſive alkalino ſive acido præditas eſſe: quod Sal, aliis arſenicale

cale dictum, ſi vel in Ventriculum eſt deglutitum, vel cum aëre inſpiratum, vel etiam duntaxat ad corpus applicatum, ſpiculis ſuis brevi ſe in partes inſinuat, & cum illapſis Spiritibus animalibus, aliâ longè figurâ donatis, in efferveſcentiam quandam cogitur, in quâ, cum propter motum materiæ ſubtilis particulæ dilatentur, ſtatim convulſivi motus oboriuntur, contra quos niſi citò adhibeantur remedia, brevi Partis *Sphacelus* exoritur, hincque Mors.

Verùm dantur etiam aliûs generis Venena, qui non præcisè corrodendo Naturam deſtruunt, ſed Spiritus animales narcotico & fœtido ſulphure ſuo incraſſant, figunt, ſicque ſenſim circulatione Sanguinis impeditâ mortem accelerant.

Inter *Venena corrodentia* referimus *Arſenicum*, *Auripigmentum*, *Antimonium*, *Mercurium ſublimatum* ac *præcipitatum*, *Butyrum ♁nii*, *Aquam fortem* &c. quæ ſingula, è *minerali Regno* deſumta, ſolâ potiſſimum corroſivitate Corpus deſtruere videntur, quod vel maximè inoteſcit è diſſectione Eorum, qui tali Veneno interierunt, utpote quorum Ventriculi ſemper corroſi & gangrænati deprehenduntur.

Ex *Regno animali* ſubinde quoque *Venena* noſtris corporibus occurrunt, quæ non quidem præciſè corrodendo, ſed fermentativo potius motu, atque volatili admodum vi penetrante ac diſſolvente Corporis Humores Spiritusq; animales deſtruunt, qualia ſunt Morſus omnis generis *Animalium in furorem concitatorum*, quorum Saliva, ob vehementiorem particularum ſuarum motum, Spiritus animales validè exagitare, atque hac exagitatione deſtruere valet.

Tandem in *Regno vegetabili* plurima deprehenduntur *Venena*, quorum actio tamen nonniſi à Sulphure impuro mucilaginoſo viſcido, partim etiam aëreo dependet, qualia ſunt: *Opium*, *Hyoſcyamus*, *Solana*, *Helleborus albus*, *Napellus*, *Cicuta aquatica*, pluraque alia, de quibus ſigillatim agemus. *Venena vegetabilia.*

Signa propinati Veneni varia ſunt, quæ merentur adnotari. Si *Venenum* eſt *acre*, in eoque ſimul lateat volatilitas, quemadmodum id obſervatur in *Aquâ* ſic dictâ *Polonicâ*, quæ eſt *Mercurii ſublimati* in *Aquâ fontanâ ſolutio*, item in *Aquâ regiâ*, *Aquâ forti*, *Butyro ♁nii* &c. tunc in ipſâ deglutitione cauſtica vis deprehendetur; ſuccedent paulo poſt Dolor præcordiorum, Conatus vomendi irriti, Urinæque, quod obſervavimus cum admiratione, ſuppreſſio. Si Venenum non adeò eſt acre, tunc aliquandiu hærebit in Stomacho, antequam effectus ſuos atque vim deleteriam prodat. Præcordiorum verò Dolor primum ferè erit Symptoma, de quo Æger conqueretur, quem brevi, ſi elater fibrarum ſit fortis, ſequentur Nauſea atque Vomitus pertinaces; inflabitur Abdomen, humi proſternentur Ægrotantes, Convulſionibus horrendis exagitabuntur, cum Senſuum omnium abolitione, Oris clauſurâ, Oculorum diſtorſione, Singultu crebriori, diverſisque aliis motibus convulſivis *Signa Veneni admiſſi Diagnoſtica.*

vulſivis. Nonnunquam urinæ atq; fœces cum impetu emittuntur, Abdominis Tumor inprimis obſervabitur circa præcordia, ubi ſcil. Ventriculus hæret, in quo Venenum latet aſſumtum. Aliquando hæc Symptomata omnia mitiora ſunt, ac licet Homines conquerantur, vix tamen aliqua Veneni ſuſpicio haberi poteſt. Sic relatum eſt nobis à Viris fide digniſſimis, in Galliâ, Italiâ, alibique talia Venena parari poſſe, quæ pro lubitu & arbitrio Hominem nunc citiùs, nunc tardiùs, definitis ferè menſibus aut ſeptimanis interimant, ac ejusmodi *Venena*, dictum eſt, parari ex *Adamante* ad ultimam ſubtilitatem redacto, qui inſenſibiliter ſpiculis ſuis ſeſe intra nerveam Ventriculi tunicam inſerat, inibique paulatim leviorem, hinc & graviorem Gangrænam producat, cum ſequente Sphacelo atque Morte.

Prognoſis. *Prognoſis* Venenorum aſſumtorum, ſi deſideratur, hauſtus *Aquæ fortis*, aut *Aquæ Polonicæ*, plerumque lethalis eſt; quoniam Salia horum Liquorum acerrima ſimul & ſubtiliſſima dicto citiùs poros membranarum Gulæ & Oeſophagi penetrant. Obſervatum tamen eſt, ex hauſtu *Aquæ fortis*, acrimoniâ ſuâ in tantum privatæ, nihil mali Ruſticum ſenſiſſe, qui ſtatim hauſtum Aquæ dulcis fontanæ ſuperingeſſit. Si ab aſſumto Veneno convulſivi motus in corpore toto, aut plerisque ejus partibus oriuntur, tum conclamatum eſt de Homine; Convulſiones enim iſtæ manifeſtum indicium præbent, Venenum jam intra compagem Maſſ. Sang. & Spirituum animalium admiſſum eſſe, indeq; nullâ amplius arte excludi poſſe, quin mors dicto citiùs Medentem præveniat. Vomitus adveniens, isque contenta Ventriculi validè excutiens, ſpem ſalutis facere poteſt; modò ſimul caveatur, ne reſtitantes in corpore particulæ venenatæ tenaciùs ſeſe plicis Ventriculi infigant. Quòd ſi autem vomituriendi conatus contumax eſt ſimulque irritus, mortis prænuncius cenſendus. De his ſingulis prolixiùs legi meretur *Celeberr.* Joh. Jac. Wepferus in *Tractatu de Cicutâ Aquaticâ*.

Sed & hoc notandum, quòd Venena extus tantùm adhibita Corpus etiam enecare poſſint. Hinc Chirurgis imperitis aliquando evenit, ut ex adplicatione *Arſenici*, *Radicis Ranunculi*, *Butyri* ♁*nii*, aliorumque *cauſticorum*, per introſuſceptionem Veneni intra nervos & vaſa, Ægrotantes interimantur. Sic perhibent, in Italiis vendi *Chirothecas*, *Strophiola*, & alia ejusmodi, quæ, venenatis particulis imprægnata, ſi Homo aliquandiu portaverit aut contractaverit, propter communicatum Venenum brevi enecent.

In *Curatione* igitur ad id præprimis attendendum venit, ut particulæ Venenorum acutiſſimæ è corpore eliminentur, Partiumque tonus, ſiquidem læſus eſt, profligato omni Veneno, reſtituatur. Et quia *Venena* ſunt multiplicia, adeoque & multifariam lædunt, hinc & unicuique certum aliquod *alexipharmacum* opponi ſolet. Curatio.

In

cies eno- dua.

In genere tamen diſtinguenda ſunt in duas ſpecies, quarum prior quidem particulis ſalinis acribus, poſterior verò ſulphureis impuris & viſcidis Hominem necat.

lium ſtico- n Cu- m.

Si *Salia corrodentia* & *cauſtica* quocunque modo in corpus fuerunt admiſſa, tum ea erunt exhibenda *medicamenta*, quæ validè poſſunt ſpicula Veneni intra ſuæ ſubſtantiæ poros abſorbere, imbibere, aut aliâ quavis ratione obtundere. Imò ſi indicationi primariæ ſatisfacere cupimus, Venenum in Ventriculum demiſſum, vomitu procurato eliminandum; Spiritus vitales & animales, magnam partem à violentiâ Veneni conſumti, ſunt reparandi, aut, ſi ob motum ſanguinis varium intercepti ſint, vel oppreſſi, denuo erunt inſtaurandi; labes Ventriculo & Inteſtinis impreſſa, ſive Inflammatio eadem ſit, ſive membranæ nerveæ denudatio, ſeu denique exulceratio quædam fuerit, in priſtinum quantocyùs ſtatum convertenda, & Convulſivi motus, ab acrimoniâ Salium, aut Sulphuris, Nervorum extrema vulnerantis, originem trahentes, ſunt corrigendi.

Ante omnia igitur, dum Venenum nondum altas radices egit, ſuoque ſe Sale nondum in plicas Ventriculi firmiter impegit, *Vomitorium* ſine metu ullius periculi eſt exhibendum, ſed illud tamen non quodvis promiſcuè, verùm tale, quod Ventriculum non adeo fortiter ſtimulet, quodq; acrimoniam in ſe vel nullam vel leviculam tantùm obtineat. Suademus hunc in finem *Oleum*, vel *Aquam tepidam* largâ manu, atque iteratis hauſtibus ingeſtam, quippe hâc ratione non tantùm Ventriculi plicæ vexantur, & ad vomendum irritantur, ſed & ipſius Veneni acrimonia obtunditur, vomitusque ipſe cum minore difficultate procedit. Si *Oleum* vel *Aqua* diſpliceant, ſubſtitui poterunt *Juſcula pinguia*, *Decoctum Hordei Oleo* vel *Butyro* pinguius redditum, *Cerevisia* item cum *Butyro* vel *Oleo*, *Lac tepidum* cum *Oleo* aut *Butyro*, quibus ſine noxâ admiſceri poteſt *Oxymel ſimplex* vel *ſquilliticum ad* ℥iß. vel ℥ij. Si tempus permitteret, poſſent *Cereviſiæ* aut *Aquæ tepidæ*, *Cortices* vel *Summitates Sambuci*, *Anethi*, *Flor. Geniſtæ* & *Betonicæ*, *Radix* item *Aſari*, aliaque hujus generis infundi, & repetitis hauſtibus tamdiu uſurpari, donec videatur omne Venenum è Ventriculo excuſſum. *Fortiora Vomitoria* vel eapropter non credimus eſſe neceſſaria, quia Venenum jam per ſe ad vomendum ſtimulat, vomitusque facilè ſequitur, modò caveatur, ne fibræ circulares Gulæ & Oeſophagi, motui fibrarum circularium inverſo reſiſtant, quod obtinetur haud difficulter, ſi potulentum quid ad vomitum procurandum ſtatim exhibeatur, veluti eſt *Oxyſaccharum emeticum*, *Aqua benedicta Rulandi*, *Succus Raphani* &c.

Convulſiones aut Venenis ne curentur?

Quod ſi contingat, ut motus convulſivi Medentem in hâc methodo prævertant, tum, vomitoriis ſepoſitis, ea ſunt adhibenda, quæ Spiritus animales ad tumultuarium motum concitatos poſſunt ſedare, & ad naturales

rales vias reducere. In paroxyſmo itaque hoc epileptico ea exhibeantur & adplicentur corpori, quæ Spiritus tumultuantes ad quietem reducere, aut ſopitos expergefacere valent. Naribus v. gr. admoveantur, quæ acrimoniam quandam ſpirant, qualia ſunt *Plantæ aromaticæ recentes* quævis, ex iisque parata *Balſama*, *Spiritus* itidem *volatiles alcalini urinoſ. Cornu Cervi*, *Tartari*. Et ſi Convulſiones in Fœminâ contingant, Hyſtericis tum Pilæ hyſtericæ, ex *Aſâ fœtidâ*, *Caſtoreo*, *Semine Rutæ*, ſimilibusque concinnatæ applicantur. Aliâs etiam utilem vidimus *Fumum* ab accenſis *Pennis*, *Succino*, *Croco*, *Nuce moſch.* & aliis hujusmodi rebus fœtidis prodeuntem. Suam quoque utilitatem præbent *vellicationes*, *frictiones*, *titillationes*, *compreſſiones digitorum fortes*, *Suppoſitoria acria* ex *Sale Gem̃æ Alumine fuſo*, & id genus compoſita, *Clyſteres* itidem *aromatici* & *acres*, quippe quæ remedia motum periſtalticum ſurſum vergentem, deorſum compellunt. Neque hoc obliviſcendum, Dentes validè conſtrictos, omni vi adhibitâ eſſe diducendos, ut facilior inde reſpiratio contingere, ſpiritusque concitatorii poſſint Ori infundi.

Alexipharmaca, Antidota. Convulſionibus hac ratione ceſſantibus, recto pede transeundum ad *Alexipharmaca*, *Antidota*, aliis etiam *Bezoardica* dicta, quæ noxam à Veneno reſtitantem corrigere, ſanguinisque maſſam diſſolutam, ad naturalis & priſtinæ conſiſtentiæ ſtatum reducere poſſunt, videlicet ejusmodi particulis, quæ peregrina admodum corpuſcula in corpus demiſſa ſubigere deſtruere valent. Præſtant id quoque balſamica omnia, putredini reſiſtentia, è *Radicibus Carlinæ*, *Angelicæ*, *Petaſitidis*, *Dictamni* &c. ex *Herbis* præferuntur *Scordium*, *Salvia*, *Alliaria*, *Galega*, *Calendula*, *Cortices Citri*, *Aurantiorum*, item *Succinum*, *Camphora*. Ex *Compoſitis* commendamus *Elixir propriet. Claud. peſtilentiale Crollii*, *Tincturam bezoardicam Michaëlis*, *Moebii*, *Eſſentiam Myrrhæ*, *Theriacam Andromachi*, *Mithridatium Damocratis*, *Electuarium Orvietanum*, aut *Diaſcordium Fracaſtorii*. Sed & præter *Balſamica* hæcce neutiquam contemnimus, quæ Sale aliquo volatili motum Sanguinis circulatorium hinc inde impeditum poſſunt reſtituere, qualia ſunt *Spiritus C. Cerv. Sal. volat. Viperarum*, *C. C. Lumbricorum terreſtr.* & inprimis *Liquor* ille *C. C. ſuccinatus*.

Sanguinis nimiam agitationem coercentia. Atque hæc recenſita Remedia præſtant, ſi Sanguis aliquâ parte coagulatus exiſtit, aut certè ad coagulationem vergere deprehenditur. Quòd ſi verò animadvertatur, Sanguinem plus juſto agitatum eſſe, tum ea ſunt in uſum trahenda, quæ virtute aliquâ præcipitandi, obtundendi, abſorbendi, Sal illud peregrinum ferox & acre poſſunt detrudere. In hunc cenſum referimus *Mucilaginoſa*, uti ſunt *C. C.* ejusque *Gelatina*, *Scorzonera*, *Conſolida major*, *Bolus armenas*, *Terra ſigillata*, *Lemnia*; item *Adſtringentia*: ut, *Biſtorta*, *Tormentilla*, *Contrayerva*; *Præcipitantia* denique &

Inver-

Invertentia, qualia habentur *Unicornu foſſile*, *Antimon. diaphoreticum*, *Bezoardicum minerale*, *Diaphor. joviale*, *martial. Succinum album pptum*, *Lapis Bezoar orientalis* & *occidentalis verus*, *Corallia* &c. quibus omnibus pro re natâ jungi poſſunt *Acidula*, quæ validæ reſolutioni Sanguinis obſiſtunt, v. gr. *Acetum bezoardicum*, ſive *Aqua prophylactica Sylvii*, *Syrupus Acetoſitatis Citri*, *Syr. Rubi idæi*, *Granator. Nitrum* quadantenus *fixatum* &c. ex quibus cunctis pro re natâ formulæ parari debent.

Diximus ſuprà, in *Vegetabilium* quoque claſſe exiſtere, quæ veneneta qualitate polleant, eâq; à Sulphure fœtido quodam & acri mutuatâ, à quo Maſſa ſanguinea itidem vel figitur magis & incraſſatur, vel reſolvitur; ita *Opium* narcotico Sulphure ſuo eapropter inprimis nocere dicitur, quòd Serum nimis fundendo & ad glandulas Cerebri confertim præcipitando, poros earundem, pro Spirituum animalium transcolatione formatos, obſtruat, ac ita Soporem inducat. His ergo pariter opponenda ſunt *Alexipharmaca volatilia*, nunc *balſamica*, nunc *ſalina* magis, *fixa* & *poroſa*, intra quorum poros ſpicula Veneni commodè ſe occultare poſſunt.

Cùm itaque *Bezoardica* ejusmodi *Medicamenta* quoad uſum neutiquam ſint confundenda, modus illis utendi nunc erit explicandus. Itaque quod attinet *Venena mineralia* ac *metallica*, ſuperius recenſita, opponenda ſunt eis omnia, quæ corroſivitati reſiſtunt. Cùm autem Venenum ejusmodi ſæpius in tantâ quantitate ſit aſſumtum, ut medicamentis ſubigi neutiquam poſſit, *Vomitorium* aliquod lene eſt exhihendum, prout ſuperius monitum, dein *Lac ſimplex*, quod mucilaginosâ & butyraceâ ſuâ ſubſtantiâ ſalia illa corroſiva validè imbibere ac inſtringere poteſt, in potu concedendum. Hauſtus verò *Lactis* ejusmodi ſuademus repetitos. Sed non *Lac ſolum ſimplex*, verùm *amygdalatum* quodvis hac pollet virtute, uti & *Oleum Amygdalarum dulcium*, *Butyrum recens*, & id genus, quibus tamen intercalari debent *Terrea alkalina* nullo *acido* ſaturata, eaque longioribus doſibus frequenter exhibenda, ſub ſeqq. aut ſimilibus formulis:

℞. *Aqu. Flor. Acac.*
Scord.
Plantagin. ana ℥j.
Syrup. Betonic. ʒvj.
Corall. rubror. ppt.
Terræ ſigillat.
Cryſtall. alb. ppt.
Ocul. ♋. *ppt. ana* ℈j.
Ol. deſtill. Majoran. gutt. iv.
Sacch. cand. alb. ʒj.
Miſc. d. ad Vitrum. Sumatur cochleatim.

Vel ℞. *Aqu. Scorzoner.*
Borragin.
Anagallid. ana ℥iß.
Syrup. Plantag. ℥j.
Confect. Alkerm. ʒj.
Matr. Perlar. ppt.
Boli Armen.
Unic. foſſil. ana ʒß.
Lapid. bezoard. occid. ver. ℈ß.
Miſce

Miſce detur ad Vitr. Uſurpetur per cochlearia.

℞. *Conſerv. Flor. Tunicæ.*
Betonic. ana ℥j.
Nucis Indicæ condit. ʒj.
Eſſent. Croci ℈j.
Ocul. ♋. *ppt.*
Antim. diaphor.
Raſur. Ebor. ana ℈ij.
Cryſtall. alb. ppt. ℈j.
Syrup. Papav. errat. q. ſ.

M. f. Electuarium detur ad Ollam. Sumatur ſingulis trihoriis, quantum cuſpis cultri capit.

In uſu horum aut ſimilium Remediorum tamdiu pergendum eſt, donec deprehendatur omne Venenum evictum eſſe; quod cognoſcetur ex eo inprimis, ſi Ventriculus non amplius ſit nauſeabundus, ſi Somnus tranquillus, ac Appetitus bonus. Quoniam autem ſubinde eroſio Ventriculi aliqua eſt oborta, ei quoque medendum erit; quod fiet omnium optimè *Gelatinâ C. C. aromaticâ*, ſi Ægrotus de eâ quotidie bis vel ter cochleare plenum, in *Juſculo carnium* vel *avenaceo* ſolutum, hauriat. In *Diætâ* curandum, ut à *Vini* potu abſtineat Æger, illiusquè loco bibat *Decoctum Raſur. C. C. Hordei integri, Liquiritiæ. Juſcula* itidem hauriat frequentiora, *avenacea*, *hordeacea*, *oryzea*, eaque viſcidiora cum incoctione *Radicis Scorzoner. Summit. Majoran.* & id genus, adeo ut mucus Gulæ atque Oeſophagi à violentiâ Veneni abſumtus probè reſtituatur.

Sed in ſpecie quoque *Venenis mineralibus Antidota* opponuntur. *Calx* itaque *viva*, ut de eâ primum dicamus, particulas in ſe habet alkalinas acres, quæ à Liquore ventriculi gaſtrico in tumultuantem motum exagitatæ, in Stomachi atque Inteſtinorum plicas ſeſe involvunt, earumque partium tunicas vellicant, atque erodunt, hincque Oris Faucium atque Gulæ aſperitatem, ſiccitatemque cum Siti inexplebili inducunt, non aliâ ratione, quam quia particulæ poroſæ & eſurinæ ſtatim omnem mucum intra ſuos poros abſcondunt, quo abſorbto, neceſſe eſt, tunicas relinqui aſperas. Scribitur quoque, reſpirandi Difficultatem, Dyſenteriam, Urinæ ſuppreſſionem, Syncopem & Palpitationem Cordis inducere; dum enim particulæ illæ alcalinæ in maſſam ſanguineam labuntur, ſuâ diſſolvendi facilitate ſtatim eam integram in motum rapidiorem concitant, magisque fluxilem reddunt; atque ita, cùm per Pulmonis vaſa impetuoſè circuletur, inque hoc motu veſiculæ pneumonicæ ob diſtenta admodum vaſa ſanguinea latè ſatis expandi nequeant, reſpirandi Difficultas, & Palpitationis Syncopesque periculum imminere debet. Dyſenteria autem originem debet acrimoniæ Salium alkalinorum, Inteſtinorum tunicas erodenti, quâ eroſione Vaſa ſanguinea rumpuntur, ſicque fluxum cruentum excitant. Ad hoc Venenum itaq; deſtruendum, *Butyroſa, mucilaginoſa* atque *viſcida omnia*, tam *Medicamenta*, quam Alimenta

Venenorum i ſpecie Antidota.

Contra Calcem vivam.

menta conducunt, modò largis doſibus hauriantur. Inter *Specialia Antidota* autem proferimus *Lac caprillum integrum* frequentibus hauſtibus aſſumtum, *Terram* quamquis pinguem, prout ſunt *Bolus Armena*, *Bolus noſter Baſileenſis*, *Terra Laubacenſis*, *Terra Lemnia* &c. ſub doſi ʒj. in *Lacte* aſſumta. *Sennertus* addit hisce *Fel cervinum* à ℈j. ad ʒj. cum *Aquâ calidâ* potum. Quod ſi Dyſenteria jam præſens ſit, *Clyſteres* repetitis vicibus injiciendi ſunt, ex *Decocto Hordei viſcido*, item ex *Decocto Malvæ*, *Altheæ*, *Scorzoneræ*, *Symphyti*, aliarumque *mucilaginoſarum Plantarum*. Quibus addi poſſunt *Plantæ nitroſæ*, atque *ſcorbuticæ*, Salia *Calcis* alkalina mirum quantum diluentes.

ſum. Cum *Gybſo* pariter ſe res habet, eodemque proin modo debellabitur. Symptomata tamen, quæ excitat, vehementiora longè ſunt, ob majorem partium alkalinarum acrimoniam, quas Gypſum in ſe continet. Quod ſi ergo in principio acceſſerit Medicus, operam ſtatim dabit, ut vomitu excitato procuret ejectionem aſſumti Gypſi; dein *lubricantia* & *mucilaginoſa* largâ manu exhibeat; neque *Clyſteribus* parcat; è *Malvâ*, *Parietariâ*, *Althæâ*, *Brancâ urſinâ*, *Atriplice*, *Betâ*, *Portulacâ*, *Chamomilla*, *Caſſiâ rec. extractâ*, aliisque *lenientibus* factis, quorum efficaciâ conſtipationes à Gypſo inductæ commodè debellantur. Inter vera Gypſi *Andidota* referimus *Origanum*, *Pulegium*, *Hyſſopum*, *Calaminthам*, *Salviam* &c. *Oxymeliti* incocta & hauſta.

Vitriolum nativum quodcunque, præprimis autem illud, quod maximè *cœruleum* eſt, ob particulas veneris metallicas, maximam nauſeam excitare ſolet, & ſi copioſiùs aſſumatur, facilè etiam arrodit tunicas Ventriculi, atque Inteſtinorum, ſicque Tormina atque Dyſenteriam ipſam excitat. Quomodo autem huic malo medendum ſit, non eſt cur ſpecialiùs heic explicetur, dum vel ſola *Mucilago Seminis Pſyllii* cum *Aquâ Plantaginis extracta*, *Lemniæq; Terræ* aliquot drachmæ heic mederi poſſunt, non omiſſis tamen iis, quæ vomitibus reſiſtunt. Vitriolum.

Aquam fortem imprudentiùs à Famulo Pharmacopœi hauſtam, mortem intuliſſe novimus, & quidem, cùm primis ſtatim momentis remedia in uſum trahebantur, citra moleſta Symptomata, urgente tantùm Sphacelo Faucium & Ventriculi, non adeo doloroſo; quodque admiratione digniſſimum fuit, à principio hujus hauſtûs usque ad horam mortis, quæ octavo demum die contigit, nihil prorſus urinæ emiſit, ſeri ſecretione in renibus planè ablatâ. Quicquid autem Aqua fortis agit, id omne præſtat Salium corroſivorum ſummâ acrimoniâ, ad quam in Curatione quàm maximè eſt attendendum: hinc ante omnia præſcribuntur largi & frequentiſſimi *Lactis tepidi hauſtus*, eodemque tempore *Eclegma* ſeqq. exhibetur, lambendum crebrò: Aqua fortis.

℞. *Syrup. de Semperv. maj.* ℥iß.
Mucilag. Semin. Cydon. Aquâ Plantag. fact.

Gummi Tragacanth. Aqu. Roſar. extr. ana ʒij.
Eſſentiæ Croci ℈j.
Boli Armen. ppt.
Ocul. ♋. *ppt.* ana ʒiß.
Aqu. Flor. Acac. ℥j.
M. f. Eclegma d. ad Ollam.

Sunt qui ſtatim *Lixivium* mediocre hauriendum ſuadent, credentes, hoc modo confeſtim ſalia corroſiva præcipitari, omniſque noxæ periculum evitari. Vel *Emulſiones amygdalinæ* cum *Seminibus frigid. paratæ*, additis *alexipharm. abſorb.* ♁ *n. diaph. C. Cerv. phil. ppt. Bezoard. min. Unic. foſſil. Ocul.* ♋. &c. frequentiſſimè hauriantur.

Verùm quia Fauces ſubinde quoque eroſæ ſunt, *Gargariſmate* aliquo opus eſt, quod quidem calidè ſæpius uſurpetur, v. g.

℞. *Radic. Conſolid. maj.* ℥ß.
Fol. Altheæ, Plantag. &
Semperviv. major. rec. ana Mj.
Flor. Roſar. rubrar.
Verbaſci atq; Beton. aa. Pj.
Semin. Cydonior.
Pſyllii ana ʒiß.
Inciſ. & contuſ. coque in ſufficiente quantitate Aquæ fontanæ, Colaturæ expreſſæ admiſce
Mellis roſacei ℥ij.
Succi ex Hippenteris expr. ℥iß.
M. ad Vitrum.

Ad Sitim ſedandam præſcribatur *ſimplex Decoctum Hordei.* In Diætâ reliquâ quàm maximè ſtudendum oleoſis & viſcidis.

Æs & inde parata.

Æs, Squamma Æris, Flos Æris, Ærugo, Æs uſtum atque Aurichalcum, ob particulas Cupri metallicas easque acres ſatis, in Ventriculum illapſa, Tunicas erodunt, hincque motus convulſivos varios, ut Singultus, Vomitus, Gulæ adſtrictionem &c. producunt; iisdem itaque medicamentis hæc *Venena* debellantur, quibus ſubactum fuit Vitriolum aut Aqua fortis. Neque hactenus videre contigit peculiare ipſi *Antidotum* conſignatum. Haud tamen è re erit, juxta alia medicamenta ſuperius commendata ſeqq. vel ſimilem *Mixturam cardiacam* in uſum trahere:

℞. *Aqu. Meliſſ.*
Calaminth.
Plantag. ana ℥j.
Syrup. Pæon.
Cydonior. ana ℥ß.
Spiritus theriacalis ʒij.
Liquor. C. C. ſuccin. ʒj.
Ocul. ♋. *ppt.* ℈ij.
Unicorn. foſſil.
Cryſtallor. ppt. ann ℈j.
Miſce detur ad Vitr. Sumatur per cochlearia.

Antimonium crudum, ob particulas ſulphureas arſenicales, quæ corroſivam acrimoniam in ſe habent, ſummè deleterium *Venenum* eſt, Ventriculum enim aſſiduè mordendo graviter lædit, continuos Vomitus procreat, imò etiam motus convulſivos ſive univerſales ſive particulares excitat, tandemque, inſtar aliorum corroſivorum, Gangrænam & Sphacelum, imò mortem ipſam accelerat. Quamobrem omni curâ adnitendum, ut Venenum hocce, in corpus quâ datâ portâ illapſum, ſubigatur. Statim Antimonium

igitur in principio, dum illud adhuc in Ventriculo latet, *Vomitorium* eſt exhibendum, idque *blandum* & *oleoſum*; poſtmodum *Lac dulce* & *recens*, immixtis *Pulveribus imbibentibus* frequenter è hauriendum. Imbibentes *Pulveres* ſunt v.g. *Lapis armenus*, *Oculi* ♋. *Unicornu foſſile*, *Corallia alba*, *Mater Perlarum*, *Margaritæ*, *Ebur*, *Succinum pptum*, *Terra ſigillata*, C. C. & id genus; quibus admiſceri poſſunt *blanda aromatica*, ex *Herbis aromaticis* deſumta, prout ſunt *Majorana*, *Pulegium*, *Serpillum*, *Baſilicum*, *Betonica*, *Lavendula* &c. in *pulverem* redacta. Hinc & *Theriaca* ipſa *Andromachi*, *Spiritusq́ theriacalis*, ſubindè exhibitus, plurimum emolumenti adfert. *Juſcula hordeacea*, *Gelatina* C. C. *compoſita*, *Decoctum Hordei*, *Butyrum recens*, ſæpius aſſumta, ob mucilaginoſitatem ſpicula Veneni imbibentem, ſuas merentur laudes. Atque in hisce remediis continuandum, donec omne periculum evanuerit. Nonnulli tamen addunt hisce uſum *Cydoniorum*, *Corticum Citri* & *Aurantiorum* &c. *cum Caryophyllis conditorum*. Quia autem Vomitus ſubinde pertinax eſt, ea quoque externè applicentur remedia, quæ capite de *Vomitu* commendavimus. Qui chymicis laboribus operam dant, illi ſubindè quoque Sulphur ex Antimonio deflagrans per inſpirationem excipiunt, indeque corroſis Pulmonum veſiculis ſenſim Phthiſin adquirunt, mortemque ſibi maturam incautè accelerant, quamobrem laborantibus hisce Ciniflonibus ſuademus, ut ſibi à fumo Antimoniali quàm diligentiſſimè caveant, & præſervationis loco inter laborandum ſubinde *Butyrum recens* comedant, ut ejus viſciditate palatum & fauces illinantur, illitaque particulas venenoſas Antimonii inter inſpirandum in ſeſe abſorbeant; quæ ſic abſorbtæ, ac in Ventriculum deglutitæ ſeq. *Electuario* dein facilè ſubigi & debellari poſſunt:

℞. *Conſerv. Flor. Tunic.* ℥j.
Betonic. ʒß.
Electuar. Diaſcord.
Fracaſtor. ʒiij.
Boli Armen. ppt. ʒj.
Oculor. ♋. *ppt.* ℈j.
Nucis Indicæ conditæ ʒß.
Syrupi è toto Citr. q. ſ.
M. f. Electuarium d. ad Ollam; de quo ſæpè aliquid lambatur.

Sic pari ratione haud malè faciunt, qui inter laborandum *Cremorem Hordei* fortiter attrahunt, atque hinc per nares tantùm reſpirant.

Magnetem nonnulli inter *Venena* referunt, per traditionem diu continuatam, aſſeverantes, eum intra corpus aſſumtum rationem tollere, imò lunaticum Morbum ſive Epilepſiam procreare. Verùm meritò de hisce effectibus dubitamus, experientiâ edocti; ejus aliquot drachmas in pulverem redactas, Vulpi, Canibusque intruſas, nullam planè deleteriam vim monſtrâſſe. Sed & ipſa materia Magnetem componens nil tale producere poteſt; componitur enim è Ferro & terreſtri materiâ ſibi arctè unitis, quorum corporum neutrum hactenus Magnes.

hactenus obſervatum eſt venenatas qualitates in ſeſe habere.

Adamas. Sic & nonnulli *Adamantem*, atq; *Lazuli* lapides in *Venenorum* numerum receperunt; quâ autem ratione id factum fuerit, hactenus divinare nondum contigit. *Adamas* quidem omnium Lapidum duriſſimus exiſtit, eo quòd ejus particulæ à Spiritu quodam acido tenaciſſimè coagulatæ ſunt: hinc credunt nonnulli, eum quoquo modo in pulverem redactum ſubtilem, atque variatis doſibus exhibitum, nunc citiùs, nunc tardiùs interimere, quod, ſi verum eſt, non aliâ certè ratione contingit, quàm quòd particulæ Adamantis ſubigi impoſſibiles, in Ventriculi plicis immotæ obhærent, ac nerveæ tunicæ paulatim impactæ ſuperficierum ſuorum acumine pungentes, dolorem primò, hincque Inflammationem, Putredinemque inducunt, ac latiùs dein ſerpendo, inque maſſam ſanguineam irrependo, ob texturæ inflexibilitatem, in motu circulatorio Sanguinis particulas vehementiùs exagitant, atque à ſe invicem diſtorquendo Syncopen, mortemque inducunt. Quamobrem iisdem remediis huic malo erit medendum, quæ in ſuperioribus contra Corroſiones commendavimus. De *Lapide Lazuli* plura dicere nihil attinet, cum Venenum non ſit, aut ſi præter expectationem quid corroſivi in eo deprehendatur, non aliam curationem admittet, quàm dicta hactenus corroſiva.

Arſenicum. In vehementiſſimis *Venenis* meritò reponimus *Arſenicum*, ſ. *nativum* illud ſit, ex metallis prognatum, nunc *citrinum*, *Auripigmentum* dictum, nunc *rubrum*, *Sandaracha* appellatum: ſ. *factitium*, idque aut ex *Auripigmento* & *Sandaracha* mixtis per ſublimationem eductum, quod ſimpliciter *Arſenicum* vocant, aut ex *Auripigmento* & *Sulphure*, nunc ſolis, nunc additâ *Calce vivâ*, cum *Sale* ſimul miſtis & calcinatis factum. Agunt hæc ſingula Sulphure ſuo corroſivo, quod Oeſophagi, Ventriculi & Inteſtinorum tunicis nerveis implicatum, ob activitatem maximam, ſtatim Ardores Stomachi, Abdominis inflationem, Livores, Tumores, Convulſiones, Vomitus horrendos, Sitim inextinguibilem, ſpirandi Difficultatem, Tuſſim, Singultum, Linguæ, Faucium, & Gulæ ariditatem, cruciatus Ventris & Inteſtinorum vehementiſſimos, imò ſæpè Dyſenteriam, & ſuppreſſionem Urinæ excitat. Sed non tantùm Ore aſſumtum has noxas inducit, quin *Fabricius Hildanus* non ſemel obſervavit, ab Arſenico, extus tantùm adhibito, graviſſima Symptomata & mortem ipſam acceleratam fuiſſe: cujus quidem rei nullam aliam novimus cauſam, quàm quòd particulæ Sulphuris arſenicalis acidi corroſivæ, Maſſam ſanguineam ſubeuntes, eam plus juſto fixatam diſſolvant, quin imò & Spiritus animales, ob figuræ heterogeneïtatem, perturbent, quibus perturbatis, & functionibus vitalibus diu multumque oblæſis, neceſſe habet corpus, ut vitali motu tandem prive-

privetur. Quod igitur prognoſtica, ex Arſenici aſſumtione facienda, concernit, haud multum ſperandum eſt, ſi jam penitius Veneni efficacia ſubintravit poros Ventriculi & Oeſophagi, hincque Symptomata lethalia excitavit. In *Curatione* proin agendum, ut Vomitus in principio ſtatim procuretur lenis, quo particulæ arſenicales è plicis Ventriculi validè excutiantur, ſicque omnis corroſionis periculum evitetur. Quod ſi verò eroſio jam facta ſit, à vomitoriis eſt abſtinendum, ſequentiaque remedia in uſum vocanda, quæ poſt vomitum etiam procuratum proficua ſunt:

℞. *Conſerv. Roſar. rubr.*
Flor. Tunicæ,
Betonic.
Elect. Diaſcord. Fracaſtor. aa. ℥ß.
Cryſtall. ppt. ℈iß.
Oculor. ♋. *ppt.*
♁ *n. diaphor. ana* ℈ij.
Eſſent. Croci ʒß.
Syrup. Plantag. q. ſ.
M. f. Electuar. molle d. ad Fictile. Singulis bihoriis cuſpis cultri plenus inde capiatur.

Vel ℞. *Conſerv. Anthos.*
Flor. Aurant. ana ℥j.
Mithrid. Damocr. ℥ß.
Matris Perlar. ppt.
Boli cujusvis ppt. ana ʒj.
Eſſent. Cortic. Citri ℈ij.
Syrup. de toto Citr. q. ſ.
M. f. Electuarium, ut ſuperius uſurpandum.

Quod ſi *Electuaria* non arrideant, *Pulveres* præſcribi poſſunt, v. gr.

℞. *Antimon. diaph.*
Unicorn. foſſil.
Cryſtall. ppt.
Corall. rubr. ppt.
Ungulæ Alcis ppt.
Santali citrini ana ℈ij.
M. f. Pulv. ſubt. divid. in. 6. partes æquales ad chartam. Singulis ſex horis una capiatur.

Vel ℞. *Bol. Armen. ppt.* ʒj.
♁ *n. diaphoret.*
Bezoard. mineral. ana ʒß.
Lapid. Bezoard. occid. ver. ℈j.
Ægagropilarum ℈ij.
Elæoſacchar. Citri ʒj.
M. f. Pulvis ſubtil. in 6. doſ. æqual. divid. ad chartam, quæ ſicut ſuperiores ſumi poſſunt.

Vel ℞. *Aqu. Plantag.*
Burſæ Paſtor.
Betonic. ana ℥j.
Scordii ℥ß.
Syrup. Flor. Tunicæ,
Bellid. min. ana ℥ß.
Corall. rubror. ppt.
Unicorn. foſſil. ana ℈j.
Confect. Hyacinth. ʒj.
M. ad Vitr. Sumatur cochleatim.

Juxta hæc remedia neutiquam ſunt negligenda mucilaginoſa illa & viſcida, quorum in curâ Venenorum generali mentio eſt facta, ſicque pergendum, donec nulla amplius Symptomata adpareant. Externè applicetur Stomachi regioni ſequens *Emplaſtrum*:

℞. *Emplaſtr. de cruſtâ Panis* ℥ij.
Pulv. Myrrhæ,
Menthæ,
Abſynth. ana ʒiß.
Flor. Roſar. rubr.

 Maſtich.

Maſtich. ana ℈iv.
Olei Nuciſtæ expreſſ. ℥j.
deſtill. Menth. ℈j.
Reſin. & Ceræ ana q. ſ.
M. f. Emplaſtrum tenax alutæ inducendum.

Plumbum & inde parata. *Plumbum* vel *ſimplex* vel *uſtum*, & quæ ex Plumbo fiunt, *Ceruſſa*, *Minium*, *Lithargyrium*, ob Sulphur arſenicale minus probè digeſtum, ſuam quoque corroſivam vim exercent in corpus humanum, & hinc, ſi non æqualia cum præcedentibus Venenis, ſatis tamen nociva excitant Symptomata. In *Curâ* autem nil peculiare heic deſideratur. Vomitus ante omnia procuratus laudatur, quem ſubſequatur exhibitio *Theriacæ*, *Diaſcordii*, aut *Mithridatii*, idemque pinguiorum aliorum remediorum ex *Lacte*, *Butyro*, *Oleo Amygdalar. dulcium*, *Decocto Caricarum*, *Mucilaginibus*, *Semin. Fœni Græci*, *Pſyllii*, *Cydonior.* &c. non omittendo *Pulveres abſorbentes*. Si opus eſt, *Clyſteres* quoque *mucilaginoſi* infundentur, atque ita pergetur, donec omne Venenum è corpore expulſum videbitur.

Argentū vivum. Succedit *Mercurius*, non is quidem *philoſophicus*, nec ille ſic dictus *corporum*, ſed *Argentum vivum*, quod à multis ob volatilitatem ſuam vocatur *Servus fugitivus*, eo quòd, quacunque etiam ratione coagulatus, in igne aufugiat. Eſt autem Mercurius iſte vulgaris corpus aliquod minerale, ſummè liquidum & volatile, conſtans ex multâ aquâ metallicâ, paucâ terrâ, pauciſſimo ſale, & copioſo ſulphure crudo imperfecto, quæ principia ita ſibi invicem arctè uniuntur, ut quam pauciſſimos inter ſe relinquant poros: atque hinc eſt, quod tam ponderoſus exiſtat. Quicquid verò noxæ *Mercurius* infert, omne illud præſtat vel crudus, vel certâ ratione pæparatus. *Crudus* quidem ſubinde ex Medicorum præſcriptione ad ℔j. hauſtus nil detrimenti affert, quin ſtatim per ventriculum & inteſtina elabitur, & pertinaciſſimam alvi conſtipationem pondere ſuo penetrans ſolvit. Sic & non rarò ad granorum aliquot doſin exhibitus Lumbricos enecat & è corpore expellit, prius in mucoſum, eumque fœtidum ſuccum redactos. Quod ſi tamen eidem Mercurio, in ſubſtantiâ crudè exhibito, nullum adjungatur purgans, facilè in corporis aliquâ parte obhærens noxam inducere poteſt, nimirum Ventris intumeſcentiam, ob nervoſos in Meſenterio plexus irritatos, eosque in leviores convulſivos adactos motus. Utplurimum autem infeſtus eſt ſeroſo latici, Lymphamque in corpore fuſam copioſiſſimè per ductus ſalivales, non ſine acrimoniæ ſignis extrudit, ſicque Salivationem cum Gingivarum eroſione excitat. Imò & inimicus Nervis exiſtit, inque illis ſuam malignam vim validè exercet, Contracturas atque Paralyſes excitando, illosque ſucco ſuo humectante & laxante privando, ſicque fibras ſingulas adſtringendo. Hinc videmus eos, qui in *Mercurio* quotidie vel plurimum laborant, hisce Affectibus quàm maximè eſſe obnoxios, ſubindeque aureos nummos ore volutantes argenteo

teo colore tingere; quin imò Foſſores Cinnabaris nativæ, plerumque tremuli redditi, ſi manu Aurum aliquod contrectent, illud ſtatim albeſcet, ob particulas mercuriales è poris corporis exhalantes, Aurique ſuperficiem, quoad texturam ſuam, mutantes. Unguentis mercurialibus, in *Scabie* atque *Lue venereá* uſurpatis, quid ſuccedat, in vulgus jam notum eſt, ſuoque ulterius explanabitur loco. Aliàs quoque Chemiatris ſatis ſuperque probatum eſt, nullum in Medicinâ exiſtere medicamentum magis diſſolvens Mercurio. Solvit autem inprimis Serum, quacunque ratione coagulatum, atque hinc conſuetum nobis eſt, eundem crudum *Emplaſtris* probè ſubigere, & Tumoribus ſcirrhoſis adplicare. Nocet inprimis *Mercurius ſublimatus corroſivus*, & *præcipitatus*, qui perinde atque *Arſenicum* ſuâ corroſivitate Ventriculum ac Inteſtina corrodunt, Convulſionibusque excitatis, & ſuperinductâ Gangrænâ mortem accelerant. In *Curatione* itaque ad Mercurii formam attendendum; quòd ſi *crudus* ille ſit aſſumtus, purgationum & abſorbentium beneficio expurgandus erit, eumque in finem ſeq. *Pulverem laxantem* commendamus:

℞. *♁n. diaphoret.*
Sacch. roſat.
Boli Armen. ppt. ana ℈ß.
🜍ris aurat. ♁n. gr. ij.
Fol. Auri num. j.

M. f. Pulvis d. ad chart. pro doſi matutinâ.

Vel ℞. *Pulv. Folior. Rutæ,*
Majoranæ,
Hyſſopi.
Terræ ſigillat. ana ℈ß.
Scammon. 🜍rati gr. viij.
Fol. Auri num. j.

M. f. Pulv. ſubtil. d. ad ch. pro doſi.

Addimus folia Auri, quia nihil melius Mercurii particulas abſorbet. Purgans autem admiſtum abſorbtas ab Auro particulas ſimul educit. Quicquid de Mercurio in corpore reſtitare poſſet, id omne beneficio ſudoriferorum per inſenſilem tranſpirationem eliminatur. Præter purgantia ſuadent alii *Succos* atque *Decocta Plantarum aromaticarum*, *Pimpinellæ*, *Hyſſopi*, *Rutæ*, *Meliſſæ*, *Origani*, *Calaminthæ*, *Salviæ*, &c. Aliis verò *mucilaginoſa* & *oleoſa*, quarum catalogus in ſuperioribus extat prolixior, magis arrident. Singulis tamen præferrem ſeq. *Electuarium*:

℞. *Conſerv. Flor. Tunicæ,*
Anthos, ana ℥j.
Confect. Hyacinth. ʒj.
Cryſtall. ppt. ℈ij.
Boli Armen. ppt.
Bezoard. mineral. ana ℈j.
Fol. aur. num. ij.
Eſſent. Croc. gr. xv.
Syrup. Flor. Tunic. q. ſ.

M. f. Electuar. d. ad Ollam. Singulis trihoriis cuſpis cultri plenus ſumatur.

Hoc tamen notandum, ante uſum hujus *Electuarii*, Purgans aliquod ſuperius, aut *Decoctum Folior. Sennæ* præſcribendum eſſe.

Vel ℞. *Conſerv. Roſar. rubr.* ℥iß.

Mucila-

Mucilagin. Semin. Cydonior.
Aquâ Roſar. fact. ℥ij.
Nucis Indic. condit.
Cortic. Aurant. cond. ana ʒiß.
Boli Armen. ppt.
♁*n. diaphoret. ana* ℈ij.
Fol. Aur. num. ij.
Syrup. Violar. q. ſ.
M. f. Electuarium, ut ſuperius uſurpandum.

Præter hæc remedia maximè conveniens erit, Ægrum ad ſudorem unum, alterumve componere, ſicque reliquias Mercurii per poros cutis expellere.

A Fumo Mercurii. Quod ſi verò ex fumo Mercurii per reſpirationem attracto malè Æger habeat, & ad Contracturas Nervorum proclivis exiſtat, ſuaderemus ante omnia *lene* aliquod *Purgans*, qualia ſuperius tradita ſunt. Poſt purgans darem hauſtus frequentes *Vini albi*, cui incoctæ ſint *Plantæ* quædam *aromaticæ partium tenuium* & *balſamicarum*, adeoque non ſolùm nervos corroborantes, ſed & ſudorem promoventes: quales ſunt *Chamædrys*, *Chamæpithys*, *Salvia*, *Betonica*, *Lavendula*, *Roſmarinus*, *Origanum*, *Calamintha*, *Serpillum*, *Ruta*, *Stœchas Arabica*, *Baſilicum*, *Radix Zedoariæ*, *Galangæ* &c. Quibus intus aſſumtis adjungenda ſunt abſorbentia alia, nimirum particulas mercuriales intra ſuam ſubſtantiam imbibentia, & vel per inſenſilem tranſpirationem, vel per alias vias excretorias auferentia. Jungimus hiſce remediis in extremitate ea imprimis, quæ ſudorem copioſè elicere poſſunt, qualia ſunt *Laconica* & *Balnea ſicca*, aut ea etiam, in quibus accenſo *Spiritu Vini* ſudare ſolemus. Melius adhuc cedet operatio, ſi Æger ſtatim à ſudore immergatur *Balneo Aquæ dulcis*, cui incoctæ ſint *Plantæ aromaticæ*, ut & *Antimonium crudum*, *Sulphur commune* & *Alumen*. Poſt Balneum quodvis Æger in lecto ponatur, ad ulteriorem & perfectam ſudoris exhalationem. Atque hac methodo aliquos novimus curatos, qui ex copioſâ Fumi inſpiratione tantùm non paralytici fuerunt redditi.

Quamobrem hiſce Opificibus conſuleremus, ut ſemper, antequam in Mercurio quid laborent, vel hauſtum *Lactis* aſſumant, vel *Butyrum recens*, non ita avarâ manu comedant, ſuperhauſto *cyatho Vini rubri*, vel *ſimplicis*, vel *aromatici*: ſic enim collectæ ramoſæ in maſſâ ſanguineâ particulæ, Veneni ſpicula per inſpirationem accedentia hauriunt, & in ſeſe abſorbent. *Præſervatio.*

Si *Mercurius ſublimatus* aut *præcipitatus corroſivus*, ventriculum quacunq; ratione ſubiit, ſtatim *Lixivium* exhibeatur, ſicque Venenum ipſum invertatur. Quod ſi dein è re judicârit eſſe Medicus, *Vomitorium lene* exhibere, exhibeat, hincque ad *Medicamenta mucilaginoſa* & *pinguia* pergat, non omiſſis *aromaticis* & *abſorbentibus* terreis; quorum vicem præſtat unica *Andromachi Theriaca*, aut *Mithridatium Damocratis*, ſi exinde interdum ʒj. *Aquæ Scordii* permixta exhibeatur. Nec inutile eſt *Salem Tartari* vel *Succum*, *Mercurius ſublimatus aut præcipitatus.*

ſiccum, vel in *Oleum ſolutum* drachmæ unius pondere exhibere.

naba- *Cinnabaris factitia communis*, aut *minera* quoque *Cinnabaris nativæ*, ſi quid corpori humano nocet, parem omnino cauſam habebit cum eâ, quam *Mercurius ſ. vivus ſ. corroſivus* agnoſcit, hincque etiam ſimilis medendi methodus eſt adhibenda; idque imprimis operæ dandum, ut ſulphur illud indigeſtum metallicum, à quo noxa omnis dependet, è corpore ſtudioſè eliminetur.

ena geta- ia. Inter *Venena Vegetabilia* primò omnium occurrit *Opium*, quod ultra granorũ aliquot doſin aſſumtum ſubinde perpetuum inducit ſomnum, naturamque in operationibus ſuis vitalibus penitus deſtruit. Eſt autem ium. *Opium* ſuccus Papaveris hortenſis, ſ. albi ſ. nigri, qui ex capitibus illius ferè maturis, leviterque hinc inde inciſis effluit, & colligitur: quod fit non quidem in regionibus noſtratibus, ſed præcipuè juxta Thebarum Urbem, aliiſque Ægypti in locis, ut & in Paphlagoniâ, Cappadociâ, Siciliâ, pluribuſque Regionibus orientalibus, ubi copioſè provenit. Imò negandum haud eſt, in Papavere noſtrati ſimiles latere particulas anodynas & narcoticas, quæ tamen ob climatis frigiditatẽ, tantam virium ſuarum exaltationem non adipiſcuntur, quantam illud ex oriente transportatum obtinere ſolet. Quales autem in *Opio* hæreant particulæ, illud ipſum eſt, in quo definiendo multum deſudârunt Eruditi; interim haud obſcurè conjecturare licet, ex ſapore acri, amaricante, texturâ particularum reſinoſâ, ac inflammabilitate facili, ſulphuris portionem magnam ipſi Succo ineſſe, quod ſulphur arte extractum deprehenditur planè narcoticum. Sed & *Helmontius* in ſuis ſcriptis cum *Petro Severino* conſentit, aſſerendo, Sal quoddam acre ac ſudoriferum in Succo Opii reconditum eſſe. *Wedelius*, *Profeſſor ille Jenenſis Celeberr.* ſcribit, ſe ex *Opio* per Retortam vitream in arenâ deſtillato extraxiſſe primò phlegma, ſecundò ſpiritum volatilem urinoſum, qui cum acido aliquo ſpiritu commixtus effervеſcit, odore reſtante fœtido: tertiò Oleum nigricans copioſum; reſtante tandem in Retortâ quadam materiâ terreſtri & ſalinâ fixiore. Omnis tamen Narcoſis ab Opio inducta ferè originem debet ſulphuri illi facilè roſolubili, & cum pauco ſale volatili commiſto, quod in Maſſam Sanguineam introductum, illius partem ſulphuream adauget, ſimulque ſerum fundit; dumque hac ratione principium ſulphureum ſalino volatile principium ſuperat, copioſeque cum parte Sanguinis ſeroſâ ad Cerebrum elevatur, facilè inibi in medullari ſubſtantiâ poros & fibras obſtruere, ſicque ſomnum gravem excitare, imò ſi copioſiùs aſſumtum fuerit, inſenſilem planè mortem inducere valet. Nonnunquam obſervatum eſt, ex eodem Succo aſſumto obortam eſſe Vertiginem, Naſi diſtorſionem, Singultum, Sudorem largiſſ. cum Pruritu totius corporis, imò etiam Convulſiones ipſas, mortem præcedentes. Quæ omnia cum brevi tempore

pore contingant, citò remedia in uſum ſunt vocanda.

Damni ab Opio Cura. In principio itaque, dum magna portio Veneni in Ventriculo adhuc, vel inteſtinis latitat, *Vomitorium* aliquod exhibendum eſt, aut *Clyſteres* injiciendi etiam acriores. Quibus præmiſſis ad *Antidota ſpecialiora* accedendum: inter hæc autem ſeligenda ea præprimis, quæ ſulphur illud narcoticum ex Maſſâ Sanguineâ præcipitare valent &c. in quem finem comendamus reliquisque præferimus *Spiritum Salis arm. urin.* ſeu *ſimplicem*, ſeu additione Plantarum aromaticarum *oleoſum* redditum, eumque partim naribus frequenter applicatum, partim ſub doſi ℈j. *Aquæ Betonicæ* commiſtum, ac intus exhibitum.

Vel ℞. *Aquæ Meliſſ.*
Betonic.
Apoplectic. noſtrat. ana ℥j.
Syrup. de Cinnam. ℥ß.
Olei ♀ri per deliquium ʒj.
Salis volat. oleoſ. ℈ij.
♁nii diaphoret. ʒß.
Sacchar. cand. ʒj.
M. ad Vitr. Detur cochleatim.

Vel ℞. *Aqu. Flor. Acac.*
Veronic.
Meliſſ. ana ℥j.
Syrup. Rub. id. ℥ß.
Ebor. ppt. ʒß.
Sal. Abſynth.
♀ri ana ℈j.
Sal. vol. C. C. ʒß.
M. ad Vitr. Sumatur cochleatim.

Vel ℞. *Caſtor. ppt.*
Ungulæ Alcis ppt.
Fol. Majoran.
Rutæ ana ℈j.
Salis volat. C. C. ℈ß.
Ocul. ♋. ppt. ℈ij.
M. f. Pulvis in duas doſes æquales dividendus ad chart.

Vel ℞. *Mithridat. Damocr.* ʒj.
Conſerv. Majoran. ℥j.
Corall. rubr. ppt.
Unicorn. foſſil.
Lumbric. terreſtr. ppt. ana ℈j.
Nitri ♁iat. gr. xv.
Syrup. Capill. Ven. q. ſ.
M. ad Fictile. Sæpè cuſpis cultri plenus capiatur.

Vel ℞. *Matris Perlar. ppt.*
C. C. philoſ. calcinat. ana ʒij.
Nitri ♁iat.
Salis Abſynth. ana ℈j.
Myrrh. elect. ʒj.
Sacchar. opt. ℥ß.
M. f. Pulvis ſubt. cujus ℈ij. *pro doſi exhibeantur.*

Quod ſi Æger ſomno nimis indulgeat, excitandus erit variâ corporis agitatione, pilorum evulſione, titillatione, Cucurbitulæ ad cervicem applicatione. Naribus admoveatur Aſa fœtida, Succinum, Corium, Pennæ uſtæ &c. Tandem ſi Venenum eſt ſuperatum, alvus quoque, ob averſionem ſeri exſiccata, axari debet *leniente* aliquo, v. gr. *Syrupo Roſar. ſolutivo*, ſive *ſimplici*, ſive *compoſito*, vel *Mannâ* in Juſculo liquefactâ, vel *Caſſiâ fiſtuloſâ extractâ*, vel *Foliorum Sennæ Infuſo*. Nec denique è re erit, *Balnei Aquæ dulcis* ope, Pruritum ab Opio inductum tollere, ſicq; Ægrum planè reſtituere.

Senner-

gi ſtres.

Sennertus Praxeos libro VI. parte 7. ubi de *Venenis* agit, *Opii* conſiderationi ſubjicit *Fungorum* explicationem: nec certè & nos è venenorum cenſu excludimus *Fungos*, qui è terræ fœdis excrementis prognati, nullo principio activo præponderante, aut corroſivo vel acri aliàs ſale imbuti varios in machinâ humanâ excitare poſſunt motus, in quantum ſuâ materiâ, ceu capite mortuo, nonſolùm liquorem Ventriculi ſalſo-volatilem penitus deſtruunt, ſed & ipſam maſſam ſanguineam inerti materiâ onerant, anſamque ſimul exhibent Suffocationibus, Torminibus, Febribus continuis, Diarrhœis, Dyſenteriis, Convulſionibus, Epilepſiæ, & id genus. Diſcrimen autē inter Fungos faciendum, quandoquidem alii aliis magis ſunt venenati, imò nonnulli ex iis in Italiâ, aliiſque locis in deliciis habentur: prout ſunt Tubera terræ *Boleti, Piperitides* &c. credimus t en & hos Fungos, ob defectum principiorum activorum itidem noxios exiſtere, licet non adeo venenatos, atque reliquorum nonnulli ſunt. In Curâ itaque ad hoc unicè attendendum eſt, ut Venenum dicto citiùs è corpore eliminetur, aut ejus ſpicula ſaltem invertantur: quod quidem fieri poterit exhibendo in principio ſtatim *Vomitorium* aliquod; hinc ordinando *alexipharmaca, abſorbentia*, ſimul & *aromatica*; quibus ſi blandum aliquod *volatile* quis adjungat, haud malè aget. Singulorum vicem præſtant *Species Diamoſchi, Calaminthæ*, aliæq; cum Mellis, ceu proprii Fungorum Antidoti, quantitate ſumtæ.

Napellus, Cicuta, Colchicum, Eſula.

Succedunt in vegetabilium Venenorum ſerie *Napellus, Aconitum, Cicuta terreſtris, & præcipuè aquatica, Colchicum, Nux vomica, Eſula, Helleborus albus*, pluraque alia, quæ quacunque ratione in Ventriculum illapſa, particulis acribus corroſivis, cum intermixto ſulphure impuro atque indigeſto, ſtatim tunicam ejus nerveam arrodunt, fibras qualeſcunque contrahendo, mordendo, motus convulſivos atque epilepticos inducunt; hinc etiam vomendi cõnatus à motu fibrarum iuverſo, Tumor item præcordiorum, Singultus, aliaq; Symptomata plura, quorum catalogum ſuperius dedimus, oriuntur. Cum itaque ſubinde exempla nobis occurrant eorum, qui talia Venena devorârunt, eo annitendum erit, ut omni arte debellentur, noxaque inde futura præcaveatur: quem in finem prænotandum, in quo præcipuè vis horum Venenorum conſiſtat? id quod hactenus quidem à nemine demonſtratum accuratè legimus; noſtrâ autem opinione Venena hæc omnia per poros ſuarum radicum admiſerunt liquorem quendam corroſivum, conſtantem ex ſulphure acre copioſo & ſalino pauco, quæ partic. rigidis ſibi invicem connexa figuris, inque corpore humano reſolutæ, ſpicula ſua plus minus acuta tunicis ejuſdem infigunt, aut in Sanguinis maſſam illapſa particulas ejuſdem homogeneas ab invicem divellunt, hâcque ratione ejuſdem ſolutionem totalem promovent. Quamobrem in *Curatione* ea ſeligenda veniunt *Medicamenta*, quæ ſalia

 illa

illa heterogenea ſulphuraque impura deſtruunt, & ad loca excretoria præcipitant. Hunc in cenſum, præmiſſo, ſi adhuc tempus eſt, *Vomitorio*, referimus *Salia lixivioſa*, *Aquarum deſtillatarum* admiſtione in liquorem transmutata; non omiſſis pinguibus & viſcidis, quorum ramoſis particulis ſpicula Veneni facilè occultantur, deinceps haud amplius nocitura. Eundem quoque effectum præſtabunt *Salia volatilia urinoſa* largiori quantitate hauſta. *Caſtoreum*, *Theriaca*, *Mithridatium*, *Diaſcordium*, *Spiritus* item *theriacalis*, cum *Aquis Scorzoneræ*, *Salviæ*, *Portulacæ*, *Parietariæ*, *Althææ*, *Rutæ*, *Meliſſæ*, *Flor. Acaciar.* &c. mixta, ſuam etiam præſtabunt utilitatem.

Hyoſcyamus, Mandragora, Solana &c. *Hyoſcyamus*, *Mandragora*, *Solanum furioſum*, *Flos Africanus*, & nonnulla alia, tam in ſuccis, quàm in ſolidis partibus ſuis ſulphur obtinent tetrum, fœtidum, quod, particulis quibusdam ſalinis acrioribus permiſtum, eadem cum *Opio*, ſi non deteriora Symptomata excitat, Hominique mortem acerba maccelerat, non ſine Convulſionibus præcedaneis; Somnum quoque ſuggerit diuturnum, non niſi ab inviſcatione particularum ſpirituoſo ſalinarum, hincque obſtructione Cerebri oriundum. In *Curatione* proin ante omnia exhibendum ſuademus largiorem hauſtum *Oxymelitis tepidi*, per quod vomitu procurato, pergendum credimus ad medicamenta acidula, quibus Venenum tale haud difficulter ſubigitur, ſimulq; per vias excretorias amandatur. Nec omittenda alia antiſpasmodica, quæ nervos irritatos, abſorbtis Venenorum ſpiculis, demulcere, ſpiritusq; animales inordinatè agitatos ad blandam quietem reducere valent.

Venena animalia. Reſtant *Venena Animalium*, quæ, ceu longè ſubtiliora & ſpirituoſiora, promtius etiam in ſanguinem penetrant, citiſſimamque ejus diſſolutionem, niſi confeſtim medela adhibeatur, minitantur; quod quidem fit non aliter, quàm vi quadam fermentativâ peregrinâ, quâ, ob ſal heterogeneum ex irato Animali in vulneratam partem illatum, mox Seri & Sanguinis particulæ diſſolvuntur, quibus ſolutis, & ſpirituoſo-ſalinis, nullo amplius repagulo prehenſis, exhalantib⁹, neceſſe eſt maſſam vappeſcere, inſtrumentumque conſervandæ vitæ minus idoneum reddi. Ictus tamen & morſus Animalium iratorum magis minusve venenati exiſtunt; quidam enim promtè necant, alii vitæ non admodum nocent. A *Tarantulis*, *Aranearum* illâ *ſpecie*, in *Apuliâ* Italiæ regione frequenti, qui mordentur, continuò ſaltare coguntur, donec Imaginatio à Veneno læſa naturali ſtatui ſit reſtituta. Qui à Cane demorſi ſunt rabido, *Hydrophobiam* patientur, ni citò præveniamus. Serpentes ſinguli mordendo acerrimam, eamque maximè volatilem lympham profundunt & hinc Sanguinis craſin diſſolvunt. *Aranearum morſus*, ut & *Apum puncturæ* per aculeos infixos non adeo ſolent eſſe noxiæ; ſtudioſè nihilominus aculei ſunt extrahendi, tumorque obortus compeſcendus. *Scorpionum* ictus diverſæ etiam ſunt efficaciæ;

efficaciæ; qui enim fiunt à Scorpionibus candidis, longè nocentiores ſunt, quàm qui à nigris: ſic & ſingula hæc Animalia in locis maritimis Italiæ longè acrius Venenum evomunt, quàm quæ in aliis regionibus exiſtunt. In *Curatione* ſtatim loco vulnerato & morſo applicetur *Emplaſtrum veſicatorium*, cum *Emplaſtro de Meliloto*, *Theriacâ* item, atque *Oleo Succini* & *Caſtorei* commiſtum, quo *Emplaſtro compoſito* extrahitur facilè, quidquid venenati liquoris ab Animalibus eſt immiſſum. Sed & *Oleo Scorpionum*, *Chamomillæ*, *Rutæ*, *Balſamoq; Peruviano* deinceps percurandum eſt Vulnus. Haud inconſultum quoque eſt partem vulneratam ſcarificare, Cucurbitulâque appoſitâ Sanguinem ſimul cum Veneno extrahere, quo pacto pars ejus elici poteſt cum *Aceto* aliquo *bezoardico*, in quo *Scylla*, *Theriaca*, *Origanum*, *Salvia*, *Ruta* &c. fuerunt infuſa. Et cum malignitas omnis evicta videbitur, inungatur pars vulnerata ſimpliciter *Balſamo vulnerario*, cum admixtione aliquot guttularum *Eſſentiæ Myrrhæ*, atque *Croci*. Quòd ſi autem pars affecta jam in tumorem inflammatorium ſurrexit, tum ea adhibenda ſunt extus remedia, quæ Capite de Inflammatione commendantur. Sunt qui *Pullum gallinaceum* aut *Gallinam* per medium dividunt, alteramque calentem partem Vulneri imponunt, atque ſic non ſine ratione ſtudent Veneni ſpicula obtundere & diſcutere, quod equidem à volatili Spiritu in Gallinâ exundante facilè fieri poteſt. Internè ſtatim in principio *Spiritus* aliquis *volatil.* v. g. *Mixtura ſimplex D. Ludovici*, *Sal volatile Viperar. C. C. oleoſum*, *Aquæ Scordii*, *Betonicæ*, *Veronicæ* aut *Scorzoneræ* largiori doſi permiſtum exhibendum eſt, ſudorque copioſus proliciendus. Tentant illud alii exhibitione largioris *Theriacæ* doſeos, cum *Aqu. Card. bened. Scabioſ. Succiſæ* &c. ſociatæ. Sudoribus ita prolectis ſemel aut aliquoties, ad ea deinceps pergendum, quæ reſtitantes Veneni particulas abſorbere aut evertere poſſunt; præſtabitur id, ſi in *Vino generoſiori* decoquatur *Radix Angelic. Caryophyllat. Zedoar. Ariſtoloch. Gentianæ*, *Dictamni cretici*, *Folia* itidem *Veron. Gram. Parnaſſ. Hyſſopi*, *Majoranæ*, *Salviæ*, *Baccæ Lauri*, *Semen Fœniculi*, *Aniſ.* &c. deq; hoc *Decocto* quotidie bis exhibeatur hauſtus. *Apozemate* hoc conſumto eò adnitendum, ut Maſſæ Sanguineæ naturalis conſiſtentia reſtituatur, quod quidem ſeqq. aut ſimilibus Remediorum formulis optimè fieri poſſe credimus:

℞. *Aquar. Borrag.*
Flor. Acaciar.
Acetoſæ ana ℥j.
Syrup. Acetoſitat. Citri ℥ß.
Bol. Armen. ppt.
Corall. rubr. ppt.
Diaph. ♂ *tial. ana* ℈j.
M. d. ad Vitr. Sumatur cochleatim.

Vel ℞. *C. C. philoſ. ppt.*
Ungul. Alcis ppt. ana ʒß.
Bezoard. miner. ℈j.
Diaph. ♂ *ial.*
Lapid. Bezoard. occid. ana ℈ß.
Myrrhæ gr. viij.

Sacchar. cand. alb. gr. xij.
M. f. Pulv. ſubtil. in 4. *doſ. æqual. divid. mane ac veſp. ſumendas.*
℞. *Aqu. cardiac. officinal.* ℥iß.
Scabioſ. ℥j.
Syrup. Acetoſitat. Citri ℥ß.
Granator. acidor. ʒij.
Antimonii diaph.
Bezoard. miner.
Unicorn. foſſil. ana ℈j.
M. d. ad Vitr. hauriatur per cochlearia.
℞. *Conſerv. Roſar. rubr.* ⊖*lat.* ℥j.
Flor. Tunicæ ℥ß.
Cort. Citri condit. ʒij.
Unicorn. foſſil.
Lap. ♋. *ppt. ana* ℈ij.
Bezoard. occident. ℈ß.
Pulv. Viperar. ppt. ℈j.
Syrup. Citri q. ſ.
M. f. Electuarium d. ad Ollam. Singulis trihoriis capiatur aliquid.

Hæc & ſimilia acidula remedia frequentiùs in uſũ trahenda, ut naturalis conſtitutio ſanguinis reſtauretur.

Tarantiſmus. Qui à *Tarantulâ* icti ſunt, in illis Spiritus animales à blandâ ſuâ naturali texturâ & motu deturbantur, hinc ipſa Imaginatio læditur, ideæque perpetui tripudii formantur: fortè quia in Tarantulis ſpiritus volat. occurrit, animalculum ad tripudiantem motum plurimum ſollicitans, eadem quoque indoles Spiritibus animalibus Hominum, à Tarantulis demorſorum, imprimitur, ut hinc ſimili motu concitati, ad ſimiles quoque ſaltus corporis machinam inſtigent. Affectus hic Apulis endemius eſt, & ab *Athanaſio Kirchero* prolixè in *Libro de Magnete* deſcribitur, ubi ſimul innuit, quâ Cantilenæ formâ, quoque fidium concentu percurari ſoleat. Si remediis pharmaceuticis locus ab Ægro datur, doſibus aliquot *Salis volatilis oleoſi*, cum aliquo fixo *diaphoretico*, & *Aquâ deſtillatâ* miſtis, ſudor ſubinde proliciatur.

Veſparum, Apum & Aranearum Ictus ſequi ſolet dolor vehemens, tamdiu durans, donec vel aculei ab hiſce Animalculis infixi ſint exemti, vel Veneni immiſſæ particulæ exhalârint. Itaque aculeus quacunque ratione eſt extrahendus; quod quidem fieri poteſt, ſi *Cepa* aut *Allium* cum *Melle* contuſum imponatur; præferunt tamen alii *Cataplaſma* ex *Cinere, Theriaca* & *Aceto* compoſitum; vel ſcarificatur pars icta parumper, & parva applicatur, ſi fieri poteſt, *Cucurbitula*, ſic aculeus ſtatim extrahetur, quo facto *Salvia* aut *Ruta* cum *Aceto* teratur, vulnerataque pars ſubinde eluatur; vel *Oleo Scorpionum* aut *Balſamo vulnerario* perſanetur. Hiſce remediis & Inflamationes & Tumores diſcutiuntur. Compertum habemus, Araneæ ictum ſolis *Salviæ* & *Cochleariæ recentium foliis* probè *elotis*, dein *contuſis* & applicatis ſanatum fuiſſe. Eadem quoque remedia proficua ſunt iis, qui à *Formicis*, aut *Muſcarum variis generibus* icti ſunt. *Veſpa... Apu... Ictus.*

Cantharides, quæ ob urentium partium vim in *Veſicatoriis* præſcribuntur, ſubinde Jumentis ad Venerem excitandam certâ doſi exhiberi ſolent, in corpus autem humanum illapſæ, quâ propelluntur viâ, arrodunt, *Canth... ridum ictus.*

dunt, exulcerant, atque inflammant, hincque Stomachi Inflammationem, Nauſeam, Dyſenteriam, Stranguriam, Animi Deliquia, tandemque ſuperinductâ Gangrænâ mortem ipſâ inducunt. In Ore percipient Ægri Reſinæ atque Pini ſaporem, quod ſignum præbet manifeſtum, hisce Arboribus Animalcula talia inſidere, indeque alimenta ſua capeſſere. In principio itaque ſtatim *Oleum Violarum*, aut *Amygdalarum dulcium*, vel *Lactis*, *Decoctiq; Hordei hauſtus* frequentes exhibeantur. *Emulſionibus* quoq; ex *Amygdalis dulcibus*, *Seminibus* 4. *frigidis majoribus*, cum *Aquâ Endiviæ* & *Portulacæ* paratis, corroſiva Cantharidum volatilitas infringitur, corrigitur, & inviſcatur; ita etiam non ſine ratione & ſucceſſu parabuntur *Mixturæ*, ex *Aquis Fragor. Nymphææ*, *Parietariæ*, cum *Mucilagine Seminis Pſyllii*, *Malvæ*, *Cydoniorum* &c. Quibus remediis tamen intercalanda ſunt *Abſorbentia*, ex *Terrâ ſigill. Lemniâ*, *Trochiſcis Alkekengi*, *Farinâ radicum Altheæ*, *Liquiritiæ* &c. Placent & aliis Balnea ex incoctione *Herbarum emollientium*.

Scorpionum ictus tandem, plus minus venenati, iisdem remediis tam internis quem externis curantur; ubi tamen notandum, ſemper fixa diaphoretica eſſe intermiſcenda, quibus ſcil. volatilitas acutiſſimi *Veneni* optimè inviſcatur & corrigitur. Externè ſolent ſtatim Animalculum ipſum conterere & contritum loco affecto imponere, quod quidem experientiâ teſte, noxam omnem à morſu aliâs illatam arcet, in quantum particulæ contriti Scorpionis, non ſecus ac *Veſicatorium*, lancinando fibrillas Cutis ad excretionem, tam lymphæ naturalis, quàm Veneni ipſius ſtimulant. Eadem medendi methodus locum quoque habet in *Morſibus* aliorum *Inſectorum*.

VENTRICULI ORIFICII DOLOR, vid. *Cardialgia*.

VENTRICULI ARDOR, vid. *Ardor Stomachi*.

VENTRICULI NAUSEA, vid. *Nauſea*.

VENTRICULI VOMITUS, vid. *Vomitus*.

VENTRICULI RUCTUS, vid. *Ructus*.

Ventriculi Inflatio.

VENTRICULI INFLATIO eſt Tumor ejusdem ſive expanſio à Flatibus, undecunque collectis, ac exitum nullibi invenientibus oriunda.

Levis hæc Inflatio parum incommodi parit Ægrotis, qui hinc illam parvi pendunt, ac ſolâ quandoque abſtinentiâ curant. Si autem major fuerit, grandes moleſtias, dolores, atque anxietates pariat, & eapropter Medicis curanda offeratur, tum verò ſtatim in mali naturam & cauſas adcuratiùs inquirendum erit. Quando igitur à clauſo utroque Ventriculi orificio diſtenſio ejusmodi laborioſa contingit, ferè Affectum producit, qui *ſpasmodico-flatulenta Cardialgia* nuncupari poſſet: in quâ certè, velut ſpasmo

ſpaſmo quodam, fibræ orificiorum Stomachi nervoſæ conſtringuntur, ita tamen ut deglutire adhuc valeat Æger, licet nullus exitus flatibus concedatur, ſive ἄνω ſive κάτω.

Cauſa. Producitur autem Malum hoc non niſi à flatibus, qui vel in cavo Ventriculi è Cruditate viſcido-acidâ excitantur; vel in membranis ejus, à quacunque acri cauſâ irritatis, colliguntur, dum copioſiores ſpiritus in talium membranarum tubulos influunt, easque ſic validè ſui elateris vi diſtendunt. Cruditates illæ viſcido-acidæ pituitoſæ à Cibis immodicè vel intempeſtivè ingeſtis, plus minus dyspeptis, originem ducunt, præſertim ſi ipſum quoque menſtruum Stomachi, ob curas paſſionesque animi ſeveriores, juſto magis fixum & acidum ſit redditum.

Prognoſis & Diagnoſis. Laborioſa eſt hæc, moleſtaque Inflatio, anxietatem, doloresque præcordiorum inſignes, inquietudinem, agrypniam, dyſorexiam, laſſitudinem, pluraque alia ſymptomata inferens; interdum per aliquot dies durans; etiam Convulſionibus, niſi mitigentur ſymptomata, anſam præbens, aut Tympanitem poſt ſe trahens. Cognoſcimus hinc quoque Malum haud difficulter ex anteactis, è tenſione & expanſione partis affectæ, è flatulentis aſſumtis, ex anxietate, è levamine cruciatuum, ſi fortè erumpat flatus.

Curatio. Quod ſi quis ergo hoc Affectu laborat, ne diu cunctetur utilia remedia aſſumere ad pejus malum evitandum. Commendamus hinc ſtatim uſum *Clyſmatis acriuſculi carminativi*, ut ſic, irritato magis periſtaltico motu flatus è Ventriculo per pylorum eliciantur. Coqui eum in finem poſſunt in *Urinâ humanâ*, vel *Sero Lactis*, vel *Juſculo Carnium Radices Angelicæ*, *Imperatoriæ*, *Fœniculi*, *Lil. alb. Herbæ Meliſſ. Pulegii*, *Mercurialis*, *Parietariæ*, *Malv. Aneth. Flores Chamomillæ*, *Baccæ Juniperi*, *Lauri*, *Semina Cumini*, *Apii*, *Carvi* &c. Colatura hinc cum *Melle rutaceo*, vel *roſaceo*, *Oleo Chamomill.* & *Elect. catholic.* vel *lenitivo* permixta juſto calore inſpergatur. Stomachi totiusque adeo Ventris inferioris regio *Oleo Abſynth. Anethi*, *Menth. Rutæ*, *Caſtorei*, *Chamomillæ* ſæpius calidè perungatur, ſimulque *Sacculus* ex *Herbis carminativis* compoſitus, calefactus Ventriculo imponatur, ſive ſiccè (*Spiritu* tamen *Anthos*, *Aniſi*, *Meliſſæ*, *Vitæ Matth.* &c. irroratus) ſive in *Vino* vel *Lixivio* coctus. Vel *Emplaſtrum* prius imponatur Stomachi capacitati, è *carminativis* & *aromaticis anodynis* ſimiliter concinnatum; unde fibræ ſimul ſpaſmodicè irritatæ demulcentur, flatusque diſcutiuntur; v. g.

℞. *Emplaſtr. de Baccis Lauri* ℥iß.
Pulv. Fol. Meliſſ.
Aneth. ana ʒiß.
Gumm. Tacamahac.
Storac. Calam.
Lactis Lunæ ana ʒij.
M. f. cum Tereb. & Cerâ Emplaſtrum, quod Alutæ vel Papyro ſuperinductum Stomacho imponatur.

Internè *Carminativa* & *Acidum abſorben-*

abſorbentia Anodynis permiſta ſunt exhibenda: quem in finem conducunt v. gr. Pulveres, ex *Oculis* ♋. *Specif. ſtomach. Poter.* ♁*n. diaphoret. Arcan. duplic. Radic. Zedoar. Galang. Semin. Aniſ. Fœnic. Aneth. Cinamom. Mac. Garyoph. arom.* compoſiti, & aliquoties de die ſumpti; vel *Oleum deſtill. Carv. Cumin. ad gutt.* x. ſumtum in *Juſculo*; item *Aquæ Pulegii, Menthæ, Meliſſæ, Anethi, Cinamom. Flor. Til. Card. bened. Fœnic. Aniſ.* cum *Syrupo de Betonic. de Corticib. Aurant. Eſſentiâ Angelic. Imperatoriæ, Zedoar. Abſynth. Aneth. Opii liquid. Caſtorei* &c. cochl. ſumtæ. Vel *Infuſum* aut *Deſtillatum Hippenterorum* cum *Plantis Naſturcinis* quotidie ad ℥ij. vel ℥iij. m. ac v. propinabitur, additâ *Eſſentiâ carm. Wedelii*, vel *Sale volatili oleoſo* qualicunque. Prodeſt & ſequens *Tincturarum* miſcela:

℞. *Salis volat. oleoſ. Sylv. vel*
Spirit. Salis arm. aniſ. ʒij.
Aqu. Cinam. cum Vin. deſtill. ʒj.
Eſſent. Pulegii,
Zedoar.
Opii liquid. ana ʒß.

M. d. ad Vitr. Doſ. m. ac veſp. gutt. xxv. *cum Juſculo Cumini.*

Subinde cochleare unum vel alterum *Spiritûs Aniſ. Meliſſ. Fœnic. vel Elixir. Menth. Meliſſ. Corticum Aur. Citr. Angelic. Zedoar. Cinam.* aſſumtum promtè juvat.

Apud alios prodeſt uſus *Tincturæ Corallorum*, vel ♁*nii* optimæ, cum *Aqu. Phyſogonâ*, *Eſſentiâ carminat. Wedel. Aquâ Flor. Aurant. Cinamom. cum Vin. deſtill.*

VENTRICULI INFLAMMATIO, eſt Tumor illius cum ardore ſenſibili, ſiti intenſâ, anorexiâ, ac Febri continuâ Hominem affligens. *Ventriculi Inflammatio.*

Nunc major eſt, nunc minor, adeoque cum intenſioribus vel remiſſioribus ſymptomatibus torquens; & modò orificia, modò fundum & reliquas partes Stomachi occupans; ſed eas tamen magis tunicas affligens, in quibus ſanguineorum vaſorum rami decurrunt. *Differentia.*

Proximè & immediatè oritur à collectione & ſtagnatione ſanguinis & ſeri acris intra tubulos & vaſcula membranarum Stomachi. Cui occaſionem, rariorem quidem, ipſa laticis circulantis ſalia auſtero - vel acido-pituitoſo - viſcida, è Chylo ſimili congregata; frequentiorem autem præbent Ventriculi contenta acria plus minus corroſiva, ſive aſſumta ſub formâ Veneni, ſive ex ſanguine per glandulas in Stomachi cavum exſudantia: quorum energeiâ fibrillæ membranaceæ ac tubuli eroduntur, atque ſpasmodicè conſtringuntur. *Cauſa.*

Affectus è Symptomatibus definitione expreſſis cognoſcendus; ſubinde malignas Febres ſubſequens; neque contemnendus, cùm periculo non careat, ſed in ſummas Ægrum anguſtias detrudat, in quibus etiam plerunq; moritur. Aliquando tamen per diaphoreſin cum ſalute Ægri evaneſcit; nonnunquam in Abſceſſum & Ulcus, plerunque hecticum, tranſit, licet & hoc etiam aliquoties ſanatum fuiſſe meminerimus; non rarò tandem *Diagnoſis & Prognoſis.*

dem in Gangrænam & Sphacelum lethalem abit.

Curatio. In curandâ proin Inflammatione, ſive nulli alii morbo, ſive Febri continuæ ſuperveniat, ſtatim poſt elotas Clyſmate, ſi opus ſit, primas vias, *Venæſectio* in brachio eſt inſtituenda; poſtea verò diaphoreticis ſedulò exhitis rem interdum omnem brevi abſolvimus; v. gr.

℞. *Aqu. Spermat. Ranar.*
Scabioſ.
Succiſ. ana ℥ij.
Card. bened.
Fumar.
Ulmar. ana ℥iß.
Roob Sambuc. ʒij.
♁ *n. diaphoret.* ʒj.
Ebor. ppt. ℈ij.
Roris mineralis ʒij.

M. detur ad Vitr. Sæpius cochlearia hauriantur minus frigidè.

Infuſa quoque aut *Decocta Herbarum Scabioſ. Hederæ terreſtris, Succiſ. Agrimon. Card. bened. Sanic. Alchymillæ, Pyrolæ, Fumariæ, Ulmariæ, Pimpinellæ ſanguiſorbæ,* cum vel ſine *Saccharo,* calidiusculè ſorbillentur ſæpius. Extus *Oleo Lil. albor. Chamomill. Violar. Meliloti, Roſarum,* Stomachi regio bis vel ter quotidie inungatur.

Pulvis etiam ſequens *diaphoreticus* miraculi inſtar quandoque juvat, m. ac veſp. ſumtus cum *Aquâ deſtill. Fumar. Flor. Sambuc. Scab. Agrimon. Endiv.* &c.

℞. *Bezoard. miner.* ʒß.
Nitr. Perlat. vel ♁ *niat.*
Cinnab. ♁ *n. vel nat. opt. ana* ℈j.
Camphor. gr. vj.

M. f. Pulv. ſubt. in 3. *doſ. æqu. divid. ad chart.*

Ventriculi Abſceſſus & Ulcus. **VENTRICVLI ABSCESSVS & VLCVS,** ſunt Affectiones Stomachi, in quibus vel pus intra loculos membranarum adhuc concluditur, doloresque non rarò ingentes producit; vel è ruptis jam membranis continuè effluit ſive in cavum Ventriculi, ſive in cavum Abdominis.

Cauſæ. Oriuntur hi Morbi ex Inflammatione præcedente, & plerunque Nauſeam, ſubinde Vomitum, Dyſorexiam, Febrim hecticam, atque Tabem poſt ſe trahunt; non ſine multiplicibus Stomachi roſionibus, aliisque moleſtiis, comites ſeſe præbentibus. Subinde tamen etiam Ulcus, ſine Inflammatione & Abſceſſu præcedente, gignitur à Sale quodam acido-acri, in poris membranarum Stomachi collecto, & ſenſim circumcirca rodente, ſicque continuitatem ſolvente.

Diagnoſis. Obſcurum eſt, hosce Affectus ſtatim cognoſcere; indicia tamen præbent eorundem præſentiæ Inflammatio præcedens, Roſio ſtomachi ferè continua in loco ulcerato, non rarò cum dolore pungitivo atque lancinante affligens, Nauſea ac Vomendi deſiderium, imò Vomitus etiam materiæ mucoſo-purulentæ non infrequens, vel ſaltem dejectio ſimilis per alvum; niſi effluxerit per ruptum Ventriculum in cavitatem Abdominis. Si Oeſophagum, ejusque viciniam afflixerit, deglutitionem in Stomachum

machum usque valdè difficilem, dolorificam ac laborioſam reddit. Si Pylori viciniam occupet, tum inhibito vel difficili ac dolorifico etiam reddito motu periſtaltico tranſitus chyli ad inteſtina valdè impeditur. Etiam continuè propemodum Dolor locum afflictum tenet, nunc rodens, nunc lancinans, pungens, ardens &c. Quibus præſentibus ſymptomatibus, & continuatis, corpus perfectè nutriri minimè poteſt, hinc ſenſim emaciatur, Homoque tandem conſumtus vitæ uſu privari neceſſe habet.

...tio. Ad hoc itaque præcavendum rectâ medendi methodo opus eſt: In quâ certè externa remedia gratis præſcribuntur. Internè autem nondum rupto Abſceſſu propinare licet quotidie bis vel ter *Lac vaccinum*, cui incoqui prius poſſunt *Sanicula*, *Alchymilla*, *Ficus*, *Jujubæ*, *Crocus*, &c. cum addito *Saccharo cand. albo*. Præter hæc *Juſcula* aſſumet Æger *avenacea*, *hordeacea*, *farinacea*, *carnea*, *Ova ſorbilia*; *Carnes* etiam *juniorum Animalium* facilè diſſolubiles. In *Potu* dabitur *Decoctum Radic. Liquirit. Hordei, Corn. Cerv.* vel *Ebor. raſur.* &c. *Vinum* omne fugiatur; nec frigidus unquam coocedatur potus. *Infuſum Fol. Thée* cum *Lacte*, *Saccharo* & *Croco*, convenit, ſubinde propinatum. Manere interea debet Æger intra hypocauſtum, nec libero aëre frigido humido uti. Quod ſi externè quid heîc juvare queat, moderatus calor eſt, quo Stomachi regio ſemper fovenda; atque in hunc finem etiam *Cataplasma* è *Chamomillâ*, *Salviâ*, *Malvâ*, *Meliſſâ*, *Althææ*, *Meliloto*, *Croco* &c. cum *Lacte* factum ſæpius calidè imponi poteſt.

Si *Abſceſſus* ruptus ſit, *Ulcusq;* factum, ab omni *Lactis* uſu eſt abſtinendum, atque contra ſtatim *Decocta vulneraria* Ægrotanti præſcribenda; v. gr. *Curatio Ulceris Ventriculi.*

℞. *Radic. Caryophyllat.* ℥ß.
Tuſſilag. ʒij.
Herb. Sanic.
Pyrol. ana Mj.
Alchymill.
Milleſol.
Bugul.
Summit. Virg. aur. ana Mß.
Inciſ. & contuſ. coque per horam dimidiam in
Aqu. fontan. ℔iiij.
Vin. alb. veter. ℔ij.
Ad finem adde Mellis roſac. ℥iiß.
Colaturæ ℥iij. *m. veſper. ac noctu bibantur.*

Poſſumus etiam duodecim vel quindecim guttulas *Tincturæ* cujusdam *traumaticæ* ſimul exhibere; v.g.

℞. *Eſſent. Virgæ aur.*
Hyperic.
Myrrh. ana ʒiß.
Aloës ʒj.
Balſami Peruvian. ℈ij.
M. d. ad Vitrum.
Vel ℞. *Eſſent. Balſami de Copaib.* ʒij.
Traumat. Wedel. ʒiß.
M. d. ad Vitr. Doſis gutt. 12 *ad* 15.

Æſtivo tempore nihil magis ad deterſionem & conſolidationem talis Ulceris conferre poteſt, quàm *Potus Thermarum*, *occultis alcalinis ſalibus* præditarum: quales ſunt *Piperinæ* ſeu

Favarienſes Rhætiæ, & *Plumbariæ Lotharingicæ*, aliæque. Ad æſtatis autem tempus usq; *Decocta traumatica* proderunt; quibus etiam jungimus *Pulveres traumatico-abſorbentes*, *extergentes* & *conſolidantes*, è *Terrâ ſigill. Myrrhâ*, *Maſtiche*, *Gentianæ* vel *Ariſtolochiæ radice*, *Oculis* ♋. *ppt. Corall. rubr. ppt. Summitatibus Virgæ aureæ*, *Foliis Saniculæ*, *Pyrolæ*, *Alchymill. Gratiæ Dei*, *Piloſellæ*, *Betonic. Lichenis petræi*, & ſimilibus, cum *Sacchari anaticâ*, vel *duplâ portione* in pulverem tenuiſſimum redactis, atque ad ℈j. vel ℈ß. pro doſi uſurpatis. Ulcus à cauſis internis productum ſimili prorſus modo curari poteſt & debet.

Diæta. In *Diætâ* fugiantur omnia ſalita; vel non niſi tantillo *Salis Abſynthii*, ſimilisve *lixivialis* condiantur. Vitentur etiam omnia acida, nimis aromatica, lacticinia. Vitetur ordinarius *Vini* potus; cujus loco propinabitur *Decoctum Lign. Quercin*, *Saſſaphr. Rad*, *Chin. Sarſæparill. Agrimon. Betonic.* &c. Ab Irâ aliiſque animi paſſionibus ſedulò abſtinendum.

Ventriculi Vulnus. VENTRICVLI VVLNVS, eſt ſolutio continui in Ventriculi membranosâ ſubſtantiâ, à cauſis pungentibus, ſcindentibus, vel etiam dilacerantibus excitata.

Cauſa. *Cauſæ* proin erunt varii generis Inſtrumenta, v. g. Gladii, Cultri, Tela, Acinaces, Globuli ſclopetarii, Cornua atq; Dentes Animalium, Caſus ab alto in rem duram & acutam, & ſi quæ ſunt adhuc aliæ ſimiles. Rariùs deglutita, fruſtum v. gr. Ligni, Os acumine quodam præditum, Spina piſcis, fruſta Vitrorum, Cultrorum, aliaque devorata, & vulnus ab intus producentia, in culpâ exiſtunt.

Cognoſcere non ſemper licet hoc Vulnus, inprimis ſi ſuperficiarium ſit, vel tantillum duntaxat, exiguoque foraminulo ventriculum perfoderit. Si verò grandius extiterit, ita ut jam cibi aſſumti, vel potus ſaltem per vulnus extra corpus effluat, tum certè dubium amplius nullum de Vulneris loco eſſe poteſt. *Diagnoſis.*

Periculi plenum autem tenetur hujus partis Vulnus, nec tamen abſolutè lethale; etenim curatos vidimus, quibus non grande nimis erat Vulnus inflictum, quibusque ſanguinis temperamentum non obtigit corruptum, acre, aut corroſivum. Si autem Convulſiones ſuperveniant, atque Singultus frequentes, funeſtum eſt indicium; non ſecus ac ſi *Febris maligna* acceſſerit, cum *Inflammatione* & *Gangrænâ Stomachi*. *Prognoſis.*

Quod ſi Vulnus grande fuerit, cum elapſu Omenti, aut portionis Inteſtinorum, tum hæ partes ſtatim adhuc calentes, vel Vino albo excalefactæ in abdomen ſunt retrudendæ, hinc pro re natâ Vulneris labia conſuenda; atque dein *Lardum* cum Herbis traumaticis *Vino* eſt incoquendum, & cum hoc Decocto ſpongiis excepto pars vulnerata continuè eſt fovenda.

VERMES INTESTINORVM, vid. *Lumbrici*.

Ve..ca.

VERRVCÆ ſunt Tubercula carnoſa, dura, indolentia, promiſcuè in Cute diverſarum partium, ex ſucco nutritio luxuriante progenita,

Pa. aff. & Deno-..inum Diffren-tiæ

Vix itaque pars corporis datur cutanea, quæ Verrucis conſpurcari nequeat. Differunt autem inter ſe 1. ratione *magnitudinis*, etenim aliæ aliis *majores* vel *minores*; aliæ *penſiles* & *elevatæ*, quas *Acro-hordones* nuncupant; alia *ſeſſiles*, *minores*, *depreſſiores*, quas *Myrmecia* vocant. Ad has ſeſſiles referre poſſumus CLAVOS PEDVM, qui nihil aliud ſunt, quàm Tubercula ejusmodi dura, plana, cutim Pedum infeſtantia, ac dolore etiam acerbo, ſicubi vel à calceis vel à greſſu premantur, moleſta. 2. Ratione *numeri*, aliæ Verrucæ *ſolitariæ* ſunt, aliæ *multiplices* ſive *multæ* ſimul partem infeſtantes. 3. Ratione *ætatis* aliæ *recentes* habentur, aliæ *inveteratæ*. 4. Ratione *partium corporis*, aliæ Faciei, aliæ Brachiorum, Manuum, aliæ Pedum & Crurum Cutim occupant. 5. Reſpectu *Figuræ*, alia Verruca dicitur *Porrus*, quæ Porri inſtar aliquas extus radiculas habet; alia *Thymus* nuncupatur, quando colorem obtinet Floris Thymi, in ſummitate latior, ad magnitudinem Fabæ accreſcens.

Cl.i pedum.

..ſæ.

Originem habent omnes Verrucæ, à Succo nutritio exuperante, ad partiũ cutanearum fibrillas depoſito; quod fit maximè, quando præternaturalis quædam ſive compreſſio, ſive contuſio levis, ſive conſtrictio aliqua ſpecifica eſt facta, ob quam dein ſucci circulantes plus materiæ ſucculento-gelatinoſæ ad cutaneas partes nutriendas exprimere ac deponere potuerunt. Sic Clavos pedum nihil magis producit, quàm preſſio nimia calceorum anguſtorum; Verrucas autem crebrò excitant ſordes cutaneæ occulto acido auſtero conſtringentes: unde Infantibus, Adultisque ſordidis plures ſæpè naſcuntur in Manibus, Facie, aliisque partibus. Vel aër ſubinde gelidus diu ad partes admiſſus vaſcula conſtringit, ſuccos coagulat, aut juſto nimis incraſſat, ſicque occaſionem fortè rupturæ quarundam fibrillarum præbet, unde effluens copioſior Succus nutritius protuberantias ejusmodi carnoſas, ſive Hyperſarcoſin producit; dum nimirum vel ab extus accedens, vel intus affluens acidum coagulationem inſtituit. Contribuunt huc porrò frigida calentibus valdè partibus applicata; præprimis ſi ex malâ victûs ratione prius Homines chylum craſſum ac viſcidum collegerunt.

Diagnoſin heic adducere ſupervacaneum eſt, cùm in vulgus notæ ſint Verrucæ, atque in conſpectum ſatis prodeant. Hoc tamen notandum venit, quasdam Verrucas habere radicem profundam, alias verò, ſicuti penſiles, radice non itâ profundâ gaudere. Diagnoſis.

Quoad *Prognoſin*, Verrucæ communes, etſi deformitatem Cuti concilient, ſanitati tamen reliquæ haud obſunt. Quæ in Adultis ſæpenumero circa pudenda naſcuntur, ſuſpicionem Luis venereæ quandoque excitant; interdum paucos intra dies formantur, ac rurſus evaneſcunt. Prognoſis.

Planæ & ſeſſiles Verrucæ, quia profundius Cuti inſident, ac nerveis ſæpè fibrillis implicantur, difficiliùs curantur, cùm periculum ſit, ne tendinibus fortè læſis, Inflam̃atio vel Gangræna ſuperveniat. Penſiles autem excisæ, haud ita facilè renaſcuntur, quoniam radices minimè profundas adeptæ fuerunt. Si tamen in excisione radicula fuerit relicta, plerunq; renaſcuntur. Quæ denique conjunctam habent Luem ♀eam, aliumve Morbum diuturnũ, haud ita facilè extirpantur.

Curatio. Quod ſi proin curare & radicitus extirpare geſtias Verrucas, ante omnia ſemel aut pluries corpus purgabis; quem in finem *Apozema* ſequens, ex incidentibus, attenuantibus atque purgantibus compoſitum prodeſt:

℞. *Radic. 5. aperient.*
Scorzoner. ana ℥ij.
Calam. arom. ℥iß.
Herb. Anſerin.
Chamædr. ana Mj.
Siderit.
Card. bened. ana Mß.
Rhab. elect. ℥ß.
Agaric. trochiſc.
Radic. Helleb. nigr. ana ℥ij.
Semin. Aniſ.
Bacc. Juniper. ana ℥iß.
Crem. ♀*ri* ℥j.

Inciſ. & contuſ. coque in ſ. q. Aquæ fontan. Colaturæ ℔j. *Album. ovorum clarificatæ adde*
Syrup. de Cinam. ℥iß.

Detur ad Vitr. pro tribus vel quatuor doſibus matutinis.

Vel *Pilulas purgantes* cum *Mercurio dulci* aliquoties dabimus; ex. gr.

℞. *Maſſ. Pilular. hydrop. Bont.* ℥j.
Mercur. dulc. opt. ℈ij.
Reſin. Scammon. ℈j.
Ol. ſtillat. Succin. q. ſ.

M. f. l. a. Pilulæ num. 60. Inaur. d. ad ſcat. Sumantur 10. 12. ad 15. pro doſi.

His præmiſſis extus plurima Medici tam veteres, quàm Neoterici pro attenuandis atque diſſipandis Verrucis & Clavis adhibuerunt, quorum aliqua in his, alia in aliis Subjectis ſperatum ſucceſſum habere conſueverunt. Ejusmodi ſunt v. gr. *Succus Eſulæ* vel *Elaterii inſpiſſatus*, cum *Sale* mixtus & impoſitus, cavendo cutim vicinam; vel *Folia Hederæ arboreæ*, aut *Ficuum Aceto macerata* & applicata. *Olibanum*, vel *Gummi Elemi* cum *Aceto* miſtum. *Ficus contuſi*, cum *Farinâ*, *Nitro* & *Aceto* miſti, ac impoſiti. *Liquor* aut *Succus Foliorum Ficuum* ſæpè illitus; *Fel Hirci*, *Stercus ovillum*, cum *Aceto* applicatum. *Heliotropium*, *Hyoſcyamus*, aut *Cicuta* recens contuſa Verrucis ſæpè affricata, atque impoſita. *Ærugo* cum *Sulphure vivo uſta*. *Folia Ocymi*, *Rutæ*, *Sigilli Salomonis*, *Cochleariæ* recent. contuſa, cum *farinâ* & *aceto* admota. Vel *Ruta* cum *Pipere*, *Nitro*, *Urinâ Puerorum* macerata. Imò ſi ſolâ *Urinâ* propriâ *Verrucas* & *Clavos* tuos quotidie bis lavare velis, brevi ab illis liberaberis. *Folia Hederæ arbor. Ficûs*, *Ariſtolochiæ*, & *Sabinæ* inciſa, in *Oleo olivar.* vel *Nucum* ſi coquas, hocque dein *Oleo* Clavos ac Verrucas calidè bis quotidie inungas ac frices, effectum etiam inde videbis haud contemnendum. *Helmontius Pomum* aliquod

aliquod per medium dividit, hinc *Pulpâ* ejus *mediâ* Verrucas tamdiu fricat, donec nonnihil tepida reddita fuerit, hinc pomi fruſta filo iterum colligat, ſicque pomum ad putreſcendum ſeponit; quamprimum enim vita pomi interiit, Verrucas quoque diſparuiſſe notavit. Alii *Calcis vivæ, Lapidis medicamentoſi, Tutiæ ppt. Æruginis, Radic. Bryoniæ, Sigilli Salom. Pulverem, Butyro* permiſtum imponunt. Sunt qui *Cauterio* vel *actuali* vel *potentiali* Verrucas extirpant; ac inter potentialia cõmendamus nunc *Mercurium præcipit.* qualemcunque, nunc *Pyrapyrum* noſtrum, nunc *Butyrum ♄n.* nunc *Lapidem infernalem*, quo tantillum duntaxat Verrucæ tanguntur; Cavendo tamen ſemper ab hiſce, ſi Verrucæ aut Clavi tendinibus inſideant.

Tutior eſt *Succus Chelidon. majoris*, cui tamen *Eſulæ Succus* quandoque miſcebitur, frequenter applicatus:

Vel ℞. *Decoct. Cicer. Piſor. & Radic. Bryon.* ℥iij.
Succ. Chelid. major. ℥iß.
Aqu. Calc. viv. ℥j.
Flor. Sal. armon. ʒij.

Miſc. ad Vitr. & ablue aliquoties Verrucas aut Clavos quotidie.

Quandoque *Stylus ligneus Spiritui Nitri, Sulphuris, Vitrioli, Aluminis, Salis*, aut *Aquæ Regiæ* immergitur, eoque Verrucæ compreſſæ aut fricatæ ſæpiùs tanguntur.

Vel ℞. *Farin. rad. Bryon.*
Sigill. Salomon.
Semin. Lupinor.
Stercor. columbin. ana ℈ij.
Salis armon. ʒß.
Aceti opt. q. ſ.

Miſc. in formam Linimenti, quod Verrucis imponitur, vicinis circumquaque *Emplaſtro defenſivo* munitis.

Vel ℞. *Empl. diachyl. cum Gumm.* ʒij.
Calcis viv.
Flor. Sal. armon. ana ʒß.
Mellis q. ſ.

M. f. Emplaſtr. Verrucis & Clavis imponendum.

Loco *Diachyli Emplaſtrum de Galbano crocatum* aſſumi poteſt.

Vel ℞. *Empl de Cicut. aut de Ran. Vigon. cum Mercur.* ʒij.
Sulphur. ♄n. ℈j.
Radic. Aron. ʒß.
Ol. Ceræ q. ſ.

M. f. Emplaſtr. m. ac veſper. imponendum.

Præterea Verrucæ & Clavi exiccantur ac diſſipantur per alia quoque Acidum deſtruentia ac abſorbentia, plus minus ſpirituoſa; qualia ſunt *Spiritus Salis armon.* cum *Aquâ Calcis viv. parat. Spiritus Vin. camphorat. Aqua pluvialis*, in quâ *Sal armoniac.* fuit ſolutum; *Oleum ♀ri per deliqu. Spiritus Formicar. Lumbric. terreſtr. Sangu. human. Olibani, Matricalis*, ſæpius calidiuſculè Verrucis illiti. *Liquor ſalſus* in doliolis Butyri ſaliti repertus, vel *Aqua muriatica* Braſſicæ, Betæ, aut Rapis ſale conditis ſupernatans etiam conducunt, ſi Clavi aut Verrucæ illis calefactis Liquoribus ſæpè laventur. Alii *Limacibus rubris, Sanguine columbino, fruſto Lardi, Piſis ad mollitiem* vel *pultem coctis* Excreſcentias

tias iſtas ſæpius fricant. *Timæus à Guldenklee* ſequens extollit:

℞. *Gumm. Galban.* ℥ß.
Empl. diach. cum Gumm. ʒiß.
Picis naval. ʒij.
Sal. armon. ʒß.
M. f. Empl. cum Mell. aut Tereb.

Unguentum Saturninum Zwelferi cum *Camphorâ*, *Calce vivâ*, *Pulvere Radic. Cyclamin. Helleb. alb. Dracuncul. Fol. Sabin.* miſtum, & crebrò applicatum ſæpè profuit. Frictiones quoque utiles inſtituuntur cum *Stramine madido*, *Radicibus Chelidon. major. Bryon. Angelic. Imperator.* usque dum ſanguis è Verrucis aut Clavis ſtillet. Melius tamen juvant *Cineres clavellati*, vel *Fraxini*, vel *Sarmentorum Vitis*, cum *Sapone* & *Melle roſaceo* miſti, & ſæpè admoti. Vel *Spiritum* ♀*ris* aliumve acidum *Melli roſaceo* miſcent, hocque Verrucas tangunt. Alii illinunt *Olea Laterum*, *Juniperi*, *Sabinæ*; item *Sudorem è Lignis nondum planè exiccatis accenſis emanantem*, *Liquorem Florum Verbaſci*, *Decoctum Semin. Erucæ*, *Sinapi*, ♀*ris* ac *Salis* in *Aquâ* paratum; *Succum Portulacæ*, *Scyllæ*, *Allii*, *Alliariæ*, *Ceparum*, *Chondrillæ*, *Cichorii verrucarii*, *Rutæ hortenſis*, *Scabioſæ*, *Verbaſci*, cum *Borace venet.* & *Camphorâ* in *Balſami* formam miſtum; & neſcio quæ alia.

Limaces pelvi quoque immittuntur, ac *Sale armon.* vel *communi* conſperguntur, ut ſpumam emittant, quâ Verrucæ illitæ, etiam evaneſcunt. Alii Spumam torrentium aquarum ad littora hinc inde cumulatum, ceu Inſectorum variorum excrementum ſæpius non ſine fructu illinunt.

Vel ℞. *Calcis viv.* ʒiß.
Ciner. Sarmentor. Vit.
Fraxin.
Salic.
Chelidon. ana ʒj.

Mixtis affunde Lixivii communis q. v. Coque ferè ad ſiccitatem; Hinc Verrucas & Clavos impoſitum diſſipabit.

Vel *Cinerem Cortic. Salicis* cum *Aceto forti* miſce, illine ſæpius Verrucas, etiam in pudendis partibus, ſic brevi diſparebunt.

Matthiolus teſtatur, quod *Cichorium verrucarium* in Acetariâ comeſtum Verrucas etiam diſſipet; vel *Semen* ejus per triduum quotidie doſi ʒj. in pulvere comeſtum.

Semen Baſiliconis in pulverem uſtum, & Verrucis prius ſcalpello tantillum vulneratis inſperſum, radicitus extirpat.

Virgultum ardens m. ac veſp. Verrucis applicatum, eas brevi excidere facit.

Cera viridis vel *rubra* cum *Galbano* Emplaſtri formâ impoſitum, eos diſcutit ſenſim.

Folia viridia Sempervivi majoris, abſtractâ cuticulâ, ſi Clavis aut Verrucis ſæpius applicentur, ſubinde brevi diſparent. Si autem nimis duræ fuerint ejusmodi Excreſcentiæ, tum prius emolliendæ ſunt Aquâ tepidâ, nonnihil incidendæ, hinc *Succus Sempervivi* cum *Alumine uſto* imponendus, ſic brevi diſſipabuntur. Vel *Caules minores Colocynthidis* in cineres combure, hos dein *Succo è foliis Colocyn-*

Colocynthidos ac *Verbaſci* expreſſo immiſce ad pulmenti conſiſtentiam, & Verrucis atque Clavis applica, donec decidant, vel diſpareant.

Verrucæ penſiles etiam Setâ equinâ ad radices usque ligari, & ligatura quotidie magis ſtringi ſolet, ſic emorientur ac decident.

Clavi ſubinde pediluviis emolliti radicitus exſcindi poſſunt. A Ranunculorum ceu nimis inflammantium impoſitione tibi caveto; præſertim ſi Clavi Nervis ac Tendinibus vicini fuerint.

io. VERTIGO, SCOTOMIA, eſt Spirituum animalium circumrotatio præternaturalis in Cerebro, ita ut objecta externa ipſumq; proprium corpus in gyrum verti & circumrotari videantur.

ren- *Differentias* admittit varias, etenim 1. eſt vel *ſimplex* & *levis*, Græcis Δῖνος, quando objecta leviter & ſimpliciter circumrotari videntur: vel *gravis*, Græc. Σκοτομία, Σκοτόδινος, aliàs *Vertigo tenebricoſa*, quando Oculi quaſi caligine obtenebrantur: vel denique *graviſſima*, quæ *Vertigo caduca* dicitur, quando Homines pedibus inſiſtere nequeunt, ſed humi, cũ incedere volunt, delabuntur. 2. Eſt vel *Idiopathica*, quando ejus cauſa in ipſo Cerebro latet: vel *Sympathica*, quando extra Cerebrum in Ventriculo, Inteſtinis, Utero &c. cauſa hæret. 3. Alia eſt *Intermittens*, alia *continua*. 4. Alia *vaga*, alia *periodica*.

uſa. *Cauſa proxima* eſt Spirituum animalium in rectilineo ſuo per Cerebri tubulos motu impeditio; atque in vorticoſum incitatio, quo motu vorticoſo cùm reflui Spiritus verſus Nervum opticum propelluntur, fit, ut objecta viſûs omnia in gyrum verti primo intuitu credantur. Reliquæ *antecedentes* & *procatarcticæ* cauſæ ſunt. 1. Corporis proprii circumgyrationes. 2. Capitis inſolatio. 3. Nimium lumen, vel diuturnior corporis ſolaris, aut rerum ante oculos trementium vel in orbem motarum defixior intuitus. 4. Navigatio in mari; vectio celeris in curru; proſpectus meticuloſus ab alto, vel in alto, radios viſivos in ſuo foco haud colligi permittens. 5. Inedia. 6. Nimia potûs inebriantis ingurgitatio. 7. Odor Ceparum, Allii, vel ſimilium nares valdè ferientium. 7. Subitaneæ eæque fortiores Animi paſſiones; Exercitia corporis inſolita; Venus nimia; Excretiones nonnullæ vel ſuppreſſæ, vel nimiæ, Spiritus maximè diſſipantia. 9. Irritatio incommoda fibrarum nervoſarum Ventriculi, Inteſtinorum, Uteri, ab halitibus acriusculis. 10. Contuſio qualiscunque Capitis; Tubulorum Cerebri quædam diſtorſio, longam Vertiginem pariens.

Quoad *Diagnoſin*, Vertiginis inſtantis *Idiopathicæ* ſigna ſunt Dolor Capitis, Oculorum hebetudo, Caligo, Tinnitus Aurium, Senſuum tantillus torpor; Somnolentia, propter humorum & ſpirituum tardiorem motum; Gravitas corporis, Inappetentia ſine Siti, Urina alba cruda, Pulſus languidus, ſubinde inordinatus; quæ Diagnoſis.

 omnia

omnia ſimul cauſam eſſe viſcidam Pituitam acrem denotant. Si verò malum affligit cum Vigiliis, Irâ, actionum promptitudine, Siti, Oris amaritie, Pulſu celeri, Urinâ tenui, magis tinctâ, tum Bilem magis viſcido-acrem peccare non ſine Febri indicatur. Si verò cum timore, mœſtitiâ, inſomniis triſtibus, ructibus acidis & auſteris, animi deliquio Vertigo affligat, eſurientesque cibum non capiant, acido-auſterum in ſanguine humorem prædominari demonſtrant. Si venæ turgent, aut facies rubet, tempora pulſant, urinæ rubræ ſunt, pulſus fortis & magnus, tum Plethoram adeſſe oſtenditur. *Sympathica* cognoſcitur ex eo, quòd eâ parte, in quâ cauſa mali hæret, moleſtias quasdam perſentiat Æger.

Præſentem Vertiginem indicant viſio circumrotationis quaſi objectorum, tam mobilium quàm immobilium; metus delabendi in humum; ſubita Oculorum hebetudo; Aurium tinnitus ac ſuſurrus; finito autem, paroxyſmo viſus reſtituitur, metus ceſſat. Gravior ſi fiat paroxyſmus mutatio objectorum fit major, metus intenſior, ac omnia tenebris quaſi obvelata cernuntur; Ægri ſubitò concidunt; Vomitus vel nauſea frequens antecedit, aut etiam lapſui, animique ſuccedenti deliquio ſupervenit, cum pulſu admodum debili, reſpiratione parùm perceptibili, ſudoreque ſubſequente.

Prognoſis. Quod *Prognoſin* attinet, Vertigo recens, levior, raro invadens periculo vacat: ſed gravior, inveterata, caduca, tenebricoſa, apud Senes & Viros prodromus eſt vel Apoplexiæ, vel Epilepſiæ, aut Convulſionum. Idiopathica curatu eſt difficilior, & noſtrâ obſervatione ac memoriâ apud *Celeberrimum* olim *Mathematicum Scaphuſianum Stephanum Spleiſſium* per 20. annos & ultra duravit. Sympathica autem facilius curatur, nec ita diu durat. Inprimis quæ ab Ebrietate contigit, levior æſtimanda eſt.

Curatio inſtituitur vel in Paroxyſmo, vel extra Paroxyſmum; utrobique pro cauſarum diverſitate variandum. Quòd ſi ergo ex abuſu ſex rerum non naturalium orta fuerit, errore correcto facilè & ipſa tolletur. Cur

In Paroxyſmo, ſi Plethora adſit, Venæſectio prodeſt in fronte, brachio, pede. Aliàs ſequens Mixtura ſæpius cochleatim exhibeatur:

℞. *Aqu. Flor. Til.*
Roſar. ana ℥ij.
Antepileptic. Amſtelod. ʒvj.
Tinctur. Flor. Hyperic. ʒij.
Stercor. Pavon. pulveriſ.
Lapid. Prunell. ana ℈ij.
Camphor. gr. iij.
Laud. opiat. gr. ij.
Syrup. Stoechad. ʒvj.
M. ad Vitrum.

Si Alvus adſtricta ſit, *Enema* etiam repetitis vicibus injiciatur, è *Decocto Herbar. emollientium & cephalicarum*. Extra Paroxyſmum *Acidularum potus*, *Tinctura Corallor.* ♂*tis aperit: Spirit.* ⊖*lis*, vel *Nitri dulcis*, *Tinctura Aquilegiæ* cum *Succo Citri* permiſta; *Julepi* vel *Aqu. deſtillatæ refrigerantes*, citra tamen Stomachi debilitationem, proſunt.

proſunt. Vertici Capitis, & Temporibus vel *Ol. ſtill. Amarac. Salv. Rut. Succin. Camphor. Roriſmarin. Lavend. Salv. Meliſſ.* &c. illinatur; vel *Spiritus Anth. Anhalt. Meliſſ.* cum *Spirit. Vini camphorat.* ſæpius applicetur.

Si verò à Pituitâ viſcido-acri, varios Cerebri tubulos obſtruente, & hinc Spiritibus animalibus rectilineum transfluxum diſputante proveniat, ſine Febri, aliisve inſignioribus ſymptomatibus, tum ſequentes *Pilulæ purgantes* ſingulis pleniluniis & noviluniis ſumantur:

℞. *Maſſ. pilul. de Sagapen.* vel
de Ammoniac. ℈j.
Mercur. dulc. opt. gr. xij.
Reſin. Jalapp. gr. j. ij. *aut* iij.
Ol. ſtill. Roriſmar. q. ſ.
Miſc. f. Pilul. num. xij. *Inaurat. d. pro doſi.*

Ubi magis arridet *Vinum medicatum*, componetur aliquod ex *cephalicis, aperientibus, purgantibus,* & *aromatibus*, cum mediâ quantitate *Vini* & *Aquæ*. Poſt purgans vel etiam inter uſum *Vini medicati*:

℞. *Conſerv. Flor. Beton.*
Salv.
Aurant. ana ℥ß.
Nuc. Ind. cond.
Conf. Alk. compl. ana ʒj.
Cubebar.
Specif. cephal. Mich.
Succin. alb. ppt. ana ℈ij.
Syrup. de Cinam. q. ſ.
F. Mixt. ad formam opiat. de quâ m. ac noctu cuſpis cultri plenus capiatur.

Vel ℞. *Conſerv. Majoran.*
Roriſmarin.
Conſerv. Flor. Calendul. ana ℥j.
Stercor. Pavon. pulveriſ. ʒj.
Salis volat. Succin. ℈j.
Ægagropilæ ppt. ʒß.
Camphor. gr. iv.
Syrup. de Stoechad. q. ſ.
Nuc. Indic. condit. ʒj.
F. Mixtur. ad formam Opiat. d. ad oll. Bis vel ter quotidie detur magnitudo Nuciſtæ.

Vel ſumatur tantùm noctu, & interea quotidie hauſtus bibatur de *Decocto cephalico* ſeqq.

℞. *Radic. Doron.* ℥ß. *vel* ℥j.
Raſur. Lign. Guajac.
Cortic. ejuſd. ana ℥j.
Raſur. Lign. Saſſaphr. ℥ij.
Fol. Roriſmarin.
Majoran.
Verben. ana Miß.
Flor. Hyperic.
Lavendul.
Papav. rhead. ana Piij.
Cardam. minor.
Cubebar. ana ʒij.
Semin. Fœnic.
Aquileg. ana ʒiij.
Inciſ. & contuſis invicem inſperge Spiritus Anthos ℥j. *vel plus; ſtent per ſex horas, poſtea affunde Aqu. fontan. fervent. q. ſ. Stent iterum per noctem, ſequenti mane coquantur per horam, vel ulterius, atque colati Liquoris* ℥iij. *Syrupo de Stoechade nonnihil edulcoratæ hauriantur quotidie pro doſi.*

Proſunt internè quoque *Tinct. Caſtor. cum Spir.* ⊖*lis armon. par Eſſent. Succin. Betonic. Flor. Hyperic.* ⊖ *volat. oleoſ. Sylv. Spirit.* ⊖*lis ammon. aniſ.*

Liqu. C. C. ſuccin. ad *gutt.* x. xv. pro doſi, cum vehiculo convenienti ſumta.

Vel *Eſſentiæ Betonic. Succin. Carminat. Wed. Zedoar. Galang. Ambræ* &c. *invicem miſcentur, & ad gutt.* 20. 30. *m. ac veſp.* aliquandiu capiuntur.

Vel ℞. *Specier. diambr. dianth.*
Cubebar. ana ʒiß.
Succin. alb. ppt. ℈iiij.
Diaph. ♃ *vial.*
☽*ar. ana* ℈ij.
Fol. Majoran.
Betonic. ana ʒß.
Semin. Pœon.
Fœnic. ana ʒj.
Sacch. alb. ℥iiij.

M. f. Pulv. ſubtil. d. ad ſcat. Mane ac veſp. ʒj. *ad* ʒij. *capiatur pro doſi.*

Vel *Cubebæ* ſolæ cum *Semine Aniſ.* & *Sacchara* mixtæ ad cuſpid. cultri plenum mane. ac veſp. uſurpantur aliquandiu.

Tempora & Nucha illinantur ſeqq. *Linimento :*

℞. *Unguent.* ♂ *iat.* ʒj.
Olei deſt. Rorismarin.
Succin. Majoran. ana ℈ß.
Salis volatil. oleoſ. gutt. xij. *vel*
C. C. gr. vj.

Miſce quàm fieri poteſt exactiſſimè.

Vertici capitis imponatur *Cucupha*, è *Roremarino, Majoranâ, Salviâ, Thymo, Flor. Lavendul. Beton. Cinamom. Nuc. moſch. Myrrh. Benzoin. Storac.* &c. concinnata.

Errhina quoq; vel *Sternutatoria* non negligantur, ſub formâ vel *Pulveris*, è *Tabaco, Plantis & Floribus cephalicis* parati; vel *Liquoris*, è *Succo Betæ, Cochlear. Braſſic. Chelidon. Aqu. Majoran. Beton.* cum tantillo *Sacchari*, vel *Salis vitrioli*, ſi opus videbitur, acuati, & naribus bis vel ter quotidie attracti.

Si Vertigo *ſympathica* ſit, & ex Inteſtinis, Ventriculo oriatur, tum *Vomitorium* prodeſt, poſt præmiſſos duos *Pulveres digeſtivos*, è *Cremore* ♀*ri*, ⊖*le Betonic. Majoran.* aut *Salviæ*, ♁*n. diaph.* & *Nuc. moſchat.* paratos: *Vomitorium* autem erit vel *Syrupus emet. Ang. Sal.* aut *Oxyſacch. emet. Ludov.* vel ♀*rus emet.* cum ⊖*e Salviæ*, & *Crem.* ♀*r.* vel *Radix* quoque *Aſari* aut *Ipecacuanh.* ad ʒß. cum iisdem data. Dein *ſtomachicum remedium* præſcribatur per plures dies uſurpandum, vel ſub formâ *Pulveris* & *Tragematis*, ex *Radic. Doron. Calam. aromat. Nuc. moſch. Cinam. Cubeb. Ocul.* ♋. *Diaph.* ♂*ial. Ebor. ppt. Sacchar.* &c. Vel *Elix. propr. ſ. acid.* cum *Eſſent. Beton. Succin. Zedoar.* vel *Elix. vitriol. Mynſ.* cum iisdem guttatim exhibeatur. Stomachus quoque *Oleo Nuciſt.* & *Balſamo Peruv. Spiritu Roſar.* vel *Anth. ſolut.* inungatur.

Si ab Utero malum ſit oriundum, *Hyſterica* dabuntur, contra *Paſſionem* talem ſuo loco commendata.

VERTEBRARVM LVXATIO

VERTEBRARVM LVXATIO eſt earum è ſuâ ſede naturali à variis cauſis producta expulſio, cum flexionis ſive motûs voluntarii impotentiâ. *Verteb- rum - xatio.*

Subjectum afflictionis ſunt *Vertebræ*, oſſa illa mirum in modum configurata, variis eminentiis atque proceſſibus donata, foramineque inſigni, *Pars affect.*

inſigni, pro ſpinalis medullæ tranſmiſſione, prædita, ac ſibi invicem eâ articulationis ſpecie, quam Ginglymon vocant, conjuncta; quorum ſeptem in collo, duodecim in dorſo, & quinque in lumbis natura conſtituit; quibus dein os ſacrum, atque appendicis loco os Coccygis adnexit.

…agno. Quanquam autem Vertebrarum dislocatio ad oculum facilè pateat, Metactuque deprehendi poſſit, Symptomata tamen varia ſunt, neque ea contemnenda, quæ tale malum poſt ſe trahit: ſic enim Paralyſis Brachiorum à Luxatione Vertebrarum Colli, & Paralyſis Crurum à Dislocatione Vertebrarum lumbarium oriuntur; ut alia ſilentio præteream. Interim Luxatio talis nunc extra, nunc intra verſus contingit: nunc perfecta eſt cum plenâ motûs voluntarii ablatione; nunc imperfecta, in quà motus adhuc nonnihil retinetur, ſed valdè minutus, aut præpeditus.

…auſa. *Cauſæ* talem Luxationem producentes, *internæ* quidem ſunt partim Ligamentorum vel Tendinum, quibꝰ Vertebræ invicem colligatæ ſunt, relaxationes à Lymphæ abundantiâ excitatæ; partim Tumores & Abſceſſus in juncturis Vertebrarum formati, à quibus oſſa paulatim à ſe invicem ſeparantur. *Externæ* verò cauſæ ſunt contuſio, ictus, caſus ab alto, compreſſio fortis, & quæ ſunt aliæ ſimiles res violentæ.

Progno-ſis. Quoad *Prognoſin*, nulla Luxatio periculoſior habetur, quàm Vertebrarum; atque inter has Luxatio primæ Vertebræ Colli omnium periculoſiſſima, imo lethalis eſt abſolutè; quoniam Medulla ſpinalis ſic valdè comprimitur, ſpirituumque animalium defluxum ad organa reſpirationis planè intercipit. Etenim prima Colli Vertebra extrorſum luxari nequit, propter obſtantem proceſſum ſecundæ vertebræ dentoïdem; introrſum verò preſſa Vertebra eadem non poteſt non maximè dictam Medullam comprimere, ſicut cuilibet ſtructuram talium partium conſideranti facilè patebit. Quod ſi quis v. gr. Caput alicujus animalis nonnihil fortius circumrotet, ita ut apophyſes Oſſis occipitis in ſuo ſitu naturali mutentur, atque è cavitatibus primæ vertebræ dejiciantur, animal ſtatim reſpirationem, ſenſum ac motum voluntarium amittet, convulſumque morietur. Obſervatum è contrario fuit, quòd ablatâ Canis viventis Cerebri ſubſtantiâ reſpiratio & motus cordis adhuc aliquamdiu continuaverint; quamprimum autem Cerebellum vel Medulla oblongata læderetur, actiones eædem vitales ſtatim ceſſabant, quoniam Nervi omnes functionibus illis vitalibus inſervientes ſuam à Cerebello originem trahunt. Luxationes interea Vertebrarum extrorſum contingentes non ita periculoſæ ſunt, quàm quæ introrſum fiunt, hæ enim non tantùm comprimunt valdè Medullam ſpinalem, ſed etiam vel ſuperius Pulmonem, vel inferiùs Diaphragma, Renes, aliasve partes pungere, comprimere, tendere aut lacerare poſſunt, hincque Iſchuriam

riam & Alvi ſuppreſſionem cum Crurum paralyſi cauſari.

Curatio. *Curatio* Luxationis talis perficitur reductione vel poſitione Vertebrarum in ſuas ſedes naturales: quæ operatio inſtituenda eſt per extenſionem Spinæ Dorſi, & compreſſionem ac retruſionem Vertebrarum luxatarum in priſtinum locum, ſive manu Chirurgi, ſive ope inſtrumenti & machinæ cujusd. id fiat. Atq; hæc Operatio quidem contingit in Luxatione extrorſum facta, in illâ autem, quæ intra verſus contingit, difficilis eſt reſtitutio Oſſis, niſi inciſâ cute Vertebra dislocata forcipis ope retrahi queat; id quod ſine periculoſis ſymptomatibus, motuque Convulſionum lethalium ſuscipi vix poterit.

Vertebræ Colli ſemiluxatio, in quâ Caput nonnihil intortum eſt, Facies livida ac tumida, propter compreſſionem vaſorum ſanguivehorum, ac Reſpiratio difficilis, propter canales Pulmonis anguſtatos, ſequenti modò curari poteſt. Æger ſedili imponitur minus alto, axillis dein illius ab adſtante Miniſtro valdè preſſis Chirurgus Operator manibus ſuis caput Ægrotantis prehendit, in altum trahit, leniterque dextrorſum ac ſiniſtrorſum flectit & torquet. Repoſitam hinc Vertebram cognoſces, ſi Æger ſponte iterum, ac liberè ſine ullâ moleſtiâ Caput ſuum flectere queat; atque ſymptomata omnia remiſerint. Sed repoſitâ ſic Vertebrâ commoda ligatio eſt inſtituenda, quâ illa non amplius ita facilè dislocari queat. Melius autem loco ejusmodi *Deligationis* ſola cervicis fomentatio diligens inſtituitur, cum *Vino decoctionis Radicum & Herbarum cephalicarum*; Capite per aliquot dies quieto manente.

Vertebræ Dorſi & Lumborum luxari poſſunt extrorſum, introrſum, & ad latera. Si extrorſum facta fuerit, cognoſcitur ex tumore & eminentiâ quadam extus apparente: ſi introrſum contigit, cavitas aliqualis in loco affecto deprehendetur: quando denique ad latera evenit, tum in uno loco eminentia, & cavitas quædam in oppoſito deprehendetur. In ſingulis his Luxationibus Ægro in Ventrem locato Faſciæ ſub axillas ac ſupra coxas injiciuntur, hinc corpus extenditur, Spinaque aliquamdiu ita agitatur, comprimiturque, donec Vertebra priſtinam ſuam ſedem recuperaverit. Quo facto Spina dorſi quotidie bis *Oleo Lumbr. terreſtr.* atque *Anethi*, vel *Galbaneto Paracelſi* inungetur, atque *Emplaſtr.* ad *Rupturam*, vel *Diachalcitheos* imponetur.

VESICÆ INFLAMMATIO

Veſica Inflammatio. VESICÆ INFLAMMATIO eſt Tumor ejusdem ardens, cum aliquali Febri, & mingendi difficultate Hominem affligens.

Diagnoſis. Hunc Affectum plerunque comitari ſolet dolorifica vicinarum partium tenſio, ardens hinc dolor atque durities in regione Veſicæ aut Pubis, cum Dyſuriâ, Teneſmo, Febri, Vigiliis, ſubinde & Deliriis conjuncta. Atque hæc ſymptomata tanto vehementiora ſunt, quanto major eſt Inflammatio.

Origi-

...uſa. Originem ducit à Sanguine & Lymphâ acri, viſcoſâ, ſive ſuis adhuc in vaſculis ſtagnante & accumulatâ, ſive extravaſatâ jam & in tumulum aggeſtâ. Ad ſtagnationem verò iſtam Humorum frequentiùs *externæ*, quàm *internæ* cauſæ contribuunt. Contuſiones, Ictusve in regione Pubis accepti, Vulnera & Lacerationes Veſicæ, etiam in Lithotomiâ productæ; unde poſt aliquot dierum ſpatium Inflammatio, moxque Gangræna, Sphacelus & mors ingruit; aut ſi malum eſt lenius, in Ulcus & Fiſtulam Vulnus illud mutabitur. Nonnunquam & Calculi aſperiores, & Cantharidum deglutitus pulvis in Fibris Veſicæ inflammatoriam obſtructionem pariunt.

Prognoſis. In *Prognoſi* nunquam non periculoſus hic Affectus eſt pronunciandus; ſi circa Collum tamen Veſicæ contigerit Inflammatio, ſuppuratur interdum, indeque Ulcus Veſicæ difficulter ſanabile gignitur.

Curatio. *Curatio* hujus Inflammationis feliciter perficietur, ſi quantocyus reſolvi atque priſtinæ ſuæ circulationi reſtitui poterit Sanguis atque Lympha ſtagnans; ſi acrimonia quoque aut aciditas talium Humorum edulcorando emendabitur. Vel ſi ſuppuratio eorundem promoveatur, factumque Ulcus probè abſterſum conſolidabitur. Fit his autē Indicationibꝰ ſatis, quando ſtatim Clyſma leniens, emolliens & abſtergens injicimus; quando hinc Venæſectio inſtituitur, ac ſudorifera blanda in uſum vocantur, ſub formâ *Pulverum* diaphoreticorum, cum vehiculo convenienti exhibitorum; v gr.

℞. *Reguli medicinal. ♁nii,*
Cryſtall. alb. ppt.
Lact. Lun.
Panac. ſolut. alcal. ana ℥j.
M. f. Pulv. ſubt. div. in 8. doſ. æqu. ad chart.

Vel ℞. *C. C. phil. ppt.*
Ocul. ♋. ppt.
Bezoard. min. ana ℈ij.
Terr. ſigill.
Cinnab. ♁n. rectif.
Nitr. ♁iat. ana ℈j.
Camphor. gr. xij.
M. f. Pulv. ſubtil. divid. in 6. doſ. æqu. ad ch.

Sumantur cum *Hauſtu Aqu. deſtill. Plantag. Flor. Sambuc. Scabioſ. Fumar. Endiv.* aut ſimilis. Pro potu ordinario concedetur *Decoct. Raſuræ C.C. Eboris, Radic. Scorzoner. Liquir. Hordei, Semin. Fœnic. Paſſular. minor.* &c. Regio pubis illinenda eſt crebrò *Oleo Roſar Verbaſc. Lil. alb. Violar.* ſimulq; *Sacculus Herbis nervino-diaphoreticis* repletus, Vino incoctus, atque expreſſus calidè imponendus. Victus tenuis eſt imperandus; *Juſcula hordeacea, avenacea, carnea*, ſubinde *Herbis Lactucæ, Agrimoniæ, Borraginis, Endiv. Scabioſ Plantag. Numulariæ, Urticæ* &c. alterata concedentur.

VESICÆ ABSCESSVS, ſive APOSTEMA, eſt Tumor ejuſdem à Sanguine extravaſato in pus ſenſim abeunte originem ducens, & VLCVS poſt ſe trahens, quod nihil aliud eſt, quàm Apoſtema ruptum, & ſuum pus *Veſicæ Apoſtema & Ulcus.*

pus fœtidum expuens. Hoc tandem ipſum Ulcus, ſi anguſtum, calloſumque in collo Veſicæ ſinum formaverit, FISTVLAM exhibit difficillimè curabilem.

Fiſtula.

Diagnoſis.

Abſceſſus ferè cognoſcitur ex eo, ſi ardens in Veſicæ regione dolor nonnihil remittat, atque inducias concedat, præſente tamen adhuc tumore duro, atque ad tactum dolente in regione Veſicæ. Ruptum atque in Ulcus mutatum Apoſtema purulentam reddit continuè mictionem; ita ut aliquando etiam puris quidam effluxus citra mictionem contingat, ſi videlicet Ulcus in anteriore Cervicis Veſicæ parte reſederit. Quod ſi Ulcus tale ſordidum evaſit, tum magna ſæpius copia puris inde emanans cum Urinâ emittitur, ejusq; dimidiam ferè partem conſtituit, ſub formâ muci albi. Nonnunquam & *Squamulæ* in Urinæ liquore apparent, ceu totidem Veſicæ tunicarum ramenta, Affectusque ſic SCABIES VESICÆ nuncupabitur. Radicata & conſummata ubi evadit Fiſtula atq; Exulceratio, gravis in Urinâ modò emiſſâ odor percipitur. Dolor ut plurimum ſimul adeſt in pectine ac pedibus; Incitantur Ægri crebro ad mingendum, nec ſine dyſuriâ & ardore prævio ſollicitantur; quandoq; etiam *Teneſmus* cum membri virilis erectione urgent. Si Pus urinæ effluxum præcedat, & interdum etiam absq; eadem excernatur, tum vitium magis in Urethrâ ac Membro, quàm in ipſâ Veſicâ exiſtit; ſi autem unâ cum Urinæ humore excernatur purulenta materies, tum læſio in Veſicâ magis eſt quærenda.

Veſicæ Scabies.

Cauſa.

Producuntur talia mala ab *Humoribus acribus*, *ſalſis*, *erodentibus*, undecunq; demum, ſive cum Urinâ, ſive per arterias affluentibus; à *Calculis* & *arenis* quoq; *aſperioribus*, Veſicæ collum, ſub motu vehementiore, & equitatione graviter fricantibus, hinc mucum abradentibus, ſubſtantiamq; Veſicæ excoriantibus: à *Cantharidibus*, aliisq; remediis aut etiam *Venenis* aſsumtis, & acrimoniâ ſuâ Veſicam ſpecificè erodentibus: à Vulneribus minus probè curatis, atq; Ulcus poſt ſe relinquentibus: Compreſſione qualicunque colli Veſicæ, liberum urinæ tranſitum impediente, unde remanens diu liquor urinæ acrior evadit & exulcerat. In Fiſtulam autem mutatur Ulcus, ſicubi ex eroſis hinc inde, ab ipſo etiam pure fibrillis, gelatinoſo-nutitius ſuccus effluens ad latera Ulceris undiquaque deponitur, inque ſubſtantiam partis coagulatus ſinum calloſum efficit; ſaniem continuè tranſmittentem ac ſtillantem.

Prognoſis.

Periculi plena ſunt Ulcera Veſicæ, mortem plerunque vel citam per Gangrænam & Sphacelum, vel lentam per Febrim hecticam inferentia; præprimis ſi in Fiſtulâ convertantur. Subinde & idem Ulcus in rectum Inteſtinum, in Fœminis etiam in Vaginam Uteri penetrat, atque fiſtuloſum, vel cancroſum redditur. Ulcus veſicæ aliquando rumpitur extra verſus, ſicque pus in cavum Abdominis effluit, quod deinceps in Inguine non

rarò Abſceſſum format, è quo rupto pus effluit, imò, ſi Veſica adhuc tum exulcerata fuerit, ſanies quoque illius exſtillat. Ulcera verò talia vel eapropter etiam curatu ſunt difficilia, quia continuè ab Urinâ accedente ſalſâ madent, firmâque ſic carne claudi vix poſſunt.

iratio. In *Curatione* Ulcus qualicunque ratione detergendum, Humores acres temperandi, ſalſi, acidive edulcorandi, Callus fiſtuloſus abſumendus, tandem conſolidatio inſtituenda. Ac ubi externè nulla læſio patet, interna ſunt præſcribenda ſola. Ante omnia igitur neceſſe erit primas vias, vel totum etiam corpus evacuare, quod vel *Syrupo de Cichor. cum Rhab. ad* ℥iiß. plus minus, vel *ſcrupulis quatuor Panaceæ ſol. alc.* aliquoties cum *Emulſione Amygdal.* datis, vel ſeqq. expediri poteſt:

℞. *Caſſiæ ſolut. rec. extr.* ℥ij.
Diſſolv. in Aqu. Plantag. q. ſ. Colaturæ adde
Aqu. Cinam. bugloſſ. ʒij.
Conf. Hamech. ʒj. *vel* ʒiß.
Detur ad Vitr. pro doſi matutinâ.

Vel ℞. *Terebinth. optim.* ʒß.
Diſſolve cum Vitell. Ovor. q. ſ. dein adde
Syrup. Viol. purpur. ℥j.
Roſ. ſol. ſimpl. ℥ß.
Eſſent. Succin. ℈j.
Detur ad Vitr. Pro doſi matut. cum regimine Diætæ hauriendâ.

Præmiſſo laxante ſtatim ad uſum edulcorantium, & detergentium traumaticorum eſt procedendum; quem in finem proſunt ſeqq.

℞. *Radic. Caryopllyllat.*
Virg. aur.
Urtic. urent.
Gentian. ana ʒiij.
Herb. Sanicul.
Alchymill.
Millefol.
Vincæ pervinc.
Summit. Virg. aur. ana Mß.
Semin. Perfoliat.
Hyperic. ana ʒij.
Inciſ. & contuſ. coqu. in Aqu. fontan. Menſ. ij. *ad quartæ partis conſumtionem, in fine addendo Mellis roſacei* ℥iij. *Colatura Albumine Ovi clarificat. d. ad Vitr. Doſis m. ac veſp. unciæ quatuor.*

Ad ejusmodi *Decocta* loco dictorum etiã aſſumi poſſent *Radic. Ariſtol. rot. ver. Scorzoner. Vincetox. Dictamn. alb. Biſtort. Plantag. Card. bened. Rhabarb. Monach. Herbæ Pyrolæ, Plantag. Flores Melilot. Tuſſilag. Calendul.* Cum Decocto autem diligenter ſumi poſſunt ſequentia; v. gr.

℞. *Eſſent. Lignor.* ʒij.
Traumat. qualiscunq; ʒiß
Myrrh. ʒj.
M. d. ad Vitr. Doſis m. ac veſp. gutt. 20. *ad* 30.

Vel ℞. *Eſſent. Succin.* ʒij.
Virg. aur.
Myrrh. ana ʒiß.
M. d. ad Vitr. Doſ. ut ſupra.

Vel ℞. *Ocul.* ♋. *ppt.*
♁*n. diaph.*
Terr. ſigillat. ana ℈iiß.
Semin. Hyperic.
Urtic. ana ℈ij.
Myrrh. elect. ʒß.

Sacch. cand. alb. ℥ß.

M. f. Pulv. ſubt. d. ad ſcat. Doſis m. ac veſp. ʒj. *cum Decocto.*

Vel ℞. *Radic. Taraxac. vel*
Cichor. ʒiß.
Panac. ſolut. alcalin. ʒiij.
Specif. ſtom. Poter. ʒiß.
Corall. rubr. ppt. ʒij.
Semin. Perfoliat.
Plantag.
Folior. Sanicul. ana ℈iiij.
Sacch. cand. alb. ℥iß.

M. f. Pulv. ſubt. d. ad ſcatul. Doſis ut ſupra.

Vel ℞. *Terebinth. Venet.* ʒij.
Myrrh. elect.
Succin. flav. ana ʒj.

M. f. Pilulæ piſi min. magnitud. Conſperſ. pulv. Liquirit. d. ad ſcat. Doſis m. ac veſp. decem vel plures pro lubitu.

Injectiones quoque in Veſicam per Catheterem tentant Jatro-Chirurgi, ad exterſionem tanto citius & felicius abſolvendam, ſimulq; conſolidationem promovendam; Cui ſcopo inſerviunt v.g. *Decocta Radic. Polypod. Symph. Carlin. Filic. Liquir. Foliorum Quercûs, Plantag. Sanic. Alchymill. Millefol. Artemiſ. Urtic. Geran. Rob. Numul.* &c. Imò *Lac vaccin.* vel *caprill.* ſæpè inſpergunt, cum *Succo Folior. Plantag. Verbaſc. Malv. Alth.* & ſim. Alii *Aquam Calcis viv.* cum incoctione *Plantar.* ſuperiorum, ac *Myrrhæ* præferunt. Meliorem ego non vidi, quàm *Thermarum* qualiumcunque *potum* diuturnum, ſimulq; inſperſionem earundem quotidianam, ubi, cum conſolidandum eſt, etiam *Ligna* & *Folia Quercûs, Herb. Saniculæ, Pyrol.* &c. Thermis incoquuntur.

Pro *Potu* ordinario bibendum eſt *Decoctum Raſuræ Lign. Guajac. Saſſafr. Radic. Scorzoner. Gramin. Urtic. Semin. Fœnic. Plantag. Hordei, Flor. Malv. Beton. Herbar. Anſerin. Sanic. Alchymill. Agrimon.* &c. In Cibis fugienda ſunt acida, ſalſa, acria, dyspepta omnia.

Poſtquam deterſum nonnihil videbitur Ulcus, tum dabitur quotidie m. ac veſp. *Lac vaccinum* cum incoctione *Herbar. Chamæpith. Chamædr. Virg. aur. Beton. Artemiſ. Plantagin.* &c. addito *Sacch. cand. alb.* Uſurpavit etiam *Gordonius* ſpecificè *Trochiſcos* quoſdam; quibus addimus *Trochiſcos Alkekengi*, aut *de Carabe*, ſubinde ad ʒj. vel ʒij. ſumtos. Eædem & reliquæ Plantæ traumaticæ quoque uſurpari poſſunt ad conficiendum, uſurpandumque *Decoctum traumaticum.*

Quòd ſi acris fuerit ſemper Urina, à corroſivis, acidis Humoribus, vel à Cantharidibus producta, etiam *Emulſiones* diu uſurpatæ proſunt; v.g.

℞. *Nucl. Pinear.*
Amygd. dulc. rec. excort.
Sem. 4. frig. maj.
Cannab.
Papav. alb. ana ʒij.
Aqu. Plantag. ℥viij.
Papav. rhead.
Portulac. ana ℥iiiß.

M. f. l. a. Emulſio, cui adde
Syrup. de Nymph. vel
Capill. ♀*ris* ℥ij.

Detur ad Vitr. ac ſingulis trihoriis unciæ

unciæ quatuor hauriantur. Abſumtâ verò hac *Emulſione* nova paranda, ac in uſum trahenda eſt, cumque eâ ſimul m. ac veſp. quindecim aut 20. guttulæ *Balſami* 🜍*ris terebinthinat.* & *Eſſentiæ Succin*. exhibendæ; vel ſequens *Pulvis* in uſum vocetur:

℞. *Radic. Liquirit.*
Polypod.
Semin. Urtic.
Papav. alb. ana ʒj.
Ocul. ♋. *ppt.*
Lact. Lun.
Panac. ſolut. alcal. ana ʒij.
Sacch. cand. alb. ℥iß.
M. f. Pulv. ſubt. d. ad ſcat. Doſis ℈ij. *vel* ʒj. *ſingulis ſex horis.*

Pro *potu ordinario* autem concedetur *Decoctum Radic. Filic. Liquirit. Gramin. Ligni Saſſafr. Guajac. Acidularum* quoque, vel aliarum *Aquarum mineralium* potus modicus ſimul permittendus, qui ſæpè multum levaminis attulit. In Cibis ſæpè *Cremor Hordei*, & *Lacticinia* dabuntur.

Deniq; ad conſolidationem deterſi Ulceris *Decocta traumatica* magis *ſiccantia* ſunt in uſum vocanda; cumque illis *Balſamus de Copaiba*, vel *Balſamus Indicus liquidus*, *Tinctura antiphthiſic. Tinctura Balſami Indic. Eſſent. Strobilor. Pin. Eſſent. Lign. Myrrh. Virg. aur. Hyperic. Veronic. Gentian.* &c. *ad gutt.* xx. vel xxx. m. ac veſp. capiantur. Novimus ex ſeqq. *Pulvere* quam optimè conſolidatum Ulcus fuiſſe:

℞. *Radic. Conſol. major.* ʒij.
Biſtort.
Folior. Lichen. petr.
Alchymill.
Semin. Perfoliat. ana ʒj.
Lact. Lun. ℥ß.
Sacch. alb. ʒx.
M. f. Pulv. ſubtil. cujus ʒj. *bis vel ter de die, cum Roob Sambuc. permiſt. vel in Emulſione capienda.*

Æſtivo tempore, ſi quis per aliquot menſes *Thermas Fabarienſes*, *Plumbarias*, *Embſenſes*, *Carolinas*, aut ſimiles bibere vellet, ſibimet quam optimè conſuleret. Cùm enim ejusmodi Ulcera diuturna ſint, nec ita facilè ad conſolidationem perveniant, mirari nemo debebit, quòd tam prolixum quoque uſum ejusmodi *Thermarum potûs* conſulam. Quin & expertus etiam talia ſcribo, novi enim & vidi Ann. 1708. in Plumbarienſibus Lotharingiæ Thermis Patrem quendam è S. I. qui non niſi per integram æſtatem potando *Thermas*, ab Ulcere interno Renum, Ardoreque Urinæ liberari potuit, ac perfectè ſanatus fuit.

Hactenus dicta remedia omnia quoque in *Scabie* atque *Excoriatione* qualicunque *Veſicæ* perquam utilia exiſtunt; in quibus certè ſimilis *Aquarum mineralium potus* diuturnus magnum adjumentum præſtat. *In Scabie & Excoriatione.*

Quòd ſi Ulcus Veſicæ ad extra pateat, etiam externa medicamina uſurpari poterunt, pro exterſione primùm, hinc & conſolidatione facientia. Proſunt in hunc finem *Injectiones* blandæ, cum amaricantibus rebus miſtæ; v. gr.

℞. *Radic. Ariſtol. rot. ver.*
Apii,
Gentian.
Symphyt. ana ℥ß.
Herb. *Artemiſ.*
Agrimon.
Millefol. ana Mj.
Inciſ. coqu. in Aqu. Calc. viv. q. ſ.
Colatur. ℔j. *adde*
Succ. Apii & Plantag. rec. expr. ac filtrat. ℥ij.
Mellis roſac. ℥j.

M. d. ad Vitr. Quotidie bis vel ter calidè inſpergatur, imò & plumaceoli ei Decocto intincti applicentur. Vel ſoli *Succi* talium *Plantarum* injicientur.

Aliquoties etiam *Balſamus* ♀ris *terebinth.* vel *Eſſent. Myrrh. Aloës, Rhabarb.* &c. permiſceri poteſt.

Quando Ulcus probè deterſum erit, *conſolidantia* ac *blandè adſtringentia* in uſum vocanda; Itaq; *Decoctum Radic. Biſtort. Virg. aur. Tormentill. Nucum Cupreſſ. Gallar. Folior. Plantag. Piloſell. Lichen. petr. Quercûs, Scabioſ. Brunell. Myrt. Polygon. Pyrol. Vinc. pervinc. Flor. Roſar. rubr. Symphyt. Liguſtr.* cum *Tincturâ antiphthiſ. Myrrh. Aloës, Balſam. peruv.* aut *vulnerar.* qualicunque, pro injectione uſurpandum; *Turundæ Balſamo ſimili* immerſæ Ulceri immittendæ, ac ita pergendum, usque dum cicatrix induci cœperit, ubi dein ſolum *Emplaſtr. Diaſulphur. Ruland.* aut *Diapalm.* in uſum erit trahendum.

Fiſtula curatio. *Fiſtuloſus* ſi fuerit Ulceris ſinus, inſpergendi bis quotidie erunt vel *Succi recenter expreſſ.* ac *filtrati Apii, Millefolii, Geranii Robert. Alliariæ, Scord. Naſturtii, Chelidoniæ major. Centaur. minor. Rutæ*, vel *Aqua phagedænica*; vel *Solutio Lapidis medicamentos.* in *Aquâ Calcis viv.* aut *Decocto Herbar. traumat.* Quòd ſi ita calloſitas Sinûs emollita aut deſtructa fuerit, curationem proſequi ulterius oportet, ſicut in communi Ulcere.

VESICÆ EXCORIATIO, SCABIES, GANGRÆNA & SPHACELVS, ſunt ferè Symptomata *Inflammationis*, atque *Exulcerationis Veſicæ*, de quibus vide Titulos præcedentes.

VESICÆ CALCVLVS, *vid. Calculus Veſicæ.*

VESICÆ DISTENSIO NIMIA, eſt ampliatio ſeu expanſio præternaturalis & exceſſiva Veſicæ, utplurimum à copiâ Urinæ nimium collectâ originem ducens. *Veſica Diſten. nimia.*

Pars affecta. Etenim ſaccus Veſicæ membranaceus ita eſt à naturâ diſpoſitus, ut à collecto Urinæ liquore in Homine adulto ad capacitatem duarum plus minus menſurarum extendi queat.

Cauſa. Nec ſcio aliam hujus Diſtenſionis cauſam, quàm urinoſi Liquoris collectionem, ejusdemque retentionem diuturnam in conviviis, aut aliàs; hinc enim cumulatæ Aquæ ita expandunt ſæpè Veſicam, ut fibræ Sphincteris ejus nimium tenſæ ac ſtrictæ relaxari amplius pro transmittendâ Urinâ nequeant. Contingit hinc *Iſchuria Veſicalis*, quâ nulla prorſus Urina redditur. Sed & retinentur Urinæ ab iis omnibus cauſis, quæ

Iſchuriam

Iſchuriam modò dictam, ſuoque loco expoſitam producunt.

Cognoſcitur Affectus haud difficulter ex Urinâ retentâ, Tumore tenſivo Hypogaſtrii, dolorem quoque ſimilem inferente. Neque verò diu ita ſubſiſtere poteſt Æger, quia ſenſim tenſivus Hypogaſtrii dolor augetur, Anxietas, Inquietudo, Agrypnia ſubſequuntur, atque tandem ruptura Veſicæ, vel etiam ſine hac Convulſiones ſequuntur, Hominemque è medio tollunt. *Curatio* proin ea heic adhibenda, quam ſub Titulo de *Iſchuriâ veſicali* ſuo loco adduximus.

VESICÆ VVLNVS, eſt ſolutio continui in ſubſtantiâ Veſicæ membranoſâ, à vi præcipuè externâ ortum ducens.

Nimirum res quævis acuta ſcindens, pungens, lacerans, perterebrans, contundens, adeoque ictus à telo, gladio, globulo ſclopetario, cultro, inſtrumento chirurgico aliâve re acceptus, contuſio, caſus ab alto, diſtenſio nimia ab aquis, dilaceratio à Partu difficili, vel à Calculo aſpero facta, pro cauſis Vulnerum Veſicæ haberi debent.

Quòd ſi Sphincter Veſicæ vulneretur, atque diſcindatur planè, involuntarium Urinæ profluvium ſequitur, idque continuè manens, etiamſi Vulnus curaveris, quia Sphincteris fibræ ſemel diſruptæ ita conſolidari nequeunt, ut priſtino dein officio iterum defungi valeant. Sed & Vulnus Veſicæ id efficit, ut Urina quoque per aliam, quàm ordinariam viam profluat.

Veſicæ Vulnera quævis periculoſa ſunt, facilè Convulſiones lethales inducentia, Gangrænam & Sphacelum poſt ſe trahentia. Pro loci tamen Veſicæ diverſitate periculum quoque nunc minus habent, nunc majus. Curabilia hinc talia ſunt, quæ infimam tantùm partem Veſicæ, Collumve ejus occupârunt, quemadmodum id experti teſtantur Lithotomi. Fundum autem Veſicæ læſum ac vulneratum pluries lethale fuit deprehenſum, unde *Hippocratis* prodiit effatum, quo Homines Veſicâ ſauciatos plerunque mori pronunciavit. Solent nimium tales læſiones frequenter poſt ſe Febrim, Inflammationem, Gangrænam, Sphacelum, Vomitum atque Convulſiones trahere; & præterea propter Urinæ continuam affluxionem remedia difficulter admittere, aut ſaltem parum efficaciæ inde experiri. Neutiquâ tamen abſolutè lethalia Veſicæ Vulnera eſſe vel id teſtari poteſt, quod plura habeantur exempla Hominum, ejuſmodi Vulneribus afflictorum, ac probè nihilominus ſanatorum; qualia legi merentur in *Plateri*, *Würtzii*, *Stalparti Obſervationibus*.

In *Curatione* talium Vulnerum, quotieſcunque deligatio fit, Aëris incorrecti acceſſus quàm ſtudioſiſſimè arcendus; ſi quid extraneum Vulneri inhæreat, eximendum; Symptomata v. gr. Iſchuria, Dyſuria, Spaſmus, Agrypnia, præcavenda. Itaque primùm

primùm ſtatim, niſi è Vulnere multum ſanguinis effluxerit, Ægerque ſufficientem ejus quantitatem habuerit, *Venæſectio* inſtituenda; deinceps internè *Decoctum traumaticum* propinandum m. ac v. ad ℥v. ſimulque *Pulvis diaphoreticus* quidam per octiduum exhibendus; v. gr.

℞. *♁n. diaph.*
C. C. phil. ppt. ana ʒiiß.
Lact. Lun.
Diaph. ♃vial. ana ʒiß.
M. f. Pulv. ſubt. div. in 16. *doſ. æqu. ad chartam.*

Deinceps cum eodem *Decocto*, quod ſine *Vino* parandum, vel cum *Infuſ. fol.* Thée ac Herb. *traumat. Eſſentia* aliqua *traumatica* danda, v. gr. *Hyperici, Lignor. Folior. Quercûs, Gram. Parn. Balſami Peruv. Succini, Beton. Artemiſ. Oleum Terebinth. Balſamus 🜍ris terebinth. ſuccinatus* & ſim.

Externè Vulneri, ſtatim atque inflictum *Stupa* fuit cum *Albumin. Ovor.* atque *Bol. armen. Rad. Tormentill.* ad *Hæmorrhagiam* ſiſtendam, ſi opus fuerit, applicabitur; deſuper adhuc *Fomentum*, ex *Decocto Lardi* & *Herb. diſcutient.* in *Vino paratum* calidè imponendum, ſæpiusque repetendum. Sequentibus deligationibus pro variâ conditione Vulneris vel *Digeſtivum* cum *Balſamo Vulnerar. Peruv. de Copaibâ, Tolutan.* vel ſola *Stupa Aquæ traumaticæ* cum *Eſſent. Myrrh. Aloës* &c. *immerſa* calidè ſemper applicatur. Vel *Plumaceoli Balſamo vulnerario* cuicunque intincti, poſt exterſum cum *Aquâ traumaticâ* Vulnus, imponentur; etiam *Turundæ iisdem imbutæ* pro rei neceſſitate immittentur; deſuper *Emplaſtr. Diaſulph. Rul.* vel *Stict. Croll. Diach. ſimpl. Diapalm.* &c. applicabitur; ac denique pro rei neceſſitate ulterius urgente, per plures dies *Sacculi Herbis nervinis, traumaticis* ac *diſcutientibus repleti*, *Vinoq́ʒ incocti* calidè ſatis admovebuntur, ſicque ad perfectam Vulneris curationem pergetur, ſenſim videlicet *Balſamorum* immittendorum quantitatem minuendo, ac tandem ferè ſiccè Ulcus mox cicatrice claudendum deligando.

VIRGÆ MORBI, vid. *Penis Affectus.*

VIRGÆ ſ. MEMBRI VIRILIS VULNUS eſt ſolutio continui, à re quadam pungente, ſcindente, contundente, lacerante, aut urente in parte ejusmodi producta. *Virgæ Vulnus*

Affectus ad oculum patens, cujus quoque cauſæ ex ipsâ Ægrotantium relatione ſatis innoteſcunt; neque periculoſus eſt admodum, ſi modò diligenter atque ex arte fuerit tractatus, nullaque Gangrænæ, & Sphacelo, vel etiam Convulſionihus lethalibus anſa data, tempusque conceſſum fuerit. *Diagnoſis & Prognoſis.*

In *Curatione* hinc ſtatim ad Hæmorrhagiam ſiſtendam, vel arcendam *Stupa* cum *Albumine Ovorum* & *pulvere Armenatis Boli, Rad. Tormentill. Sanguin. Drac.* &c. tepidè imponenda, ſimulque *Fomentum* ex *Herbis diſcutientibus* in *Vino* coctis, ad circulationem Humorum probè conſer- *Curatio.*

conſervandam, Inflammationemque diſcutiendam calidè applicandum. Poſtmodum qualibet deligatione ſtatim *Balſamus vulnerarius* qualiſcunque, vel *Balſamus Arcæi* in ſpecie, aut *Axungia Murium Alpinor. Viperar. Humana*, cum *Balſamo Peruv.* aut de *Copaib. Pulvere Myrrhæ* & ſim. ſunt immittenda, deſuperque *Emplaſtrum Diapalm.* vel *Opoteldoch.* unà cum *Fomento* ſuperiore calido diligenter applicandum, donec ad cicatricem tendat Vulnus, ubi dein ſolum *Emplaſtrum* imponetur. *Intus* interea ſimul *Decoctum traumaticum* cum *Tincturâ vulnerariâ* per unam vel alteram hebdomadam in uſum vocabitur. Pro diverſâ dein magnitudine, profunditate, aliâve conditione Vulneris Deligationes variæ inſtituendæ.

VISVS MORBI, vid. *Oculorum Affectus.*

[Vit]iligo. VITILIGO, *Albaræ*, *Alphus*, *Leuce*, eſt ſpecies *Impetiginis*, de quâ ſuo loco, Obſtructio nimirum ſcabioſa atque pruriginoſa Cutis, cum puſtulis in ſquamas albicantes abeuntibus comparens, & à ſale ſalſo acriuſculo tubulos cutaneos opplente ac infarciente producta.

VITREI OCVLORVM HVMORIS VITIA, vid. *Oculorum Humoris vitrei Affectus.*

VIVERRA, eſt *Icterus flavus*, de quo ſuo loco actum.

[...]cus; VLCVS eſt Solutio continui in partibus ſolidis mollibus, ab Humore acri ſalino, plus minus corrodente producta, & continuè ſuccum purulentum effundens.

Adeoque *ſolidæ partes molles* Subjectum exiſtunt Ulcerum, non *duræ*, harum enim corroſio propriè appellatur *Caries*. *Pars affecta.*

Differentiæ Ulcerum ſunt plures, etenim 1. Aliud *ſimplex* eſt, cum nullo alio Affectu combinatum: aliud *compoſitum*, cum aliis adhuc morbis ſociatum. 2. Reſpectu *materiæ effluentis* aliud eſt *benignum*, quod pus ſincerum, album, æquale, inodorum, & craſſiuſculum exhibet: aliud *ſanioſum*, è quo ſanies, ſive ſuccus tenuis, interdum cruentus, acidum olens, & nonnihil ſalſus profluit: aliud *ichoroſum*, cujus ſuccus emanans eſt tenuis, aquoſus, & aliquantillum ſalſus: aliud *ſordidum*, cujus materia flava eſt, ſubinde viridis, nigreſcens, glutinoſa, inodora, non rarò Lardi inſtar concreſcens: aliud *phagedænicum ſ. viroſum* exedens, *malignum*, quando ſuccus effluens acidoacris eſt, fœtidus, tenuis, circumcirca erodens, & partium ſubſtantiam exedens: aliud *cancroſum*, quando ſimul adeſt tumor durus, lividus, vel lividis venis interſtinctus, maximè dolens: aliud *ſinuoſum* ac *fiſtuloſum*, quando materia acido-acriuſcula ſine notabili dolore ſub cute in interſtitiis membranarum rodit ac depaſcit, ita tamen ut ſuccus nutritius è corroſis tubulis exſtillans ubique concreſcat in Partium ſubſtantiam, ſicque calloſos Sinus, Cuniculos, aut Fiſtulas efficiat, de quibus vide ſuo loco: aliud *verminoſum*, quando Vermiculi plures *Differentia.*

aut

aut pauciores, ceu totidem Pediculi in eo gignuntur: aliud denique *Carioſum*, *Pædarthrocace* aut *Spina ventoſa* dictum, quando à ſanie acri, & acido ſimul Oſſa corroduntur, & *Cariem* adipiſcuntur. 3. Reſpectu *Partium affectarum* aliud eſt *internum*, v. gr. in Pulmone, Hepate, Rene, Matrice, Veſicâ: aliud *externum*, in Capite, Ore, Pectore, Abdomine, Oculis, Naribus, Auribus, Brachiis, Manibus, Cruribus aut Pedibus: aliud in Cute, aliud in Muſculis, Tendinibus, Glandulis, Articulis, Nervis &c. 4. Ratione *temporis*, aliud *recens*: aliud *antiquum*, *inveteratum*.

Cauſa in genere.

QuodCauſas Ulcerum concernit, *proximam* quidem credimus eſſe Humorem ſalinum plus minus acrem, fibrarum in partibus qualibuscunque mollibus texturam, roſionis, punctionis, aut diſciſſionis modo diſſolventem. Humor ille ſalinus eſt, plus minus acris, ſalſus vel acidus, qui ſenſim ex variis Diætæ erroribus in Maſſâ ſanguineâ collectus, tandem eam ſpiſſam atque glutinoſam redditam, in his aut illis anguſtiſſimis qualiumcunque partium tubulis, per quos decurrere atque circulari deberet, ſubſiſtere atque ſtagnare facit, unde morâ ſui acrior redditus fibrillas circumſtantes arrodit, diſcindit, ulteriusque ſerpendo, ac rodendo partem exulcerat. Sed & ſeroſo-ſalſæ particulæ in Glandulis his illisve ſecretæ, ſicubi ob craſſitiem aut viſciditatem quandam in tubulis obhæreant, ſimilem roſionem inſtituere, continuitatem ſolvere, ac ita Ulcus producere valent. Quod autem in hâc & non in aliâ parte continuitas lædatur, nulla eſt ratio aliâ, quàm quòd pars ejusmodi affecta diſpoſitionem peculiarem obtinuerit ad retinendum intra ſe humorem peccantē. Diſpoſitio autem illa conſiſtit in anguſtiâ vaſculorum vel nativâ, vel adquiſitâ per compreſſionē aut conſtrictionem quandē ab extus inſtitutam.

Cauſ… ſpeci… les.

Sicut autem diverſa ſolet eſſe textura Humorum ſtagnantium, diverſusque aciditatis aut acrimoniæ illorum lixivialis gradus, à differenti Laticis circulantis intemperie dependens, ita quoque diverſa hinc Ulcera naſcuntur; v. gr. *Purulenta*, quando mitiſſimus eſt acrimoniæ gradus in Humore exulcerato, ut pus inde ſincerum in Ulcere evadat: *Sanioſa*, quando Humor acidior, acrior atque volatilior exiſtit, nutritium partium humorem fluidum retinens, atque ſalſedine acidulâ imbuens: *Ichoroſa*, quando Humor peccans fluido-acris atque ſalſus volatilis liquores, è corroſis nervorum, tendinum, aut membranarum fibrillis effluentes, admodum tenues, aquoſos ac fluxiles reddit: *Sordida*, quando Humor peccans ſalſo-oleoſus, volatilis ac fluidus, materiam è membranoſis maximè partibus eroſis profluentem, & mox aceſcentem viridi, flavo, aut nigricante colore imbuit, atque cum eâ frequenter in ſubſtantiam Lardiformem concreſcit: *Phagedænica exedentia*, quando materia morbifica acrior exiſtens, ex arroſis tubulis liquidum, fœtidum, acremq; humorem, vicina

Ulce… puru… ti, *ſani…* *ichor…* *Sordi…* *phag… nic…*

vicina rodentem exedentem profluere facit : *Cancroſa*, ſicubi ſanies profluens auſtero-acris nonſolum diſcindit fibras, ſed & eaſdem ſpasmodicè ſimul vellicat atque criſpat, ut ſic humor nutritius emanans ex parte concreſcat, venæ varicoſæ evadant, dolorque continuò acerbus oriatur : *Sinuoſa* ac *fiſtuloſa*, ſi Humor ulceroſus alimentum partium corrumpat, atque in ſaniem convertat, quæ dein per interſtitia partium latius ſerpendo, ac circumquaque rodendo, fibrasque duriores non ſecus ac molles exedendo *Sinus* producit plus minus *fiſtuloſos*, quorum canaliculi in locis præcipuè membranoſis ab acido auſtero corrugante, & indurante velut callo indolente obducuntur : *Verminoſa*, quando vermiculi ex ovulis admiſſis, inque Ulcere vivificatis gignuntur : *Carioſa*, quando ſimul cartilagines & oſſa eroduntur. Variis denique Symptomatibus, Inflammatione, Gangrænâ, Hyperſarcoſi &c. ſtipata, quando Humor ulceroſus aliâ ratione criſpando, rodendo in partes molles agit. Denique notandum, Ulcera è Tumoribus prægreſſis facilè oriri, ſive inflammatorii, ſive ſeroſi illi fuerint, atque in Abſceſſus mutati. Sequuntur etiam ſubinde critico motu Febres continuas, quando morbifica materia acris è Sanguine ad partem ſive internam, v. gr. Pulmones, Hepar &c. ſive externam, v. gr. Glandulas axillares, inguinales, aliasve præcipitatur, & Tumorem producit, qui dein in Abſceſſum atque Ulcus convertitur.

[margin: ...roſi, | ...oſi & ...loſi, | ...mi- ...; | ...ioſi.]

Acidum verò ſive Humor ſalino-acris aut lixivioſo-corroſivus non ſemper in Sanguine præexiſtit, ſed aliquando in partibus etiam vulneratis ex Humore laceratorum tubulorum effluente, hincque per ſtagnationem corrupto producitur. Imò etiam ab extus corpori accedit, per corroſionem partes exedens; velut ſi corroſivum applicetur; vel ſi Humor ſalſo-acris accedat per infectionem ab Hominibus v. gr. ſcabioſis, leproſis &c. vel ſi cum ſemine aut muco pudendorum acri putrefactivo ab Hominibus Lue venereâ laborantibus in concubitu communicetur.

Quotiescunque igitur obſervamus ab ejusmodi Humoribus corruptis & putrefacientibus continuitatem partium mollium vel ſolvi, vel ſolutam conſervari, indeque purulentam jugiter materiam emanare, *Ulcus* eſſe dicemus, in eo à *Vulnere* diverſum, quod hoc dicatur Morbus ſolutæ unitatis, à vi quadam externâ excitatus. *Eſſentia* nimirum *Ulceris* conſiſtit in ruptione, roſione, aut laceratione tubulorum minimorum alicujus partis, indeque contingente extravaſatione atque effluxu humorum : ita ut materia hæc Ulcerum ſit velut corroſivum acre lixiviale, rodens & exedens. [margin: Diagnoſis.]

Quæ ex Ulceribus materia effluit purulenta, diverſi ſolet eſſe coloris, *albi*, *æqualis ſine fœtore*, quod laudabile pus dicitur, *flavi*, *lividi*, *nigricantis* &c. quæ colorum diverſitas ortum ſuum ferè habet à diverſitate liquorum, è diverſis tubulis eroſis effluentium, atque in cavitate Ulceris concur-

concurrentium. Uſque adeo ut non malè in Ulceribus attendatur ad numerum vaſculorum eroſorum, humores inde promanantes, & effectus varios, quos producunt.

Si multa vaſcula rupta & eroſa ſunt, major etiam quantitas puris effluet, præprimis ſi vaſa illa quoque grandiora extiterint. Si Pus album & laudabile effluit, ſignum eſt ſanguinea maximè vaſcula in muſculoſis & rubicundis partibus eroſa eſſe; & hoc Ulcus *ſimplex* vocatur, curatu haud difficile. Reliqua Ulcera quoque ex effluente materiâ cognoſcuntur.

Quando Ulcera ſerpentia & exedentia ſunt, *Herpetũ* nomine veniunt; in Femore aut Tibiis autem cum intenſo dolore contingentia cancroſa, *Lupi* vocantur; in Facie aut Naſo apparentia dicuntur *Noli me tangere*.

Ulcera *phagedænica* ſpecialiùs cognoſcuntur, quando materia illorum vicinas qualescunque partes cum acerbo, & velut ardenti dolore depaſcit; labia illius dura, craſſa, ac tumida evadunt; applicata pleraque remedia magis exacerbant, doloremque intolerabilem reddunt, noctu diuque torquentem. Fundum hujus Ulceris ſinus numeroſos habet; Fibræ, venæ, & arteriæ denudatæ propemodum heîc videri poſſunt; Seroſa profluens materia acris eſt & graveolens, ita ut verum Cancrum exedentem hæc Ulcera phagedænica repræſentent.

Ulcus cum Oſſium Carie conjunctum, *Pædarthrocace* dictum, materiam craſſam oleoſam, flavam aut virideſcentem, fœtentem quoque ſatis copioſè fundit. Inprimis autem Cariei præſentis ſignum eſſe ſolet, quando extremitas turundæ ex Ulcere extractæ graveolet, Emplaſtrumque appoſitum evadit à materiâ exſudante nigrum; ſi tandem ſtylo nudum os deprehendere poſſimus. Caro Ulceris, ubi Caries Oſſis ſubeſt, ſemper exiſtit mollis, ſpongioſa, livida, aut flaveſcens; nec unquam firma cicatrix inducetur, quamdiu Caries ablata non erit.

Ulcera *ſcorbutica* in circumferentiâ ſuâ livida ferè ſunt, cum punctis hinc inde albicantibus: effluens inde materia neque alba, neque oleoſa eſt, ſed ſanies exiſtit viſcoſa, craſſa, malè olens.

Quæ ex Ulcere *ſordido* profluit ſanies, glutinoſa ac ſpiſſa eſt, inſtar Lardi ſoluti.

Quod *Prognoſin* concernit, Ulcera *ſimplicia*, è quibus non niſi laudabile pus effluit, curatu facilia ſunt. Prognoſis. Reliqua autem Ulcera omnia difficiliùs atque tardiùs ſanantur, præſertim ſi Maſſa Ægri ſanguinea prorſus cacochymica fuerit. Hinc Ulcera Abſceſſui ex Inflammatione facto ſuccedentia promtè ſanantur; Quæ autem è Gangrænâ in Scorbuto aut Hydrope naſcuntur, plerunque lethalia ſunt, & Sphacelum poſt ſe trahunt. Sic & Ulcera Glandulas, aut Articulos, aut Partes majoribus vaſis vicinas occupantia difficillimè ſanantur; quoniam in ejuſmodi locis continuè lympha quædam ſecernitur,

quæ vel per ſe jam acris, vel adquiſitâ in Ulcere acrimoniâ ejus curationem impedit. In Ulcere autem qualicunque curato ſi vel tantillum acidæ aut lixivialis acris & viſcidæ pituitæ relictum fuit, vel poſt aliquod temporis intervallum recrudeſcit, vel ad aliam partem defertur. Obſervavimus autem, Apoplexiam fortem intra aliquot menſium ſpatium, ſecutam fuiſſe antiqui Ulceris Pedum ſanationem in Viro quinquagenario: dumque hæc ſcribimus, ad Adoleſcentem curandum vocati fuimus, cui ex fiſtuloſo Tibiæ Ulcere paulum curato (dum quantitas ſanioſi puris, aliàs effluere conſueta, ab octiduo minuta eſſet, Ulcusque ad cicatricem tendere videretur) Febris lenta cum Tuſſi, Dyſpnœa, Dyſorexiâ, aliisque Symptomatibus Phthiſin incipientem ſignificantibus oborta fuit. Usque adeo ut quodlibet Ulcus ſponte ac ſubitò ſiccum evadens pejorem morbum quendam portendat; imò ſi labia vulneris liveſcant tum, Gangrænam, Sphacelum ac mortem ſubeſſe indicatur. Ulcera ad Nervos, Tendines, Cartilagines & Oſſa carioſa terminantia tardioris quoque ſunt ſanationis, imò in ſubjectis Cacochymicis prorſus ferè immedicabilia.

ratio ta- a,

Curatio requirit ante omnia Diætæ optimæ exactam obſervationem, deinceps verò acidi, aut ſalſo-lixivialis corruptivi & corroſivi correctionem; hinc Ulceris perfectam extersionem, ac denique cicatricis inductionem. In ipsâ Diætâ curandum ſtatim, ut Æger ſanum per omnia *Aërem* continuè reſpiret, & regionem, atque locum eapropter ſeligat, in quo purum optimumque aërem haurire ſemper queat; mirum enim quantum ſæpè hæc aëris mutatio ad Ulceris ſanationem confert. *Cibi* ſemper debent eſſe ſucci laudabilis, non acidi, auſteri & acris, ſed blando ſale volatili gelatinoſo affluentes. *Vini* aut *Cereviſiæ* uſus penè eſt omittendus, quoniam liquores hi acidum in ſe fovent acre, inprimis ſi copiam Tartari ſecum vehant. Pro *Potu ordinario* autem ſuadendum eſt *Decoctum Lignorum* minus fortè; v. gr. ſequens:

℞. *Radic. Chin. aut Sarſæparill.* ʒvj.
Caryophyllat. ℥ß.
Filic.
Liquirit. ana ʒij.
Herb. Agrimon.
Pyrol.
Alchymill. ana Mj.
Raſur. Lign. Saſſafr. vel
Guajac. ℥iß.
Semin. Fœnic. ℥ß.

Inciſ. & contuſ. d. ad ſcatul. Harum ſpecierum ℥ß. *coquatur in Aqu. fontan.* ℔iv. *ad quartæ partis conſumtionem, vel quousque Ovum ad duritiem coctum eſſet. Colatura dein frigida bibatur loco Vini.*

Sunt qui amaras quoque Herbas volunt incoctas, ſed diu ſic bibi neutiquam poſſet, quin hæc amaricantia melius in Decoctis Vulnerariis adhibentur. Si Cacochymia non adeo notabilis fuerit, etiam Vinum ſubinde concedendum erit, ſed bonum illud, probè defœcatum, minimè tartareum

tareum, ex Uvis probè maturis expreſſum, diureticum, in quo ferè quotidie decem, quindecim aut viginti grana *Salis volatilis C. C. Eboris*, aut *Viperarum* ſimul aſſumantur, ad meliorem Sanguinis correctionem. Vel in tali Vino ſequens *Nodulus* ſuſpenſus eſſe poterit:

℞. *Radic. Carlin.*
Scorzoner. ana ℥iij.
Fol. Betonic.
Hepat. nobil. ana Mj.
Ocul. ♋. *crud. contuſ.*
Corall. rubr. contuſ.
Panac. ſolut. alcalin. ana ʒij.
Flaved. Cort. Citr. ʒiß.

Inciſa tenuiter invicem dentur ad Nodul. ex Sindon. rubr. cui affund. Vini alb. veteris Menſ. ij. vel ℔*viij. ac inde ordinariè bibe, aliquoties novum Vinum iisdem Herbis affundendo, quousque viribus adhuc gaudebunt.*

Præterea *Infuſum Herbarum Thée, Betonic. Artemis. Scabios. Sanic. Alchymill.* &c. quotidie eſt bibendum.

In Somno & Vigiliis, Motu & Quiete corporis, Excretis ac Retentis, Animi tandem Pathematibus moderamen perpetuum eſt tenendum. Tranſpiratio quoque inſenſibilis ſtudioſè eſt conſervanda.

Pharmaceutica. Ex *Fonte pharmaceutico* autem pro curandis qualibuscunque Ulceribus adhuc ſanabilibus, ubi Febris nulla vehemens adeſt, deſumimus primùm, quæ blandè corpus laxant, quemadmodum optimè omnium confert ſequens; v. gr.

℞. *Panaceæ ſolut. alcalin.* ʒiß.

Pulveriſata capiatur unâ vice cum hauſtu Emulſionis Amygd. dulc. tenuioris; poteſt autem bis ad minimum in hebdomadâ ſumi.

Vel ℞. *Syrup. de Cich. cum Rhab.* ℥ij.
Elect. è Succ. Roſ. ʒiß. *vel* ʒij.
Aqu. Plantag. ℥j.
Fœnic. ℥ß.

M. f. Potio d. ad Vitr. pro doſi matutinâ aliquoties repetendâ.

Vel ℞. *Extract. Rhabarb.*
Catholic.
Maſſ. Pilul. Emanuel. ana ʒß.
Mercur. dulc. quinquies ſublimat. ʒj.
Reſin. Scammon. ℈j.
Eſſent. Myrrh. q. ſ.

M. f. Pilulæ num. 90. Inaur. d. ad ſcatul. Sumantur decem, duodecim, ad quindecim pro doſi matutinâ.

Vel *Aloëticæ* tantùm ſive *Angelicæ Pilulæ* interdum capiantur, ad 12. 15. vel 20. grana pro doſi.

Inter hæc ad edulcorationem & correctionem acrioris Maſſæ ſanguineæ modò hæc, modò illa *diaphoretica, diuretica, ſudorifera* diligenter ſunt in uſum vocanda. Ita prodeſt mane ac veſperi ſub formâ *Decocti* ſequens aut ſimile:

℞. *Radic. Chinæ vel Sarſæparill.*
Ariſtol. rot. ver. ana ʒij.
Liquirit. ʒj.
Herb. Scord. vel Alliar.
Betonic.
Millefol.
Sanicul. ana Mß.
Semin. Fœnic. ʒiß.
♁*nii crud. pulveriſ.* ℥ij.

Inciſ. & contuſ. inſuantur Nodulo ex Sindone rubr. qui deinceps per integra

græ horæ ſpatium in Aquæ fontanæ Menſuris duabus coquatur. Cujus De*cocti dein* ℥iiij. *quotidie mane ac veſperi ſunt exhauriendæ.*

Quotidie ſemel, ſi fieri poteſt, ſudor exſpectetur, isque poſt horæ ſpatium probè abſtergatur. Vel *Decoctum traumaticum* ſequens aut ſimile bibatur; v. gr.

℞. *Radic. Vincetox.*
Scrophular. ana ʒvj.
Herb. Alchymill.
Artemiſ.
Sanicul.
Vinc. pervinc.
Pyrol. ana Mj.
Summit. Virg. aur.
Cent. minor. ana Mß.
Fol. Betæ ſiccator. Miß.

Inciſa tenuiter d. ad ſcatul. Harum dein ſpecierum Manipulus in Vin. alb. & Aquæ fontanæ ana ℔ij. *coquitur ad Ovi duritiem, colatur, & quotidie m. ac veſp. ad* ℥iij. *vel* ℥iiij. *potatur.*

Cum ejusmodi *Decocto* autem adhuc aliud edulcorans, invertens, præcipitans, aut abſorbens remedium capiatur; v. gr. ſub formâ *Pulveris:*

℞. *Corall. rubr. ppt.*
♁nii diaph. ana ʒiß.
Diaph. ♃vial.
Specif. ſtom. Poter.
Radic. Taraxac.
Carlin.
Semin. Aniſ. ana ʒj.
Sacch. cand. alb. ℥j.

M. f. Pulvis ſubtil. d. ad ſcat. Doſis ʒß. *ad* ʒj.

Vel ℞. *Spod. ex Ebor. ppt.*
Ocul. ♋. ppt.
Unic. foſſil.
Terr. ſigill. ana ʒiß.
Bezoard. miner.
Myrrh. elect. ana ʒj.
Sacch. cand. rubr. ℥j.

M. f. Pulv. ſubtil. d. ad ſcat. Doſis ℈ij. *ad* ʒj. *man. ac veſp.*

Vel ℞. *Elix. propr. ſin. acid. aut Claud.* ʒß.
Eſſent. Abſynth.
Succin. ana ʒj.

M. d. ad Vitr. Doſis 20. ad 30. gutt. pro doſi matutinâ & veſpert. quotidie.

Vel ℞. *Eſſent. traumat. cujuscunque Lignor.*
Myrrh. ana ʒiß.

M. d. ad Vitr. Doſis ut ſuprà.

Vel ℞. *Tinct. ♁n.*
Corallor.
Spirit. Sal. arm. Aniſ. aut Fœnicul. vel
Salis volatil. oleoſi ana ʒj.

M. d. ad Vitr. Doſis ut ſuprà.

Vel de *Balſamo Peruv.* aut *de Copaibâ grana ſex* aut *octo*, cum *Salis volatil. oleoſ. Sylv. Spiritûs matricalis* tantillo permixta m. ac veſp. capiantur.

Quando ſcorbutica intemperies in Sanguine taliter Ægrotantium ſtabilita obſervabitur, hactenus commendata etiam proficua ſunt, ſed præterea ulterius ſpecificè heic prodeſunt omnia *antiſcorbutica*, v. gr. *Eſſentiæ Cochlear. Naſturt. Trifol. fibrin. Strobilor. Pin. Succin.* &c. *Succi* quoq; *Plantarum antiſcorbuticarum* ad ℥ij. vel *Aquæ* ex iis *deſtillatæ* ad ℥iiij. m. ac veſp. hauriantur.

Vel cochleatim ſequens propinabitur:

℞. *Aqu. Ulmar. bis deſtillat.* ℥iß.
Plantag. Scabios. ana ℥j.
Syrup. de Fumar. ʒvj.
Eſſent. Lignor.
Myrrh. ana ℈iiß.
Reguli ♁*nii medicinal. vel*
Magiſt. ♁*n. diaphoret* ʒj.
M. d. ad Vitr. Singulis ſex horis duo inde cochlearia plena hauriantur.

Quin & *Diuretica* in talibus caſibus ſuo quoque laudabili effectu non carent; quem in cenſum referimus per æſtatem bibendas *Thermas* & *Aquas minerales*, *Decocta Lignorum* & variarum *Radicum*, *Herbarum* ac *Seminum*, *Spiritum* aut *Succum Cancrorum fluviatil. Balſamum* ♀*ris terebinth.* vel cum *Oleo deſtill. Saſſafr.* paratum; *Spiritum* ac *Sal volat. Viperar. Tartari*, *Succini Eſſentiam*, *Succum* vel *Decoctum Cherefol. Pulveres* denique varios; v. gr.

℞. *Ocul.* ♋. *ppt.* ℥ß.
Diaph. ♂*ial.*
Radic. Ononid.
Virg. ☉*r.*
Succin. flavi ana ʒj.
Semin. Fœnic.
Dauci ana ℈ij.
Sacch. alb. ℥j.
M. f. Pulv. ſubt. d. ad ſcat. Doſis ter aut quater de die ʒß. *ad* ℈ij. *cum Aqu. Naſturt. vel Plantag.*

Vel ℞. *Extract. Cent. min.*
Fol. tener. Quercûs,
Terebinth. opt. ana ℈ij.
Gumm. Guajac. ʒß.
Magiſt. ♁*n. diaphor.* ʒj.
Diaph. ♃*vial.*
Succin. flav. ppt. ana ℈ij.
Balſam. Peruv. q. ſ.
M. f. Pilulæ pondere gr. iß. *Conſperſ. Pulv. Santal. rubr. d. ad ſcat. Doſis m. ac veſp.* 10. *usq; ad* 15.

Extern. curat.

In externâ Curatione Ulcerum attendendum eſt ad materiæ in eorundem fundo exiſtentis naturam: ſi enim illa laudabile Pus eſt, alba nimirum, craſſa, conſiſtentiæ æqualis, minimè fœtens, tum vel *Unguentum* duntaxat *Baſiliconis*, vel *Digeſtivum ſimplex*, cum tantillo *Pulveris Myrrhæ* & *Aloës* permixtum Ulceri in quavis deligatione calidiusculè eſt immittendum, etiam cum *turundis* ei intinctis, ſi neceſſariæ videbuntur; atque hinc *Emplaſtrum Diachylum*, vel *Diapalma*, vel *Diaſulphuris*, ſicque blandè ſiccans imponendum; ac ita, usque dum Cicatrix generari incipiat, pergendum, quo tempore dein ſolum *Emplaſtrũ* imponi debet. Quando Pus craſſum nimis eſt, quam ut effluere cōmodè queat, tum Ulcus vel *Turundis* è *Gentianâ*, aut *Spongiâ ppt.* vel *inciſione* quoque eſt dilatandum; atq; hinc continuandum in *Digeſtivi* atque *Emplaſtri* applicatione.

In Foramine Ulceris magno.

Si foramen Ulceris fuerit magnum, tum plumaceolis illud implendum, *Digeſtivo* parum intinctis; poſtea *Emplaſtrum* ſuperimponitur, quemadmodum ſequens haud contemnendum eſt:

℞. *Empl. Diachyl. cum Gumm.*
Ceræ commun.
Olei roſac. ana ℥ij.
Invicem ſolutis immiſce
Pulver. Folior. Betonic.
Geran. Robert.

Pulver.

Pulver. Folior. Vincæ pervinc.
Sanicul. ana ℥j.
Boli armenat. ʒij.
Adde Terebinth. parum, & redige in formam Emplaſtri.

Equidem Naturæ ſolius opus eſt reſarcire defectum huncce, & Ulcera perſanare; Ars igitur Naturam in hoc ſanationis opere juvabit tantum, impedimenta nim. probæ curationis omnia tollendo: quod contingit, ſi partim extus humores ex Ulcere abſtergentur acres atque acidi putrefactivi, aut corrodentes; partim nihil admittatur, applicetur, aut intra corpus ſumatur, quod humores illos in Ulcere fovere, atque jugiter reſtaurare queat.

Quod ſi *Ulcus ſordidum*, atque *ſanies liquida maligna* fuerit, tum eluendæ ſunt diligenter hæ ſordes ex Ulcere, beneficio calidè inſperſi *Decocti traumatici*, aut per injectam *Aquam Calcis vivæ*, cum *Succo Apii, Beccabungæ, Plantagin.* ac *Melle roſaceo* permiſtam. Vel *Radices Ulmar. Virg. aur. Apii, Ariſtoloch. Carlin. Biſtortæ, Conſolidæ maj. Herbæ Abſynth. Hyperic. Alliariæ* vel *Scordii, Betonic. Artemiſ. Pyrol. Alchymill. Veronic. Rut. Agrimon. Millefol. Perſicar. Sanic.* cum *Maſtiche, Thure, Myrrhâ, Aſâ fœtid.* & *Aloë*, in *Aquâ fontanâ*, vel parte dimidiâ plus minus *Vini* decoquuntur, hinc *Mel roſaceum* ac *Succi* ſuperius allegati admiſcentur, hocque *Decoctum* pro *injectione* uſurpatur. Alii *Folia ſicca Alliariæ* & *Tabaci, Quercûs* verò viridia & *ſucculenta Aquæ Calcis vivæ* incoquunt & injiciunt. Sæpius *Aquam phagedænicam* ſolam, vel cum *Decocto traumatico* plus minus permiſtam inſpergere ſolemus. Hiſce autẽ *Decoctis* ſubinde *Spiritum Vini camphoratum*, vel *Spiritum Anthos* admiſcemus; v. g.

℞. *Herb. Chelidon. major.*
Abſynth.
Rut.
Abroton.
Menth.
Alliariæ vel
Scord. ana Mj.
Radic. Ariſtoloch. long.
Gentian.
Caryophyllat.
Ulmar. ana ʒij.
Semin. Perfoliat.
Hyperic. ana ʒiß.
Inciſ. & contuſ. coqu. in q. ſ. Aquæ fontan. Colaturæ ℔ij. *adde*
Spirit. Anthos, vel
Eſſent. Aloës & Myrrh. ʒij.
Sacch. Saturn. ʒiß.
Mercur. præcipit. alb. ℈iiij.
Camphor. ʒj.
Miſce & utere pro Injectionibus abſterſivis.

Sequens etiam *Unguentum* Ulceri poteſt immitti:

℞. *Unguent. Baſilicon.* ℥ß.
Caſtor. pulveris.
Aſæ fœtid.
Myrrh. ana ʒj.
Camphoræ ℈j.
Elix. vitæ, vel Spirit. matric. ʒij.
M. f. Unguentum d. ad Ollam, & calidè in Ulcus demittatur; ad materiam craſſam ac viſcidam diſſolvendam, corrigendam atque edulcorandam, ulterioremq́ corruptionem vitandam.

Turunda,

Turundæ non ſemper bonæ. *Turundæ*, ſi tantillum incommodum afferant, ſunt vitandæ, ſed Plumaceoli tantùm vel carpta fila, *Unguento Baſilico*, & *Tincturæ Myrrhæ* ac *Aloës*, aliive *Balſamicæ* immerſa imponi poſſunt. Si dein pars ligaturam permittit ac tolerat, ea quoque ita eſt inſtituenda, ut Succorum acrium novorum ad Ulcus affluxus impediatur. Sequens hinc *Emplaſtrum* hoc in caſu prodeſt, ſuperinjiciendum:

℞. *Pulv. radic. Ulmar.*
Ariſtoloch. rot. ver. *ana* ℥ij.
Plumb. uſt. ac lot. ℥ß.
Axung. Capri ℥iß.
Gumm. Galban. Sagapen. aa. ℨiß.
Tut. ppt.
Lapid. calam. ppt. ana ℥ß.
Maſtich.
Aloës,
Myrrh.
Oliban. ana ℨj.
Camphor. ℈ij.
Ceræ ac Terebinth. ana q. ſ.
M. f. Emplaſtrum in Magdaleones redigendum.

Vel ℞. *Olei Hyperic.* ℥iij.
Ceræ flav. ℥ij.
Cinnab. communis,
Minii ana ℥ß.
Myrrh.
Sangu. Dracon. ver.
Pulv. rad. Virg. aureæ
Camphor. ana ℨiß.
Terebinth. q. ſ.
M. f. l. a. Emplaſtr. in Magdaleones cogendum.

Remedia mutanda Obſervandum etiam, remedia pro diverſitate circumſtantiarum in Ulceribus eſſe mutanda; ita ut, ſi multum humiditatis in Ulcus defluat, magis ſiccantia balſamica, quam oleoſa & pinguia ſint uſurpanda. In aliis autem ejusmodi oleoſa mixta ſimiliter balſamica, ac acido reſiſtentia formidari non debent. In omnibus aëris acceſſus diuturnus eſt evitandus, præprimis ſi frigidus, aliave qualitate heterogeneâ inquinatus fuerit.

Gangrænoſa Ulcera. Si *Gangrænoſa* fuerint *Ulcera*, bis vel ter quotidie elui debent *Spiritu theriacali camphorato*, & hinc *Cataplasma* applicandum ex *Alliariâ, Meliſſâ, Marrubio, Beton. Origano, Artemiſiâ, Abſynth. Rutâ, Floribus Calendul. Sambuc. Summitatibus Rorismarin. Farinâ Fabar. Semin. Aquileg.* invicem mixtis, atque in *Sero lactis* ad *Cataplasmatis* formam decoctis. Quando autem *Gangrænoſum* ejusmodi *Ulcus* ab exceſſivo quodam frigore ortum duxit, tum remedia calefacientia balſamica applicanda ſunt, circuitum humorum optimè promoventia; veluti ſunt *Balſamus Peruv.* aut *Vulnerarius* alius, v. g. *Arcæi*, vel ſimilis, cum *Unguento Baſiliconis, Oleo Laterum, Lumbric. terr. Scorpion.* &c. permiſtus. Quando Ulcus profundum copiam puris graveolentis fundit, *Injectionibus* ſuperiùs deſcriptis elui ſedulò debet, in quibus ſimul admiſſa erit *Tinctura Aloës, Myrrh. Aſæ fœtid. Rhabar. Scordii* &c. Hincque poſt plumaceolos vel fila carpta, ejusmodi liquori immerſa ac applicata, admotumque *Emplaſtrum*, ſimul adhuc *Fomentum calidum* imponi, & ſæpius,

antequam

antequam frigefactum ſit, repeti debet; v. gr.

℞. *Radic. Angelic.*
Bryon.
Gentianæ
Vincetox. ana ℥iß.
Folior. Cochlear.
Beton.
Trifol. fibrin.
Menth.
Alliariæ ana Mj.
Myrrhæ
Aloës ana ℥ij.

Inciſa & contuſa coqu. in Vini albi q. ſ. in vaſe clauſo, Colaturæ adde adhuc Spiritûs matricalis ℥j. *plus minus, hinc linteola immerſa calidè applicentur.*

Atq; hæc ipſa in *Ulceribus* quoq; *phagedænicis* ac *ſcorbuticis* locum habent, quibus jungenda ſimul ſunt *Emplaſtra*, acidum corroſivum validè deſtruentia, alcalinâ virtute prædita; quemadmodum eſſe poteſt *Emplaſtrum Diapalmæ*, inprimis ſi *Lac Lunæ*, *Crocum ♂ tis*, *Myrrham*, *Aloën*, *Terram ſigillatam*, *Calcem vivam*, *Cinnabarim factit. Caryophyll. aromat. Camphoram*, *Radicem Ulmar. Caryophyllat.* &c. permiſcuerimus. Internè verò *Sanguinem purificantia*, v. gr. *Decoctum Lignorum* ac *Herbarum traumat. Antimonium diaph. Ocul.* ♋. *ppt. Corall. rubr. ppt. Diaph.* ♃ *vial. Ebur. phil. ppt. Eſſent.* & *Extract. Trifol. fibrin. Enulæ*, *Eſſent. Fumar. Virg. aur. Numular. Gram. Parnaſſ. Lignor. Sal volat. oleoſ. Spirit. Cochlear.* &c. in uſum vocari debent. Decoctum ſequens antiſcorbuticum pro vehiculo quoque uſurpari poteſt:

℞. *Radic. Pimpinell.*
Ulmar. ana ℥iij.
Chin.
Sarſæparill.
Raſur. Lign. Saſſafr. ana ℥ij.
Fol. Trifol. fibrin.
Naſturt. aquat.
Plantag. aquat.
Alliar. ana Mß.
Bacc. Juniper.
Semin. Aniſ. ana ℥iß.

Inciſa & contuſ. coqu. in ſ. q. Aqu. fontan. Colaturæ ℔iij. *adde*
Syrup. de Fumar.
Card. bened. ana ℥ij.

M. d. ad Vitr. Doſis m. ac veſp. cyathus unciarum trium, vel quatuor.

Quòd ſi *Labia* & *Caro Ulcerum* inſtar *Lardi* compareant, tum ſequens *Liquor* applicatus proderit valdè: *Labia Ulceris inſtar Lardi.*

℞. *Aloës, Myrrh. ana* ℥ß.
Radic. Pyrethr. Angelic.
Zedoar.
Caryophyll. arom. ana ℥j.
Spirit. Cochlear. ℥iiij.
Vin. camphorat. ℥ij.

Mixta ſtent per aliquot dies in loco tepido, poſtmodum cum linteolis calidè liquor filtratus applicetur.

Dolor.

Ubi autem Dolor, præſertim noctu Hominem excruciabit, *Opium* ſimul huic Extractioni addetur.

Calloſitas Ulcerum.

Ad corrigendam verò calloſitatem, intumeſcentiam atque duritiem labiorum in Ulceribus, ſequens Aqua applicabitur:

℞. *Radic. Angelic.*
Imperator. ana ℥iiß.
Alumin. rup. Ærug. Ær. aa. ℥ij.

Mixta coque in Vini albi ℔iß. *usque* ad

ad quartæ partis conſumtionem; Colaturæ admiſce adhuc

Spir. Vini aut theriac. camph. ʒiß.

Detur ad Vitr. ac Linteolum huic liquori intinctum ſæpius applicetur.

Solet etiam *Unguentum Ægyptiacum*, *Alumen uſtum*, *Mercur. præcipit. ruber*, *Eſſentia Aloës*, *Myrrh. Garyophyll. Spiritus matricalis* &c. *Digeſtivo* permiſceri, & imponi. *Aqua phagedænica* quoque cum *Spiritu matricali* miſta & applicata, vel inſperſa apprimè conducit. His autem nihil efficientibus *Scarificatio* labiorum dictorum erit inſtituenda, hinc *Aqua phagedænica* cum linteo applicabitur.

Caro luxurians, fungoſa.

Luxurians, ſpongioſa & *fungoſa Caro* Ulcerum abſumitur, ſi *Digeſtivo Unguento* permiſcebis *Apoſtol. Ægyptiacum*, vel *Oleum* 🜿*ri fœtid.* vel *Spiritum matricalem*, vel *Tincturam Aloës*, *Mercurium præcipitatum album*, *Calcem vivam* &c. Vel tanges eam *Lapide infernali*, aut *Butyro* ♁*nii.* Vel pulverem *Lapidis médicamentoſi Croll.* aut *Vitrioli albi*, *Mercurii præcipit. rubri*, *Capitis mortui Vitrioli*, *Garyophyllor. aromat. Euphorb. Cinerum Tobac. Cinerum Bufonum. Cancrorum fluviatil.* exhibebis.

Vermes Ulcerum.

Vermes Ulcerum interimuntur applicato *Melle roſaceo*, cum *Pulvere Piperis*, *Mercurii præcipitati alb. Cinerum Tobac. Æthyopis mineralis*, *Eſſentiâ Myrrh. Aloës*, *Abſynth. Tanacet. Matricar. Gentianæ*, *Rhabarb. Helleb. nigr.* &c.

Caries.

Caries ſi adfuerit Oſſium, medeberis eâ ratione, quæ ſuo loco indigitata invenitur.

Fiſtula.

Ullus ſinuoſum atque *fiſtuloſum* curatur, ſicuti ſub titulo de *Fiſtulis* expoſitum fuit.

Cancroſum Ulcus.

Cancroſi Ulceris curationem vide ſub Titulo de *Cancro.*

Ulcera Tibiarum, Crurum Pedum.

Ad ſananda *Ulcera Tibiarum Pedum* & *Crurum* recentia adhuc, *Balneum* aut *Fomentatio* abſterſionis gratiâ inſtituitur; v. gr.

℞. *Radic. Gentian.*
Ulmar. ana ℥ß.
Lign. Saſſafr.
Guajac. ana ʒiij.
Herb. Veronic.
Gratiol.
Abſynth.
Naſturtii aquat.
Trifol. fibr. ana Mß.
🜿*ri Vitriolat.* ʒij.

Inciſ. & contuſ. coque in ſ. q. Aquæ fontan. ac Lintea ei immerſa calidè bis vel ter de die applicentur.

Cum ſucceſſu feliciſſimo aliquoties jam Ulcera ejusmodi ſanata vidi per ſolam *Foliorum recentium Ariſtol. rot. ver.* nec non *Geran. Robertian. Hed. arbor.* &c. applicationem. Gallici Chirurgi ſequens hinc laudant ad ſiccationem, & conſolidationem talium Ulcerum:

℞. *Maſtich. elect.*
Myrrh. rubr.
Ceruſſæ lot.
Camphor.
Mercur. dulc. ana ℈iiij.
Balſam. Peruv. ʒj.
Terr. ſigillat. ℈iiß.
Colcotharis Vitrioli
Plumbi uſti ac lot.
Croci Mart. adſtring. ana ʒß.
Miſc.

Miſc. cum Oleo Ovor. in formam Linimenti, quod dein Ulceri tali immittetur.

Si Crurum hæc Ulcera cum Pedis tumore fuerint inveterata, caveto perſanare, ſed potius ad ſtatum Fonticuli redige. Si ſponte forſan ſiccabuntur, Apoplecticus Inſultus ſubſequetur. Imò *Fonticulum* unum alterumve prius excitamus in Brachiis aut Pedibus, antequam Ulcus ſanare occipimus; Sanabimus autem uſu ſiccantium, abſtergentium, conſolidantium &c. Æſtivo tempore uſus Thermarum, harumque potus longus in omni Ulcere chronico prodeſt.

VMBILICI HERNIA, ſ. *Omphalocele*, vid. *Hernia umbilicalis.*

VNGARICVS MORBVS, vid. *Febris caſtrenſis.*

VNGVIS OCVLI, vid. *Oculorum Unguis ſive Pterygium.*

guium ...ia. VNGVIVM DIGITORVM VITIA ſunt diverſa, deformitatem utplurimum, ſubinde incommodum conciliantia. Exiſtunt autem Ungues in extremitatibus digitorum manûs ac pedis, tanquam partes ſolidæ, duritie plusquam cartilagineâ, nec tamen integrè oſſeâ præditæ, planæ, ſiccæ, læves, nonnihil carnei coloris, ad digitorum robur facientes; membranâ valdè ſenſibili intus tectæ, flexiles, fibris membranaceis cum digitorum ſubſtantiæ firmiter connexæ, intus concavæ; adeoque ex fibris tendinoſis invicem concretis atque paulatim induratis originem habentes.

Ungues jam tales vitiis quandoque ſuis afficiuntur, dum modò *Inæqualitas* & *Scabrities*, perſeverans utplurimum deformitas; modò *Craſſities* inſolita; modò *Livedo* aut *Nigrities*; modò *Macula alba*, aliave; modò *Incurvatio* qualiscunque; modò denique *Fiſſura* ſive per longum, ſive per transverſum eos prehendit. Frequentiſſimum autem vitium eſt *Unguium decidentia*, quando radicibus eorum eroſis in *Paronychiâ*, aut dilaceratis in *Vulnere*, *Contuſione*, vel *Compreſſione*, novus Unguis ſuccreſcit, priſtinum ſenſim excutiens, atque à fibris cutaneis ſeparans: ubi notandum, quod prior Unguis per hebdomadas ſic hæreat, atque huc illucve mobilis exiſtat, & auferri tamen propter maximam fibrarum nervoſarum, quibus adhæret, ſenſibilitatem nequeat, usque dum novus Unguis ſubtus creſcens dictas modò fibras omni ſenſu privaverit.

Inæqualitas. Craſſities Livedo. Macula. Fiſſura. Decidentia.

Si *Cauſas* talium Vitiorum ſpectemus, haud multo ad eas eruendas labore opus eſſe videtur; Quid enim *Inæqualitatem* ſuperficiei Unguium producere poterit aliud, quàm inæqualis nutritii ſucci ad tubulos eorum admiſſio ac diſtributio? dum fortè ab aliquâ vi externâ tubuli quidam tantùm dilatati, aut à particulis quibusdam è ſanguine appulſis eroſi fuerunt, plusque alimenti recipere potuerunt, reliquis in ſtatu ſuo naturali manentibus. Quid *Craſſitiem* eorundem

Cauſæ Inæqualitatis. Craſſitiei.

dem exceſſivam magis efficit, quàm mollities Unguium juſto major, copioſius ubique alimentum admittens? Quid *Rugoſitatem* in illis cauſatur efficaciùs, quàm fibrarum aliquarum à radice uſque ad extremitatem largior nutritio, dum reliquæ juxtà poſitæ ordinario duntaxat modo nutriuntur? Quid *Scabritiem* inducit, niſi ſalino-terreſtrium particularum ab internâ Unguium ſubſtantiâ ad externam ſuperficiem expulſio, ibidemque cohæſio? *Colorem* Unguium naturalem mutant, maculasque inducunt guttulæ ſuccorum diverſi generis, ſubter Unguem, quacunque demum occaſione datâ, ſtagnantes, quæ ſenſim tamen per longitudinem propulſæ tandem evaneſcunt. *Incurvantur* Ungues, quando particulæ ſucci nutritii viſcidæ, craſſæ & acres fibras Unguium ad ſui contractionem ſtimulant, unde retractæ ſenſim incurvantur. *Fiſſuras* Unguium producunt acria ſalia ex ſanguine ad Unguium ſubſtantiam præciſè delata, ſuâque acrimoniâ continuitatem eorum ſcindentia ac dividentia. Tandem *Unguium Decidentiæ* cauſa eſt radicum eorum diſciſſio, dilaceratio, contuſio, aut eroſio; quando enim radicales fibræ deſtruuntur, neceſſariò hinc Ungues emoriuntur, ac à ita novis ſuccreſcentibus paulatim excutiuntur; Occaſionem ad hoc frequentem præbent Paronychiæ, in quibus Ulcus ſubter Unguem naſcens eum mortificat, ac ſenſim excutit. Tandem *Unguium Reduviæ* gignuntur à particulis ſalſo-acribus, ad ſubſtantiam & radices Unguium delatis, hincque cuticulam & cutim diſcindentibus.

Rugoſitatis. *Scabritiei.* *Coloris.* *Incurvationis.* *Fiſſura.* *Decidentiæ.* *Reduviæ.*

Quòd *Diagnoſin* attinet, per ſe ſatis hæc Unguium Vitia ad oculos patent; in *Prognoſi* autem dicendum, nullum quidem ex illis vitæ periculum imminere, ſed deformitatem tamen digitis per ea conciliari; ac præterea eſſe ex eorum genere, quæ Natura propemodum ſola citra Artis opem & adjutamentum ſanare ſolet. Per accidens verò evenit, ut interdum filamenta nervorum, quibus Ungues hærent, graviter irritata Spaſmos ſive Convulſiones, etiam lethales poſt ſe trahant. Fabuloſum autem *longævæ vitæ* præſagium, quo quidem ex apparentiâ macularum v. gr. albarum prædicere diuturnam vitam ſuſtinuerunt.

Diagnoſis & Prognoſis.

In *Curatione* Unguium vitioſorum prolixos eſſe nihil attinet, dum natura hoc opus ſola peragere atque ſuſcipere ſolet. Adjumentum duntaxat ipſi, quantum poſſibile præſtandum, ſanationiſque impedimenta tollenda. Ita corpus unâ vel alterâ vice per inferiora purgare poſſumus, inque hunc finem ſequens vel ſimile dare; v. gr.

Curatio.

℞. *Panac. ſolut. alcal.* ℥ß.
Scam. ♀*rat gr.* viij.
Ol. ſtillat. Aniſ. gutt. iv.
M. f. Pulv. ſubt. div. in 4. *part. æqu. ad ch.* Quotidie mane doſis cum *tenui Amygdalar. dulc. Emulſione* hauriatur.

Dein quod topica concernit medicamina, in *Craſſitie* & *Inæqualitate*

Inæqualitatis.

tate Unguium emollientia applicanda veniunt; hinc v.g. *Adipem porcinum* vel *cervinum*, aut *ovillum* ſuper linteum expandunt, ac circa Unguem ligant, ſingulis triduis dein renovando, usque dum vitium fuerit correctum; licet etiam cum fructu *Maſtichen*, *Myrrham*, *Aloën*, *Olibanum*, *Ceram* &c. miſceant. Nonnunquam *Mercurius dulcis* additus adjumentum ulterius curationis affert. Nec nocebit, ſi *Spiritum Vini camphoratum*, *Eſſentiam Succini*, *Myrrhæ*, *Abſynth. Carminativam*, *Balſamum* quoque *Sulphuris*, cum *Oleo deſtill. Ceræ*, aut *Terebinth.* permiſceamus. Aliquando emollitus Unguis radi poteſt, hinc verò *Ceratum ſimplex*, vel *Emplaſtrum incogn.* ſive *ſantalinum* imponi. Si hæc non juvent, ipſeque Homo deſideret medelam iſti vitio nihilominus oppoſitam, tum *corroſiva* nonnihil *Aqua mercurialis* applicabitur ſubinde, donec Unguis ad decidentiam ſeſe paraverit. *Craſſitiem* denique Unguium impedit, ſi *Emplaſtrum adſtringens*, *ſiccans*, impoſitum aliquamdiu geſtetur v. gr. ex *Thure*, *Maſtich. Lapide Calaminar. Radice Biſtort. Tormentill. Angelic. Terr. ſigill. Cinnabar. Pice*, *Cerâ* ac *Terebinth.* compoſitum.

[...bri- ...i, Fiſ- ...a.] Ad emendandam *Scabritiem* & *Fiſſuras*, *Emplaſtrum* de *Ladano*, cum *Mercurio dulc. Cineribus* aut *Pulvere Tabaci*, *Cerâ*, *Camphorâ*, *Sulphure*, *Cinnabar. Sale armon. Colophon. Terebinth.* applicatur. Si Unguis decidat, novi ſuccreſcentia *Cerati ſantalini* applicatione promoveri poteſt.

Coloris Unguium mutatio corrigitur à Naturâ, hanc verò robuſtiorem reddit & alacriorem in hoc opere diſcutiens unum vel alterum remedium applicatum; v.gr. *Linteum Spiritu Vini camphorato*, aut *matricali* imbutū, diligenterq; calidè applicatum. *Coloris mutatio.*

Curvaturam Unguium emendare poteſt *Fomentatio* crebra, facta ex *Lacte* & *Aquâ*, cui *Radices Alth. Bardan. Malv. Fol. Parietar. Beton. Veronic. Alth. Violar. Agrimon. Malv. Meliſſ. Origani*, *Salv. Menth. Matricar. Baccæ Juniper. Laur. Semina carminat.* &c. fuerint incocta. Vel *Emplaſtrum Diach. cum Gumm. de Mucilag. de Galbano crocat. de Ladano*, *de Cicutâ*. &c. applicabitur. *Curvatura.*

Caſus Unguium ſoli Naturæ permittitur, intus autem aſſumuntur *Sanguinem purificantia*, præmiſſo *laxante*, ex *diaphoreticis* ac *abſorbentibus blandè ſpirituoſis* compoſita; item *Eſſentia Lignorum*, *Tinctura Myrrh.* ♄*n. Corallor. Succin.* &c. Scalpello etiam ſubinde Ungui decidenti admoto tentabitur citior ejus caſus. Separato autem Ungue veteri, dum *ſuccreſcens* novus adhuc tener, maximè ſenſibilibus fibris impoſitus, atque lento admodum gradu indureſcit, *Ceratum ſimplex* imponi poteſt, ſive *Digitale* ex illo factum applicari. *Decidentia.*

VNGVIUM EXCRESCENTIA in CARNEM moleſtiſſima eſt, ac ſæpius maximè dolorifica Affectio, quam corrigere aliter non licet, niſi circumſpectè per ſcalpellum inſtitutâ *Unguis excreſcentia in carnem.*

paulatinâ ſeparatione ; atque hinc ſtatim *Goſſypii* , *Spiritu matricali*, vel *Eſſentiâ Aloës* imbuti, intruſione inter Unguem & carnem, quò ſic nova accretio impediatur. Tandem ſuperflua Unguis magnitudo non niſi reſectione emendabitur.

VOCIS DEFECTUS, vid. *Aphonia*.

VOCIS ASPERITAS, vid. *Raucedo*.

VOLVULUS, vid. *Ileos*.

Vomica Pulmonis. VOMICA PULMONIS, eſt Apoſtema minus pelliculâ propriâ incluſum, atque in veſiculoſâ Pulmonis ſubſtantiâ è Sanguine extravaſato, in pus abeunte genitum, quod vel integrum, ſi magnum non fuerit, per tuſſim ejicitur ; vel prius rumpitur, ſuamque purulentam materiam, fœtidam exſpuit. Vomicæ tales ſubinde plures unâ vice lobos Pulmonis occupant, unde Phthiſis plerunque naſcitur. Vid. Titulum de *Phthiſi*.

Vomitio nimia. VOMITUS NIMIUS eſt Symptoma excretionis per gulam præternaturalis, quò omnia per os aſſumta vel mox, vel brevi iterum è Ventriculo expelluntur.

Pars affecta. Afficitur hic Ventriculus primariò, & ejus quidem tunica nervoſo-muſculoſa ; ſecundariò autem aliæ ſubinde partes afflictæ ſunt, cum quibus per conſenſum dein nervi ſtomachici ſpaſmodicè contrahuntur. Sic Nephritis, Colica, Paſſio hyſterica, Vomitiones poſt ſe trahunt.

Cauſa. Itaque *proxima* Vomituum cauſa eſt motûs tunicarum Ventriculi naturalis ſive vermicularis inverſio, & vehemens gulam verſus contractio, ubi per ſuperiora dein rejicitur, quicquid in Ventriculi capacitate hæret.

Irritationem autem eſſe cauſam antecedentem illius Tunicarum ſtomachicarum contractionis, nemo facilè negabit. Irritant, ſtimulant, vellicant illas fibras modò Succi heterogenei, ſpecificè acres, intra Ventriculũ è ſanguine, aut è duodeno per bilem & liquorem pancreaticum, vitioſâ qualitate imbutum, depoſiti: modò aſſumti Cibi ſalſi nimis, pingues, hinc vitioſè in ſtomacho fermentantes : modò ingurgitatio Veneni, aut emetici medicamenti vehementioris : modò inebriantium Liquorum ingurgitatio exceſſiva; unde *Vomitus idiopathicus* enaſcitur, atq; vocatur ; à quo diſtinctus eſt *Vomitus ſympathicus*, quem producit v. g. Calculus Renum irritans, ſ. Nephralgia, aut Paſſio hyſterica, aut Iliacus Affectus ; aut denique Colicus dolor acerbior, à ſuis cauſis obortus. Externi quoque aëris frigus ad Ventriculi regionem ex incuria admiſſum Vomitiones cauſatur. Prægnantes etiam Fœminæ, non ſecus atque Hyſtericæ vomituriunt ſæpè, ſi non quotidie mane aut veſperi, ſaltem ad certum aliquod tempus ; qui Vomitus Gravidarum non niſi à Succis acribus, ex ſuppreſſione menſium ad ventriculi glandulas depoſitis naſcitur. Qui *Barborum* Piſcium Ova devorant, ἄνω & κάτω plus minus graviter purgantur.

gantur. Solent aliquando etiam Thermales vel minerales Aquæ potæ primis diebus Vomitiones producere, quando ſaburram vitioſorum humorum, ſaliaque heterogenea, aut bilem adhuc aliqualem in ventriculi plicis deprehendunt. Sic & Ulcera Ventriculi, Scirrhi glandularum Oeſophagi, Vulnera Stomachi, Fracturæ Cranii cum Meningum ac Pericranii dilaceratione, Vomitionibus crebris anſam præbent. Ira vehemens, Terror ſubitaneus & ingens, Bilem in ventriculum effundendo, ſpiritusque vehementiùs exagitando ſæpè etiam Vomitionibus anſam præbent. Inflammatio, Gangræna Ventriculi huc etiam contribuunt. Febres continuæ ac intermittentes ſæpè cum Vomitibus incipiunt, quando videlicet ſaburra vitioſorum ſalſorum humorum inprimis viis hæret.

no- Quod *Prognoſin* attinet, Vomitus per ſe, niſi diuturnus admodum fuerit, & Hecticam poſt ſe trahat, periculum nullum in ſe habet. Cauſæ autem plures Vomitum producentes mortem portendunt; ſic enim Vomitus ab Ileo cum frigido ſudore corporis, lethalis eſt: ita Vomitus ab Ulcere, ac Vulnere Ventriculi aut Meningum propemodum lethalis evadit. Reliquæ ſpecies Vomitionum minus periculi habent; ſi tamen continuè per aliquot hebdomadas durent, tandem habituales evadunt, & Atrophiam lethalem inducunt.

atio. In *Curatione* ad cauſas attendendum; ſi enim Iliacus Affectus, ſi Paſſio colica, aut nephritica, ſi Vulnus Capitis, ſi Impprægnatio occaſionem dederit, curatio inſtituenda erit, prout ſub peculiaribus id titulis ſuo loco indigitatur.

Vomito à Veneno. Vomitus productus à Veneno aſſumto, per exhibitum aliud Vomitorium lene tollitur, v. gr. exhibendo *Radic. Ipecacuanh.* ʒß. vel *Radic. Aſar.* ℈j. cum *Gumm. Gutt.* gr. ij & *Salis ♀ri* ℈ß. frequentia Juſcula ſuperingurgitando. Deinceps Salia lixivialia, v.g. *Card. bened. Juniper.* &c. ad ℈j. cum *Elect. Orvietan.* vel *Theriac. Mithridat.* aut *Elect. Diaſcord.* ʒj. exhibendo. Adduntur quoq; *Pulveres alexipharmaci*, poſtliminiò pluribus doſibus ſumendi. Vid. Titulum *de Venenis.*

à Saburrâ Pituitæ in Stomacho. Saburra vitioſorum humorum ſi hæſerit in Stomacho, ante omnia etiam expurganda eſt illa, exhibito ſimili *vomitorio*; poſtea autem ſedandus eſt Vomitus, quod ſequentibus fieri poteſt medicaminibus; v. gr.

℞. *Conſerv. Roſ. rubr. vitriolat.* ʒj.
Bol. Armen. ppt. ℈j.
Salis Centaur. min. gr. xv.
M. f. cum Sacch. Bol. d. ad ch. Pro doſi aliquoties repetendâ.

Vel ℞. *Conſerv. Fl. Tunic. ⊖lat.* ℈ij.
Diaſcord. Fracaſtor. vel
Elect. Orvietan. ℈j.
Unic. foſſil.
Matris Perl. ppt.
Salis Abſynth. ana ℈ß.
Laud. opiat. gr. j.
Cum tantillo Syrup. Cortic. Aurant. & Sacch. f. Bolus d. ad ch. pro doſi ſemel quotidie repetendâ, usque dum Vomitus ceſſet.

Vel ℞. *Terr. ſigillat.*

Specif.

Specif. ſtom. Pot.
Corall. rubr. ppt.
Radic. Torment. ana ʒß.
Salis Abſynth. gr. xxv.
Nuc. moſch. gr. xij.
Sacch. alb. ʒiiß.
Laud. opiat. gr. iij.

M. f. Pulv. ſubt. d. ad ch. Mane ac veſperi ℈ij. *plus minus ſumantur cum Emulſione Amygd. dulc.*

Vel ℞. *Conſerv. Roſ. rubr.* ☉*lat.*
Fl. Tunic. ana ℥vj.
Nuc. Indic. condit. ℈ij.
Condit. Cydon. ʒij.
Conf. Hyac. incompl. ℈ij.
Matr. Perl. ppt. ʒß.
Salis Card. bened. ℈j.
Syrup. myrtin. q. ſ.
Theriac. cœleſt. ℈ß.

F. Mixtur. ad formam Opiat. d. ad ollam. Singulis 4. horis cuſpis cultri plenus capiatur.

Vel ℞. *Extract. Fol. Querc.*
Tormentill. aa. gr. vj.
Theriac. cœleſt. ℈ß.
Corall. alb. ppt. gr. xij.
Sangu. Drac. ver.
Myrrh. rubr. opt. ana gr. iij.
Eſſent. Caſtor. q. ſ.

M. f. Pilulæ num. 30. d. ad ſcatul. Sumantur quindecim pro doſi noctu horâ ſomni.

Vel ℞. *Conſerv. Flor. Papav. rhead.* ℥ß.
Conf. Hyac. inc. ʒj.
Roob Ribium
Pulp. Cydon. cond. ana ʒij.
C. C. uſt. ppt. ʒiß.

M. d. ad Pyxid. Sæpè hinc lambatur aliquid.

Vel *Theriaca Androm. ad* ʒj. *cum conſervâ Roſ.* aliquoties ſumpta prodeſſe poteſt. Imò talis *Theriaca* quoque in *Ovo ſorbili* deglutiri poteſt.

Si Febris nulla adſit, pro Potu ordinario inſerviet *Vinum rubrum bonum*, cui immerſum ſit *Fruſtum Panis toſtum*, cum *Pulvere Nucis moſchat.* & *Sacch.* ſæpè hinc per cochlearia ſumendo. Præſente autem Febre à *Vino* abſtinendum, ejusque loco *Lac Amygdal.* bibendum, vel *Tinctura Roſar.* cum *Syrupo Cydon.* mixta. Interdum *Clyſma emolliens* ac *detergens* eſt injiciendum.

De *Conditurâ Cornorum*, *Baccarum Cynosbat. Ceraſor. acid. Ribium, Cydon. Nucum Jugland.* aut ſimil. ſubinde aliquid deglutiri poteſt. Sequens Pulvis ſtomachicus quoque conducit:

℞. *Specier. aromat. roſ.*
diatr. ſantal. ana ʒj.
Flaved. Cortic. Aurant.
Rad. Tormentill.
Aron. ana ʒß.
Corall. rubr. ppt.
Cryſtall. alb. ppt.
Bol. Arm. ppt. ana ʒiß.
Nuc. moſch. ℈ij.
Sacchar. alb. ℥iij.

M. f. Pulv. ſubt. d. ad ſcat. Doſis m. ac veſp. ʒj. *ad* ʒij.

Si Bilis æſtuans & effuſa ſit in culpâ, *Acidularum potus* conveniens eſt; imò ſimul ſequens *Pulvis* bonus erit:

℞. *Corall. rubr. ppt.* ℈iiij.
☉*li* ♂*tis* ℈ij.
Sacch. roſat. ʒß.

M. f. Pulv. ſubt. div. in 4. doſ. æqu.

ad

ad ch. mane ac veſp. ſumatur doſis cum Aqu. Cichor. vel Taraxac.

Vel ℞. *Tinct. Corall. ♁n. ana* ʒiß.
Aqu. Cinam. cum Vin. deſt. ʒj.
Tinct. Catechu ʒß.
Eſſent. Opii liquid. ℈ij.

M. d. ad Vitr. Doſis mane ac veſperi 20. *ad* 30. *guttæ.*

Vel ℞. *Elix. ⊕li Mynſ.* ʒiß.
Tinct ♂t. adſtr. ʒj.
Aqu. Cinam. ʒß.

M. d. ad Vitr. Doſis ut ſupra.

Externè regioni ſtomachi applicari poteſt *Emplaſtrum de Tacamahacâ, de Baccis Laur. de Cruſtâ Panis* v. gr.

℞. *Empl. de Cruſt. Panis* ℥iß.
Gumm. Tamahac. ℥ß.
Pulv. Fol. Menth.
Myrt. ana ʒj.
Hypociſtid. ʒiß.
Picis ʒj.
Ceræ & Tereb. ana q. ſ.

M. f. Emplaſtr. alutæ inducendum, & Stomachi regioni imponendum.

Vel ℞. *Gumm. Tamahac.* ʒij.
Maſtich. ʒiß.
Laccæ flor.
Styrac. calam.
Succi Acac.
Hypociſt.
Nuc. moſch.
Folior. Abſynth.
Abroton. ana ʒj.
Ceræ & Tereb. ana q. ſ.

M. f. Emplaſtr. ut præcedens imponendum.

Vel ℞. *Maſtich. elect.* ʒij.
Olibani.
Nuc. moſch.
Theriac. Androm. ana ʒj.
Ferment. panis ℥ß.

Miſc. & Alutæ inductum impone Scrobiculo Cordis.

Vel ℞. *Emplaſtr. catagmatic.* ℥ß.
Maſtich. elect.
Nuc. moſch.
Theriac. Androm. vel
Elect. Orvietan. ana ʒj.

Cum Oleo Cydon. f. Empl. d. ad ch. & regioni Stomachi imponatur.

Vel *Fruſtum Panis toſtum*, aut *Muſcus Acaciæ pulveriſatâ Nuce moſchatâ* conſpergitur, hinc *Vinum rubrum*, aut *Acetum calens* tantillâ quantitate affunditur, & ita calidè Stomacho applicatur. Vel *Sacculus* ex *Abrotono, Abſynth. Menthâ, Calaminthâ, Tanaceto, Origano, Rutâ*, ſiccis, ac tenuiter inciſis, nec non *Cinamom. Zingiber. Nuce moſchat.* concinnatur, & calefactus ſtomachi regioni, ſequenti *Balſamo* prius inunctæ, applicatur.

℞. *Unguent. pomat.* ʒij.
Ol. Nuciſt. expr.
Maſtich.
Cydonior.
Myrtin. ana ʒj.
deſtill. Menth. ℈ß.
Balſ. Peruv. ʒj.

M. d. ad Pyxid. & bis vel ter quotidie inungatur.

Sacculus ille etiam *Vino rubro* incoqui, expreſſusque apponi poteſt.

Aliquando *Pulpa Cydoniorum in Vino rubro ad pultis conſiſtentiam cocta*, cum *Pulvere Cinamom. Garyoph. Cruſtæ Panis probè toſtæ, Nucis moſchat. Maſtich. Menth. Abſynth. Card. bened. Tanacet.* aut ſimilibus, *Fermento* item *Panis*, ac *Vino* denique ulteriore *rubicundo*

bicundo in *Cataplaſmatis* formam redigitur, & ſic calidè applicatur.

Sunt qui *Ovum gallinaceum* jugulo applicant, ac *Fruſtum panis* naribus continuè admovent ad Nauſeam Vomitumque præcavendum. Alii etiam *Balſamum peruv.* in *Spiritu matricali* vel *Anthos*, *Ceraſ. nigr.* diſſolvunt, hincque Ventriculum illinunt, Linteaque calida imponunt. Tandem ſuademus *Pellem Cati ſylveſt.* aut *Leporin.* aut *Cygneam* ſtomacho ſemper applicandam.

VRETHRÆ MORBI, vid. *Virgæ Affectus.*

VRINÆ ARDOR, vid. *Dyſuria & Stranguria.*

VRINÆ INCONTINENTIA, vid. *Mictio involuntaria.*

VRINÆ STILLICIDIVM, vid. *Stranguria.*

VRINÆ SVPPRESSIO, vid. *Iſchuria.*

UTERI MORBI, vid. *Matricis Affectus.*

VVEÆ PROCIDENTIA, vid. *Oculorum Tunicæ Uveæ Morbos.*

Vulnus. VVLNVS eſt ſolutio continuitatis in parte corporis molli, à vi quadam externâ, v. gr. inſtrumentis pungentibus, ſecantibus, lacerantibus, contundentibus; vel ab ictu in caſu ab alto &c. facta ſive producta.

Pars affecta. Pro partibus affectis non tantùm adgnoſcimus externas, immediatè ab objectis externis offenſibiles, ſed & internas, quæ ſimiliter lædi poſſunt à vi externâ, dein ſive extus in cute læſio quædam appareat, ſive non. Ita accidit die 4. Martii Ann. 1710. ut Juvenis globulariæ arti addictus, *Joh. Georgius Lang, Argentinenſis*, heic Baſileæ ſub veſperam horâ 8. domum ſuam repetiturus ad truncum arboris in plateâ jacentem hypogaſtrium ſuum graviter allideret, unde ſtatim Iſchuria ſubſequuta, cum vomitibus crebris, dolore inſigni Abdominis, ſine ullâ externâ læſione apparente; mortuus eſt d. 9. Martii, adeoque quintâ ab ictu ſive contuſione acceptâ die, in cujus aperto dein Cadavere filius meus *Johannes Rodolphus, Medic. Cult.* invenit Abdomen aquis, plures menſuras efficientibus, repletum, in tractu quoque Inteſtinorum Inflammationem, atque fundum Veſicæ gangrænatum, ac tanto foramine apertum, ut Nux moſchata facilè transmitti potuiſſet. Unde judicavimus, Veſicam tempore accepti vehementis ictûs urinâ repletam fuiſſe, hincque per contuſionem dictam in regione Hypogaſtrii factam, diſſilitionis illius Veſicæ cauſam extitiſſe; indeque proveniſſe, quòd per catheterem in Veſicam aliquoties debitâ cum circumſpectione intruſum nulla urina profluebat, quoniam videlicet omnis per Vulnus Veſicæ in Abdominis cavum effluebat.

Differentia. *Differentiæ* Vulnerum ſunt penè innumeræ, ſive partes præciſè læſas, ſive naturam læſionis, ſive inſtrumenta vulnerantia, ſive ſymptomata juncta conſideremus.

Diagnoſis. *Diagnoſin* quod ſpectat, externarum

orum quidem Partium vulnera ad oculum patent; internarum autem Partium læſiones non niſi per ſagacem judicioſi Medici conjecturam ſciri ac detegi poſſunt. Sic in Pectoris vulnere ſi Sanguis cum Tuſſi rejicitur, & aër è vulnere egrediatur, indicium eſt, inſtrumentum vulnerans in thoracis cavitatem penetrando, ipſos Pulmones perfodiſſe.

Quando *Cor* eſt vulneratum, atque transfoſſum, ſanguis copioſus effluet, & Æger diu haud ſuperſtes erit: ſi Vulnus in ventriculum neutrum ipſius penetravit, palpitatio nihilominus ingens ſubſequetur cum circulatorio ſanguinis motu ſenſim langueſcente, ac tandem planè ceſſante. Si *Vaſa lymphatica* majora lacerata ſint, tum lymphæ quantitas in thoracis cavitatem profluet. Ubi *Diaphragma* eſt vulneratum, Spina dolebit, præcordia ſurſum trahentur, reſpiratio maximè difficilis erit, cum anxietate præcordiorum, gemitibus, dolore totam humeri regionem pervadente, atque ſpumantis ſubinde ſanguinis effuſione. *Medulla ſpinali* vulneratâ Nervorum ſequetur quorundam reſolutio, aut tenſio, cum ſenſûs imminutione aut ablatione; hincque tandem involuntariâ ſive fœcum alvinarum, ſive urinæ, ſive ſeminis excretio ſuccedet. Vulnera à venenatis inſtrumentis inflicta brevi ſicca evadunt, & in circumferentiâ ſui pallida, livida, & quaſi cadaveroſa evadunt: accedunt ſimul Deliquium animi, Cordis palpitatio, Capitis obfuſcatio, Spaſmi artuum, aliaque ſymptomata; tandem ſupervenit Sphacelus, mortis imminentis, brevique ſubſequentis prodromus. Symptomata, quæ Vulnera multoties comitari ſolent, ſunt Dolor plus minus acerbus, Hæmorrhagia, Febris continua, Inflammatio, aliave modò hæc modò illa, pro Vulnerum diverſitate variantia.

Cauſæ Vulnerum ſunt diverſæ res aut inſtrumenta, quibus unitas partium corporis noſtri violenter diſſolvi poteſt, ſive dein res illæ ſint perforantes, aut pungentes, uti habentur acus, gladius, haſta, ſpina piſcis, ictus, ſtylus, fruſtum vitri, morſus beſtiarum, imò hominum iracundorum, globuli ſclopetarii, ſagittæ, atque alia quamplurima: ſive res ſint ſecantes, uti enſis, culter: ſive contundentes, uti pugnus, baculus, contuſio ex lapſu, lapis &c. quibus tubuli, ſive canaliculi noſtri corporis plus minus graviter lædi, atque dividi ſolent. *Cauſæ.*

Circa *Prognoſin* multa occurrunt monenda, quoniam plurimum intereſt ſcire, utrum vulnus periculoſum, nec ne? Utrum abſolutè ſit lethale, ita ut vulneratus nullo modo ſalvari queat? vel utrum per accidens tale evadat? Difficile autem, & res periculi plena, de Vulnerum naturâ & conditione judicium ferre, atque ſic renuntiationem eorum adcuratam inſtituere: qualis quidem à Judicibus, Magiſtratibus & Jureconſultis requiritur ad ſententiam inculpatam formandam, juſtitiamque debitam adminiſtrandam. Merentur legi, quæ de *Prognoſis.*

de hoc argumento fuſiùs ſcripſerunt *Ammannus* & *Bohnius*, Medicinæ Profeſſores in Academiâ Lipſienſi celeberrimi.

Quæ Vulnera punctim ſunt inflicta, ac inprimis Nervos tetigerunt, periculoſiora ſunt cæſim factis, plerunque enim Convulſiones lethales poſt ſe trahunt. Suſpecta etiam ſunt Vulnera, quibus inflammatoria Febris, magno dolori conjuncta, cum ſpaſmodicis membrorum ſubſultibus accedit; præprimis ſi Æger primis diebus non ita malè habens ſine manifeſtâ cauſa in deterius ruat. Synovia, ſive lymphaticus ſuccus affatim è Vulnere profluens, ſignum eſt vaſa lymphatica copioſa eſſe dilacerata, ac ſubinde ad mortem homines comitari. Si autem Tendo, vel Nervus, Arteria aut Vena planè diſciſſa eſt, minus periculi habet, quàm ſi punctæ tantùm & lancinatæ graviùs fuerint.

Quod ſi Pus laudabile, maturum in vulnere mox appareat, & continuet poſtea, ſignum eſt ſalutare, ſanguinis nimirum boni, adeoque brevi ſanitatem promittentis.

Quæ tempore æſtivo, aëre exiſtente fervido accipiuntur Vulnera, utut videantur exigui eſſe momenti, contemnenda tamen minimè ſunt, nec ſuperficialiter tractanda, præſertim, ubi corpus Ægrotantis fuerit cacochymicum; Gangrænam & Sphacelum poſt ſe promtè trahens. Sed & Vulnera gelido ſub æthere inflicta ſæpius evadunt periculoſa, ubi nimirum aër rigidus in cavitatem Vulneris copioſè irrepſit; etenim frigida aura, ſuccos in Vulneris cavitate collectos coagulando aut incraſſando, Inflammationem, Gangrænam ac Sphacelum creberrimè poſt ſe trahit; obſervatur autem inprimis, quod Vulnera diutius aëri libero, ceu putrefactivo expoſita Sphacelum citius adquirant, & tardius quoque ſanari queant.

Sic & Vulnera à globulis Sclopetorum facta gravius quàm alia damnum inferunt, non tam ob aduſtionem, quàm propter plurimarum fibrarum, atque tubulorum vehementem concuſſionem, dilacerationem, atque diſciſſionem. Vulnera porrò, quorum labia valde disjuncta ſunt, difficilius ſanantur, quàm alia, in quibus labia promtius conjungi & uniri poſſunt.

Vulnera in articulis, præcipuè cum globulis ſclopetariis facta, in quibus Tendines muſculorum valdè lacerati, imò ſimul Oſſium extremitates contritæ fuerunt, plerunq; cum ſuperveniente Gangrænâ & Sphacelo Hominem auferunt, niſi id membri maturâ amputatione præcavere ſuſtinueris. Si verò nulla ſimul fuerit Oſſis contritio aut fractura facta, Vulnus adhuc ſed tardè nihilominus ſanabile erit.

Vulnera Cerebri, Cordis, Ventriculi, Pulmonis, Hepatis, Diaphragmatis, Inteſtinorum, Arteriarum grandiorum, inprimis profundiora, & in quibus Vaſa majora ſanguinea læſa fuerunt, cum largâ ſanguinis effuſione ſubſequente, letha-

lia

lia ferè per ſe, atque immedicabilia ſunt.

Vulnera ab Animalibus rabidis morſu inflicta, ſicubi Nervos laceraverint, atque Hydrophobiam aut Spasmos intulerint, lethalia plerunque fuerunt.

Requiritur itaque in Vulnerum *Curatione* 1. ut res alienæ, ſi quæ inſunt, è Vulnere probè extrahantur, ſordesque eluantur. 2. Ut Hæmorrhagia præſens ſiſtatur. 3. Ut labia Vulneris recentis nimium disjuncta ſtudioſè disjungantur. 4 Ut remedia digerentia, ſerum acrius corrigentia, quò maturiùs pus laudabile è ſuccis affluentibus gignatur, Vulneri indantur; quemadmodum ſunt *Balſama vulneraria*, *Unguenta digeſtiva*, pulveres ſine morſu ſiccantes &c. 5. Ut deinceps conſolidatio, partiumque conglutinatio, niſi vel Venenum latitans, vel Oſſis fractura contrarium poſtulet, per ſimilia *Balſama*, vel *Plantas traumaticas ſucculentas* contuſas, aut foliatim impoſitas, non ſecus atque per *Potiones* internas *vulnerarias*, *Pulveres abſorbentes*, atque *Tincturas traumaticas* promoveatur. 6. Ut Affluxus ſeroſi avertantur, ſive per *Venæſectionem* in Plethoricis, ſive per *hydragoga*, *diaphoretica*, *diuretica*, *diætam* denique *ſiccantem* nonnihil. 7. Tandem ut Symptomata ſupervenientia debitis remediis mitigentur, eorundemque cauſæ tollantur.

In recentibus itaque Vulneribus Sanguis non ſtatim omnis eluatur, quoniam inſtar Balſami animalis eſt, Vulnus citò conglutinantis; etenim Sanguis Hominis exiccatus ac Vulneri inſperſus illud brevi conſolidat, niſi quid extraordinariè id impediat. Operarii autem ſuum heic gluten ſtatim, nec ſine ſucceſſu imponunt, quaſi Glutine aliâs ſive naturali, ſive artificiali etiam *Balſama* quævis *vulneraria* abundare ſolent; v. gr. *Balſamus peruvianus*, *de Copaibâ*, *Opobalſamum*, *Terebinthina chia*, *Maſtiche*, *Reſina larignea*, *abiegna*, *picea*, *Thus*, *Gummi Arabic.* &c. Quibus jungimus *Pinguedines Porci*, *Murium alpinorum*, *Serpentum*, *Viperarum*, alias. Habent hinc *Poterius*, *Würtzius*, *Hildanus*, *Arcæus*, *Barbette*, alii, ſua *Balſama vulneraria*; nobis ſatisfecit hucusq; *Balſamus vuln. Mangoldi*, vel ſequens aliquis:

℞. *Olei Fl. Hyperic. & Summitat. Gallii lutei per triplicem Infuſ. parati* ℥ij.
Terebinth. chiæ opt. ℥ß.
Pulv. Maſtich. elect.
Myrrh. rubr. ana ʒj.
M. d. ad. Ollam.

Vel ℞. *Olei Olivar. rec. haud ſalit.* ℔j.
Flor. Hyperic. Miß.
Loti hortenſ. odorat. Mj.
Summit. Virg. aureæ Mß.

Inciſos hos Flores prius Vino rubro albo ferventi immitte, aliquoties bullire ſine; hinc ſi Vinum rubicundum evaſit, per colum exprime, Oleum Olivarum miſce, & coque ad Vini conſumptionem, ſic obtinetur Balſamum Vulnerarium excellens; cui pro lubitu, præprimis in Vulneribus Nervorum ac Tendinum addere licet Terebinth. opt. ℥ß. *Lumbric. terreſtr. pulveriſ.* ʒiij. *Ol. ſtillat. Lavend.* ℈ij.

Vel ℞. *Summit. Virg. aur.*
Hyperic.
Fol. Pyrol.
Millefol.
Gratiol. ana Mj.
Flor. Calendul.
Tuſſilag.
Calthæ paluſtr.
Conſolid. maj. ana Mß.
Olei Olivarum recent. ℔iij.
Axung. Porc. probè mundat. ℔j
Terebinth. Venet. opt. ℥vj.
Croc. oriental. ver. pulver. ʒij.

Inciſa miſce diligenter, & ſepone in Ampullâ vitreâ amplâ optimè clauſâ in Fimum equinum per aliquot menſes, poſtea Ampullam exime, atque Balſamum egregiè vulnerarium exprime, uſuiq; aſſerva.

Vel ℞. *Axungiæ porcin. Aqu. Plantag. probè lotæ* ℥iij.
Ol. Olivarum, à quo Vinum rubrum per coctionem abſtractum eſt. ℥iß.
Terebinthin. Venet. ℥ß.
Balſam. peruv. ʒvj.

M. d. ad Ollam.

Unguenta maturantia & digeſtiva

Quod ſi aliquot dies prærerierunt, *Unguenta maturantia* ſive *digeſtiva*, quæ ſimul *exterſiva* ſint, in uſum vocantur, cum vel ſine Turundis, compoſita ex *Terebinthinâ Vitello Ovor. ſolut. Maſtich. Myrrh.* addunt alii quoque *Colophonium, Olibanum, Aloën, Gummi Elem. Mel.* &c.

Eſſentia amara.

Si opus eſt deterſione, *Eſſentia amara* ex *Aloë, Myrrh. Rhabarb. Centaur. min. Abſynth. Gratiol.* cum *Spirit. Vini* extracta miſcetur.

Sarcotica

Ubi Caro reſtituenda eſt, *ſarcotica* uſurpabuntur, ex modò dictis concinnata, cum *Radic. Ariſtol. rot. ver. Ireos flor. Conſolid. maj. Sanguine Dracon. Mumiâ, Balſ. peruvian. Tolutan. Herb. Gratiæ Dei, Sanicul. Pyrol. Beton. Flor. Verbaſc. Melilot. Sarcocoll. Tut.*

Epulotica.

Cicatrix inducitur tandem per *epulotica*, qualia parantur è *Solano, Cynogloſſâ, Saniculâ, Vincâ pervincâ, Radice Tormentill. Ulmar. Virgæ aur. Aloë, Myrrhâ, Maſtiche, Lapide calaminar. Tutiâ, Emplaſtro gryſeo, Opoteldoch, Diapalma, de Minio, de Gratiâ Dei.*

Hæmorrhagia ſiſtenti

Hæmorrhagiam Vulnerum ſiſtit maximè *Pulvis* aut *ſubſtantia Crepitûs Lupi, Muſci, Flor. Roſar. rubr. Terr. ſigillat. Bol. armen. Sanguin. Dracon. ver. Lapid. Hæmat. ppt. Farina volatil. Pili leporini exuſt. Sanguis Hirc. ppt. Colcothar Vitriol. Alumen crudum, Colophonium, Maſtiche, Ichtyocolla, Gallæ, Myrrha, Vitriol.* &c. quæ ſub formâ *Pulveris* cum *Spiritu Vini, Lardo, Albuminiq; Ovorum* permiſta, *ſtupæq;* vel fruſto *Crepitûs Lupi* impoſita Hæmorrhagiam feliciter ſiſtunt. Aliquando *Cauterium actuale* eſt applicandum, ſicubi vaſa grandiora fuerint rupta.

Syno

Synoviæ pertinacem fluxum ſiſtit *Fomentum* ex *Decocto Radic. Tormentill. Biſtort. Urtic. Beton. Scord. Chamædr. Polygon. Bol. Armen. vel commun. Symphyt. Siderit.* &c. in Vino facto paratū.

Ano na Vuln bus voru

Dolorem Vulnerum ob Nervorum dilacerationem leniunt *Olea deſtillata Succini, Terebinth. Chamom. Lavendul. Majoran. Bacc. Juniper. Spic.* non ſecus atque *Succi Fol. Conſolid. major. Alth. Verbaſci* &c. ſi cum *Unguento digeſtivo* permiſceantur. Idem præſtant *Axungiæ Murium*

Murium alpinor. Caſtorei, Viperar. Homin. Anſer. Anatum, Balſama vulnerar. Peruanus, Tolut. &c. ſociata. *Fomenta* quoq; ex *Herbis nervinis* atq; *traumaticis, Solano, Nicot. Verbaſc. Pariet. Salviâ, Meliſſ. Major. Beton. Flor. Chamom. Melilot. Samb. Tuſſil. Primul. Veris, Axungiâ Porci*, invicem in *Vino* decoctis parata & applicata.

D... uti- ...m.

Inflammationem diſcutimus modò dictis *Fomentis*, non ſecus ac aliis ſub titulo de *Inflammatione* aut *Sphacelo* in genere commendatis.

S...mus ...on- ...io.

Spasmum & *Convulſiones* Vulnerum avertimus, aut diſcutimus remediis antiſpasmodicis internis, ſub Titulo de Convulſione laudatis; extus verò adhibemus, quæ paulo ſuprà ad leniendos Vulnerum dolores adduximus. Inprimis etiam ſequens conducit; nimirum *Axungia humana, vulpina, Serpentum, porcina, caſtorina, cum Oleo Lumbric. terreſtr. Nuc. moſch. expr. Succin. Lavendul. Roriſmar. deſtill.* miſcetur & applicatur.

...nguis' ...gula-

Sanguis coagulatus per *Unguenta maturantia* externa, interna verò *diaphor.* ac *grumos diſſolventia* reſolvitur.

...o lu- ...rians.

Carnem luxuriantem abſumimus impoſito *Pulvere compoſ.* ex *Alumine uſto, Squamis uſtis, Gallis, Tutiâ ppt. Præcipitato rubro vel albo*; optimè tamen ferè cum *Eſſentiâ Myrrh. Aloës, Gratiolæ, Euphorb.* ſi plumaceoli immerſi diligenter applicentur.

...etero- ...nea ...lneri- ...us in- ...rentia

Si quid Vulneri inhæret *heterogenei*, promtè id eximendum; ſi verò eximi nequeat, applicari poterit *Emplaſtrum Barbettæ*, quod ſequens eſt: ℞. *Radic. Ariſtol. long. Dictamn. cret.* ana ℨiß. *Reſin. pic. colophon.* ana ℥vj. *Succin. flav.* ℨiij, *Gumm. ammoniac. Opopan.* ana ℥j. *Fimi columbin.* ℨiij. *Olei laurin.* ℥ß. *Picis ac Terebinth.* ana *q. ſ. Miſc. f. Emplaſtr.* Admiſcere licet huic Emplaſtro *Pinguedinem leporinam, Fimum anſerinum, Lumbricos terr. ppt.* Vel *Emplaſtrum magnetic.* aut de *Cicutâ* applicari poteſt.

Venenata Vulnera.

In *Venenatis Vulneribus*, externè Cucurbitulæ cum ſcarificatione, aut Hirudines applicantur; eluuntur tamen prius Vulnera *calente Urinâ*, vel *Aquâ*, in quâ *Sal Abſynth.* aliudve diſſolutum fuerit. *Cataplaſma* quoq; imponi poteſt ex *Roob Sambuc. Juniper. Orvietano, Mithridat. Theriac. Androm. Pulv. Mum. Fimi columb. Aloës, Myrrh. Oliban. Aſæ fœtid.* &c. quæ cum *Oleo Scorpionum* ac *Rutæ* miſcentur.

Vulnera Nervorum ac Tendinũ.

In *Vulneribus Nervorum* atque *Tendinum* ea uſurpantur, quæ ſuperius ad Dolores leniendos commendavimus. *Fomentatio* heic inprimis conducit, ex *Herbis Betonic. Chamædr. Siderit. Chamæpith. Lavendul. Scord. Alliar. Salv. Scabioſ. Aneth. Abſynth. Abrot. Centaur. min. Origan. Calaminth. Puleg. Serpill.* &c. in mediâ parte *Vini* & *Aquæ* decoctis parata, atque cum linteis ei immerſis ſæpius applicata.

Vulnera Sclopetorum.

In *Vulneribus Sclopetorum ictu* inflictis *Digeſtivum* uſurpatur ordinarium, cum *Theriacâ, Oleo Roſar. Lil. alb. Scorpion. Axungiâ porci, Balſamo Samaritan.* miſtum. Si Globus ſclopedarius, vel portio inſtrumenti vulnerantis inhæſerit Vulneri omni arte illud eximendum. *Emplaſtrum* dein *Opoteldoch*, vel *Diaſulph. Rulandi*, vel ſequens imponi-

ponitur ℞ *Lithargyr.* ʒvj. *coque & diſſolve probè in Oleo Hyperic.* vel *Balſamo Samar. q. ſ. miſce dein Pulver. Radic. Ulmar. Torment. Caryoph. Myrrh. Oliban. Maſtich. Terr. ſigill. aa.* ʒij. *Axung. Porc.* ℥j. *Ceræ* atq; *Terebinth. ana q. ſ. ut fiat Emplaſtr.* Turundæ *Digeſtivo* ſemper inunctæ Vulneribus imittuntur tepidè, ac ſtudioſè caveatur, ne quid unquam frigidè Vulneribus applicetur; neve aëri, præprimis impuro aut frigido acceſſus diuturnus concedatur, à quo putrefactio augeri maximè ſolet. Solent hodierni Chirurgi, præprimis in Galliâ, *Aquam traumaticam Sclopetariam,* quàm *Eau d' Arquebuſade* nuncupant, Vulneribus calidè ſingulis deligationibus inſpergere & injicere, ac deterſionem, & conſolidationem promovendam, atque accelerandam.

Decocta traumatica. Inprimis ſolent curationem Vulnerum maximè juvare intus varia *Decocta traumatica*, atq; *Eſſentiæ vulnerariæ, Pulveres* atq; *Pilulæ* ſimiles. Inter *Apozemata vulneraria* ſequens præprimis efficax ſemper deprehendimus ℞. *Herb. Sanic. Pyrol. Artemiſ. Card. bened. Betæ, Beton. Chamædr. Alchym. Sum̃it. Virg. aur. Hepat. nob. Fragar. aa.* Mß. *Inciſa coque in Aqu. font.* ℔iiij. *& Vin. alb.* ℔j. *Colaturæ bibantur quotidie m. ac v. unciæ quatuor calidè.* Pro *Eſſentiâ traumaticâ* inſervit illa *Wedelii.*

Extractum traumaticum. Quod ſi *Eſſentiam* hanc per abſtractionem aliqualem Spiritûs ad mellaginem redigas, habebis *Extractum vulnerarium*, cum quo dein *Myrrha, Diaphoret. jovial. Bol. Arm. ppt. Corall. rubr. ppt. Succin. alb. ppt. Mater Perl. ppt.* ac ſimilia, addito *Oleo Terebinth.* vel *Lign. Saſſafr. deſtill. Pilulæ traumaticæ* fieri ſolent, & diligenter uſurpari. Sicut etiam *Pulveres* ad eundem effectum conſequendum componuntur, ex *Radicib. Irid. florentin. Ulmar. Caryophyll. Herbis Alchymill. Lich. petr. Sanicul. Pyrol. Diaphor. jovial. Specif. ſtom. Pot. Spodio ex Ebor. ppt.* ♃ *n. diaph. Succin. albo aut flav. ppt. Corall. rubr. ppt. Ocul.* ♋ *ppt. C. C. uſt. ppt. Semine Perfoliat. Hyperic. Bol. Armen. Terr. ſigillat. Myrrh. Rhabarb. elect. Virgâ aureâ.* &c. addito *Sacch. cand. alb.* *Pul... vuln... rius.*

Vulv... Tum... poſt p... tum. VVLVÆ TVMOR poſt PARTVM, eſt Morbus magnitudinis auctæ, ſubinde inflamatorius in Pudendis muliebribus, à nimiâ per tranſeuntem infantem extenſione, hincq; natâ obſtructione ac circulationis humorum retardatione originem trahens. Diſcutitur hic Tumor per *Olei Roſar. Lil. albor. Violar.* diligentem inunctionem, & *Fomenti calidi* applicationem, ex *Herbis diſcutientibus, Agrimoniâ* v. gr. *Scabioſ. Alliar. Scord. Sanic. Geran. Robert. Abſynth. Abroton. Meliſſ. Beton. Brunell. Anſer. Marrub. alb.* in *Vino* aut mediâ parte *Aquæ* decoctis conciñati.

Zoſte... Tibia... rum. ZOSTER TIBIARVM eſt exulceratio cutis Tibiarum puſtuloſa, à ſero ſalſo acri eò præcipitato, & ſubter cuticulam collecto originem ducens, dolorem ardentem, aut pruriginoſum Homini valde moleſtum excitans. Quoniam igitur hic Affectus ſecundùm omnia accidentia ſua non eſt niſi vera *Impetigo*, ideo LectoremBenevolum bonâ cum veniâ eò dimiſſum cupimus; atque heic finem Theatro huic Practico imponimus.

F I N I S.

DESCRIPTIONES
MEDICAMENTORVM
COMPOSITORVM
IN
THEATRO PRACTICO
HINC INDE COMMENDATORVM,

EVM IN FINEM ADJECTÆ
VT LECTOR

*COMPOSITIONES A NOBIS COMMENDATAS
MOX SCIRE POSSET*

NEC ALIVNDE CONQVIRERE
NECESSE HABERET.

A.

ACetum prophylacticum, vel Aqua prophylactica *Sylvii.*

℞. *Radic. Angelic.*
Zedoar. ana ℥j.
Petaſit. ℥ij.
Fol. Rutæ hortenſ. ℥iv.
Meliſſ.
Scabioſ.
Flor. Calendul. ana ℥ij.
Nuc. Jugland. immat. conciſ. ℔j.
Contundantur omnia & affundantur Aceti Vini opt. ex Arena in Cucurbitâ vitreâ ad tres quartas partes deſt. ℔xij. *tum per noctem digeſta mane deſtillentur leni cinerum igne, ad ſiccitatem ferè ſpecierum, cavendo tamen empyreuma; Acetum prolectum ſervetur ad uſum.*

Acetum Saturninum ſ. de Lithargyrio *Zwelferi.*

℞. *Lithargyrii ſubtiliſſ. trit.* ℔j.
Aceti acerrimi ℔ij.
Stent in Infuſione per dies aliquot, ſæpius agitando, donec Acetum probè dulcificatum extet; filtretur & uſui ſervetur.

Aniſum laxativum, ſ. Confectio Seminis Aniſi laxativa.

℞. *Semin. Aniſ.* ℥vj.
Diagryd. ℥iij. ʒij.
Maſtich. elect. ℥ß.
Spec. de Gemmis frig. ʒij.
diamarg. frig.
Cinamom. acut.
Caryophyll. arom.
Nuc. moſch. ana ʒj.
Sacch. alb. ℔v. ℥iv.
F. ſ. a. Confectio.

Aqua Antaſthmatica *noſtra.*

℞. *Radic. Ireos flor.* ℥j.
Helenii
Ariſtol. rot. ver.
Scillæ marin. ana ℥ß.
Folior. Meliſſ.
Hyſſop.
Salv. hortenſ. ana Mj.
Baccar. Juniper. ʒij.
Cinamom. opt. ℥ß.
Semin. Fœnicul.
Aniſi
Urticæ ana ʒij.
Cardamomi ʒiß.
Cubebar. ʒß.
Inciſ. & contuſ. affunde
Vini Malvat. opt. ℔iß.
Spir. Vin. ℔ß.
Aqu. Veronic.
Scabioſ. ana ℥viij.
Stent per quatriduum in leni digeſtione, poſtmodum adde
Herbar. rec. Naſturt. hortenſ.
Fol. & Flor. rec. Bellid. min. ana Mj.
Pulmon. Vitul. aut Vulp. rec. num. j.
Sang. Hirci rec. adhuc calent. ℔j.
Et ſtatim deſtilla ex M. B.

Aqua Antaſthmatica *Gieſſenſis.*

℞. *Radic. Enul. camp.*
Farfar. ana ʒvj.
Ireos flor.
Polypod.

Radic. Liquirit.
Gentian.
Caryophyllat. ana ℥ß.
Bacc. Juniper.
Lauri
Cinamom. opt.
Cardamom. ana ʒiij.
Folior. Salviæ
Majoranæ
Hyſſopi
Marrub. alb. ana Miß.
Radic. Squillæ ppt.
Sem. Fœnicul. Rom.
Urticæ
Ocymi ana ʒv.
Inciſ. & contuſ. affund.
Vini Hiſpanic. ver. ℔vj.
Spir. Vini rectif. ℔v.

Stent per aliquot dies, poſtea deſtillentur; Liquori deſtillato immitte

Amygd. dulc. rec. excort.
Paſſul. min.
Pinear.
Dactylor.
Sebeſten.
Jujubar. ana ℥j.
Ficuum ping. ℥iß.
Mellis deſpumat. ℥ij. ʒij.
Sacch. cand. rubr. vel alb. ℥xx.

Poſt accuratam digeſtionem filtretur Liquor & ſervetur.

Aqua Antihecticas compoſita.

℞. Herb. rec. Hyſſop.
Hed. terreſt.
Veronic.
Cent. min.
Adianth.
Scabioſ.
Cichor.
Herb. rec. Pimpinell. ana Pij.
Quinquefol.
Acetoſ.
Hepatic.
Pulmonar.
Flor. rec. Borragin.
Bugloſſ.
Papav. rhead.
Roſar. ana Pij.
Radic. Cichor.
Enulæ ana ℥ß.
Pimpinellæ ℥j.
Cancror. fluviat. contuſ. num. xxv.

Miſce & cum Lacte caprino infunde ac deſtilla ex M. B.

Aqua Antihectica noſtra.

℞. Sanguin. Porcelli domeſt. ſemeſtris quantum ſimul fundit.
Pulmon. Vitul. recent. num. ij.
Hepatis ejusd. rec. num. j.
Cochlear. eſculent. num. xx.
Radic. Tuſſilag.
Irid. flor.
Enul. camp. ana ℥ij.
Herb. rec. Cochlear.
Bellid. min. cum toto
Marrub. alb. ana Mij.
Veronic.
Lichen. petr. ana Mj.
Inciſ. & contuſ. affunde
Aqu. Hyßop.
Salviæ
Heder. terr.
Veronic. ana ℔ij.
Flor. Acac.
Scabioſ. ana ℔j.

Stent per 24. horas in digeſtione in Cucurbita vitrea, poſtea ex eadem Cucurbita in M.B. deſtilla; non autem ex Cucurbitâ cupreâ.

Aqua

Aqua Antihectica ſive contra Conſumptionem Corporis *Hartmanni.*

℞. *Mellis Virginei q. pl.*

Inunge Ollam non vitreatam recentem intrinſecus, poſtea Olla plantetur in acervum Formicarum, ita ut orificium Ollæ tegatur cribro mediocriter laxo, & ſic Formicæ currunt per cribrum & cadunt in Mel, in eodem hæſitantes nec recurrentes, atque ſic nihil impuritatum, vel palearum intromittitur. Supra collectarum Formicarum ſ. q. funde Spir. Vini q. ſ. Digere vaſe clauſo in B. M. per unum atque alterum diem, dein deſtilla per Balneum primo lentè, donec nimirum Spiritus Vini prodeat, quo ablato reliquum ebulliente B. deſtilla & reſerva.

Aqua Apoplectica *Bauhini* correcta.

℞. *Zingib.* ℥iß.
Nuc. moſch. ℥ß.
Cinamom. acut. ℥j.
Gran. Paradiſ.
Cubebar.
Macis
Piper. long.
Caſtorei ana ℥ß.
Herb. Menth. cattariæ rec. ℥ij.
Puleg. rec.
Flor. rec. Lavend.
Salviæ ana ℥iv.
Galang. min. ʒvj.

Herbæ & Flores recentes contundantur, reliqua verò pulveriſentur, & Ollæ vitreatæ immittantur, ita ut fiat ſ. ſ. ſ. primo herbas, deinde pulveres, iterumque herbas collocando; affundantur Vini albi veteris Miv.

Digerantur benè obtecta per dies 15. dein deſtillentur in cucurbita vitreâ ſ. ſtanneâ.

Aqua Apoplectica *noſtra.*

℞. *Fol. rec. Salviæ.*
Majoran.
Lavend.
Roriſmarin. ana Mj.
Betonic.
Thym.
Flor. Stoechados
Lilior. convall. ana Mß.
Radic. Calam. arom. ℥j.
Caryophyllat.
Galang. ana ʒij.
Cortic. Aurantior. ʒiß.
Cinamomi ℥ß.
Santalor. omnium ana ʒvj.
Nuc. moſchat. ʒiij.
Caryoph. arom.
Macis
Zingib. ana ℥ß.

Incid. & cont. omnia groß. indantur Lagenæ ſtanneæ, affunde
Vini albi veter. Miiß.

Stent per 9. vel 10. dies infuſa, poſtea deſtillentur & uſui ſerventur.

Aqua benedicta *Rulandi.*

℞. *Croc. Metallor. vel*
Vitr. ♁nii. q. pl.
affundatur huic vel illi
Vinum ad 8. digitor. eminentiam;

Digerantur per triduum, ſæpius de die movendo, tum factâ imprægnatione ſufficienti Vinum decantetur, & ad ſubſidendum reponatur, ac ſi quid intereà fundum petat, denuo decantetur Vinum, ac uſui ſervetur.

Aqua cardiaca Officinarum *noſtrarum.*

℞. *Aqu. Ceraſor. nigr.*
Meliſſ.
Violar.
Flor. Acac.
Borragin. ana ℥ß.
Cinamomi ℥j.
Roſarum ℥iß.
Flor. Tiliæ ℥j.
Julepi Roſar. ℥iij.
M. ad Vitr.

Aqua carminativa *Dorncreillii.*

℞. *Flor. Chamom. Rom.* Mxxxiij.
Cort. extim. Aurant. ʒvj.
Herb. Abſynth. pont. Mß.
Cent. min.
Puleg.
Origan. ana pj.
Sem. Anethi ℥ij.
Aniſi
Fœnicul.
Carvi ana ℥j.
Card. bened. ʒij.
Mariæ ʒvj.
Inciſ. & contuſ. infund. per octiduum in
Aqu. Chamomill. ℔vij.
poſtea diſtillentur ex Baln. Mar.

Aqua carminativa *Riverii.*

℞. *Flaved. Cort. Aurant. Citri aa.* ℥iß.
Calam. aromat. ℥j.
Galang. min. ℥iij.
Cinamom.
Semin. Aniſi
Fœnicul. ana ℥ij.
Cumini ʒvj.
Baccar. Junip. rec. ℥ß.
Lauri ℥iij.
Minutim inciſis affunde
Vini Malvat. ℔vj.
Stent in loco calido diebus circiter 6. poſtea deſtillentur ex Baln. Mar.

Aqua Caſtitatis *Mynſichti* correcta.

℞. *Semin. Agni Caſt.* ℥iß.
Rutæ
Nymphææ
Lactucæ
Papav. alb. ana unc. j.
Cannabis
Acetoſæ
Portulac.
Endiv.
Ammeos
Coriandr. ana ʒvj.
Rad. Diptam. alb.
Cynogloſſ.
Biſtort.
Ireos flor. ana unc. ß.
Santalor. omn.
Camphoræ ana ʒiij.
Herb. Abſynth. pont.
Menth. criſp.
Burſ. Paſtor.
Taraxaconis
Verbenæ
Folior. Salicis ana ʒij.
Inciſ. & contuſ. infundantur in
Vini rubri ℔x.
permittantur in digeſtione per octiduum, poſtea deſtillentur ex Baln. Mar.

Aqua cauſtica.

℞. *Spir. Vin. rectif.* unc. iij.
Pulver. Caryoph. unc. j.
Zingiber.

Pulv.

Pulv. Cinam. ana ℈ij.
Ceruſſ. ʒiß.
Alumin. uſt. ʒß.
Mercur. ſublim. comm. ʒiß.
Miſceantur optime & ſerventur in vaſe clauſo.

Aqua cordialis temperata.

℞. *Cinamom. acut.* ℥iij. ʒiij.
Cortic. Citr. exter. unc. ß.
Lign. Aloës opt. ℈ij.
Sant. citr. unc. ß.
Sem. Ocymi caryophyllat. ʒiij.
Galang.
Caryophyll. arom.
Maceris
Nuc. moſch. ana ʒiß.
Cardamomi ʒiij.
Flor. Lavend. ʒj.
Borrag. unc. j.
Roſar. unc. iiß.
Anthos. ʒß.
Croci Auſtriac. ℈ij.
Typh. C. C. ſucculent. rec. unc. iiij.
Inciſ. & trit. infundantur in
Succ. Pomor. redolent.
Rubi idæi ana ℔j.
Aqu. Borrag.
Bugloſſ. ana ℔iß.
Roſar. ℔iiß.
Ceraſor. nigr.
Meliſſæ ana ℔ß.
Diebus 8. in Vitr. clauſo aſſervata & macerata deſtill. ex B. M. in Aquæ prolectæ mediâ parte infundantur
Ambræ gryſ. ver.
Moſch. or. opt. ana gr. vij.
& reliqua medietas ſervetur incompleta.

Aqua Cordis Cervi compoſita.

℞. *Cor Cervi recens,*
Scindatur in partes minores, lavetur ex Vino optimo, & purgetur benè à ſanguine concreto, huic adde
Raſur. Lign. Saſſafras ℥j.
Caryophyllor.
Nuc. moſch. ana ʒiiiß.
Gran. Paradis. ʒij.
Cardamom.
Galang.
Calam. arom. ana ʒiiß.
Flor. Anthos
Roſar. rubr.
Violar. ana Mß.
Borrag. Piij.
Summit. Meliſſ. Miiß.
Semin. Citri
Sinapi albi ana ʒj.
Spec. elect. de Gemmis frig. ℈iv.
M. omnia, ac indantur vaſi vitreo, affunde
Vini Malvatici ℔viij.
deſtilla lento igne ex Organis vitreis.

Aqua confortativa uſitata *Auguſtana*, vid. *Pharm. Auguſtan.*

Aqua epileptica *Langii*, vid. *Pharm. Auguſt.*

Aqua ophthalmica *Tackenii pag.* 16. in ejus *Hipp. Chym.* ita deſcribitur:

Sume Calcis vivæ fruſtum,
Affunde Aqu. bullient. q. ſ.
Huic alcaaliſatæ Aquæ adde
Salis armoniaci tantillum, atque in vaſe æneo detineatur per noctem, tum induit cœleſtinum colorem, eſtq; multis Aqua ophthalmica ſecretiſſima.

Aqua

Aqua ophthalmica cœrulea.

℞. *Aqu. Flor. Cyani*
Chelidon. maj.
Euphraſ.
Roſar. ana ℔ij.

Miſc. ac ſuperfunde his Aquas Calcis vivæ recenter è furno extractæ, tunc filtratis adde

Phlegm. Urinæ cum Vitriolo alb. deſtill. ℔iij.
Salis armon. vel Urin. ℥iß.

Miſta ſtent in aurichalcino vaſe in loco frigido, ſæpius agitando, donec perfectè coloretur, tunc ulterius Solis radiis expone, filtra & ſerva ad uſum.

Aqua phagedænica *noſtra.*

℞. *Aqu. Calcis vivæ* ℔j.

Affunde guttatim Solutionis Mercur. ſublimat. in Aqu. Roſar. ſ. Plantag. fact. q. ſ. usque ad colorem luteum, vel plus minus flavum conciliandum, dein detur ad Vitrum, ac ſtatim uſurpetur.

Aqua phyſagoga *Auguſtana*, vid. *Pharm. Auguſt.*

Aqua phyſogona *noſtra.*

℞. *Flaved. Cort.* ☉*ant.* ℥iv.
Flor. Chamom. Rom. Mij.
Fol. Menth. criſp. Mj.
Sem. Aniſ.
Fœnic. ana ʒvj.
Cumini
Bacc. Lauri
Juniper. ana ʒiij.
Cinamom. acut. ℥ß.
Macis
Nuc. Moſch. ana ʒij.

Pulveriſata groſſo modo miſce & conſperge
Spir. ⊖*li.* ℥ß.
hinc affunde
Spir. Vini opt. ℔viij.
Vini generoſi ℔iij.

Stent per octiduum benè clauſa in digeſtione, hinc deſtilla lento ignis gradu; poſtea ad ℔j. *hujus Aquæ adde*

Sacchari in proprio phlegm. ſolut. ℥iij. *vel q. ſ.*

Aſſerva probè clauſam in Vitro.

Aqua prophylactica *Sylvii*, eſt Acetum prophylact. *ejusd.*

Aqua viridis *Plateri*, vide *Part.* 2. *Theatr. Praxeos hujus, pag.* 162.

Aqua viridis *Hartmanni* correcta, *Charas.*

℞. *Mellis roſati.* ℥ij.
Sulph. viv.
Alum. crud.
Virid. Æris ana ℥j.
Alb. græc. ʒij.
Comar. Sabin.
Sambuc. ana ℈j.
Flor. Hyper.
Roriſmarin.
Fol. Rutæ
Plantag.
Salviæ
Pulegii ana Mß.

Omnia excepto Viridi Æris per ſemiquadrantem horæ in Vini albi & Aqu. Solani ana ℔j. *coquantur; poſtea addito extra ignem Viridi Æris coletur Aqua viridis, & ſervetur ad uſum.*

Aqua

Aqua vitæ cum Caſtoreo, vid. *Aqu. vit. compoſ. Pharm. Aug.*

Aqua vitæ *Matthioli* vid. *Pharm. Auguſt.*

Aqua vitæ mulierum, vid. *Schroederi Pharm.*

Aqua vulneraria à Gallis Eau d' arquebuſade nuncupata.

℞. *Herb. Salviæ*
Artemiſ.
Conſolid. maj.
Brunell.
Saniculæ
Bugul.
Virg. aur.
Bellid. *min. & maj.*
Plantag. *utriusq;*
Beton.
Agrimon.
Verben.
Hyperic.
Taraxacon.
Abſynth.
Fœnicul.
Radic. Scrophular. ana Miij.
Vin. alb. opt. Mvj. *ita ut Menſ. ſit* 4. *librar. Herbæ omnes mundatæ & contuſæ & vaſi idoneo immittantur; hinc affunde Vinum, & digere per aliquot dies, dein deſtilla ſ. a. & extrahe circiter* 7. *vel* 8. *libras, uſuiq; aſſerva.*

Aqua vitæ rubra *Gieſſenſis.*

℞. *Cinamomi elect.* ℥j.
Zingib. ℥ß.
Caryoph. aromat.
Galang.
Cort. ☉*rant. ana* ʒij.
Inciſ. & contuſ. affund.
Spir. Frumenti Mvj.
Digere per aliquot dies, hinc deſtilla, Liquorem tinge cum Tincturâ Santali rubri, & cum ſ. q. Sacchari edulcora.

Aqua Zedoariæ compoſita.

℞. *Sem. Aniſ.* ʒvj.
Rad. Zedoar. unc. iß.
Cort. Aurant. unc. j.
Vini opt. Mß.
Mixta invicem deſtilla lento calore in Aquam ſtomachicam.

Arcanum duplicatum *Mynſ.*

Extrahe ex Capite mortuo Aqu. fort. ex Vitrioli & Nitri partib. æqu. deſtillat. cum Aquâ tepidâ Sal candidiſſimum. Hoc poſtea totum ſupra marmor ſubtil. tritum impone Cucurbitæ lutatæ, & ſucceſſivè augendo ignem ad horas 12. *ſecundum gradus, ſæpius agitando calcinetur; donec fundus cucurbitæ aliquomodo candeſcat. Et poſtquam omnia refrixerint, vitro rupto Sal eximatur, & de novo, ut primâ vice ſubtiliſſ. teratur, idq; unâ adhuc & alterâ vice repetatur, ſic verè præparatum erit.*

Aurum horizontale ſive Arcanarum ſolare.

℞. *Croci ſolaris benè edulcorati* ʒij.
Cinnab. ♁*n. per ſextuplicem ſublimationem correct.* unc. j.
In mortario invicem optimè tere & miſce.

B.

Balſamus apoplecticus, vid. *Pharm. Auguſtan.*

Balſamus Embryonum, vid. *Pharm. Auguſtan.*

Balſamus Galbani terebinthinatus.

℞. *Galban. triti* ℔ß.
Spirit. Terebinth. ℔j.
Digere dies aliquot, dein deſtilla ex Cucurbita humili vel Retorta, & uſui aſſerva.

Balſamus hypnoticus.

℞. *Ol. Nuc. moſch. expr.* unc. ß.
Lign. rhod.
Sem. Hyoſc. expr. ana ʒij.
Ung. Popul. ʒiij.
Croci ℥j.
Ambræ gryſ. ℈ß.
Moſchi gr. vj.
M. f. Balſ. ſomniferus.

Balſamus magicus *Pforzheimenſis.*

℞. *Ol. Hyper.* ℔j.
Vini opt. Mj.
Ol. Terebinth.
Lumbr. terr.
Philoſ. ana unc. ij.
Ceræ flavæ unc. j.
Axung. human.
Medull. cervin. ana unc. iv.
Viſci querni unc. j.
Semin. Antirrhin. unc. ß.
Hyper. unc. iß.
Fol. Perſicar.
Menth. criſp.
Rut. murar.
Polytrich.
Pyrolæ ana Miij.
Flor. Antirrhin. Mviij.
Hyper. Mvj.
Verbaſc. Mij.
Brunell.
Betonic.
Piloſell.
Chelid. maj.
Conſolid. ſaracen.
Chamomill. ana Miß.
Pomor. Momordic. Miij.
Baccar. Herb. Parid. unc. iß.
Rad. Serpentar.
Aronis
Ariſt. rot. ver.
Scrophular.
Symphyt.
Fabariæ ana unc. ß.
Inciſ. & contuſ. cum ſuperfuſo Vino coque in diplomate clauſo, adde
Croci ♂*tis aperit.*
Mumiæ
Maſtichis
Thuris
Myrrhæ ana ʒij.
Denuo coque leniter, poſtea per circulationem ponatur in æſtate ad Solem, hyeme verò ad fornacem.

Balſamus nervinus.

℞. *Salis volat. C. C.*
armon. elect.
Ol. Macis deſt. ana ℈j.
Spir. Vini alcool. unc. j.
Miſce ſtent per tempus, tunc filtra & ſerva ad uſum.

Balſamus odontalgicus *Michaëlis.*

℞. *Alumin. q. ſ. fluat in crucibulo, hujus dein*

℞. ʒj.

℞. ℥j.
Nuc. moſcat. num. j.
Mellis roſ. ℥iij.
M. f. Linimentum Gingivis applicandum.

Balſamus ophthalmicus *noſter*, vid.
Partis poſterioris Theatr. Prax. hujus pag. 270.

Balſamus paralyticus *Mynſichti.*

℞. *Ol. Galbani cum Spir. Thereb. deſt.*
Succini rectif. ana unc. j.
Chamom. Rom.
Caryophyll. ana ʒß.
Lavend. ℈j.
Nuc. moſch. deſt. ℥j.
expr. q. ſ.
M. f. Balſ. ſ. Linimentum molle.

Balſamus paralyticus, ſive Galbanetum *Paracelſi.*

℞. *Galban.* ℔ß.
Gumm. Heder. unc. iij.
Trita ſeorſim miſc. ac deſtilla per Alembicum in arenâ, deſtillato adde
Terebinth. ℔j.
Ol. Lauri
Spicæ ana unc. j.
Deſtilla denuò.

Balſamus vel Linimentum vulnerarium *Arcæi.*

℞. *Terebinth. clar.*
Empl. de Gum. elem. ana unc. iß.
Pingued. Capon. unc. ij.
porcin. antiqu. unc. j.
Liquefiant ad ignem & fiat Linim. ſ. Balſamus.

Balſamus vulnerarius Georgii Mangoldi.

℞. *Flor. Hyper.*
Verbaſc.
Lavend. ana rec. P iv.
Herb. Conſol. maj.
Sanicul.
Alchymill.
Salviæ
Plantag.
Ophiogloſſ.
Loti hortenſ.
Summit. Cent. min.
Solidag. ſarac. aa. rec. M ij.
Rad. Aſclepiad.
Ariſtol. rot.
Valerian.
Biſtort. ana rec. unc. iß.
Lumbric. terr. unc. iij.
Cancror. fluv. num. iv.
Olei Hyper. ſine Tereb.
Lumbric. terr. ana ℔ij.
M. digere per 8. *dies, poſtea coque ad ſiccitatem Herbarum, preloq; fortiter exprime, in Colaturâ autem ſolve*
Gummi Myrrhæ
Thuris
Maſtichis ana unc. iß.
Terebinth. lot. unc. j.
M. ad Vitrum.

C.

Collyrium *noſtrum* ophthalmicum.

℞. *Aqu. Flor. Cyan.*
Roſ. alb. ana unc. iß.
Succ. Hierac. rec. unc. ß.
Oſſi Sepiæ ppt.
Antim. diaph. ana ℈iiß.
Mercur. præcip. alb. ℈ij.

Mucilag. Semin. Cydon.
Aqu. Roſar. fact. ℥iß.
Miſce ad Vitr.

Confectiones, videantur in *Pharm. Auguſtanâ.*

D.

Decoctum ad Gingivas roborandas *Poterii.*

℞. *Fol. Roriſmar.*
Salviæ
Myrti ana Mj.
Cortic. Granat. unc. v.
Alum. crud. unc. j.
Bulliant in q. ſ. Aqu. & Vini. Ejuſmodi Decocto colluatur Os bis vel ter quotidie.

Decoctum helcocatharcticum *Foreſti.*

℞. *Rad. Liquirit.*
Malv.
Fœnicul.
Petroſelin. ana unc. ß.
Apii ℥ij.
Fol. Malv. Mij.
Parietar. Mj.
Semin. Malv.
4. frig. maj. ana ℥j.
Cicerum rubr. unc. ij.
F. omnium decoctio in Aqu. cōmun. q. ſ.
Colaturæ ℔j. *adde*
Mellis roſacei colat. unc. iij.
& uſurpa.

Species pro Decocto nephrocatarctico *Foreſti.*

℞. *Rad. Liquirit.* unc. iß.
Radic. Petroſel.
Fœniculi ana unc. ij.
Ireos flor. unc. iß.
Flor Malvæ
Biſmalv. ana ℥vj.
Sem. 4. frig. maj. exc. ana ℥v.
Fœniculi
Saxifrag. ana ʒiv.
Cicerum rubr. confract. ʒvj.
Sebeſten.
Ficuum ana num. 30.
Hordei mund. & prius loti unc. iij.
Inciſa & contuſ. craſſiusculè ſerventur ad uſum pro Decoctionibus inde parandis.

Diacodium *Montani*, vid. *Pharm. Auguſt.*

Diacydonium lucidum purgans.

℞. *Radic. Galang.* ℈ij.
Inciſ. affunde
Spir. Vini rectif. unc. iiß.
Extrahe Tincturam in loco calido, in qua filtratâ ſolve ſuper ignem
Reſinæ Scammon. unc. ß.
poſtea
℞. *Gelatinæ Cydon.* unc. viij.
Coque cum
Succ. Cydon. pur. unc. ij.
ad juſtam conſiſtentiam, cui dein adde ſolutionem Scammonii, & ſerva ad uſum.

E.

Electuarium benedictum, ſive Benedicta laxativa, vid. *Pharm. Auguſt.*

Electuarium diacatholicum, vid. *Pharm. Auguſt.*

Electua-

Electuarium hieræ picræ *Galeni* & *Logadi*, vid. *Pharm. Auguſt.*

Electuarium lenitivum, vid. *Pharm. Auguſt.*

Electuarium orvietanum, vid. *Schroed. Pharm.*

Electuarium è Succo Roſarum, vid. *Pharm. Auguſt.*

Elixir aperitivum *Clauderi.*

℞. *Salis Ciner. clavellat. de pur. q. p. ſuperfunde*
Aquæ pluvialis
Sambuci
Naſturtii
Cochlear.
Flor. Acaciar. ana q. ſ.
ad eminent. 4. vel 5. digitor. poſtea filtrentur, tunc verò
℞. *Aloës*
Myrrhæ ana ℥j.
Croci ℥ß.
Groſsè pulveriſatis affunde Liquorem & ſtatim colorabitur, ac fiet Elixir, quod filtratum ſervetur.

Elixir balſamicum *Helffrici Jüngken.*

℞. *Radic. Angel.*
Imperator. ana ℥ij.
Zedoariæ ℥j.
Cinamomi ℥ß.
Caryophyll. arom. ʒij.
Cubebar. ʒiij.
Croci orient. ʒiß.
Myrrh.
Thuris
Maſtichis ana ʒvj.
Camphor. ʒj.
Benzoin
Styrac. calam. ana ℥ß.
Inciſ. & contuſ. affunde
Tinctur. ♀*ris* Miß.
& fiat ſ. a. Elixir.

Elixir cephalicum *Wedelii.*

℞. *Rad. Pœon. mar.* ℥j.
Galang. min.
Valerian.
Doronic.
Folior. Rorismarin.
Mari veri
Salviæ ana ℥ß.
Flor. Anthos
Lavendul.
Lilior. convall.
Pœoniæ
Stoechad. arab.
Betonic. ana ʒij.
Cubebar.
Succini ana ʒvj.
Viſci corylin.
Lign. Aloës
Ladani ana ʒiij.
Coſti veri
Anacard. ana ʒj.
Conciſ. extrah. cum Spir. ⊖*li cephal. & f. ſ. a. Elixir.*

Elixir matricale ſ. uterinum, vid. *Pharm. Auguſt.*

Elixir nephriticum *noſtrum.*

℞. *Rhabarb. elect.*
Liquirit. ana ʒiß.
Zingiberis
Galang. min.
Calam. arom. ana ℈ij.
Semin. Aniſ.
Fœnic.

Semin. Petroſelin. ana ʒß.
Baccar. Juniperi ʒj.
Agaric. trochiſc. ʒß.
Cinamomi
Macis ana ℈j.
Croci opt. ℈ß.
Mithridat. Dam. ʒij.
Inciſ. & contuſ. affunde
Spir. Vin. rectif. ℥viij.

Stent per triduum in loco tepido, poſtea affunde
Vini Malvat. opt. ℥xvj.

Stent adhuc per octiduum in digeſtione leni quotidie agitando, poſtea Liquor filtratus, vel per colum trajectus uſui aſſervetur.

Elixir nephritico-anodynum *noſtrum* cum præcedenti coincidit, ſi compoſitioni addas modò

Laudan. opiat. ʒß.

Elixir peſtilentiale *Crollii*, vid. *Pharm. Auguſt.*

Elixir proprietatis *Clauderi*, vid. *Elixir aperitivum ejusd.*

Elixir proprietatis *Paracelſi*, vid. *Pharmac. Auguſt.*

Elixir ſtomahicum amarum *noſtrum.*

℞. *Aloës ſuccotr. ℥j.*
Myrrh. elect. ℥ß.
Rhabarb. opt.
Agar. troch.
Rad. Calam. arom.
Galang.
Croci orient. ver.
Herb. Abſynth.
Herb. Card. bened.
Beton. ana ʒij.
Semin. Fœnic. ʒiß.
Theriac. Androm.
Salis ♀ri ana ℥ß.
Inciſ. & contuſ. affunde
Spir. Ceraſor. nigr. vel
Spir. Vini dephlegmat. ℔iij.

Vitrum probè clauſum repone in locum digeſtionis, ſubinde agitando, dein colaturam ſerva ad uſum.

Elixir vitæ *Matthioli*, vid. *Pharm. Auguſt.*

Elixir Vitrioli *Mynſichti.*

℞. *Galang. min. ℥iß.*
Calam. arom. ℥j.
Menth. criſp.
Salv. acut. ana ℥ß.
Cinamom. elect.
Caryoph. arom.
Zingib. alb. ana ʒiij.
Nuc. moſch.
Cubebar. ana ʒij.
Lign. Aloës pond.
Cort. Citr. ana ʒj.
M. f. Pulv. cui adde
Sacch. cand. alb. ℥iij.

Poſtea humectetur opt. Spir. Vini ut fiat mixtura mellis inſtar, hinc mitte in Vitrum, atq; Oleum Vitrioli Veneris ſ. Martis, aut in horum defectu Spir. Vitrioli aliquoties rectif. ad 4. digitor. eminent. affunde, digere per 3. aut 4. ſeptimanas, tandem Tincturam per inclinationem aufer & filtra; ſuper relictam autem in fundo materiam Spiritū Vini ſuperfunde, & ulterius ſ. a. ſpagyricam Eſſentiam extrahe, poſtea Tincturæ

cturæ extractiones mixtas, majoris efficaciæ ergò per 14. *dies adhuc in M. B. circula & ad uſum reſerva.*

Emplaſtrum carminativum *Sylvii.*

℞. *Gumm. Galban.*
Bdellii
Ammoniaci ana unc. ß.
Thuris maſculi
Myrrh. rubr. ana ʒij.
Opii Theb. ʒj.
Diſſolvantur in Aceto ſquill. iterum inſpiſſatis addatur
Ceræ citr.
Colophon. ana ʒiij.
Balſam. Peruvian.
Ol. Philoſoph. ana ʒß.
Thereb. venet. q. ſ.
M. f. Emplaſtrum.

Emplaſtrum cephalicum.

℞. *Tamahac.*
Benzoin
Styrac. calam.
Ladani ana ℈ij.
Succin. alb.
Rad. Angel. ana ʒß.
Lign. Aloës
Cinamom.
Caryoph. arom.
Ol. deſt. Succin. ana ℈j.
Terebinth.
Reſinæ &
Ceræ ana q. ſ. pro tenacitate.
M. f. Emplaſtrum.

Emplaſtrum de Cicuta.

℞. *Reſin. flav.*
Succi Cicut. inſpiſſat. ana ℥j.
Galbani puriſſ. ℥ß.
M. f. Emplaſtrum.

Emplaſtrum de Cicuta *Scretæ.*

℞. *Succi Cicutæ inſpiſſati* unc. iß.
Cap. mort. ⊖*li* ʒiij.
Plumbi uſti ʒij.
Mercur. præcip. ʒß.
Olei Verbaſc. unc. ß.
Ceræ unc. iv.
Terebinth. unc. j.
M. fiat l. a. Emplaſtrum.

Emplaſtrum diachalciteos.

℞. *Minii*
Olei Roſar. ana unc. xx.
Pingued. Porc. unc. xij.
Adipis cervin.
Maſtich. elect. ana unc. iv.
Chalcitidis
Thuris
Alumin. uſti
Roſar. rubr.
Baccar. Myrtillor.
Rad. Symphyt. ana unc. ij.
M. f. ſ. a. Emplaſtrum.

Emplaſtrum diaphoreticum *Mynſichti.*

℞. *Ceræ flav.* ℥xj.
Colophon.
Bdellii ana ℥iv.
Succin. citr. ℥iij.
Gumm. ammoniac. in Acet. ſol.
Terebinth. alb. ana ℥ij.
Galban. in Aceto ſol.
Sandarach ana ℥j.
Maſtich.
Thuris el. ana ℥ß.
M. f. Emplaſtrum.

Emplaſt. diaſulphur. *Ruland.* vid. *Schröder. Pharm.*

Emplaſtrum magneticum *Ang. Salæ,* vide *Pharmac. Auguſt.*

Empla-

Emplaſtrum *Norimbergenſe* traumaticum ac diſcutiens.

℞. *Ol. Olivar.* ℔iiß.
Sapon. venet. ℥vi.
Ceruſſ.
Minii ana ℔j.
Camphor. ℥ß.
M. f. Emplaſtrum.

Emplaſtrum Opoteldoch *Cardilucii.*

℞. *Ceræ virgin. i. e. novæ & nondum in uſum vocatæ* ℔iß.
Tereb. groſſ. puriſſ. ſ. Laricea ℥ix.
Ol. Olivar. ℥iij.
Liquatis his affunde
Succor. depur. Chelidon. maj.
Fol. Quercûs
Potentillæ
Veronic.
Sanicul. ana ℥j.

Coque ſimul ad aquoſæ humiditatis evaporationem, ab igne tum remotis & nonnihil refrigeratis adde Gummatum per Acetum ſolutorum & coctione continuâ reinſpiſſatorum, videlicet
Ammoniaci
Galbani
Opopanacis ana unc. ß.
Miſce tandem pulverum tenuiſſimorũ.
Colophon. unc. j.
Succin. citr. unc. ß.
Maſtich. el.
Myrrh. opt.
Thuris
Sarcocoll. ana ʒij.

Dum omnia invicem miſcentur, Vas in aquâ fervidâ detinendum eſt, ne materia nimium coëat; perfectè verò mixtis adjice adhuc pulerum ſubtiliſſimorum
Croci Veneris ʒvj.
Martis unc. iß.
Tutiæ ppt. unc. ij.
Lapid. calamin. ppt. unc. j.

M. cuncta agitando, vaſe etiamnum in fervidâ ſtante, tandem adde
Vitrioli Hung. ad rubed. calc. & edulc. tantum, ut tota maſſa mediocriter rubeat, & benè invicem malaxa, formaque magdaleones vel placentulas ad uſum.

Emplaſt. de Ran. *Vigon.* cum Mercur. vid. *Pharm. Auguſtan.*

Emplaſtrum de Sapone, vel antipodagricum *Tackenii.*

℞. *Ol. roſat.* ℔j.
calefacto adde
Sapon. Venet. alb. raſ. unc. iv.
liquefacto Sapone adde
Ceruſſæ
Minii ana unc. iv.

Coque leni igne, piſtillo ligneo continuè movendo, donec acquirat conſiſtentiam Emplaſtro ordinario duriorem, ne in aëre facilè diffluat, tandem ab igne remotis & parum refrigeratis ſub continuata agitatione adde
Camphoræ Spir. Vin. ſol. unc. j.
Caſtor. unc. ß.
M. f. Emplaſtrum.

Emplaſtrum ſticticum *Crollii*, vid. *Pharmac. Auguſt.*

Emplaſtrum ſtomachale *Cratonis.*

℞. *Ladani* unc. ij.
Ceræ unc. iv.
Ol. Nuciſt. ʒiij.

F. *Maſſa*

F. Maſſa Emplaſtri ad uſum. Cum hoc coincidit propemodum Emplaſtrum de Ladano *Crollii.*

Emplaſtrum ſtomachicum *noſtrum.*

℞. *Garyophyll. arom.*
Roſ. rubr. ana ℥iij.
Menth.
Abſynth.
Cinamom.
Nuc. moſch.
Galang. min.
Macis
Calam. ar.
Corall. rubr.
Aloës
Maſtich.
Thuris
Benzoin ana ʒiß.
Ladani unc. iv.
Ceræ unc. xii.
Terebinth. unc. vj.
Ol. Maſtichin. unc. iij.
Styrac. liquid. unc. ß.
M. f. ſ. a. Emplaſtrum.

Eſſentia vel Tinctura anodyna *D. Ludovici.*

℞. *Extract. Opii ſimpl.* ℥j.
Aqu. apoplect. Ludov.
Spir. ☉*li roridi ana* ℥iv.
Miſta ſtent, donec Liquor probè tinctus & Opium ferè ſolutum extet, tunc ſerva ad uſum.

Eſſentia Anthos *compoſita.*

℞. *Flor. & Fol. Roriſmar.* Miiiß.
Primul. ver.
Salviæ ana Mj.
Cubebar. ʒj.
Cardamom. ℈j.
Nucis moſch. ʒß.
Inciſ. & contuſ. ſuperaffundatur
Spir. Ceraſ. nigr. ad eminentiam 4. digitorum.
Stent in digeſtione per 2. dies, poſtea exprimantur & filtrentur ad uſum.

Eſſentia vel Tinctura aperitiva. *Moebii.*

Eſt Spiritus Salis, abſtractus à Sale ♀*ri, aut alio quocunq; alcalino, ſicq; refractus; tunc Tornâ Solis tinctus.*

Eſſentia carminativa *Wedelii.*

℞. *Radic. Zedoar.* ℥j.
Galang.
Carlinæ ana ℥ß.
Cortic. Aurant.
Semin. Aniſ.
Carvi
Flor. Chamœm. Rom. ana ʒij.
Caryophyllor. arom.
Bacc. Laur.
Acori ver. ana ʒiß.
Macis ʒj.
Conciſa & contuſa groſsè cum Spirit. Cort. Citr. Spir. Nitri acidulato extrahantur. Doſis eſt à ʒß. *ad* ʒj.

Eſſentia catarrhalis *Dn. D. Fürſt.*

℞. *Salis* ♀*ri* ℥ß.
Balſam. Peruv. ʒiij.
Olei ſtillat. Lign. Saſſaphr. ʒij.
Spir. volat. oleoſ. ſimpl. Fürſtii ℥iiij.
Stent infuſa, donec tingantur, hinc ſepara per inclinationem, & uſui aſſerva.

Eſſentia caſtitat. *Mynſ.* eſt *Aqu. caſtitat. ejuſd.* quam vide ſuperiùs.

Eſſentia vel Tinctura Martis helleborata *Wedelii.*

℞. *Limat. ♂t. depurat.*
Cryſtall. ♀ri
Radic. Hellebor. nigr. ana ℥ß.
Cinamom. elect. ʒij.

Macerentur, coquantur invicem in Aqu. font. q. ſ. per ſubſidentiam depurentur, filtrentur per linteum, evaporentur ad debitam conſiſtentiam, tandem Spiritu Vini, aut Spiritu Cochleariæ roborentur; & erit Tinctura Helleborata, cujus doſis à 20. ad 30. pluresve guttas.

Eſſentia Opii *Langelotti.*

℞. *Opii Thebaic. in particul. conciſ. ℔j.*
Affunde illi in Cucurbitâ humili
Succi Cydonior. benè maturor. rec. ℔x.
addeq; Salis ♀ri puri & ſiccissimi ℥j.

Deinde expone leni calori per diem unum alterumve, usque dum bullulæ quædam appareant, quod ſignum eſt imminentis fermentationis; tum adde, iſtius promovendæ causâ, Sacchar. ſubtiliſſ. pulver. ℥iiij. porroq; eum caloris gradum obſerva, quem fermentatio requirit; & ſic ſatis quoque ea procedet, videbisq; Opium evidenter attolli, & reſolvi per minima. Cave autem à ♀re narcotico graveolenti, quod tunc ſolet exſpirare. Videbis tum quoque partem impuri volatilis ſpumoſi ſuperiora petere, partem verò magis terreſtrem in fundo cucurbitæ reſidere. Tandem in medio conſiſtet purior pars, Liquor nempe rubicundus, Rubini inſtar pellucidus, quem cautè ſeparabis, filtrabis, & debitâ deſtillatione ad mellaginem inſpiſſabis. Hanc denuò Spiritu Vini alcooliſato diſſolvas, filtres, perq; menſem digeras, ut quicquid adhuc crudi ineſt cœleſti illi igni, maturetur & perfectionetur. Spiritu tandem ad juſtam conſiſtentiam abſtracto Eſſentiam habebis.

Eſſentia theriacalis.

Conficitur ex Theriaca Andr. mediæ ætatis vel recentiori, ſive cum Vin. Malvat. ſive Spir. Vini ſimplicis, vel appropriati part. 6. vel 8.

Eſſentia traumatica *Wedelii.*

℞. *Mumiæ*
Sang. Dracon. fin. ana ℥j.
Terr. Catechu
Myrrh. elect.
Rad. Tormentill. ana ℥ß.
Flor. Roſar. rubr.
Hyper. ana ʒij.
Sant. rubr. ʒiij.

Inciſ. & contuſ. digerantur cum Spir. Vini tartariſ. & Spir. Hyperici leni calore ad Tincturæ ſ. Eſſentiæ extractionem.

Extractum panchymagogum *Crollii,* vid. *Schröderi Pharmacop.*

G.

Galbanetum *Paracelſi* eſt Balſamus paralyticus *ejusdem.*

Gargariſma de radice Tormentillæ *Mynſichti.*

℞. *Radic. Tormentill.*
Acori aquat. ana ℥j.
Cort. Granator.
rad. Acaciæ ana ℥ß.

Balau-

Balauſtior.
Aluminis ana ℥iij.
Herbar. Roriſmar.
Pentaphyll.
Vermicular.
Salv. acut.
Plantag.
Hyſſop. ana ℥ij.
Flor. Calendul.
Roſar. rubr. ana ℥j.
Coque in
Aquæ fontan. &
Aceti Vini ana ℔iß.
ad tertias, & in fine adde
Mellis Roſati q. ſ. ad gratiam.

L.

Lapis medicamentoſus *Crollii*, vid. *Schröderi Pharmac.*

Linimentum ad Hæmorrhoides *Norimbergenſe*, vid. *Pharm. Auguſt.*

Linimentum ſ. Unguentum ad Gingivarum putredinem *Hartmanni.*

℞. *Pulv. Fol. Aquileg.*
Salv.
Menth. criſp.
Nuc. moſch. ana ℥ß.
Alumin. uſt. ℥j.
Mellis puriſſ. ℥iv.

Mel incaleſcat ad ignem & leviter coquendo deſpumetur, dein pulveres prædicti cum Melle adhuc calente ſenſim aſpergendo miſceantur & ſerventur uſum.

Linimentum ſ. Ung. ſaturninum *Zwelfferi.*

℞. *Aceti ſambucini fortis, ex Aceto deſt. & Flor. Sambuc. ritè præparat.*
Roſati, itidem ex Aceto deſt. & Flor. Roſ. rubr. parat. ana juxta n. m. ℔iß.
Lithargyr. ſubt. pulv. ſeu quod melius
Minii opt. ℥xv. vel xvj.

Coquantur in vaſe terreo vitreato ad conſumptionem tertiæ partis circiter, Lithargyrium ſ. Minium continuè ſpatulâ agitando. Reliquæ duæ libræ Aceti à Minio colaturâ ſeparentur & ad libram circiter dimidiam etiam in vaſe terreo pòſt evaporent, cui reſiduo Liquori adde ſub continuâ agitatione

Oleor. Sambuc. ex Flor. Roſat. ana per trinam infuſionem, macerationem & expreſſionem, uti ſupra edoctum, diligenter parator. quantum ad Ung. alb. conſiſtent. ſufficere videbitur, quod ipſa præparatio dictabit.

Adjiciendo poſtremo ad quamlibet ℔iß. Unguenti
Pulv. ſubt. Oliban. ſ.
Thuris albi
Maſtich.
Pompholyg. ana ℨvj.
Lapid. Calamin. cum Succo Millefol. lævigat. & ſiccat. ℥j.
Camphoræ ℨij.

Fiatque Unguentum nobile refrigerans ad uſum.

Liquor lithontripticus ſive Arcanum nephriticum *Timæi de Guldenklée.*

Ineunte menſe Majo ante Solis ortum
℞. *Succi ex Fol. Secalis rec. expr. ℥viij.*

Succi ex Anſerina herba recent. expr. unc. iv.

M. cum Vini rubri non adſtringentis ℥xij. *filtra per chartam emporeticam, dein quotidie mane per quatridui ſpatium ſex uncias propina.*

Liquor martialis niger
ſeu
Tinctura Martis cum Tartaro,
juxta *Lemery.*

Pulveriſa & miſce Rubiginis Ferri ℥xij. *cum egregii Tartari albi* ℥xxij. *Ebulliat hæc mixtura in magnâ chytrâ, vel in lebete ferreo cum Aqu. fluvialis* ℔xii. *vel* xv. *per* 12. *horas, ſpatula ferreâ ſubinde agitando & curâ ut nova Aqua bulliens lebeti affundatur, prout prior abſumatur, hinc totum requieſcere permitte, & comperies ſupernatare Liquorem nigrum, quem filtra & evapora in fictili, vel olla ex glarea igne arenæ ad ſyrupi conſiſtentiam, vel donec formata fuerit in ſuperiore ejus parte pellicula, dein ſerva ad uſum.*

Liquor ſtypticus *Dolæi.*

℞. *Alum. crud.*
Vitriol. ♂is
Sacch. Saturn. ana p. æq.
M. contuſ. invicem & affund.
Aceti vini opt.
Liquor. Terr. ſigill. cum Spir. Vitriol. ana p. æq. & q. ſ.
digere & filtra ad uſum.
Doſis à gt. x. *ad* xxx.

M.

Pulvis ſeu Magiſterium anodynum *Wedelii.*

Fit ex Laudan. opiat. parte j. *Pulveris febrilis ex Conchis partib.* x. *ita ut v. g. ad* ℈ß. *pulveris ſumatur gr.* j. *vel gr.* ß. *Opii, ut hoc modo gr.* j. *ejusdem in* 10. *vel* 20. *partes dividi poſſit, ac tutò exhiberi.*

Maſſa Pilularum peſtilential. *Ruffi,* vid. *Pharm. Auguſt.*

Maſſa Pilularum *Emanuelis.*

℞. *Aloes ſuccotr.* ℥j.
Myrrhæ el. ℈j.
Croc. or. ℈ß.
Cum Mithridatio f. maſſa ad uſum.

Maſſa Pilular. hydropicar. *Bontii,* vid. *Schrœd. Pharmacop.*

Maſſa Pilularum ſine quibus, vide *Pharm. Auguſt.*

Maſſa Pilular. è Succino *Cratonis,* vid. *Pharm. Auguſt.*

Maſſa Pil. Tartarear. *Quercet.* vid. *Pharm. Auguſt.*

Mercurius corallatus *Helmontii*, vid. in ejus *Opera Arcan. Paracelſ. pag.* 742.

Mixtura ſimplex *Dan. Ludovici.*

℞. *Tinct. bezoard. ejusd.* unc. x.
Spir. Tartari unc. viij.
Vitrioli unc. ij.
Eſſent. Camphoræ unc. ß.
Miſce ſerva ad uſum.

O.

Oleum epomphalinum.

℞. *Aloës hepat.* unc. xij.
Scammonii

Myrrhæ

Myrrhæ ana ℥ij.

Deſtilletur ex arena per retortam & Oleum inde abſtrahatur, quod adhuc ſi placet rectificari poterit.

Oleum è Floribus *Slotani*.

℞. *Olei Olivar.* ℔xj.
Catellorum num. ij.
Ranar. aquat. num. xij.
Lumbric. terr. Miv.
Aqu. Juniperi ſine Vino deſt. ℔iv.

Coque igne lento ad humiditatis conſumptionem, & donec caro Catellorum ab oſſibus ſeparetur, poſtea colentur, colaturæ adde

Axung. human.
Mur. alpin.
Ol. Scorpion.
Amygd. amar. ana ℔ß.

Miſceantur in vaſe vitreato & ſpacioſo, poſtea adde

Ocul. Popul. rec. contuſ. ℔iij.
Flor. Primul. ver.
Farfar.
Chamom. Rom.
Beton.
Geniſt.
Violar.
Lilior. convall.
Lavendul.
Sambuci
Anethi
Salviæ
Cheiri
Rutæ
Thymi
Anthos
Cent. min.
Veronicæ
Tamariſci
Liguſtri
Agrimon.
Pulegii
Meliloti
Verbaſci
Abſynthii vulg.
Roſarum ana Mj.
Hyperic. nondum apert. Miv.

Flores omnes optime ſint mundati ut nihil herbæ ſit admixtum, propter colorem qui debet eſſe ruber, omnia miſce in vaſe ſpatioſo, & cum veſica optime cooperta inſolentur per totam æſtatem, poſtea coquatur tota infuſio in duplici vaſe, diligenter clauſo, ne vires florum evaneſcant, exprimatur oleum & uſui aſſervetur.

Oleum heraclinum *Rulandi*.

Lignum Coryli Martio, Auguſto aut Septembri excorticatum & in taleolas diſſectum inde Retortæ argillaceæ & igne gradatim aucto in arena deſtilla, Oleum rubicundum quod exit ab aqua ſeparetur & uſui ſervetur. Externè illinitur; internè verò datur à gutt. iv. *ad* x.

Oleum mirabile *Cardilucii*.

℞. *Aliquod fruſtum puri Ferri ſpiſſitudine* 4. *digitorum transverſorum, vel pro lubitu.*

Candefac illud, atque iterum reſtingue in impermixto Oleo Lini, idque toties repete, donec Oleum non amplius frigat, ſtrideatve à candente ferro, obtecto quavis vice vaſe, ne Oleum flammam concipiat, quod vigilanter cavendum eſt. Præparato ſic Oleo tantum Calcis vivæ admiſce ut velut paſtam conſtituat ſpiſſiuſculam, quam probe ſubagita & condepſe

condepſe , ac ſi animus eſſet effingendi exin maſſam panis , quam diffringe in buccellas vel in globulos conglomera , quas inde lutatæ retortæ , igneque primum leni , ac dein auctiori deſtilla , ad totalem uſque olei exſudationem ; egreſſum Oleum adhuc ſexies per ſe reſtilla cohobando. Demum ad x. *vel plurium dierum ſpatium illud Oleum in fimum reconde ad putrefiendum ut eo magis ſubtileſcat ; ac deinde etiamnum ſemel illud deſtillationi ſubjice , obtinebisque valde purum & penetrativum Oleum, adeo ut guttæ ejus binæ vel tres volæ manûs inguttatæ eam mox , absque tamen dolore pervadant.*

Oxymel helleboratum *Geſneri*, ex Autographo Auctoris.

℞. *Calaminth. mont.*
Thymi
Puleg.
Card. *bened.*
Roſar. rubr.
Menth. criſp. ana pj.
Semin. Aniſi
Fœnicul.
Ocymi
Urticæ Rom. ſ. noſtr.
Anethi ana ℥j.
Rad. Angel.
Fœnic.
Althææ
Scyllæ
Irid. noſtrat.
Turbith. ana unc.ß.
Helleb. alb. mont.
Eſulæ ppt. ana ℥ij.
Aſari ℥iß.
Galang.
Calam. ar.
Cinamomi ana ℥j.

Infunde trita omnia in Aceti fortiſſimi ℔iiß. *per triduum in ſole vel loco calido, in vaſe vitreo aut figulino obturato, deinde bulliant in terreo aut lapideo vaſe ad dimidium ferè, demum adde*

Sacchari
Mellis comm. vel *roſacei deſpum.* *ana* unc. v.

Fiatque Syrupus, qui aromatizetur cum Croci, Cinamom. Macis, Zingiberis, ana ℈ij. *& ſervetur ad uſum.*

Oxyſaccharum emeticum *Danj. Ludovici.*

℞. *Croc. Metall. edulc.* ℨiij.
Aceti unc.x.

Fiat in loco calido per triduum infuſio, ſæpius agitando, poſtea liquor impregnatus filtretur, & in eo Sacch. clarif. ultra tabellar. conſiſtentiam cocti unc. x. *ſolvantur.*

P.

Panacea ſolutiva alcalina, *ſive* Magneſia alba.

Accipe lixivioſum , eumque perſpicuum ſatis Nitromitræ Liquorem , quâ quidem libuerit quantitate , coque ad ſpiſſitudinem in Aheno amplo , ſpumam ſemper auferendo & in Ollam terream colligendo : pultem dein hanc in Crucibulo ſuper ignem mediocrem paulatim ſicca, poſtea fortiore igne dato in liquorem denuo ſolve , ut fluat ſicut Nitrum in præparatione Lapidis Prunellæ , Liquorem dein nitratum effunde in ahenum aquâ repletum , ſic præcipitabitur & ſimul edulcorabitur Pulvis albiſſimus,

ſimus, qui ab omni ſalſedine per continuatam edulcorationem liberatus, atque porrò in Solis radiis, aut ſuper fornacem calentem ſiccatus Panacea eſt ſive Magneſia alba nivea, Pulvis impalpabilis ſummè alcalinus, inſipidus.

Pilulæ hydropicæ *Bontii*, vid. *Schrœder. Pharmac.*

Pulvis anodynus *Scretæ*.

℞. *Corall. rubr. ppt.* ʒij.
Sang. Drac. ver.
Unicorn. foſſil. ana ʒß.
Eſſent. Opii Lang. ʒj.
M. f. Pulvis.

Pulvis ſeu Specificum antatrophum *Scretæ*.

℞. *Sacch. cand. alb.* ℔ß.
⊖is volat. Fuligin. ℥ij.
Rad. Ireos flor. ℥j.
Ari ppt.
Diaph. ♃vial.
Martial.
Ocul. cancr. ppt. ana ℥ß.
M. f. Pulv. ſubtil.

Pulvis antipſorus *noſter*, vid. Part. 2. Theatr. Prax. hujus pag. 426.

Pulvis cachecticus *noſter*.

℞. *Limatur. ♂is cum ♀re calcinat. ac ſubtiliſſ. tritæ* ℥j.
Radic. Vincetox.
Ebul. ana ʒiij.
Gemmar. Sambuc. torrefact.
Fol. Card. bened.
Ocul. ♋. ppt.
Ebor. phil. calcin. & ppt. ana ʒij.
Succin. alb. ppt.
Sem. Aniſ.
Cinam. opt. ana ℈iv.
Sacchari cand. ad pond. omn.
M. f. Pulv. ſubtil. cujus doſis eſt ℈j. *ad* ℈ij.

Pulvis bezoardicus *Sennerti*.

℞. *C. C. phil. ppt.* ʒiß.
Ocul. Cancr. ppt.
Terr. ſigillat. Sileſ.
Succini ppt.
Margarit. ppt.
Corall. rubr. ppt. ana ℈j.
Oſſis de Corde Cervi
Smaragd. ppt.
Hyacinth. ppt.
Rubin. ppt.
Sapphiri ppt. ana ℈ß.
Lapid. bezoard. orient. ℈j.
Fol. Auri num. iij.
M. f. Pulv. Doſis à ℈ß. *ad* ʒß.

Pulvis cachecticus *Quercetani*, vid. *Pharm. Auguſt.*

Pulvis epilepticus *Marchionis*, vid. *Pharmacop. Aug.*

Pulvis ad Vulnera Cerebri *Hildani*.

℞. *Rad. Irid. flor.*
Angelic.
Caryophyllat. ana ʒiij.
Lign. Saſſafr.
Roſar. rubr. odorif. ana ʒj.
M. f. Pulv. tenuiſſimus Vulneribus inſpergendus.

Pulvis ſtomachicus *Birckmanni*, vid. *Pharm. Aug.*

Pulvis

Pulvis ſtomachicus *Timæi de Guldenklée.*

℞. *Ol. Cinamom. gutt.* xv.
Caryophyll. gutt. ix.
Citri
Roſar. ana gutt. v.
Ambræ gr. iij.
Moſchi gr. j.
Sacch. cand. alb. ℥iv.
M. f. Pulvis.

Pulvis ad Strumas *noſter.*

℞. *Spong. combuſt.* ℔ij.
Lap. Spong. calc. ℔j.
Rad. Scrophular. ℥iv.
Cinamomi acut.
Zingib. ana ℥j.
M. f. Pulv. ſubtil. Lunâ decreſcente vel mane vel noctu bihorio poſt cœnam quotidie aſſumitur doſis à ℈j. *ad* ʒj. *cum Melle vel Syrup. Capillor. Veneris.*

Pyrapyron *noſtrum.*

℞. *Albi crudi ſ. Calc. viv.* p. ij.
Rubri cocti ſ. Minii p. j.
Nigri unctuoſi ſ. Saponis nigri q. ſ.
M. f. Paſta formentur inde Pilulæ, quibus recentibus adhuc utere, eas ſcilicet Salivâ madefactas applicando ad locum corrodendum.

S.

Sal volatile oleoſum *Sylvii.*

℞. *Salis Tart. depurat.* ℥vj.
Olei deſt. Aniſ.
Caryophyll.
Cinamom. ana ʒß.
Macis ℈j.
Zedoar.
Succin. ana ℈ß.
Digerantur loco calido in Cucurbitâ probè clauſâ, biduum aut triduum, tum affuſâ Spir. Vini commun. ℔ß. *addatur*
Salis armoniac. pur. probè pulv. ℔ß.
ac impoſito alembico juncturis probè clauſis ex arena leni calore abſtrahatur media circiter pars Spiritûs, qui probè clauſus uſui aſſervetur.

Sief album *Rhaſis* ſine Opio, vid. *Pharm. Auguſt.*

Species diacretæ *Mynſichti.*

℞. *Cret. alb. ppt.* ʒiij.
Nuc. moſch. ʒiß.
Rad. Liquirit.
Sem. Cydon. ana ʒj.
Bol. rubr. or. ppt.
Corall. rubr. ppt. ana ʒß.
Lap. Carpion. cum
Aq. Plantag. ppt.
Macis parum toſti
Maſtich. elect.
Croci or. ana ℈j.
Sacch. alb. ℥iij.
M. f. Pulv. ſubt.

Specificum antifebrile *Crollii.*

℞. *Cochlearum longas teſtas, quæ prope piſcinas & lacus reperiuntur, affunde Acetum Vini, ſtet per noctem, tunc extrahit mucorem, quem cum ſcopis ferreis diligenter abrade, quibus Aurifabri utuntur, poſtea teſtas illas oblongas totas Calcinando incinera ad albedinem & pulveriſa.*

Specificum antatrophum *Scretæ*, vid. *Pulvis antatrophus ejusd.*

Specificum

Specificum antihecticum *Poterii.*

℞. *Regul. Jovial. ſtellati* ℔j.
Pulveriſatus cum triplo Nitri ſicciſſ. pulv. detonetur, & calcinetur; poſt calcinationem edulcoretur cum Aq. fontan. ſiccetur & uſui aſſervetur.

Specificum ſtomachicum *ejusdem.*

Regulum ♂*is ſtellatum pulcherrimum pulveriſat. miſce cum Nitri ſicciſſ.* part. iii.
Detona & edulcora, tandem exſicca. Iterum dein pulveriſa ac denuo cum triplo Nitri miſce, funde in tigillo, fuſum in aquâ extingue; dein edulcoretur ac pulveriſetur tenuiter ad uſum.

Specificum cephalicum *Michaelis.*

℞. *Cinnab. nativ. opt. per ſextupl. ſublimation. rectif. vel*
Cinn. Antimon. toties rectif. ℥iij
Fœcul. rad. Bryon. ℥iß.
Mag. epilept. ℥ß.
cordial. ℥ij.
Fol. Auri no. j.
M. f. Pulv. ſubt.

Spiritus antaſthmaticus *Michaelis.*

℞. *Virid. æris* ℥iv.
Gumm. am̃oniac. ℥ij.
Sulph. crudi ℥iß.
M. & ex arena deſtilla per alembicum, Spiritus ſeparetur ab oleo fœtido, & rectificetur per Alembicum, cui Crocus in nodulo eſt impoſitus.

Spiritus antepilepticus, vid. Aqua antepilept. in *Pharm. Aug.* & *Schröder. Pharm.*

Spiritus apoplecticus, vide Aqua apoplectica.

Spiritus aperitivus *Penoti* correctus.

℞. *Vitriol. Goslar. ad albed. calc.* p. iij.
Tartar. crud. p. j.
Pulveriſata Retortæ forti immittantur ac deſtillentur more ſolito ex igne aperto, ſic prodibit Spiritus Salis penetrans, qui per iteratam in Retorta vitrea deſtillationem rectificandus, & liberandus ab aduſtionem redolente Oleo Tartari ei immixto. Doſis à gutt. x. *ad* ʒß.

Spiritus carminativus *Sylvii.*

℞. *Rad. Angel.*
Enul.
Galang.
Leviſt.
Zedoar. ana ℥j.
Baccar. Juniper. unc. iv.
Semin. Anethi
Aniſi
Carvi
Cumini
Dauci
Fœniculi ana unc. ij.
Flaved. Cort. Aurant.
Citri ana unc. iß.
Cinamom. acut. unc. j.
Cardamomi
Nuc. moſch. ana unc. ß.
Maceris
Ligni Aloës ana ʒiij.
Flor. Chamom. Rom.

Flor. Anthos
Origan. ana Mj.
Inciſ. & contuſ. affunde
Spir. Vini ℔viij.
Digere per aliquot dies, dein impoſito Alembico deſtillâ per M. B.

Spiritus cephalicus *Deckers.*

℞. *Fol. Amarac. nob.*
Serpilli ana Mj.
Flor. Lavend.
Lilior. convall. ana P. iij.
Rad. Helleb. alb. ʒij.
Spir. Vini Salviæ & Roriſmarino per octiduum ſuperinfuſi ℥v.
Poſt macerationem per biduum ex Cucurbita extrahatur Spiritus, ad uſum aſſervandus.

Spiritus matricalis ſive hyſtericus *Blancardi.*

℞. *Maſtich.*
Myrrhæ
Olibani ana ℔ß.
Sabinæ ℥iv.
Caſtor. opt. ℥ij.
Spir. Vini rectif. ℔vj.
Contuſa miſc. & in Cucurbit. digere per aliquot dies, dein deſtilla ſ. a.

Syrupus aperitivus *Mindereri*, vid. *Pharm. Aug.*

Syrupus balſamicus pectoralis.

℞. *Balſ. de Tolu*
Peruvian.
Sicci in nucl.
Opobalſ. veri
Gummi Styrac. calam.
Benzoin. elect.
Ammoniac.
Maſtich. el. ana ʒj.
Aqu. Taraxac.
Farfar.
Heder. terr. ana ℥ij.
Cinam. cum Vino deſt.
4. Flor. cordial. ana ℥ß.
Elixir aſthmat. Rolfinc. ʒvj.
M. & coque lento igne per horas duas, Colaturæ refrigeratæ admiſce
Sacch. albiſſ. ℥x. *vel q. ſ.*
Servetur uſui in vaſe mundo.

Syrupus emeticus *Angeli Salæ*, vid. *Pharm. Auguſt.*

Syrupus de Eryſimo *Lob.* vid. *Schröder. Pharm.*

Syrupus macrobius, ſeu præſervativus.

℞. *Succ. ex herb. Mercurial. rec. expr. & filtr.* ℔viij.
Borrag. rec. expr.
Bugloſſ. rec. expr. ana ℔ij.
Mellis albi Narbonens opt. ℔xii.
Coque invicem ad ebullitionem primam, dein filtra aut cola per linteum craſſum, poſtea
℞. *Radic. Gentian. maj.* ℥iv.
Irid. noſtr. flav. unc. viij.
Inciſ. tenuiter affunde
Vin. opt. albi ℔iiß.
Stent infuſa per 24. horas ſæpius agitando, poſtea colatum ſine expreſſione Liquorem miſce cum ſuperiori Herbarum Succo, & coque invicem uſque ad conſiſtentiam Syrupi, ſpumâ ſubinde auferendo. Doſis quotidie manè cochleare plenum.

Syrupus Roſarum ſolut. comp. cum *Sen. Rh. & Ag.*

℞. *Rhab. el.* unc. ij.
Agar. alb. unc. j.
Cinam. el. ℥ij.
Zingib. ℥j.
Fol. Senn. dilig. mund. unc. vj.
F. *Infuſio cum infuſ. Roſ. decuplâ, ſtent per diem, Colaturæ adde*
Sant. opt. ℔ij.
F. *Syrupus.*

Syrupus ſcelotyrbicus *noſter.*

℞. *Herb. rec. Beccabung.*
Cherefol.
Fumar.
Naſturt. aqu. ana unc. j.
Trifol. fibr.
Cochlear. ana unc. v.
Flor. rec. ac Fol. Bellid. min. unc. ij.
Mundatas has plantas omnes minutim incide, & in mortario lapideo contunde, poſtea
℞. *Sacch. alb. opt.* unc. xiv. *vel* xvj.
Aqu. Cherefol.
Fumar.
Scabioſ.
Fl. Tiliæ ana unc. v. *vel* vj.
Solve ſuper ignem lenem, ſolutum fervidumque adhuc Saccharum affunde Herbis contuſis, ſtatimque per colum trajice, cum leniſſima expreſſione, Syrupum trajectum ad uſum repone.

T.

Tinctura anodyna *Wedelii.*

℞. *Opii Thebaic.* unc. ij.
Pulveriſat. in mortario, affunde Aqu. ſimpl. purioris vel etiam
Roris majalis deſt. vel
Phlegmatis Aceti ab Arcano Tartari reſidui q. ſ.
Coquantur leni carbonum igne ad ſuffic. diſſolut. & extractionem, hinc decantatus Liquor tinctus filtretur per linteum purum, & evaporetur denuo ad ignem, circiter ad quartam uſque partem, donec nempe ſaturatus, neque tamen coagulo adhuc proximus Liquor appareat, cavendo empyreuma. Huic Liquori affundatur duplum vel triplum Spir Vini tartariſ. tantum quantum ſufficit, ad Tinctur. in momento exhibendam, addito etiam, ſi placet, parum Spir. Vitrioli ſ. Salis. Sin, quod nonnunquam fieri ſolet, filamenta quædam immixta viſantur, poteſt denuo filtrari, ſicque pura correcta & optima Eſſentia haberi.
Doſis á gt. vj. *ad* x. *vel* xv.

Tinctura antiphthiſica.

℞. *Sacch. Saturn.*
⊖*li* ♂*is opt. ana* ℥ij.
Spir. Vini
Aceti deſtill. ana ℥ß.
Miſceantur & per aliquot dies digerantur; Liquor rubicundus filtretur, ac uſui aſſervetur in vitro benè munito.
Datur m. & v. à gutt. 10. *ad* 20. 30.

Tinctura aperitiva *Moebii.*

Eſt Spiritus ⊖*is, alcalino quodam, communiter* ⊖*e* ♀*ri refractus, & Tornâ Solis, vel Floribus Violar. tinctus.*

Tinctura aperitiva *Penoti*, eſt Spiritus aperit. *ejusd.*

Tinctura bezoardica *Michaelis*, vide *Schrœder. Pharm.*

Tinctura Laccæ *Mynſichti.*

℞. *Gumm. Laccæ ſubt. pulveriſ.* ℥ß.
(*vel potius*) ℥ij.
Alumin. uſti (*vel potius crudi*) ʒij.
Mixtis affunde Aqu. Lapid. medicament. cum Aquâ Salv. & Roſar. fact. ℔iij.

Stent in digeſtione, donec perfectè tingantur; poſtea filtrentur, & tinctura rubicundiſſima ad uſum communem ſervetur.

Tinctura ♂ is coerulea *Etneri.*

℞. *Limatur.* ♂ *is puriſs. vel*
Chalyb. ferè impalpab. ℔j.
🜖*li Hungaric. opt.*
Mercur. vivi ana ℔iv.
Immitte omnia in ollam terream vitreatam, ſuperfundendo Aceti Vini acerrimi ad eminentiam 4. digitorum pone ſuper △ *carbonum lentum, & ſpatulâ ligneâ materiam ſenſim ſenſimque move, ſic intra horam 1. vel 2. accipies amalgama, quod lavabis* ▽ *â purâ, & quando puriſſimum erit, tunc ſicca, hinc è Retortâ Mercurium deſtilla. Sic in fundo remanebit Crocus* ♂ *is rubicundiſſimus ad colorem cupreum vergens, quem tere, & ſerva pro uſu.*

Dein ℞. *Spir. Sal. arm. ſaturat. parū. Affunde ſuper quantitatem proportionatam Croci, inque vitro agita. Poſtea effunde Spiritum, & alium ſuperadde, ſicque repete, & Crocus cæruleo colore infectus videbitur. Elue colorem cum Spiritu, donec omnem extraxeris Tincturam. Ultimò ad* ℔j. *hujus adde*

Eſſent. de ⊖*e* ♀*ri volat. Spiritûs Sal. arm. ſimpl. unciis duab. ſoluto:* ℥ß.
Et præparata eſt Tinctura, quam quæſiviſti.

Tinctura Martis ex Vitriolo *Zwelferi.*

℞. 🜖*li* ♂ *is*
Arcani ſ. Terr. foliat. Tartari ana ℥j.
Miſceantur in mortario vitreo, & ſtent per aliquot dies, donec effloreſcant floſculi crocei; Hinc adde Spir. Vin. q. ſ. & extrahe Tincturam; cujus doſis eſt à gr. x. ad xx.

Tinctura Sulphuris 🜖li *Clauderi.*

℞. *Capitis mort. Spir.* 🜖*li communis q. v.*
Huic toties affunde Aquam communem, donec omne Sal & vis vitriolica elixivietur, ac reddatur Terra plané emortua & inſipida; Terræ dein huic affunde
Spirit. ex Salis comm. &
Nitri ana part. æq. deſtillati, ut 4. digitos ſupereminеat.
Sic extrahetur Tinctura egregiè ſtyptica, quæ ſervetur ad uſum.
Doſis gutt. 20. ad 30.

Trochiſci alb. *Rhaſis* ſine Opio vid. *Pharm. Auguſt.*

Trochiſci narcotici, ſive Tabulæ Galacoidis rubræ *Plateri*, in *Arcanis ejusdem* ita deſcriptæ reperiuntur.

Acce-

Accepi Galacoidis ſive Opii ℥ß. *incidi in fruſta minutiſſima, affudi (menſtrui) Spir. Vin. alcooliſat.* ℥iiiiß. *collocavi ſupra fornacem, ſpatulâ ligneâ movi; die ſequenti, quod clarum erat effudi, iterum reaffudi ad 2. digitorum eminentiam Menſtrui, eoq; die bis movi; ſequenti die effudi iterum, quod clarum erat; idque pro tertiâ vice repetii. Caput mortuum diſſolutum cum eodem menſtruo ſeparatim ſervavi (cujus uſus in aliis, Dentium dolore) poſtmodum Sacchari pulveriſati quartar.* j. *Cinamom.* unc. ß. *cribravi, ſimul miſcui. Interea affudi ſupra Santali rubri pulveriſat.* ʒj. *ſicut & ſupra Gumm. Tragacanth. parum Aquæ Roſar. dein Sacchari cum Cinamom. miſto addidi parum de Mucilagine Gumm. Tragac. de Tincturâ Santali, nec non de Tincturâ Galacoidis q. s. formavi paſtam, quam in fruſta diviſam collocavi ſupra orbes ſtanneos, ſiccavi in loco calido; ſequenti die benè ſiccata pulveriſataque cribravi, affudi iterum de Tinctur. Galacoid. & Tincturam reliquam Santali omnem, formatam iterum paſtam, & in fruſta diviſam poſui in loco calido; Die tertio, ſicque iterum ulterius manè, tandem à prandio pulveriſavi; affudi reliquum Tincturæ Galacoidis, cum Infuſ. Gumm. Tragacanth. in paſtam redegi, fregi, poſui ſupra fornacem. Die quinto ſiccavi, fruſta in minora redigendo; ſexto omnia benè pulveriſavi, cribravi, & cum Infuſ. Gumm. Tragac. in paſtam redegi, additâ Aquæ Roſarum q. s. ad gravem odorem auferendum. Tandem ex paſtâ dilatatâ, ſupra marmorem exſiccatâ, formavi Trochiſcos, ponderis* ʒß.

Trochiſci hermetici *ſeu* pædocathartici *noſtri.*

℞. *Mercur. dulc.* unc. ß.
C. C. phil. ppt. gr. xxiv.
Cinam. acut. ℈j.
Diagryd. ♀*rat. gr.* 48.
Sacch. alb. unc. j.

Cum Mucilag. Gumm. Tragac. Aqu. Roſ. fact. fiant Trochiſci num. LXIV. *qui uſui ſerventur.*

Dantur pro numero annorum, 2, 3. Infantibus, Puellis, &c.

U.

Unguentum anodynum *Mynſichti.*

℞. *Olei anod.* unc. vj.
Amygd. dulc.
Hyoſcyam. expr.
Papav. expr.
Lumbr. terreſtr.
Hyperici ana ℥j.
Pingu. Cati ſylv.
Anſer. ana ʒvi.
Succ. depurat. Nicot.
Chamædr.
Verben. ana unc. iv.

Miſce & coque ad Succorum conſumptionem, poſtea cum Ceræ alb. q. ſ. fiat l. a. Unguentum.

Unguentum digeſtivum *Hildani.*

℞ *Ceræ novæ* ʒiß.
Gum. elemi pinguiſſimi
Terebinth. claræ ana unc. i.
Colophoniæ unc ß.
Olei Amygd. dulc.

Olei Roſar.
Vitell. Ovor. lento calore ignis per prelum extract. ana ℥j.
Diſſolvantur lento igne & percolentur, Colaturæ admiſce Croci ſubtiliſſ. pulveriſati ʒj. & fiat Unguentum; quod dein cum Oleo roſaceo & Ovi vitell. in formam liquidiorem redigi poteſt, & uſurpari.

Unguentum medicamentoſum *Mynſichti.*

℞. *Pingu. Lardi veteris* ℔j.
Terebinth. alb. ℥vj.
Lapid. medicamentoſ.
Olei ♀ri ana ℥iß.
Sulphuris viv. & citrin.
Ceruſſæ lotæ
Lithargyr.
Minii ana ℥j.
Hellebor. utriusq;
Piper. long.
Tutiæ ppt.
Nihili alb. ana ℥ß.
Mixtis affunde Succor. depurat.
Rad. Lapath. acut.
Scrophular.
Herb. Fumariæ
Scabioſ.
Cort. inter. virid. Sambuc.
Limonum ana ℥iv.
Coque ad Succorum conſumptionem; poſtea adde
Styrac. liquid.
Cinnab. factit. ana ℥iß.
Olei Laurin.
Juniper.
Mercur. diaph. ana ℥j.
Miſce & fiat Unguentum pro uſu.

Unguentum Neapolitanum, vid. Ung. mercuriale in *Pharm. Auguſt.*

Unguentum ophthalmicum *Mynſichti.*

℞. *Butyr. majal. non ſalit & Aqu. Euphras. abluti* ℥iv.
Sang. Drac. ver. & ſubtiliſſ. pulveriſat. ℥ß.
Sacch. cand alb.
Tutiæ ppt. ana ʒiij.
Margarith ppt.
Sarcocoll. ana ʒß.
Camphor. ℈ß.
Opii ſpagyr. ppt gr. iv.
M. fiat Unguentum ſecundum artem.

Unguentum Saturninum *Zvelferi* vid. Linimentum.

Unguentum ſpecificum *Hartmanni.*

℞. *Radic. Angelic.* ℔v.
Contuſas coque in diplomate cum Vino optimo vaſe diligenter clauſo, donec Radices in mucilaginem abeant; exprime, & leniter ebulliendo ad caſum mediæ partis coque; dein
℞. *Vin. ardent. Rhenan. vel Hiſpanici* ℔iv.
Solve in eodem Croci optimi pulveriſati ʒiij.
Hoc Vinum paulatim in vaſe convenienti ſuper cineres calefac, & impone Saponis Veneti optimi tenuiter ſecti ℔j. *& continué move cum ſpatula, donec Sapo plane fuerit ſolutus; Quo facto adde*
Olei Terebinth. &
Juniperi ana ℔iß.

Miſc.

Miſce diligenter, & cum Mucilagine Radicis Angelicæ conjunge, ebulliendo amplius, donec ad juſtam conſiſtentiam redactum fuerit.

FINIS.

15. v